ETHICA CHRISTIANA SEU ORTODOXA JURIS NATURALIS & GENTIUM PRUDENTIA. OPUS SINGULARE CUNCTIS...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
F
3
NAPOLI

CXIII
F
3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ETHICA CHRISTIANA
SEU
ORTHODOXA
JURIS NATURALIS & GENTIUM
PRUDENTIA.

OPUS SINGULARE

Cunctis tam Theologis & Juris utriuſque Studioſis, quàm cæteris ſive in foro verſantibus, aut negotia publica tractantibus; ſive privatim genuinam veritatem & morum honeſtatem indagantibus, longè utiliſſimum.

CONTRA

Heterodoxos Moraliſtas & Pſeudo-politicos modernos laborioſe elucubratum, & in duos Libros digeſtum

AB

Admodùm Reverendo & Eximio Patre Magiſtro

ANTONIO HOCHKIRCHEN

AQUENSI

Ordinis FF. Eremitarum S. P. AUGUSTINI, *S. Theologiæ Doctore, ejuſdémque, nec non Juris Pontificii Profeſſore abſoluto, Provinciæ Colonienſis Definitore.*

PARS PRIMA.

TRAJECTI AD MOSAM,

Typis JACOBI LEKENS propè RR. PP. Prædicatores. 1751.

Cum Approbatione & Privilegio S. Cæſareæ Maieſtatis.

Digitized by Google

TES IMPIETATEM & SÆ-
DESIDERIA, SOBRIE, & JUSTE,
VAMUS IN HOC SÆCULO.
octor *Epiſt. ad Titum cap.* 2. v. 12.

Digitized by Google

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

NOS FRANCISCUS Divinâ favente clementiâ Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, & Hieroſolymarum Rex, Dux Lotharingiæ, & Barri, Magnus Hetruriæ Dux, Princeps Carolopolis, Marchio Nomenei, Comes Falckenſteinei, &c. &c.

Agnoſcimus, & notum facimus tenore Præſentium univerſis: Cùm Nobis Noſter, Sacrique Romani Imperii Fidelis, Dilectus JACOBUS LEKENS, Typographus *Trajecti ad Moſam*, humillimè exponi curârit: ſe, quodpiam Novum Opus à devoto nobis dilecto *P. Antonio Hochkirchen*, *Ordinis FF. Eremitarum S. Auguſtini*, ſingulari Sudiô elaboratum, cui Titulus eſt: *Ethica Chriſtiana: ſeu Orthodoxa Juris Naturalis & Gentium Prudentia*, in duos libros digeſta &c. Suis curis & ſumptibus, cum Authoris conſenſu, *in Quarto* proximè editurum, vereri autem, nè alii in ſuum ingens detrimentum, idem Opus quoque modô vel formâ, prelo quoque mandare, imitarivè conentur, proinde Nobis demiſſiſſimè ſupplicârit, ut Cæſâreô Noſtrô Privilegiô Impreſſorio ipſum contra quaſcunque ejuſmodi quæſtui inhiantium æmulorum machinationes præmunire benignè dignaremur: Nos ſubmiſſis pariter ac æquis ſuis precibus clementer annuendum cenſentes, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis ac aliis quibuſcunque Librariam negociationem exercentibus ſeriò inhibemus, nè quis prædictum Librum per Decem annorum decurſum ab hodierna die computandum, in Sacro Romano Imperio, in ſimili vel alio typo, modo, aut forma, ſive in toto, ſive in parte, mutatiſve Titulis, recudere, vel aliò recudendum dare, alibique Impreſſum apportare, vendere vel diſtrahere clam vel palam citra prædicti Typographi, aut ejuſdem hæredum voluntatem ſcriptô firmatam præſumat; Si quis verò Interdictum hoc Noſtrum Cæſareum violare aut tranſgredi auſus fuerit, eum non modò ejuſmodi Libris perperàm quippe recusìs & adductìs, à memorato Typographo JACOBO LEKENS ejuſque hæredibus ubicunque ſive propriâ authoritate, ſive Magiſtratûs auxiliô vendicandis, de facto privandum, ſed & mulctâ inſuper decem marcarum auri puri Fiſco ſeu Ærario Noſtro Cæſareo & parti læſæ, ex æquo pendenda irremiſſibiliter decernimus puniendum, dummodo tamen hujus Privilegii Noſtri Cæſarei, ritéque factæ Cenſuræ tenor pro publica notitia in fronte Libro-

Digitized by Google

brorum impreſſus exhibeatur, & Quinque Exemplaria ad Arcanam Noſtram Cancellariam Imperialem Aulicam, ſumptibus impetrantis, quàmprimùm tranſmittantur; Mandamus igitur omnibus & ſingulis Noſtris, Sacrique Romani Imperii ſubditis & fidelibus Dilectis, cujuſcunque ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, præſertim verò in Magiſtratu Conſtitutis, aliiſvè Jus & Juſtitiam adminiſtrantibus, nè Privilegium hoc Noſtrum quemquam temerè & impunè tranſgredi patiantur, quin potiùs tranſgreſſores præſcriptâ pœnâ plecti, aliiſque modîs idoneîs coërceri curent, quátenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint; Harum teſtimoniò Literarum, manu Noſtrâ Subſcriptarum & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur Viennæ, die vigeſimâ quintâ Aprilis, Annô milleſimô ſeptingenteſimô quinquageſimô, Regni Noſtri quintô.

FRANCISCUS
mpp.

[L. S.]

Vt. Comes de COLLOREDO
mpp.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium.

Paulus Antonius Gundels
mpp.

FACULTAS
REVERENDISSIMI AC SAPIENTISSIMI PATRIS GENERALIS.

FR. *AUGUSTINUS GIOJA à Juvenatio, Sacræ Theologiæ Magiſter, totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. P.* AUGUSTINI *Prior Generalis: promovendorum ad Epiſcopatus Examinator & Viſitator Apoſtolicus.*

Cùm Liber, qui inſcribitur ETHICA CHRISTIANA, ſeu: ORTHODOXA JURIS NATURALIS & GENTIUM PRUDENTIA, à *Rev. Patre Magiſtro Fr. Antonio Hochkirchen* elaboratus, à Patribus Theologis Noſtri Ordinis, quibus id commiſimus, fuerit approbatus; Nos tenore præſentium, Facultatem concedimus, ut Typis mandetur, ſi ita iis, ad quos reliquum ſpectat, videbitur. In quorum fidem has Noſtras Litteras Sigillo Ordinis Noſtri munitas dedimus in Conventu Noſtro S. P. Auguſtini de urbe die 22. Auguſti 1750.

FR. AUGUSTINUS GIOJA *Generalis & Viſitator Apoſtolicus.*

(L.S.)

MR. F. NICOLAUS ANG. JAVOLI *Peruſinus Ordinis Secretarius.*

Regiſtr. lib. 6.

Digitized by Google

APPROBATIO CENSORUM

A Reverendiſſimo Patre Magiſtro AUGUSTINO GIOJA totius Ordinis FF. Eremitarum S. P. Auguſtini Priore Generali deputatorum.

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris Generalis, non minori voluptate, quàm attentione perlegimus Librum primum Operis elaboratiſſimi, cui Titulus: ETHICA CHRISTIANA, SEU ORTHODOXA JURIS NATURALIS & GENTIUM PRUDENTIA. Refutatis Heterodoxorum Moraliſtarum principiis, Derivatis & Conſectariis, *Authore Admodùm Reverendo & Eximio P. Antonio Hochkirchen* &c. Quod materiarum affluentiâ copioſum, varietate amœnum, ſtyli elegantiâ ornatiſſimum reperimus. Non ſatis ſuſpicere potuimus indefatigabiles Eximii Authoris, in tot evolvendis Canoniſtarum, Theologorum, Caſuiſtarum, Juriſcontorum imò & Philoſophorum ac Sapientum Ethnicorum voluminibus, elucubrationes, quarum ſcopus eò collimat, ut Jus Naturale omni creaturæ rationali inſitum & congenitum methodicè explanet. Prima Juris hujus principia, ſeſe ſua claritate omnium oculis offerentia, iis qui ad ea non ſatis reflectunt, indicat, remotiora elucidat, eorum Conſectaria deducit: vera à falſis, dubia à certis, genuina ab adulterinis ſecernit. Hinc Pſeudo-Doctorum auribus prurientium fallacias indigitando, inde ſolidas morum regulas è Verbo Dei ſcripto & tradito hauſtas propinando, pernicioſas Palponum novitates in Ethicam Chriſtianam per *Probabiliſmum* invectas cavet & arcet. Heterodoxorum Præjudicia, à propria, quæ illos excæcavit malitia ortum duxiſſe, demonſtrat, fallentes ipſorum tricas perſpicuè diſſolvit, argutias & ſophiſmata nervosè refellit ac ſecundùm æquitatis naturalis normam, hominis erga Deum, erga ſe ipſum & erga proximum officia diſcriminat & munia.

Ea propter Librum hunc fidei ac moribus tuendis apprimè idoneum, firmis Ethicæ Chriſtianæ fundamentis ſuffultum, & utilitati publicæ maximè profuturum, prœlo digniſſimum cenſemus Leodii hac 20. Julii 1750.

Fr. LAMBERTUS DE HODEIGE Provinciæ Flandro-Belgicæ Ordinis Eremit. S.P. Auguſtini Exprovincialis.

Fr. NICOLAUS ROLIN S. Theolog. Licentiatus & Profeſſor emeritus ac Provinciæ Flandro-Belgicæ Ordinis Eremit. S.P. Auguſtini Definitor.

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad Chriſtianum & æquitatis naturalis Amantem Lectorem.

GRaviter hallucinantur, qui conſummati Juriſconſulti nomen & officium aſſumere ac jactitare præſumunt, ſimulatque juris duntaxat Civilis atque Canonici volumina extremis quaſi labiis deguſtârunt. Etſi enim nec vile neque inutile iſtud ſit ſtudii genus; toto tamen cœlo aberrant, qui intra illius cancellos, exactam juriſprudentiam concludi arbitrantur: ſiquidem, cùm juriſprudentia, juſtitiæ unicè ſubſerviat; oportet illam juſtitiæ adæquari, neque oportet juſtitiam latiùs patere, quàm juriſprudentiam. Quis enim juris encyclopœdiam abſolviſſe dicendus, aut viri conſultiſſimi nomen ſibi vindicet, ſi plurium, ad juſtitiam conducentium, ignarus ſit? Jam verò, juſtitiæ virtus latiſſimè patet, neque uni vel paucis populis propria eſt, ſed toti terrarum orbi, univerſóque humano generi communis ac neceſſaria dignoſcitur, proindeque longè diffuſiùs excurrit juſtitia, quàm, ut ex ſolius Romani juris, tum civilis, tum canonici, libris, hauriri poſſit. Quot & quanta ſunt actionum atque negotiorum capita per juris regulas definienda, de quibus libri iſti nec tractant, neque argumentum porrigunt? Quid, ſi cum exteris, qui extra Romani Imperii fines & dominatum exiſtunt, quæſtio de jure intercedat? Profectò, ùt ùt alienigenæ, ſive Chriſtiani ſive Pagani nobiſcum ſentiant, in juris neceſſitate conſiſtere controverſiarum finem; equidem ex legibus Romano-Cæſareis Pontificiiſve, diſceptationes decidi non ferent, ſed ad altioris, communioriſque juris regulas & dictata provocabunt. Quamobrèm, ſæpe compertum eſt, quòd JCti, qui utriuſque Romani juris ſapientiâ conſpicui, & domî ſuæ, ad reſpondendum de jure clariſſimi expeditiſſimique habiti fuêre; apud exteras nationes, ubi Regum, Principum aut Reipublicæ negotia tractanda ſuſceperant, penè riſui & ludibrio expoſiti fuerint, eò quòd non niſi juxta Romani juris Theoriam & Sancita, controverſias dirimere, pacta inire, fœderáque pangere allaboraverint. Tametſi igitur nemo ſenſatus inficiari queat, quòd Jurisprudentiæ Civilis & Canonicæ ſtudium perutile ſit & magni faciendum; attamen juris iſtius duntaxat prudentiam non ſufficere, ad conſtituendum JCtum plenè conſum-

Digitized by Google

ſummatum, in propatulo eſt. Etenim, ùt dictum, vera juriſprudentia, cunctis numeris abſoluta, legibus Romanis, ſive Cæſareis ſive Pontificiis, longè latiùs patet, ſive conſideres mortales, ſub utrôque hemiſphærio, utentes jure, ſive perpendas infinitatem negotiorum, quæ ad juſtitiæ æquilibrium deducenda ſunt. Ad ſupplendum defectum, qui in utroque tum Civilis, tum Canonici corpore, palpabilis eſt; nonnulli ex Logica, Ethica ſeu Philoſophia Morali, prout in Scholis ſat ſteriliter tractari ſolet, adminicula petivêre, quædam etiam axiomata ſeu Brocardica vaga, ex Solone, Lycurgo, Platone, Ariſtotele, Cicerone, Seneca, Plinio, Socrate, Demoſtene, Tito Livio, Varrone, Valerio Maximo *& hujuſmodi Scriptoribus, tum Oratoribus tum Poëtis congeſsêre, atque in defectu hujuſmodi Apopthegmatum, rurſus ad authoritates & ſententias nedum SS. Patrum, ſed & profanorum Doctorum, convolârunt,* Bartholum & Baldum *& id genus nomina advocantes, de cætero deſtituti ſolidæ rationis ſubſidio. Verùm, ſi ad veram juſti & æqui ſolidam notitiam toti humano generi peræquè communem, pertingere cogitamus; ad jus naturale; ab ipſomet authore naturæ protoparentibus noſtris, in ſtatu innocentiæ, inditum & concreatum retrocedere, atque ex illo jure, univerſalis juſtitiæ Regulam haurire neceſſum habemus: quoniam, ſicut genius rationalis toti humano generi communis eſt; ita ex recto dictamine, à Deo primis parentibus noſtris, indito, quævis controverſa mundi negotia, dubiáque decidi complanarique poſſunt & debent. Nolim autem exinde captiosè inferas; quòd tali pacto, leges tum Civiles tum Canonicæ, inutiles forent ac ſuperfluæ, & per conſequens, ceſſare deberet omnis humana poteſtas legiſlativa; ſed intelligas; quòd Placita, Sancita, Decreta, Statutáve tum Sacra tum Profana, ab ipſomet ſanæ rationis dictamine, id eſt, naturali jure, quadantenus animari, & ſua veluti incunabula mutuari debeant. Non enim jura humana aliud ſunt, aut ſaltem eſſe debent, quàm juris naturalis videlicet* Præceptivi *vel* permiſſivi, *in diverſis materiis, ſúbque formalitatibus diverſis, ad uſum & praxin applicatio: adeò, ut leges, quacunque ſpecie prodeant; ab illo jure, æquitatem, & ut ita loquar, animam nanciſci debeant; ita, ut quantò magìs ab illo recedunt, tantò minus juſtitiæ aut æquitatis contineant. Unde Juſtinianus, de corpore juris, ſua authoritate, emendato, digeſto & divulgato dixit* §. fin. Inſtit. de Juſt. & Jure. Collectum eſt enim (*jus ſcil. privatum*) ex naturalibus præceptis aut Gentium aut Civilibus. *Quo indigitare voluit Imperator, jus naturale, in vera juriſprudentia, primas partes obtinere, huic deinde ſubſtrui jus gentium, & demum leges civiles utrique juri accedere, & ita quidem, ut licet aliqua* præter, *nihil tamen directè* contra *jus illud primævum, qua-*

tenus

tenus præceptivum *vel* prohibitivum *eſt*, *importare poſſint. Quocirca, qui altiùs limatiùſque rem ponderârunt*, *& juris Romani tum Civilis tum Canonici defectum ſubodorati ſunt; in ipſummet jus Naturale, illiùſque principia & dictata ſolertiùs inquirere, atque ex inde certas atque perpetuas regulas rectè & juſtè agendi diſcernendique eruere pertentârunt. His ferè præluxit* Hugo Grotius *olim apud Batavos vir ingenio præſtans*, *qui expoſiturus jus Naturæ & Gentium*, *tres edidit libros*, *quos* De jure Belli & Pacis *inſcripſit. Verùm opus iſthoc, ùt ùt multa præclara contineat; equidem plurima ad juris naturæ notionem ſpectantia valde obiter & mancè pertractat: in multis etiam ab Orthodoxis Doctoribus*, *Author ipſe Calviniſmo infectus*, *receſſit*, *prout ſuis locis indicabo.* Grotium *ſecutus eſt* Samuel Puffendorſius *in opere ſat vaſto*, *ſed variis erroribus conſperſo*, *quod* de Jure Naturæ & Gentium *primùm conſarcinavit*, *deinde in compendium*, *ſub titulo:* De officio Hominis & Civis *redegit*, *ac porrò per* Joannem Barbeyratium *Gallicè verſum & notis locupletatum circumfertur*, *& apud Acatholicos tanti fit*, *ac ſi ab Angelo lucis*, *obfuſcata juris Naturalis integritas*, *novo lumine condecorata foret. Aſt & hic author multò leviùs multòque mendoſiùs Juriſprudentiam Naturalem pertractavit. Huic rei*, *noſtro etiam Ævo*, *inſudârunt* Gronovius, *uterque* Vitriarius, *Parens ſcilicet & filius*, Mevius, Bœclerus, Schilterus *& alii. Non pridem* Abraham de Wicquefort *edidit Tractatum*, *cui Titulus:* l'Ambaſſadeur & ſes fonctions, *in quo ſatagit pertractare* Jus Gentium *quò ad Summorum Principum Legatos*, *ſæpe provocans ad* Jus Naturale, *quod non ubivis ritè ponderavit. Summis etiam quaſi labiis* Paulus *&* Joannes Voet, *parens ſcilicet & filius*, *Viri apud Batavos Clariſſimi*, *Jus Naturæ & Gentium ſparſim delibârunt: verùm nec ſuo propoſito, nec aliorum deſiderio ſatisfecerunt*, *tum quia nec methodicè*, *nec adæquatè*, *neque ſolidè*, *iſtius juris elementa*, *dictata*, *conſectariáque*, *quæ Deus per Moyſen in duabus* Decalogi *Tabulis*, *Populo Hebræo primùm propoſuit*, *& per Chriſtum ac Apoſtolos latiùs expoſuit*, *tradiderunt*, *adeò*, *ut non niſi operis imperfecti Authores audire mereantur. Nobis itaque curæ erit*, *ſervatâ methodo Scholaſticâ*, *Juris tum Naturæ*, *tum Gentium* quidditatem, originem, principia, dictata, derivata & conſectaria, *per diſtincta capita*, *ad Majorem Dei gloriam Gentiúmque omnium æternam ſalutem*, *perſcrutari. Tametſi autem ominer*, *conatum meum aliquorum livori & obtrectationi facilè futurum obnoxium; Idcirco equidem manum operi ſubtrahere nolim*, *quin potiùs quemcunque alium devotiſſimè obteſtor*, *ut*, *quod cœptis meis deeſſe conſpexerit*, *exactiore & terſiore calamo ſupplere non gravetur. Porrò*, *bipartitum hoc Opus*, *infallibili Sacræ Romanæ Eccleſiæ judicio & correctioni demiſſiſſimâ obedientiâ animitus ſubjicio.* SUC-

SUCCINCTA
TOTIUS OPERIS
EXHIBITIO
Loco Indicis Capitum & Rerum Præcipuarum.

IN PRÆFATIONE oſtenditur, quàm utile, quin & neceſſarium ſit, iis præſertim, qui apud Reges aut Supremas Poteſtates, Legationibus funguntur, negotiáve publica pertractanda ſuſceperunt; ſtudium juris Naturalis à *Novatoribus* depravati & opinionum licentiâ corrupti. *Paginâ 1mâ & ſeq.*

Sequuntur Prolegomena. Ubi *n.* 1. indigitatur, quòd pauci rectè ſcripſerint *de jure Naturæ.* Deliravit olim *Carneades*, errántque enormiter Pſeudo-politici moderni, dum effutiunt: aut nullam reapſe dari juſtitiam; aut belli tempore, cunctas ſilere leges etiam naturales. *n.* 3. 4. 5 & 6. *pag.* 3. & 4. Non minùs hallucinantur, qui Chriſticolis, belligerari, interdictum eſſe clamant. *n.* 7. Deus omnis juſtitiæ fons. *n.* 8. primo homini indidit jus naturale. *n.* 9. *pag.* 9. cui non niſi unicam dedit legem cætera præcepta naturalia complectentem. *n.* 10. Deus ab intrinſeco impeccabilis. *n.* 11. Adam per carnalem propagationem (ſolâ Deipara Virgi-

ne præſervatâ) originali labe infecit totum genus humanum. *n.* 14 *& ſeq. pag.* 6. Tametſi autem *Eva* peccaverit lethaliter, non peccavit tamen originaliter. *n.* 17. Unde, ſi hæc ſola peccâſſet; originale peccatum non fuiſſet in poſteros transfuſum *n.* 18. Sicut nec transfuſum fuiſſet, ſi *Adamo* non peccante, peccâſſet quis filiorum ejus, v. g. *Abel*, aut *Caïn. n.* 19. *pag.* 7. Primi hominis peccatum, multa mala invexit in genus humanum, *n.* 22. & dein diu ſinè lege poſitiva victitatum. *n.* 23. *pag.* 8. *& ſeq.* Major tamen in primi ævi hominibus viguit probitas, quàm in poſteris. *n.* 24. *& ſeq. pag.* 9. *& ſeq.* Immerſum peccatis genus humanum ſubmerſit Deus per Diluvii undas, ſervato *Noë* cum paucis familiaribus. *n.* 28. Multiplicato rurſus poſt diluvium genere humano, multiplicata denuò fuit hominum malitia & eviluit *Noachicarum* legum obſervantia; adeò, ut Deus per *Moyſen* Decalogum promulgari juſſerit. *n.* 29. Decalogi autem lex adeò perfecta eſt, ut ad eam cætera naturæ præcepta reducantur. *n.* 30. & nedum obligaverit Hebræos, ſed & mortales cunctos. *n.* 31. *&* 32. *pag.* 12. Quocirca Filius Dei incarnatus depravatam reſtauraturus naturam *n.* 35. Legem Decalogi nec mutavit nec correxit *n.* 36. *pag.* 14. Sed redarguendo Hebræorum errores, genuinum legis naturalis ſenſum expoſuit. *n.* 37. abrogando Divortia, Polygamiam &c. *n.* 38 *pag.* 15. Proinde Chriſtus multa quidem Præter, nihil tamen contra legem naturæ inſtituit aut docuit. *n.* 39. *ibid.* Etiamſi omne jus naturale, Divinum quoque ſit, non tamen omne jus Divinum, pariter eſt naturale. *n.* 40. *&* 41. Diſcrimen enim permagnum eſt inter jus divinum neceſſarium & voluntarium. *n.* 42. *pag.* 16. His ſpeciebus accedit jus humanum, quod varium eſt. *n.* 43. & quidem vel civile *n.* 44. *& ſeq.* vel gentium, tacito populorum conſenſu introductum. *n.* 45. *& ſeq. pag.* 18.

CAPITE I. Libri 1mi. *De Quidditate, Diviſione & Objecto juris naturalis*: oſtenditur, jus naturale nec ab impiis negabile, *n.* 1. *pag.* 21. haud rectè deſcribi à *Grotio. n.* 3. 4. *&* 5. ubi *n.* 6. *pag.* 22. exponitur Juſtinianæa juris naturalis definitio, ac demonſtratur: non omne, quod naturale eſt, juris quoque naturalis eſſe, *n.* 7. Neque dari actionem injuriarum in beſtias nocivas. *n.* 8. Sicut actus alius eſt *hominis*, alius *humanus*. *n.* 9. ita jus *naturæ* & jus *naturale* in rigore differunt. *n.* 10 *pag.* 24. Neque idem ſunt: *jus naturale* & *libertas naturalis*. *n.* 11. Nec rurſum coïncidunt: *jus naturale* & *inveterata conſuetudo*. *n.* 12. Quinimò nec omne, quod naturæ conforme, eſt juris quoque naturalis *præceptivi*. *n.* 13. Licet jus naturale, non ſit ipſe pudor à natura proveniens. *n.* 14. & variæ ſint ſpecies pudoris *n.* 15. quidam tamen pudor, eſt juri affinis. *n.* 16. etſi juſtitiæ & pudoris, alia ſit

Digitized by Google

ſit cauſa & vis diverſa. *n.* 17. *pag.* 25. Deſcribitur pudor naturalis, & determinatur, quis pudor, ſit juſtus? *n.* 18. *pag.* 26. *Honeſtum* aliud eſt tale naturaliter, aliud *Civiliter. n.* 19. *ibid.* Principium juris naturalis, aliud *eſſendi*, aliud cognoſcendi. *n.* 20. *pag.* 27. Aliter obligat conſcientia *recta*, aliter *erronea. n.* 21. & 22. Conſcientia recta, debet eſſe moraliter, non phyſicè evidens *n.* 27. & 28. *pag.* 29. Quanquam conſcientia invincibiliter errans excuſet ab omni peccato & culpa, opus tamen ex tali errore procedens, ſi aliunde in ſe ſit malum, non efficitur *moraliter bonum*, ſed relinquitur *non malum moraliter. n.* 39. & 31. *pag.* 31. De moralitate tum ſpecifica, tum accidentali actuum humanorum deinceps agitur à *n.* 32. uſque ad 37. *pag.* 32. & *ſeq.* Jus naturale differens à jure gentium, differt quoque à Synderesi & conſcientia; nec non à jure poſitivo. *n.* 38. & *ſeq.* Unde probetur quid eſſe juris naturalis? *n.* 41. *pag.* 35. Decalogi præcepta ſunt præcipua juris naturalis dictata. *n.* 43. non omnia tamen virtutum opera, ſunt juris naturalis præceptivi. *n.* 44. *pag.* 36. Nedum connubium, ſed & cœlibatus deſcendit ex jure naturali permiſſivo. *n.* 45. Reprehenditur Hugo Grotius contendens, Polygamiam non fuiſſe olim jure divino prohibitam. *n.* 46. Verum tamen eſt, quòd non ſit juri naturæ directè repugnans, *n.* 47. & quòd Deo diſpenſante in lege veteri, nedum Judæis ſed & Gentilibus fuerit permiſſa. *n.* 48. & 52. *ac ſeq. pag.* 37. & 39. Nunc Polygamia per Chriſtum cunctis prohibita. *n.* 51. & Monogamia juri naturali multò conformior eſt. *n.* 54. Patria poteſtas, quatenus ſit juris naturalis? *n.* 56. Rerum diviſio huic juri non refragatur. *n.* 57. *pag.* 40. Obligatio ſervandi fidem in pactis, deſcendit ex eodem hoc jure *n.* 58. Num actus jure naturæ prohibitus, ſit eo ipsò invalidus? *n.* 60. *pag.* 40. & *ſeq.* Jure naturæ, ad Matrimonii valorem non requiritur quidem parentum conſenſus *n.* 61. Liberi tamen non conſultis, aut invitis parentibus nuptias contrahentes nedum peccant, ſed & exhæredari poſſunt. *n.* 63. & *ſeq. pag.* 42. Injuſtè cogentes ad Matrimonium, excommunicantur. *n.* 66. Conſenſus Matrimonialis in quæ neceſſariò ferri debeat? *n.* 66. & *ſeq. pag.* 43. & *ſeq.*

CAPITE II. De univerſalitate & immutabilitate juris naturalis. à *n.* 1. uſque ad *n.* 8. *pag.* 45. & *ſeq.* oſtenditur: quòd jus naturale ſit quoque lex divina vetuſtiſſima cunctos obligans, & derogans omnibus legibus ſibi adverſantibus. Perpetuitas & immutabilitas ejus tanta eſt; ut nequidem ab ipſo Deo alterari poſſit. *n.* 9. & *ſeq. pag.* 50. & *ſeq.* multò minùs Papa in illâ queat diſpenſare. *n.* 16. *pag.* 53. Qua ratione olim Deus permiſerit Polygamiam & Divortia? *n* 18. *pag.* 55. Matrimonium *ratum*, quò pacto diſſolubile per Profeſſionem religioſam? *n.* 19. & 20. *pag.* 56. & *ſeq.* Conver-

ſio ex infidelitate, qualiter rumpat matrimonium etiam conſummatum? *n.* 21. & *ſeq. pag.* 57. & *ſeq.* Paganiſmus aut Judaïſmus ſuperveniens, non facit rumpi vinculum Matrimonii contracti cum fideli. *n.* 25. *Epikeïa* quatenus habeat locum in jure nat.? *n* 27. *pag.* 58. Refutatur *David Mevius* contendens: Deum diſpenſando poſſe indulgere, quæ alias naturaliter ſunt improba. *n.* 30. *pag.* 60. Mutari poſſunt ea, quæ libertatis naturalis ſunt. *n.* 31. & 32. *pag.* 61. Una lex naturalis fortior vincit debiliorem, ſi utraque ſimul obſervari nequeat. *n.* 33. Nulla tamen hominum utilitas limitat jus naturale *n.* 34. multò minùs crebra tranſgreſſio illud mutat *n.* 35. *pag.* 62. In quo conſiſtat finis juris nat.? *n.* 36. & *ſeq. pag.* 63. quòd habet duo tribunalia. *n.* 41. & cujus violatores Deus acerrimè punit. *n.* 42. *pag.* 63.

CAPITE III. diſquiritur: unde haurienda ſit juris naturalis notitia? Qua in re, in varias itum opiniones *n.* 1. *pag.* 69. Juris Civilis ignorantia interdum excuſat, aſt inſcitia juris nat. non præbet excuſationem, ſaltem in iis, quæ per ſe primò nota ſunt, aut ex primò notis facilè eruuntur. *n.* 2. 3. & 4. *pag.* 70. Quid ſit juris naturalis? non poteſt præcisè deſumi ex appetitu ſocietatis, neque ex utilitate, in quam ſinguli feruntur. *n.* 5. Tametſi ex legibus & præceptis moralibus populo Hebræo primitus datis, poſtea ad omnes gentes extenſis rectiùs argumentemur ad eruendum jus naturale. *n.* 6. *pag.* 71. & *ſeq.* equidem con-vel diſ-convenientia cum ratione naturali, *primitiva* & certa eſt regula diſcernendi, quid jure naturali præceptum vetitúmve ſit? *n.* 8. *pag.* 72. ſtatuuntur quædam Theoremata ex quibus multæ concluſiones practicæ, prudenter deduci poſſunt. *n.* 9. *pag.* 73. & *ſeq.* Juris naturalis Prudentia, quænam habeat principia *conſtitutiva* tum *intrinſeca* tum *extrinſeca*? *n.* 10. Quomodo differat à Theologia morali & Ethica? item à Juriſprudentia *univerſali*? à Politica & ratione ſtatûs? *n.* 11. & *ſeq. pag.* 75. Quænam officia erga *Deum*, *ſeipſum* & *proximum* pullulent ex jure naturali? *n.* 14. Statuitur primum & fundamentale principium totius juris naturalis. *n.* 15. Probabiliſmus non eſt principium extrinſecum ſeu adjuvans Juriſprudentiæ naturalis, ſed eſt ars animas decipiendi & in Gehennam præcipitandi, imò peſtifera origo corruptelæ morum & doctrinæ moralis, id quod à *n.* 16. uſque ad *n.* 67. operosè demonſtratur. Dein ſubſequenter traditur, quas regulas in operando, citra peccati periculum ſequi debeamus à *n.* 68. uſque ad 98. *pag.* 93. & *ſeq.* Regula de ſequenda parte tutiore non eſt meri conſilii, ſed præcepti; eſtque univerſalis in omni dubio conſcientiæ. *n.* 99. & *ſeq. pag.* 104. & *ſeq.* Neque dubium conſcientiæ rectè reſolvitur, allegando poſſeſſionem libertatis. *n.* 104. & *ſeq.* ubi *n.* 106. evertitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ & *n.* 107. referuntur corollaria

* præ-

præcedentis doctrinæ. Ut conſcientia probabilis poſſit eſſe ſufficiens regula morum, debet importare certitudinem moralem *ſubjectivè* talem. *n.* 108. & *ſeq. pag.* 106. Porrò à *n.* 111 uſque ad *n.* 114. diluuntur objectiones, & finaliter *n.* 115. oſtenditur; quòd multi reſipiſcentes, probabiliſmum rejecerint, quódque Galliæ Epiſcopi eundem, veluti, moralis doctrinæ peſtiferam corruptelam, abominati ſint.

CAPITE IV. generatim agitur de divinis naturalibúſque Decalogi Præceptis, ac demonſtratur: quòd Deus cum Majeſtatis figura, populo Hebræo per Moyſen, tradiderit Decalogum tanquam epitomen omnium legum moralium. *n.* 1. 2. 3. & 4. *pag.* 110. Notantur Hæretici & refutantur temerarii defenſores *Paſchaſii Queſnelli*, effutientes: homini lapſo, mandata Dei fore ſervatu impoſſibilia. Ubi oſtenditur, quòd per Bullam *Unigenitus* cum reliquis propoſitionibus, meritò damnatæ fuerint 1*ma*, 4*ta* & 5*ta*. *n.* 5. *pag.* 111. *Negativa* Decalogi Præcepta continent ſub ſe alia *affirmativa*, & vice verſâ. *n.* 6. Obſervatur diſcrimen inter præcepta negativa & affirmativa. *n.* 7. Decalogi Præcepta utpote naturalia, etiam ante *Moyſen* omnes gentes obligabant. *n.* 8. *pag.* 113.

CAPITE V. expenditur primum Decalogi Præceptum. Exponitur ſenſus myſticus verborum *Exodi* 20. *Qui eduxi te* &c. *n.* 1. *pag.* 118. Religio trifariàm capi poteſt. *n.* 2. Actus ejus alii ſunt eliciti, alii imperati. *n.* 3. Sola creatura rationalis deprecari poteſt. *n.* 4. Oratio, quatenus effectum habeat infallibilem? *n.* 5. Qualiter & quando adultis neceſſaria? Pro quibus orare liceat? *n.* 7. *pag.* 119. & *ſeq.* Purgatorium non eſſe commentum Papæ aut Monachorum, evidenter probatur. *n.* 8. Religioni quædam per exceſſum, quædam per Defectum opponuntur vitia. *n.* 9. *pag.* 121. Quid & quotuplex ſit Superſtitio? Idololatria quid? Quotuplex ſit Cultus? Magia quotuplex? *n.* 10. & *ſeq. pag.* 121. & *ſeq.* De quibus criminibus Sagæ & Magi ſint interrogandi? *n.* 14. Maleficium quid & quotuplex? *n.* 15. *pag.* 123. & *ſeq.* Quo pacto Maleficium tolli poſſit? *n.* 16. *pag.* 124. & *ſeq.* Divinatio quid & quotuplex? & utrùm Dæmon cognoſcat futura libera? *n.* 17. & *ſeq. pag.* 125. & *ſeq.* Quantoperè Auguria & ſuperſtitioſæ Divinationes olim per leges etiam Imperatorum Ethnicorum fuerint vetitæ? *n.* 19. *pag.* 127. & *ſeq.* Divinatio per aſtra, an & quatenus licita? *n.* 22. Quid ſentiant Theologi de Aſtrologia judiciaria? item, de Phyſiognomia? de Obſervantia ſomniorum? *n.* 23. & 24. *pag.* 130. Quid ſit Sortilegium? *n.* 21. Quotuplices ſint ſortes, & quænam licitæ? *n.* 25. & *ſeq. pag.* 132. & *ſeq.* Vana obſervantia deſcribitur ejúſque ſpecies adducuntur. *n.* 29. Tentatio Dei quid & quotuplex? *n.* 30. *pag.* 135. Sacrilegium quid & quo-

quo-

quotuplex? *n.* 31. *pag.* 136. & *ſeq.* Quinam gaudeant Aſylo Eccleſiaſtico? *n.* 32. Sacrilegium *reale* variis gradibus & modis patratur. *n.* 33. *pag.* 138. Simonia quid & quotuplex, & quatenus illa committatur circa beneficia Eccleſiaſtica, Profeſſionem religioſam? &c. *n.* 35. & *ſeq.* uſque ad *n.* 82. *pag.* 139 & *ſeq.* De Obligatione reſtituendi ſimoniacè accepta agitur à *n.* 83 uſque ad *n* 88 *pag.* 155. & *ſeq.* Quid operetur Papalis diſpenſatio circa Simoniam? *n.* 89 & *ſeq.* *pag.* 157 & *n.* 99 *pag.* 160 Annatæ quid? *n.* 93 Jus exigendi Annatas, ubi, & quatenus Pontifici reſervatum manſerit in Germania, poſt pacificationem Monaſterienſem? *n.* 94 & *ſeq.* Annatarum exactio ab omni labe aliena eſt. *n.* 97 *pag.* 158 & *ſeq.* In Gallia non admittitur compoſitio ſuper fructibus. *n.* 101 Cauſæ ſimoniacæ ſpectant ad forum Eccleſiaſticum. *n.* 102 Quis ad accuſandum in his cauſis admittatur? *n.* 103 Beneficia Simoniacorum tanquam vacantia, impetrari poſſunt. *n.* 104 *pag.* 161 Etſi primo Decalogi Præcepto ſolus Deus latreuticè coli jubeatur; non prohibetur tamen ſanctis cultus duliæ exhiberi. *n.* 105 & *ſeq.* Hæc Catholica veritas à calumniis & convitiis Hæreticorum vindicatur à *n.* 109 uſq; ad *n.* 114 *pag.* 163 & *ſeq.* Utrùm Sanguis Chriſti, qui in Paſſione ejus defluxit: item: an Caro & Sanguis in Altaris Sacramento miraculosè apparens, *abſolutè* adorari poſſit? *n.* 115. Quo cultu venerandæ ſint reliquiæ Sanctorum? *n.* 116 *pag.* 171 & *ſeq.*

CAPITE VI. trutinatur ſecundum Decalogi Præceptum. Quid nomine Dei veniat? & quot modis, nomen Dei licitè aſſumatur? *n* 1 2 3 *pag.* 176 Præceptum hoc aliter obligat quà *negativum*, aliter quà *affirmativum*. *n.* 4 Juramentum eſt actus Religionis. *n.* 6 *pag.* 177 Divinum Numen tacitè vel expreſsè invocari poteſt. *n.* 7 Adferuntur juramenti diviſiones. *n.* 8 *pag.* 178 & *ſeq.* Juramentum *calumniæ*, quando & à quibus præſtari debeat? *n.* 9 Quid juramentum *Malitiæ* & *de veritate dicenda*? *n.* 10 *pag.* 179 & *ſeq.* Juramentum *judiciale* aliud *litis deciſorium*, aliud *in litem*. *n.* 11 *pag.* 181. Contra Anabaptiſtas demonſtratur: non ſolùm licitum eſſe Chriſtianis jurare, ſed & ab altero exigere juramentum. *n.* 12 *pag.* 182. Requiſita ex parte jurantis. *n.* 13 *pag.* 183. Juramentum, ut licitè præſtetur, tres debet habere comites. *n.* 14 *pag.* 184. Quâ formâ jurandum? *n.* 15 An Homagium, quod Vaſallus facit Domino, importet juramentum? *ibid.* Per falſum Numen, an verè juretur? *n.* 16 & *ſeq.* Ethnicus per falſos Deos jurans, an & quatenus obligetur? *n.* 18. *pag.* 185. An liceat petere juramentum ab eo, qui creditur per falſos Deos juraturus? *n.* 19. Aliter obligat jurata promiſſio ſoli Deo facta; aliter facta homini. *n.* 20. Nedum prædoni, ſed & hoſti publico fides jurata ſervanda. Sed quid, ſi alter priùs fidem fregerit? *ibid.*

Google

ibid. n. 21. Inæqualitas juratò contrahentium non præſtat exemptionem à juramenti obſervantia. *n.* 22. Juramenti interpretatio qualiter facienda? *n.* 23 & *ſeq.* Juramento promiſſorio, quæ tacitè inſint conditiones? *n.* 26. & *ſeq.* Num juramentum de ſervandis Statutis, extendatur ad Statuta etiam futura? *n.* 28. Reus non tenetur fateri veritatem, nec juraro, niſi ſervato juris ordine interrogetur à judice. *n.* 29, Id quod & obtinet, ſi Reus dubitet, num legitimè interrogetur? *n.* 30. Aut: ſi necdum plenè convictus, in cauſis criminalibus majoribus, ſpem habeat evadendi. *n.* 31. Interrogatus à judice ex præſumptione falſa, poteſt negare propoſitionem aliunde veram. *n.* 32. Quo ſenſu ab *Innocentio XI.* damnatæ ſint amphibologiæ & reſtrictiones mentales? n. 33. Juramentum promiſſorium, quandonam inducat vinculum obligationis, & quandonam non? *n.* 34. Juramentum homini præſtitum neceſſariò ſervandum, quoties abſque detrimento animæ jurantis, ſervari poteſt. Id quod probatur *inductione. n,* 35. Res homini juratò promiſſa, non poteſt ipſo invito, in opus etiam melius commutari. *n.* 36. quod ſecus eſt in promiſſione facta Deo. *n.* 37. Juramentum per Procuratorem præſtari poteſt. *n.* 38. *ibid.* An valeat juramentum de non accuſando uxorem ſuper crimine? *n.* 39. An obliget, quod ex metu per injuriam incuſſo, factum? *n.* 40. Occurritur objectionibus. *n.* 41. Ex carcere injuſto relaxatus ſub juramento de redeundo, an & quatenus teneatur redire? *n.* 42. *ibid.* An teneat juramentum doloſè elicitum? *n.* 43. *ibid.* Metus & dolus non æquiparantur in omnibus. *n.* 44. Enormiſſima læſio non tollit juramenti vinculum. *n.* 45. Juramentum ſervandi Capitulationes quatenus obliget? *n.* 46. Solidè diſcutitur; an, & quatenus teneat juramentum contra juris civilis diſpoſitionem? *n.* 47. Quandonam lex civilis obliget in foro poli? *n.* 48. Juramenti obligatio, quatenus ſit ad hæredes tranſitoria? *n.* 49 & *ſeq.* Contractus de jure prohibitus, quandonam ex juramento vires capiat? *n.* 53. Solvitur objectio. *n.* 54. Multum refert, num contractus ex juramento confirmetur, an verò ſolius juramenti religio obligationem pariat? *n.* 55. *ibid.* Quid & quotuplex ſit juramentum litis deciſorium? *n.* 56 *ibid.* Diſcrimen inter juramentum *voluntarium*, *judiciale* & *neceſſarium*. *n.* 57. Juramentum etiam merè *conventionale* prodeſt ad cauſarum deciſionem. *n.* 58. Effectus juramenti *Litis deciſorii. n.* 59. *ibid.* Quid, ſi ejus detegatur falſitas? an tunc ſententia retractari poſſit? *n.* 60 & *ſeq.* & infra *n.* 85. Juramentum litis deciſorium, non habet locum, niſi in re dubia quæ aliter dirimi nequeat. *n* 66. Juramentum *conventionale* poſtulat, ea quæ requirit tranſactio. *n.* 67 *ibid.* Ad juramentum judiciale requiritur inſuper approbatio judicis. *n.* 68 *ibid.* Requiſita ad delationem juramenti neceſſarii. *n.*

69

69 *ibid.* An interdum expediat juramentum litis deciſorium deferri ſub forma *execratoria*: *n.* 70 *ibid.* Judex uſque ad prolationem ſententiæ, poteſt deferre juramentum, nec ipſi unquam concluditur in cauſa. *n.* 71. Juramentum neceſſarium, citato adverſario præſtari debet. *n.* 72. *ibid.* Actore non probante, Reus abſolvendus. *n.* 73 *ibid.* Juramentum ſuppletorium, quibus in cauſis, deferri poſſit: *n.* 74 & *ſeq.* Regulariter Reo potiùs, quàm Actori deferendum. *n.* 76. Juramentum voluntarium & judiciale in omni cauſa deferri poteſt. *n.* 77 *ibid.* Spontè ſe ad jurandum offerens, evadit ſuſpectus. *n.* 78 *ibid.* Juramentum ſuppletorium interdum debet à judice deferri. *n.* 79. Statuuntur caſus excepti. *n.* 80 & *ſeq.* Juramentum voluntarium nec neceſſariò præſtandum, neque referendum. *n.* 82. Juramentum *judiciale* quatenus recuſari poſſit: *n.* 83 *ibid.* *Neceſſarium* an recuſari poſſit: *n.* 84. Actore nihil probante, an locus delationi juramenti: *n.* 86. Qui mavult probare, non tenetur jurare. *n.* 87 *ibid.* Violatio juramenti tum Aſſertorii tum Promiſſorii, an ponat culpam mortalem, non obſtante levitate materiæ: *n* 88. Juratò promiſſum, an præſtandum non exigenti: *n.* 89. Juratæ promiſſioni num ſatisfiat compenſando: *n.* 90 *ibid.* Juramentorum & votorum irritatio, quot modis & à quibus poſſit fieri *n.* 91 & *ſeq.* Non omnis, qui poteſt irritare vota vel juramenta, poteſt ſuper iis diſpenſare. *n.* 97. Irritatio ſine juſta cauſa valet, non ſic diſpenſatio. *ibid.* Recenſentur legitimæ cauſæ diſpenſandi ſuper juramentis. *n.* 98 *ibid.* *Adjuratio* quid & quotuplex: *n.* 99. Utrùm creaturæ irrationales queant adjurari: *n.* 100.

CAPITE VII. ponderatur tertium Decalogi Præceptum de ſanctificando *Sabbatho.* Præceptum hoc partim Naturale, partim Divinum poſitivum ac cæremoniale eſt. *n.* 1. Quatenus cæremoniale, nunc lege novâ antiquatum *n.* 2 & 3 *ibid.* Præceptum hoc etiam *negativum* eſt, & qualiter obliget: *n.* 4 & 5. De præcepto audiendi Miſſam diebus Dominicis, plenè agitur *n.* 6 & *ſeq.* Non exſtat ſpecialis obligatio diebus Dominicis eliciendi actus fidei ſpei & charitatis. *n.* 13. Impeditus ab auditione Miſſæ tenetur aliter ſanctificare diem Dominicum. *n.* 14 *ibid.* Quinimò ſpectato jure Naturali Divino, fideles ultra auditionem Miſſæ, obſtringuntur ad alia pietatis officia. *n.* 15. & *ſeq. ibid.* An Miſſa ſolemnis, & quidem in Eccleſia Parochiali audiri debeat: *n.* 17. Exponuntur cauſæ ab auditione Miſſæ excuſantes. *n.* 18. *ibid.* Qualiter quis teneatur non ponere impedimenta, quò minùs Miſſam audire poſſit? *n.* 19. Præceptum hoc qualiter differat ab aliis Decalogi præceptis: *n.* 20. Ab Eccleſiæ incunabulis, alia quoque feſta noſcuntur inſtituta. *n.* 21. Quid ſit *feriari*: *n.* 22 *ibid.* Peccatum die Dominico patratum, ob circumſtantiam diei Sacræ, non inducit *ſpecie diſtinctam* malitiam.

n.

n 23 *& ſeq.* Ubi ſolvuntur objectiones. *pag.* 236 Opera, alia ſunt *ſervilia*, alia *liberalia*, alia *communia n.* 25 *ibid.* Non omnia opera olim Judæis vetita, peræquè nobis ſunt prohibita. *n.* 26 Quænam opera Chriſtianis ſint prohibita die Dominico vel Feſtivo? *n.* 27 *& ſeq.* Bellare, quatenus liceat die Feſto? *n.* 30. Mercatus quis, & quatenus die ſacro prohibitus. *n.* 31 *Placitum, Judicium criminale*, & *Sacramentum publicum*, prohibita ſunt diebus ſacris. *n.* 32 Opera *communia* ſervis & liberis, item *ſervilia* ad cultum Dei ordinata; die feſto peragi poſſunt. *n.* 33 Neceſſitas vel charitas, item ſuperioris diſpenſatio, vel etiam conſuetudo legitima, licitum reddunt laborem *ſervilem* in die feſto. *n.* 34 *p.* 240 Cur Deus initio tertii præcepti, dixerit: *Memento ut &c. n.* 35 *ibid.* Cur Judæis dies *ſeptimus* fuerit ſacer? *n.* 36 *ibid.* Cur Deus illo die juſſerit etiam jumenta quieſcere? *n* 37 *p.* 242 Poteſtas laïca non poteſt *principaliter* feſta inſtituere. *n.* 38 *ibid.* In Diœceſi *Trevirenſi*, & alibi, multa feſta, ex dimidio diei ſolùm celebrantur. *n.* 39. *ibid.* Feriæ quotuplices? & quales, Princeps laïcus queat inſtituere? n. 40. Feſtorum violatores, etiam à poteſtate laïca, puniri poſſunt. *n.* 41 *p.* 244 Feſtorum celebritas, quando incipiat & finiatur? *n.* 42 *ibid.* Sententia judicialis, extra caſus jure permiſſos *nulliter* fertur etiam in Feriis *profanis*. *n.* 43 *ibid.* Quibus feriis litigantes renuntiare poſſint? *n.* 44 *p.* 245 Actus voluntariæ juriſdictionis, *feriis* etiam *ſacris*, expediri poſſunt. *n.* 45 *ibid.* Nec *ſacris*, nec *repentinis* feriis à litigantibus poteſt renuntiari *n.* 46 *ibid.* In caſibus neceſſitatis vel pietatis, actus judiciales non prohibentur exerceri diebus ſacris. *n.* 47 Quocunque die feriato, judici poteſt offerri libellus. *n.* 48 Citatio judicialis, an *die feriato*, vel: *ad diem feriatum* valide fiat? *n.* 49.

CAPITE VIII. Ruminatur quartum Decalogi præceptum de honorandis parentibus. Omnia Decalogi præcepta charitatem pro fine habent. *n.* 1 Tria *prioris Tabulæ* præcepta, ordinant hominem in Deum, ſeptem verò *poſterioris Tabulæ* dirigunt hominem in proximum. *n.* 2 Quartum hoc præceptum eſt virtualiter *negativum*. *n.* 3. Nomine parentum, quinam veniant? *n.* 4 & *n.* 37. *& ſeq.* Honorare quid ſit? & cur parentes carnales præcipuè honorandi? *n.* 5 Qualiter liberi amare debeant parentes, & quantoperè delinquant, ſi contra agant? *n.* 6 Filius in foro tum civili, tum criminali, regulariter nequit agere contra patrem. Quod tamen limitatur. *n.* 7 Liberi ex naturali obligatione obedire debent parentibus non iniqua præcipientibus. *n* 8 Ex levitate materiæ, aut inadvertentia, tranſgreſſio mandati paterni poteſt evadere venialis. *n.* 9 Haud indiſcriminatim parentibus obtemperandum. *n.* 10 Qualiter liberi teneantur parentibus ſuccurrere in neceſſitatibus, tum ſpiritualibus tum corpora-

libus? *n.* 11 Officia pietatis, parentibus *debita*, operibus *conſilii* præferenda. *n.* 12 & *n.* 16 Parentum nomine, hac in parte, veniunt & avi & proavi; non verò conſanguinei *collaterales*. *n.* 13 *p.* 257 An communis, aut futura parentum neceſſitas, filium præpediat ab ingreſſu Religionis? *n.* 14 *ibid.* Triplex parentum neceſſitas. *n.* 15 *p.* 258 Religioſus valens in Monaſterio cum Superiorum licentiâ ſuccurrere parentum egeſtati, non poteſt exire. *n.* 17 *ibid.* Egreſſus autem, ceſſante parentum neceſſitate, regredi tenetur *n.* 18 *ibid.* ubi *n.* 19 ſolvitur *objectio.* In eligendo vitæ ſtatu, ſummam Deus & natura liberis libertatem conceſſit. *n.* 20 *p.* 259 Qualiter delinquant parentes, dum liberos ad ſtatum Religioſum, vel Matrimonialem cogunt, vel ab eodem reſpectivè retrahunt? *n.* 21 *ibid* Tametſi, invitis etiam rationabiliter parentibus *validè* contrahantur nuptiæ; peccant tamen graviter liberi, ſi regulariter ipſorum conſilium non explorent, conſenſúmque eorum haud expectent. *n.* 22 *p.* 260 Quinimò per Principum Edicta, meritò exhæredari poſſunt liberi, qui ſpreto parentum conſenſu, nuptias contraxerunt: quod tamen inſigniter limitatur. *n.* 24 *ibid.* & *pag. ſeq.* Parentes culpâ non vacant, ſi ex motivis inſufficientibus, denegent aut diutiùs differant conſenſum in nuptias liberorum. *n.* 25 *p.* 262 Omnis irreverentia injuriáve parentibus illata, cæteris paribus multò gravior, ac irrogata aliis. *n.* 26 *ibid* Liberi etiam in materia *Adiaphora*, ſtudere debent, ut parentum placito obſecundent. *n.* 27 *ibid.* Ex juſta tamen & urgente cauſa, refragari poſſunt parentum deſiderio. *n.* 28 *ibid.* Cur de obligatione parentum erga liberos, non meminerit Deus in quarto Decalogi præcepto? *n.* 29 Parentes jure Divino Naturali, nedum corporaliter, ſed & ſpiritualiter educare debent liberos. Quid, titulo utriuſque educationis, comprehendatur? *n.* 30 Exemplô magìs, quàm verbô erudiendi ſunt liberi, qui & delinquentes corripiendi. *n.* 31 Liberorum *illegitimorum* variæ ſunt ſpecies. *n.* 32 Proles illegitimæ, qualiter à parentibus alendæ? *n.* 33 *p.* 267 Pater etiam Eccleſiaſticus, nedum alimenta *ſpurio*, ſed & filiæ *ſpuriæ* dotem congruam conſtituere debet. *n.* 34 *ibid.* Naturalis obligatio alendi ſpurios, tranſit in hæredes parentum. *n.* 35 Confectaria hujus naturalis obligationis. *n.* 36 *p.* 268 Quinam largiore ſignificatu, veniant nomine parentum? *n.* 37 & *ſeq. ibid.* Fratribus & Sororibus, aliſſque collateralibus, quid debeamus? *n.* 39 De officio, obligatione; Item: peccatis conjugum inter ſe, diſſeritur uſque in finem.

CAPITE IX. Expenditur quintum Decalogi præceptum. A *n.* 1 uſque ad *n.* 15 de nomine, quidditate, qualitate, ac pœnis Homicidii agitur. Mandans occidi, quatenus revocatô mandatô, immunis ſit à pœnis juris? *n.* 16 *p.* 286 An mandans obnoxius ſit pœnis, ſi ipſe mandatarius occidatur? *n.* 17. *ibid.*

ibid. Mandans, non ſubſecutâ cæde, an immunis ſit ab omni pœna? *n.* 18 *ibid.* Efficaciter conſulens, ad inſtar mandantis, ſubjacet pœnis. *n* 19. *ibid.* Diſcrimen inter Mandantem & Conſulentem revocatò conſiliô. *n.* 20. *ibid.* Paribus pœnis obnoxii ſunt alii efficaciter & propinquè ad homicidium concurrentes. *n.* 21 *p.* 287 Quid, ſi plures conſiliô, factóve ad idem homicidium concurrant? *n.* 22 & 23 *ibid.* Non impediens homicidium, dum poteſt, & *ex juſtitia* impedire tenetur, efficitur *irregularis*. *n.* 24 *p.* 288 Quid de ratihabente homicidium, ſe inſcio, ab alio patratum? *n.* 25 *ibid* Vulnerans, ſi de lethalitate vulneris conſtet, homicidii pœnas incurrit; licet vulneratus, ex intervallo moriatur. *n.* 26 *ibid.* In dubio de lethalitate vulneris, non habent locum pœnæ ordinariæ jure *Civili* ſtatutæ; jure tamen *Pontificio*, ſic vulnerans, pro irregulari habetur. *n.* 27 *p.* 289 Injuſtè alium mutilans, qualiter puniendus, & ad quid teneatur mutilato? *n.* 28 & *ſeq. ibid.* Pœnæ homicidii *qualificati*, variant pro atrocitate criminis. *n.* 30 *p.* 290 Malefactores, authoritate publica, licitè occidi poſſunt. *n.* 31 *ibid.* An, & quatenus Magiſtratus, vel Princeps ſupremus, malefactores *Banno* ſubjicere poſſit? Item: an *bannitus* à quovis privato occidi poſſit? *n.* 32 *p.* 291 Magiſtratum, haud facilè ad pœnam *Banni* procedere debere, rectè monent Theologi. *n.* 33. *ibid.* Quinam ratione homicidii vel mutilationis, *ex defectu perfectæ lenitatis* irregularitatem contrahant, nec ne? *n.* 34 & *ſeq.* Pro neceſſaria ſuî defenſione, occidere licet *injuſtum*, imò *non juſtum* invaſorem, puta: furioſum, amentem &c *n.* 36 Ut quis injuſtum aggreſſorem licitè poſſit occidere, requiritur periculum *præſens*; Licet primus ictus non ſit neceſſariò expectandus. *n.* 37 & *ſeq.* Præventivè occidi poteſt, qui alteri membrum amputare intendit, ſi aliter repelli nequeat. *n.* 39 Servandum ſemper eſt moderamen *inculpatæ tutelæ*. *n.* 40 Quæ requirantur ad iſtud moderamen? *n.* 41 Etiam iniquus aggreſſor propinquorum, imò extraneorum, occidi poteſt. *n.* 42 Amplectimur ſententiam *S. P. Auguſtini* docentis: non licere virgini, occidere violentum ſtupratorem. *n.* 43 Tuta quoque & pia eſt ſententia, volens: non eſſe licitum, occidere invaſorem bonorum temporalium, ubi indagatur mens *S. Auguſtini*. *n.* 45 & *ſeq.* Cur potiùs furem nocturnum, quàm diurnum, occidere permiſſum? *n.* 46 Reprehenditur *Grotius*. Quem præſentem licet occidere raptorem, illum & fugientem interimere licet. *n.* 48 ſed quid, ſi fur, res ablatas domî ſuæ jam teneat? *n.* 49 Nunquam licet viro nobili etiam militari, interimere aggreſſorem famæ aut honoris? *n.* 50 Diluuntur *objectiones*. *n.* 51 Detegitur *Puffendorfii* error. *n.* 52 Refellitur quoque opinio *R. P. Ignatii Schwartz* *n.* 53 Nequidem viro honorato, fuſte aut manu percuſſo, licet percutientem *vindictæ causâ* repercutere. *n.*

54 *p.* 310 Tenetur etiam vir nobilis, potiùs fugere, quàm occidere illum, à quo pugnis aut verbis injurioſis impetitur. *n.* 55 *ibid.* Utrum non fugiens, dum abſque gravi incommodo poteſt, ſed occidens injuſtum invaſorem, peccet non ſolùm contra *charitatem*, ſed etiam contra *juſtitiam*? *n.* 56 *ibid.* Erravit *Grotius*, putans: lege Evangelicâ, Chriſtiano interdictum eſſe, defenſione *occiſivâ* tueri vitam propriam aut bona fortunæ. *n.* 57 *p.* 311 Econtra graviùs hallucinatur *Puffendorfius*, qui *de jure naturæ*, ob levem etiam injuriam, dat læſo facultatem, lædentem lædendi *in infinitum*. *n.* 58 *ibid.* *Thomaſius*, *Kemmerichius* & *Fleicherus* perſtringuntur. *n.* 59 *ibid.* Etſi jure Naturæ permiſſa ſit ſuî bonorúmque ſuorum defenſio *occiſiva*; nemo tamen regulariter cogitur uti tali defenſione. *n.* 60 Occurritur Pſeudo-Ethicorum modernorum *paralogiſmis*. *n.* 61 Injuſſu Dei, nunquam licita eſt ſuî ipſius *directa occiſio*. *n.* 62 Ampliatur hæc reſolutio, & refelluntur *Thomaſii* argutiæ. *n.* 63 Referuntur caſus, quibus *indirecta Autochiria* extra culpam eſt. *n.* 64 Si juſta verò deſit cauſa, lethaliter delinquunt, ad mortem propriam etiam *indirectè tantùm* concurrentes. *n.* 65 Quæ pœnæ in *ſuicidas* ſtatutæ? *n.* 66 *p.* 320 An Teſtamenta ipſorum ratihabenda? *n.* 67. *ibid.* Amentes & furioſi ſe interficientes, non ſubjacent pœnis. *n.* 68 *ibid.* Quid, ſi dubitetur de amentia? *n.* 69 *p.* 321 Quid, ſi non conſtet, an quis ſeipſum occiderit, an ab alio ſit occiſus? *n.* 70 *ibid.* Quid, ſi *ſuicida*, ante exſpirationem repertus, dederit ſigna doloris? *n.* 71 *ibid.* A *n.* 72 uſque ad 76 agitur de *Duello*, & oſtenditur: quòd *Monomachia* regulariter, graviſſimè vetita, certis caſibus licitè ſuſcipiatur. *Numero* 77 agitur de *Diffidatione* olim, moribus minimè laudandis, introducta, nunc prorſus legibus *Imperialibus* vetita. Occiſor, vel mutilator injuſtus, cui, quid, & quantum reſtituere cogatur. *n.* 78 *p.* 329 Provocatus occidens provocantem, vel eundem mutilans vulneranſque, nihil ei tenetur reſtituere. *n.* 79 *ibid.* Ante ſententiam judicis, pro damno *naturali*, ex homicidio, mutilatione vel vulneratione, reſultante; nihil eſt reſtituendum. *n.* 80 *ibid.* Injuſtus occiſor vel mutilator reſarcire debet omnia omnino damna *realia*, ex occiſione vel mutilatione, orta. *n.* 81 Cui hæc reſtitutio facienda? An & facienda, ſi homicida ultimum ſit paſſus ſupplicium? *n.* 82 Quid, ſi lethaliter vulneratus, ante mortem, alteri nedum *injuriam perſonalem*, ſed etiam omne damnum *reale* remiſerit? *n.* 83.

CAPITE X. Diſcutitur ſextum Decalogi præceptum. Hoc præcepto autem nedum *Mœchia*, ſed & omnis vetatur impudicitia. *n.* 1 Caſtitas quid & quotuplex? Virginitas quatenus differat à caſtitate? *n.* 3 *p.* 339 Virginitas quotuplex? *n.* 4 *ibid.* Fornicatio definitur. *n.* 5 *ibid.* Rejicitur opinio *Caramuelis* & *Durandi*, ac ſatisfit eorum objectionibus. *n.* 7 & 8. Hodie, jure

Ca-

Canonico corrigente, jus *Civile*, Fornicatio non eſt extra pœnam etiam temporalem. *n.* 9 Quid ſit concubinatus, & qualiter utroque jure prohibitus? *n.* 10 & 11 *p.* 341 Qualiter à judice, ſignanter Confeſſario examinandi ſint *Fornicarii* aut *Fornicariæ*? *n.* 12 *ibid. Meretrix*, qualiter differat à *Concubina*? *n.* 13 *ibid.* Adulterium quid & quotuplex? *n.* 14 15 & 16 *p.* 342 Adulterium, nedum jure *Divino poſitivo*, ſed & *naturali* prohibitum. *n.* 17 *ibid.* Qua ratione, ſecundùm Divum P. *Auguſtinum* adulterium viri, gravius ſit adulterio mulieris? *n.* 18 *ibid.* Mulier etiam marito conſentiente ſe alteri commiſcens, committit Adulterium. *n.* 20 & *ſeq.* Coïtus cum ſponſa aliena *de futuro* non ponit Adulterium. *n.* 22 Intellectus *l. ſi uxor.* 13 §. *Divi ff. Ad leg. Jul. De adulter. n.* 23 Quæ pœnæ in Adulteros utroque jure ſtatutæ? *n.* 24 25 & 26 Etſi canonum jure, concubitus conjugati cum ſoluta verum ſit Adulterium; mitiùs tamen punitur, quàm Adulterium *duplicatum*, aut: quod ſolutus committit cum conjugata. *n.* 27 Canonum jure, Pater aut Maritus impunè non occidit filiam aut uxorem in flagranti Adulterio depreſſam. *n.* 28 Ad incurrendas Adulterii pœnas, duo copulativè requiruntur, ſcilicet: *dolus* & *copula perfecta*. *n.* 29 *p.* 346 Quinam admittantur ad Adulterii accuſationem? *n.* 30 *ibid.* Jure Pontificio, mulier virum Adulterum etiam *criminaliter* accuſare poteſt, id quod & hodie obtinet de jure Civili, per Conſtitutionem criminalem *Caroli V. n.* 31 *ibid.* Qualis requiratur & ſufficiat probatio ad condemnandum Reum Adulterii? *n.* 32 *ibid.* Super quibus examinandi ſint *Adulteri*? *n.* 33 Quis ſit judex competens in cauſa Adulterii? *n* 34 *ibid.* Maritus *leno*, qualiter puniendus? *n.* 35. A quo alenda ſit proles adulterina, ſi duo, eadem die, cum eadem perſona adulterium commiſerint? *n.* 37 Conjux innocens, poteſt comparti adulteranti propriâ authoritate denegare debitum conjugale. *n.* 38. *p.* 349 Separatio tamen *quò ad thorum*, tali caſu, poſtulat ſententiam judicis *n.* 39 *ibid.* Carnaliter cognoſcens *compartem* quam ſcit adulteram; nequit ex capite præcedentis Adulterii, ipſi deinceps denegare debitum conjugale. *n.* 40 *ibid.* Adulter facto divortio, tenetur redire ad innocentem id poſtulantem. *n.* 41 *ibid.* Si conjux ab ante innocens, obtentâ divortii ſententiâ, pariter laberetur in Adulterium; poterit ab altera parte adultera ad revertendum compelli. *n.* 42 *ibid. Sodomia* aut *Beſtialitas* compartis, præbet anſam divortio faciendo. *n.* 43 *ibid* De Sodomia plenius infra *n.* 70 & *ſeq.* Tactus aut oſcula impudica, item: pollutio, aut copula imperfecta, non dat conjugi innocenti juſtam divortii cauſam, non obſtante *l. conſenſu.* 8. §. 3. *Cod. de repudiis. n.* 44 & *ſeq.* Quid & quotuplex ſit ſtuprum, & qualiter in utroque foro puniatur. *n.* 46 & *ſeq.* De inceſtu, & pœnis inceſtuoſorum agitur à *n.* 57 uſque ad *n.* 61. Conſanguinitas & Affi-

Digitized by Google

Affinitas quid? *n.* 62. *p.* 354 Gradus conſanguinitatis in linea *recta* ſpecie diſtinguuntur a gradibus lineæ *obliquæ. n.* 63 *ibid.* In eadem tamen linea, differentia graduum, non mutat ſpeciem, *n.* 64 *ibid.* Conſanguinitas ſpecie differt ab affinitate *n.* 65 *ibid.* Quid ſit ſacrilegium & qualiter in hac materia committatur & puniatur? *n.* 67 & *ſeq. ibid* Raptûs definitio exponitur, *n.* 73. *p.* 356 Quæ pœnæ legibus tum Civilibus tum Canonicis, & noviſſimè per Concilium Tridentinum in Raptores fœminarum decretæ? *n.* 73 & *ſeq.* Quinam Raptûs pœnas incurrant vel non? *n.* 77 & *ſeq.* Quid in hac materia ſit peccatum contra naturam? *n.* 83 & *ſeq.* Pollutio venerea, nullo caſu licita. *n.* 85. Beſtialitas crimen peſſimum? *n.* 86 Prorſus abominabilis eſt concubitus cum Dæmone *incubo* vel *ſuccubo. n.* 88.

CAPITE XI. Trutinatur ſeptimum Decalogi præceptum. Furti ethymologia, definitio, gravitas & prohibitio exponitur *n.* 1 & *ſeq.* Voluntas & propoſitum maleficia diſtinguit. *n.* 8. *p.* 365 Rem *nullius*, aut *pro derelicto* habitam accipiens, non furatur. *n.* 9 *ibid.* In re *incorporali* vel *immobili*, in ſenſu *juridico*, furtum non committitur. *n.* 10 *ibid.* Furti reus eſt dominus, qui rem ſuam alteri oppignoratam, accommodatam, vel depoſitam fraudulenter aufert. 11 *ibid.* Nedum ipſe rem alienam auferens, ſed & auferri mandans, aut conſulens: item, furem cum re furſtiva ſcienter recipiens, furti tenetur. *n.* 12 *ibid.* Idem eſt de eo, qui rem furtivam ſcienter emit, aut in ſolutum, vel donô accipit. *n.* 13 *ibid.* Sciens & occultans furem, incidit in crimen furti; non verò, qui ſolùm ſcit, & non indicat. *n.* 14 & 15. In quos detur *actio furti*? *n.* 16 & *ſeq.* & infra *n.* 60 Quid juris circa res inventas, quarum dominus poſt ſufficientem inquiſitionem non apparet? *n.* 20. An, & quæ neceſſitas, à furto excuſet? *n.* 24 & *ſeq.* Extremè indigens, nedum licitè poteſt, ſed & tenetur ex alieno accipere rem ad vitæ conſervationem neceſſariam. *n.* 30 *p.* 369 Quinimò, in caſu extremæ neceſſitatis poteſt quis dominum reſiſtentem, vi repellere, & ſervato moderamine, occidere. *n.* 31. Solvitur *Objectio. n.* 32 *ibid.* Tametſi extrema neceſſitas facultatem præbeat alienum occupandi; dominus tamen non tenetur *ex juſtitia*, ſed ſolùm *ex charitate* rem ſuam indigenti offerre. *n.* 33 *ibid.* Ac proinde dominus non tenetur ad reſtitutionem illius rei, quam extremè indigenti non obtulit. *n.* 34 *ibid.* Dominus tamen abſque injuria, extremè indigenti ſubtrahere nequit rem, ab eo jam occupatam. *n.* 35 *ibid.* Vir locuples ſatisfacit officio charitatis, ſi extremè indigenti ſuccurrat mutuum dando, ſub pacto reſtituendi, *ſi ad meliorem pervenerit fortunam. n.* 36 Non inito tali pacto, & *re* & *ſpe* extremè pauper, ita efficitur rei conſumptibilis acceptæ dominus, ut eâ conſumptâ, & ceſſante neceſſitate, nihil teneatur reſtituere *n.* 37. Quod ſecus eſt, ſi *re*,

aſt

Digitized by Google

aſt *non ſpe*; ſed per accidens, hîc & nunc, fuerit indigus *n.* 38. Aut: ſi res ablata, ceſſante neceſſitate, in ſua ſpecie perſeveret; aut ante ingruentem neceſſitatem, alteri *ex juſtitia* fuerit debita. *n.* 39 Furti gravitas unde metienda: *n.* 40 & *ſeq.* De furtis minutis, continuato, vel interrupto propoſito, commiſſis agitur à *n.* 45 uſque ad *n.* 49. Ablatorum reſtitutio (ſi domini non ſint reperibiles) facienda pauperibus, aut cauſis piis. *n.* 50. Plures, communi conſenſu, ope vel conſilio ad furtum concurrentes, aliis deficientibus, *in ſolidum* obligantur. *n.* 51 *p.* 374 Quid, ſi quis ſolô exemplô ſuô aliis præbuerit furandi anſam: *n.* 52 *ibid.* In furtis minutis, quæ quantitas conſtituat peccatum lethale: *n* 53 & ſeq. *ibid.* Maritus bona *dotalia*, aut alia uxoris diſſipans, tenetur ei ad reſtitutionem: *n.* 55. Idem vice verſâ eſt de uxore dilapidante bona mariti. *n.* 56. Adducuntur variæ furti diviſiones. *n.* 57 & *ſeq. p.* 376 Cur furtum *manifeſtum* graviùs puniatur, quàm *non manifeſtum. n.* 61 *ibid.* Præter *pœnalem* furti actionem, datur *Rei vindicatio*, & *condictio furtiva. n.* 62 *ibid.* Cui, contra quos, & in quid dentur hæ actiones: *n.* 63 *ibid.* Quæ pœnæ *criminales* furti: *n.* 64 & infra *n.* 68. Res furtivæ, fure apprehenſo, dominis reſtituendæ. *n.* 65 Ante judicis ſententiam, fur non niſi rem ablatam vel ejus æſtimationem reſtituere tenetur. *n.* 66 *p.* 378 Epiſcopus poteſt ſub pœna Excommunicationis præcipere furis, aut rei furtivæ denuntiationem. *n.* 67 *ibid.* Furtum *ſacrilegum* qualiter committatur & puniendum ſit: *n* 69 *ibid.* Enumerantur & explicantur aliæ furti ſpecies, ut: *Plagium Abigeatus*, *Peculatus*, crimen *de reſiduis*, crimen *expilatæ hæreditatis*: *ſepulchri violatio*; *Amotio termini. n.* 70 & *ſeq.* An, & qua ratione, licita ſit occulta compenſatio? *n.* 78 & *n.* 79. Quinam præterea furibus & raptoribus accenſendi ſint: *n.* 81.

CAPITE XII. Delibatur octavum Decalogi præceptum. Ibi: Quid & quotuplex ſit mendacium: *n.* 4 & *ſeq.* Solum mendacium pernitioſum ex genere ſuo, mortale eſt *n.* 8 & 9. Mendacia pernitioſa Profeſſorum Theologiæ, Juris &c. Item: Prædicatorum Verbi Divini; maximè ſunt lethifera. *n.* 10 Omne mendacium eſt jure naturæ prohibitum *n.* 7. & 11 Occultatio veritatis per reſtrictiones *non purè mentales*, ſubinde nedum jure naturali permiſſa; ſed & præcepta eſt. *n.* 12. Joci ex modo loquendi patentes, non ſunt mendacia. Idem eſt de locutionibus hyperbolicis, figuratis, parabolicis, ironicis aut myſticis. *n.* 13. Uſus ſcientiæ duplicis, quatenus differat à reſtrictione purè mentali. *n.* 14 Promiſcuus æquivocationum uſus, juri naturali adverſatur; maximè in reſponſionibus ad interrogatoria legitimè propoſita dandis. *n.* 15 Juridica & legitima poteſt eſſe interrogatio ſuper crimine occulto inducente inhabilitatem conſequendi officium

pnbli-

publicum. *n.* 16 *p.* 395 Diluitur *objectio. n.* 17 *ibid.* Ad declinanda graviſſima tormenta, nemo poteſt fateri crimen ſibi falsò impoſitum. *n.* 18 *ibid.* Neque abſque gravi piaculo, ſibi quis imponit alterius crimen ad ipſum morte eximendum. *n.* 19 *p.* 396 Judicium temerarium mendacio affine, juri naturali repugnat. *n.* 20 *ibid.* Judicium temerarium, quid? *n.* 21 *ibid.* Dubium & ſuſpicio de malitia proximi, regulariter non excedunt limites peccati venialis. *n.* 22 & 23. Indicia, quandònam ſint ſufficientia ad judicandum abſque temeritate? *n.* 24. Dubia, quatenus in meliorem partem interpretanda? *n.* 26. Dum de dammodo, à nobis vel aliis cautè avertendo, quæſtio eſt; dubia *hypotheticè* in ſequiorem partem accipere licet. *n.* 27 Quid ſit *detractio*? Quid *fama*? Quid *honor*? Quid *laus* & *gloria*? *n.* 28 & *ſeq.* Inhonoratio alia *negativa*, alia *poſitiva. n.* 32. *Detractio* quot modis fieri poſſit? *n.* 33. Eſt ex genere ſuo peccatum lethale *n.* 33 Conſilio, juſſu, alióve ſimili modo alium inducens ad detrahendum, tam contra juſtitiam, quàm charitatem impingit. *n* 36. *p.* 401 Simpliciter tamen detractorem ſolum auſcultans, læſæ duntaxat charitatis reus eſt. *n.* 37 *ibid.* Idem eſt de eo, qui detractorem non corripit, dum cum fructu & abſque ſuo gravi incommodo id facere poteſt. *ibid.* Quidditas *contumeliæ* declaratur. *n.* 38 & *ſeq. Contumelia*, *Convitium* & *Improperium*, quatenus differant? *n.* 40. Calumnia, detractione aut ſimplici contumeliâ peccatum gravius eſt. *n.* 41 *p.* 403 Quid ſit contumelia *judicialis*? *n.* 42 *ibid.* Malitioſè *denuntians*, parum differt à Calumniatore. *n.* 43 *ibid.* Quæ pœna calumniantium? *n.* 44 *p.* 404 Pœna *Talionis* in foro *Civili* ab uſu receſſit, ſecus in foro *Canonico. n.* 45. *ibid.* Juſta cauſa vel error *probabilis* excuſat à calumnia. *n.* 46 *ibid.* Accuſatores, nedum calumniando, ſed & *prævaricando* & *tergiverſando*, delinquere-poſſunt. *n.* 47. Quis prævaricator? *n* 48. Quid ſit *tergiverſari*, & quæ tergiverſationis pœna? *n.* 49. *Suſurratio* quid, & quale peccatum? *n.* 50 *p.* 406 Quid *irriſio*? *n.* 51 *ibid. Maledictio* quid & quotuplex? *n.* 52 & *ſeq. ibid.* Quæ pœna maledicti, tum in privatum, tum in ſummum Principem jactitati? *n.* 54. Quid, ſi in ſummum Pontificem jactitatum ſit? *n.* 55. Judices ſæculares rigoroſè animadvertere debent in eos, qui Epiſcopis aut Sacerdotibus maledicunt. *n.* 56. & *ſeq.* Ubi agitur de pœna Clericorum maledicta evomentium in ſuperiores. *Blaſphemia* in Deum vel Sanctos, graviter in utroque foro punienda *n.* 58. Interdum Blaſphemia, ex ebrietate vel juſto alioquin calore profecta, leniùs punitur. *n.* 59 *p.* 410 Quis ſit judex competens in cauſa Blaſphemiæ? *n.* 60 *ibid.* Revelans ſecretum proximi, in grave ejus detrimentum, graviter quoque contra *juſtitiam* delinquit, & reſtituendis damnis inde ſecutis obnoxius eſt. *n.* 61 *ibid.* Triplici tamen caſu, poteſt quis inculpatè proximi ſecretum revelare. *n.* 62. Qui captioſâ malitiâ alterius

terius ſecreta explorat *contra juſtitiam* agit. *n.* 63. Parili modo delinquit, qui occultum defuncti crimen propalat. *n.* 64 Notorium, quid poteſt eſſe tripliciter, ſcilicet: *Jure*, *facto*, & *famâ*. *n.* 65 *p.* 412 Quandónam quid ſit *factô* notorium? *n.* 66 *ibid.* Crimen per ſententiam judicis publicatum, ubivis terrarum, abſque injuſtitia divulgari poteſt. *n.* 67 *ibid.* Crimen tamen *ſolô factô*, in uno loco notorium, in locis remotioribus, ſine piaculo non propalatur. *n.* 68 *p.* 413 Diluuntur *Objectiones*. *n.* 69 *ibid.* De crimine *judicialiter* probato, ſed per ſententiam necdum publicato; haud aliter loqui fas eſt, quàm de crimine *factô* notorio. *n.* 70 *ibid.* Crimen, quod ſcitur alteri falsò impoſitum; abſque injuſtitia nequit divulgari. *n.* 71 *p.* 414 Criminis quoque, temporis lapſu, obliteratî memoria, in alterius opprobrium refricari nequit. *n.* 72 *ibid.* Infamatus de uno crimine, non poteſt infamari, nec interrogari etiam *judicialiter* de alio crimine *diſparato* & occulto. *n.* 73 *ibid.* An, & quando alterius crimen occultum patefacere, vel ſemetipſum diffamare liceat? *n.* 74. Injuſtè alium infamans, nedum *famam*, ſed & damna *realia* inde orta reſarcire tenetur. *n.* 75. An, & quatenus verum crimen ſibi in judicio objectum negans, teneatur accuſatori vel teſtibus ad reſtitutionem? *n.* 76 Juxta communem Theologorum ſententiam, adferuntur quatuor cauſæ, à reparatione famæ excuſantes. *n.* 77. Agitatur quæſtio; an, ſi fama (ob cauſam excuſantem) reſtitui non debeat; pecuniaria ſit facienda recompenſatio? *n.* 78 Quis demum hoc præcepto, veniat *proximi* nomine? *n.* 79. Hoc præcepto, nedum falſum vetatur; ſed & (ſi caſus exegerit) verum præcipitur teſtimonium perhiberi. *n.* 80.

CAPITE XIII. Ponderantur duo poſtrema Decalogi præcepta. Juxta *Divum P. Auguſtinum*, *Nonum* Decalogi præceptum, aliud eſt à *Decimo*. *n.* 1. *p.* 423 In quo conveniant, & reſpectivè diſcrepent hæc duo præcepta? *n.* 2 *ibid.* Hæc poſteriora præcepta, *ſextum* & *ſeptimum* dilucidant. *n.* 3 *ibid.* Qua ratione, Divina præcepta differant à legibus humanis? *n.* 4 *ibid.* Non omnis concupiſcentia à Deo vetita. *n.* 5. Scopus horum poſtremorum præceptorum. *n.* 6. Quid *explicitè* prohibeatur *nono* Præcepto? *n.* 7. Affectus venereus, alius efficax, alius inefficax. *n.* 8 *p.* 425 Delectatio moroſa *quæ*, & unde dicatur? *n.* 9 *ibid.* Cur ſpeciatim Hebræis *nonum* Decalogi Præceptum ſit datum? *n.* 10 *ibid.* Incommoda noxiæ cupiditatis recenſentur. *n.* 11 *ibid.* Domûs & Agri vocabulo, quid indigitetur in *decimo* Præcepto? *n.* 12 *ibid.* Quid nomine *Bovis* & *Aſini* inibi importetur? *n.* 13 *p.* 426 Quid inſinuetur vocabulis: *Servi* & *Ancillæ*? *n.* 14 *ibid.* Cur *proximi* fiat mentio? *n.* 15 *ibid.* Hoc Præcepto generatim prohibetur omnis injuſta voluntas occupandi alienum. *n.* 16 *ibid.* Ex juſto titulo, inculpatè concupiſcitur res aliena. *n.* 17 *ibid.* Quinam prætereà peccent contra *Decimum* Præceptum. *n.* 18 *ibid.*

Digitized by Google

CAPITE XIV. Agitur de *triplici hominis officio*, quod ſummatim expreſſit Doctor Gentium *Epiſt. ad Titum. cap.* 2 ℣. 12 inquiens: *Sobriè & juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo.* Puta ſobriè, *quò ad nos*, juſtè, *quò ad proximum*, & piè, *quò ad Deum* ultimum noſtrum finem. *n.* 1. *p.* 429 In quo conſiſtat finis hominis conſiderati in ſtatu *merè naturali*? *n.* 2 *ibid.* Quodnam ſit officium hominis *erga Deum*? *n.* 3. & præcipuè infra à *n.* 55 & *ſeq.* Religio *naturalis*, quædam ſuggerit præcepta *moralia. n.* 4 *ibid.* Naturalis verò Religio ſuggeritur ex dependentia hominis à Deo, atque ex cognitione quarundam Dei perfectionum. *n.* 5 & *ſeq. ibid.* Circa generaliora de Deo dictata, jus naturæ verſatur *negativè*; circa ſpecificas verò notiones *affirmativè. n.* 8 *ibid.* Religio naturalis importat etiam officia hominis *practica* pullulantia ex amore Dei. *n.* 9 *p.* 431 & *ſeq. Thomaſius* ejúſq; Aſſeclæ & Commentatores, perperàm contendunt, cultum Dei *externum* non eſſe jure naturali præceptum. *n.* 11 *ibid.* Error iſte refellitur. *n.* 12 *ibid.* Profeſſores *Proteſtantici* rejiciunt diviſionem poteſtatis in *Sacram* & *Profanam n.* 13 *p.* 432 Gerrones iſti, erronea ſua principia hauſerunt ex *Puffendorfio*, & hic ex *Martino Luthero. n.* 14 *ibid.* & *ſeq.* Quid, cujus formæ & poteſtatis ſit Eccleſia Chriſti, juxta commenta *Puffendorfiana*? *n.* 15 Latè referuntur & refutantur Hæreticorum in hoc paſſu deliria. *n.* 16 *Autonomica* Religionis libertas, eſt omni juri contraria. *n.* 17 Oſtenditur falſum eſſe; quòd Regia & Sacerdotalis poteſtas, in *lege gratiæ* conjungi debeant. *n.* 18 Solidè & Canonicè reſpondetur ad Novatorum objectiones. *n.* 19 *p.* 438 Quod ſupra naturam eſt, non poteſt à jure naturali profluere. *n.* 20 *ibid.* Exponitur ſanus ſenſus, quo in una Republica, duplex ſtatuenda poteſtas ſuprema. *n.* 21 *ibid. Puffendorfius* & alii ejuſdem fæcis Declamatores, *Luthericè* contendunt, in *veteri lege*, Regibus competiiſſe jus *circa ſacra. n.* 22 Diluuntur objectiones deprompta ex ſacra Scriptura, in reprobum ſenſum contorta. *n.* 23 Quâ ratione bonus Rex, ſacra curare debeat? *n.* 24 Quatenus *Joſaphat* & *Salomon* ſacris ſe immiſcuerint? *n.* 25 Reges *veteris Teſtamenti* æquiparari poſſunt Regibus novæ legis, ſed non eſt idem de Sacerdotibus. *n*, 26 *p.* 441 Quanquam viâ extraordinariâ, deus in veteri lege, interdum Sceptro Regio conjunxerit Sacerdotalem dignitatem; ordinariè tamen ſæculare imperium à ſpirituali fuit ſejunctum. *n.* 27 *ibid.* Eccleſia Chriſti elevata eſt in ſpecialem Rempublicam ſacram, à *Civili* prorſus diſtinctam. *n.* 28 *ibid.* Quid ex adverſo blaterent *Proteſtantici* Scioli? & quid ex ipſorum argutiis Catholicè concludendum ſit? *n.* 29 & *ſeq. Puffendorfii* nugamenta recenſentur & exploduntur *n.* 31. Quorſum *paralogiſmi* ejus colliment? *n.* 32 Iiſdem opponitur Eccleſiæ Catholicæ dogma, quod

&

& probatur. *n.* 33 Spiritualis poteſtas juriſdictionis *externæ* à Civili imperio prorſus diſcreta eſt. *n.* 34 *p.* 444 Diluitur principalis *Puffendorfii* objectio; & evincitur; quòd Eccleſiæ Catholicæ regimen ſpirituale, ſit *Monarchicum*. *n.* 35 *ibid.* Hæc veritas pleniùs deducitur *lib.* 2 *cap.* 7 à *n.* 42 uſque ad *n.* 103 Cur ſupremum Eccleſiæ Chriſtianæ caput *viſibile*, debeat eſſe *unum* & *infallibile* in materia morum & fidei? *n.* 36 Poſitò Monarchico Eccleſiæ regimine, non dantur in eadem Republica, duo ſumma imperia ſibi oppoſita, prout perperàm jactitant *Puffendorfiani* Diſcipuli. *n.* 37 Falſiſſimum eſt; quòd per ſeparationem Eccleſiaſticæ poteſtatis ab Imperio *Civili*, turbetur pax & tranquillitas publica. Quòd autem Proteſtantica Religio ſanguinolentas ſeditiones excitaverit; exemplis demonſtratur. *n.* 38. Quid de *Puffendorfii* libello: *De habitu Religionis Chriſtianæ ad Vitam Civilem* ſentiendum. *n.* 39 *p.* 447 Quænam officia *ſibi ipſi* debeat homo; & unde illa profluant? *n.* 40 *ibid.* Quomodo homo juſtitiam erga ſemet exercere intelligatur? *n.* 41 *ibid.* Verum & fundamentale principium officiorum hominis *erga ſe*, eſt rationabilis amor ſuî ipſius. *n.* 42 *ibid.* Circa quæ *objecta*, hominis officia *erga ſe*, verſari debeant? *n.* 43. *p.* 448 *Puffendorfii* Theſis in hac materia, falſitatis arguitur. *n.* 44 *ibid.* Abſona quoque eſt *Thomaſii* opinio. *n.* 45 *ibid.* Qualiter jure naturæ, præprimis homo teneatur animum excolere? *n.* 46 *ibid.* Qualiter corporis curam habere debeat? *n.* 47 *ibid.* Cur edere, bibere *uſque ad ſatietatem*; vel, *ſolius voluptatis causâ*, ſit leve ſaltèm piaculum? *n.* 48 *ibid.* Jure naturæ, ingluvies, ebrietas, item *Antrophagia* graviter prohibita. *n.* 49 Ratio damnationis quarundam in hac materia propoſitionum. *n.* 50 *Thomaſii* & *Velthuſii* error detegitur. *n.* 51 & *ſeq.* Dogmata Chriſtiana: *De Indulgentiis; De Exomologeſi; De Purgatorio* &c. non adverſantur juri naturali, prout calumniatur *Puffendofius*. *n.* 53 De Officiis, quæ homo, proximo exhibere debet, *remiſſivè*. *n.* 54 Celebris & haud prætereunda proponitur & reſolvitur quæſtio: Num ſcilicet homo teneatur cunctas actiones ſuas deliberatas referre in Deum. *n.* 55 & *ſeq.*

SUCCINCTA

LIBER SECUNDUS

Qui alteram hujus Operis partem facit, de JURE GENTIUM Tractat, & Capite 1. *agitur, de* Exiſtentia, Quidditate, Diviſione, & Objecto *Juris Gentium.*

SOcialitas naturæ humanæ, poſtulat jus quoddam commune, quod rectè *Jus Gentium* nuncupatur. *n.* 1. *Hobbeſius*, *Puffendorfius*, *Thomaſius*, & alii ejuſdem fæcis Declamatores, malè confundunt jus Gentium cum jure naturali; proinde perperàm & inofficiosè carpunt magnum ſuum *Hugonem Grotium*; eò quòd is, jus Gentium, aliud ſtatuerit *neceſſarium*, aliud *voluntarium*. *n.* 2. Varium adſertur diſcrimen inter jus Naturæ & Gentium propriè dictum. *n.* 3. Recenſentur & diluuntur adverſariorum argumenta, queîs *indentitatem* juris Naturæ & Gentium evincere nituntur. *n.* 4 & 5. Jus Gentium, licet differat à jure Naturali, cum eo tamen habet magnam affinitatem. *n.* 6. Qua ratione jus Gentium differat à jure *Civili*; &, quam ob cauſam, introductum ſit? *n.* 7 & 8. *Grotiana* adſertur juris Gentium deſcriptio. *n.* 9. ſed alii paulò aliter loquuntur. *n.* 11. *P. Ignatius Schwartz* immeritò, velut exoletam & infundatam rejicit diviſionem juris Gentium in *primævum* & *ſecundarium*. Malè quoque cenſet, expungendam eſſe diviſionem ejuſdem Juris, in *univerſale* & *particulare*; quanquam rectè obſervet; rejiciendam eſſe diviſionem hujus juris, in *ſcriptum* & *non ſcriptum*. *n.* 12 & *ſeq.* Ab omnibus recepta eſt diviſio Juris Gentium, in *affirmativum*, *negativum* & *permiſſivum*. *n.* 15. Quòdnam ſit objectum juris Gentium? & undénam probetur; quòd aliquid ſit juris Gentium? *n.* 16 & *ſeq.*

CAPITE II. Agitur de ſtatu hominis *adventitio*, qui non reperitur extra ſocietatem. *n.* 1 & 2. Pro varietate ſtatûs, variant & jura atque officia. *n.* 3. Omnium ſocietatum prima eſt *conjugalis*. *n.* 4. Quid ſit hæc Societas, ſpectato jure Naturæ? *n.* 5. Status conjugalis à Deo inſtitutus, quàm maximè eſt licitus; non tamen *ſingulis* præceptus n. 6 & 7. Hic ſtatus, ab incunabulis ſuis, jure Divino *poſitivo*, ſed, non *naturali* & *abſoluto*; importavit vinculi perpetuitatem, ſeu indiſſolubilitatem; licet illa ſit validè conſona rationi naturali; & ideo apud Gentes moratiores fuerit uſu recepta. à *n.* 8 uſque ad *n.* 16. Multi nedum Catholici, ſed & *Proteſtantes*, contendunt: *Polygamiam* fore, & fuiſſe ſemper *Jure Naturæ* vetitam. *n.* 18. Sed contratium veroſimilius eſſe, evincitur. *n.* 19. De *Polyandria* communiter convenit inter Doctores; quòd juri Naturæ prorſus adverſetur; id quod ex ſolutione oppoſitorum argumentorum probatur. *n.* 20 & 21. Unde reprehendendus hac in parte eſt *Sanchez*, qui opinatus fuit; Deo diſpenſante, *Polyandriam* poſſe eſſe licitam. *n.* 22. De *Polygamia* olim Patriarchis & populo Hebræo divinitus permiſſa, ſed per Chriſtum abrogata, plenè agitur. *n.* 17 & à *n.* 24 uſque ad *n.* 28. An, & quouſque, Conſanguinitas, *Jure Naturæ*, nuptias dirimat? *n.* 29 & *ſeq.* Conſanguinitas in *linea recta*, probabilius dirimit Matrimonium *in infinitum*. *n.* 34. Evertitur argumentum oppoſitum *P. Ignatii Schwartz*, & noſtri *P. Baſilii Ponti*. *n.* 35 & *ſeq.* In *linea obliqua*, ne primus quidem gradus, *de jure naturæ*, obeſt nuptiarum valori. *n.* 37 & *ſeq.* Impotentia coëundi *antecedens* & *perpetua*, non ſinit nuptias validè contrahi. *n.* 41 & 42. ac infra *n.* 45. Impotentia coëundi ſuperveniens Matrimonio etiam necdum conſummato; non poteſt illud ullo modo rumpi facere per Papæ diſpenſationem. *n.* 43. Sterilitas ſola, non obeſt nuptiarum valori. *n.* 46. Aliud dicendum: ſi ſit antecedens, conjuncta cum *impotentia coëundi*. *n.* 47. De Eunuchis, Spadonibus & Hermaphroditis agitur. *n.* 48 & *ſeq.* An, & qualis error reddat Matrimonium de jure Naturæ *invalidum*? *n.* 50 uſque ad *n.* 57. Etſi *cultûs diſpa-*

ritas

Digitized by Google

ritas faciat illicitè nuptias contrahi; non tamen *jure naturæ* illas irritat. *n.* 58 uſque ad *n.* 61. Matrimonium Catholici cum Hæretica alioquin ritè contractum, nedum jure naturali & Divino; ſed & humano Eccleſiaſtico, *validum* quidem eſt; *regulariter* tamen illicitum & prohibitum. *n.* 62 & *ſeq.* Vis compulſiva, & metus etiam graviſſimus, non quidem ipſo facto dirimit *jure naturæ* Matrimonium (quod ſecus eſt de jure *Eccleſiaſtico*) *n.* 67 & *ſeq.* Facit tamen illud *reſcindibile. n.* 69. Quinimò, in ſtatu *merè naturali*, ſi deficeret ſuperior; ipſemet qui ex gravi metu injuſtè incuſſo contraxit, Matrimonium rumpere poſſet. *n.* 70 & *ſeq.* Matrimonii inter fideles validè contracti vinculum, nec per Adulterium compartis; nec per malitioſam alterius deſertionem: neque per ullum crimen diſſolvi poteſt. *n.* 72 & *ſeq.* Jure Naturæ, viro competit quædam ſuperioritas & poteſtas ſaltem *directiva* in uxorem. *n.* 74 & *ſeq.* Quinimò, poſt Evæ peccatum, mulier, jure Divino, ſubeſt marito, quò ad poteſtatem etiam *coactivam*, *n.* 76. Quæ tamen non ſit *deſpotica*, ſed *domeſtica* & *civilis. n.* 77. Etſi natura præcipuam poteſtatem in liberos & familiam regundam dederit Patri; *n.* 78. exercitium tamen hujus poteſtatis, ex ſpeciali pacto, poſſet competere matri. *n.* 79. Alioqin enim præferendum eſt Patris imperium. *n.* 80. Unde *Hobbeſius* ex cerebrinis motivis, immeritò & inſulsè, Matri præcipuam, de jure naturæ, adſcripſit poteſtatem in liberos. *n.* 81. Patria poteſtas, quid importet de jure naturæ? & quouſque ſe extendat? *n.* 82 & 83. Patri non competit jus vitæ & necis in proles etiam graviſſimè delinquentes. *n.* 84 & *ſeq.* Etſi filium alere non valens, alteri oppignorare, imò vendere poſſit. *n.* 86. Origo patriæ poteſtatis, jure naturæ, profluit ab obligatione liberos debitè educandi. *n.* 87. Patria poteſtas, qua ratione, ſit juris Gentium, itidem Civilis? *n.* 89 & *ſeq.* Quid ſit ſtatus herilis? *n.* 91. Servitus quotuplex? *n.* 92. Quæ ejus origo? *n.* 93. Quid herus poſſit vel non, in ſervos? *n.* 96.

CAPITE III. Agitur de Societate *compoſita*, ſeu civitate. Quæ ſit cauſa *finalis*, *impulſiva*; *effectrix*; itidem, *materialis* & *formalis* civitatis? à *n.* 1 uſque ad *n.* 11. Inter Catholicos & Proteſtantes diſceptatur, in quo conſiſtat beatitudo ſeu felicitas civilis? Qua in parte, impia *Machiavelli* opinio adoptata à *Puffendorfio*, refellitur. *n.* 12 & *ſeq.* Quatenus civitates ſint propter Religionem? *n.* 15. Quis finis civitatis, conſiderato ſtatu hominum merè naturali? Quis itidem finis Reipublicæ Chriſtianæ? *n.* 16. enormiter errant *Proteſtantes*, dum Civitatis etiam Chriſtianæ finem collocant in felicitate merè *externa. n.* 17. Quid ſit Civitas, id eſt, Reſpublica? *n.* 11. Civitas primordialiter coaleſcit ex pacto expreſſo vel tacito familiarum. *n.* 18. Civitates, aut ſunt *Regulares* aut *Irregulares. n.* 19 & 20. Quid *Monarchia*? Quid *Ariſtocratia*? Quid *Democratia*? Quid porrò *ſtatus mixtus*? *n.* 21 & *ſeq.* Imperium Romano-Germanicum, hodie eſt ſtatus *Monarchico-Ariſtocraticus. n.* 24. An, & quatenus in ſtatu *mixto* reperiatur Majeſtas? *n.* 28. Monarchia *ſimplex*, de ſe quidem eſt præſtantiſſima Reipublicæ forma, *n.* 29 & 30. Hominum tamen genio magìs accommodata eſt forma *Monarchico-Ariſtocratica*; quam ideo tandem Romano-Germanicum adoptavit Imperium. *n.* 31. Regnum aliud *Electivum*, aliud *Succeſſivum. n.* 32. Regnum *Electivum* videtur præferendum *Succeſſivo. n.* 33 & *ſeq.* An, & quatenus Civibus permiſſum è Civitate diſcedere? *n.* 37. An Princeps ſub gravi pœna, puta: *confiſcationis bonorum* poſſit ſubditis prohibere emigrationem? *n.* 38. Quod Princeps poteſt in ſtatu *Monarchico*; hoc Optimates poſſunt in ſtatu *Ariſtocratico*; & populus poteſt in ſtatu *Democratico. n.* 39. Mutatio aut interitus Regnorum non poteſt adſcribi certo annorum decurſui, nec Aſtrorum influentiis; neque *Fortunæ*, *Caſui*, vel Gentilium *Fato. n.* 40 & *ſeq.* Quid Philoſophis Chriſtianis ſit *Fortuna*; *Caſus* & *Fatum*? Et, quid Gentiles per illa vocabula intellexerint? *n.* 42 & *ſeq.* Deo competere non poteſt cauſalitas *fortuita*, vel *caſualis*; bene verò Angelis, tum bonis, tum malis. *n.* 51. Divinæ Providentiæ Regnorum viciſſitudines adſcribendæ ſunt. *n.* 52. Civitas, quàm diu duret, & quando intereat? *n.* 53. Poteſt jus Civitatis amitti, remanentibus hominibus, qui cives fuerant. *n.* 54. Civitas manet eadem, quàm diu manet forma *eſſentialis* regiminis. *n.* 55. Si Regimen *Democraticum* migret in *Monarchicum*; num priſtina populi debita extinguantur? *n.* 56. Quid, ſi populus per arma extranei Regis victus & ſubactus fuerit? *n.* 57. Civitas alteri unita, quatenus maneat eadem? & quid, ſi una Civitas diſtrahatur in plures? *n.* 58 & 59. An Imperium

Roma-

Romanum uſque modò remanſerit apud populum Romanum? Ubi refertur non ſpernenda *Grotii* affirmans opinio, ab ejus Commentatoribus inofficioſè exploſa. *n.* 60. Saltem veroſimilius eſt, quòd tranſlato in perſonam *Caroli Magni* Imperio, necdum mox penitus extinctum fuerit jus populi Romani. *n.* 61. Rerumpublicarum Origo, eſt à Gemino principio, *Divino* ſcilicet & *humano*. *n.* 62. Unde Reſpublicæ ſua ſoleant haurire incrementa? *n.* 63. *Territorium* quid ſit, & quale eſſe debeat? Item: quid *jus territoriale* habens, poſſit & debeat facere? *n.* 64. Quid ſit *ſuperioritas territorialis*? Quid illa contineri cenſeatur? Qua ratione competere poſſit? Quis illam in Imperio Romano-Germanico concedat? *n.* 65. Reſpublica, Civitas & Urbs quatenus differant? *n.* 66. Civis quis & quotupliciter dicatur? 67. *Analogia* inter Civitatem bene conſtitutam & vivum corpus humanum. *n.* 68. Quid ſit *Pagus*? quid *Metropolis*? *n.* 69 & 70. Finem debitum, Reipublicæ moderator, præ oculis habere debet. *n.* 71. Myſticè loquendo, juxta *Magnum Patrem Auguſtinum*, non ſunt niſi duæ Civitates, *terrena* ſcilicet & *cœleſtis*; id eſt: cœtus *bonorum* & *malorum*; ſive: *prædeſtinatorum* & *reprobatorum*.

CAPITE IV. Diſſeritur de Dominio, & his quæ hominibus *communiter* competunt. A *n.* 1 uſque ad *n.* 7. exponitur definitio & varia diviſio Dominii. Qualiter Deus mox ab orbe condito, generi humano contulerit jus in res ſublunares? *n.* 8. Primævus ſtatus communionis bonorum, qua ratione diutiùs perdurare potuiſſet? Et quæ fuerit ratio inductæ proprietatis ac diviſionis bonorum? *n.* 9. Non ſolâ animi cogitatione, ſed pacto expreſſo vel tacito, res in proprietatem venerunt. *n.* 10. Deus etiam homini conceſſit uſum rerum commoditati ac voluptati duntaxat inſervientium. *n.* 11. Abuſus tamen ejuſmodi rerum, juri naturali adverſatur. *n.* 12. Anſa diſceptationis inter *Grotium* & *Seldenum* ſuper dominio maris. *n.* 16. Requiſita ex parte rerum, ut poſſint cadere ſub dominium proprietatis. *n.* 17. Vaſtus Oceanus, ſeu Archipelagus, *integraliter* à nullo Monarcha vel populo hactenus fuit privativè occupatus. *n.* 19. Minora *maria*, puta: lacus, ſtagna, vel freta; jure naturali *permiſſivo*, & Gentium *poſitivo*; in dominium certi populi venire poſſunt. *n.* 20. Idem dicendum de vaſti maris partibus, quæ littoribus viciniora ſunt. *n.* 21. Etſi *moraliter loquendo*, Oceani totius vaſtitas ab uno populo non ſit occupabilis; magnæ tamen ejus portiones occupari, & jure dominii vindicari poſſunt. *n.* 22. Neque *Grotiana* argumenta plus probant, quàm quòd vaſtitas Oceani non cadat ſub dominium unius Gentis; & quòd aliis inhiberi nequeat *innoxius* maris uſus. *n.* 23. Oceanus, quatenus dici poſſit res *interminabilis*? Et quo ſenſu veteribus viſus fuerit *inoccupabilis*? *n.* 24 & 25. Reverà, duplici modo, quò ad certos tractus, occupari poteſt. *n.* 26. Populus, qui navigationis tuendæ aut juvandæ causâ, ſumptus facit; à navigantibus vectigal exigere poteſt. *n.* 27 & infra *n.* 42. Poteſt Gens Genti per pacta ſe obſtringere, ne ultra certam metam navigatum eat. *n.* 28. Celeberrima proponitur quæſtio; num Gens una, alteri populo libero inhibere queat, ne ad exteras nationes commercii gratiâ naviget? *n.* 29. Quid ſit *commercium* & cur introductum? *n.* 30 & *ſeq.* Quænam commercii libertas, jure Gentium, cunctis competat nationibus? *n.* 32. Gens una, alteri Genti liberæ *regulariter* inhibere nequit, ne in exteras plagas pariter liberas, negotiationis causâ transfretet. Prout ſolidè probavit *Grotius*. *n.* 34 & *ſeq.* Tranſitus vel mercium tranſvectio non ſolùm armata, ſed & inermis quandoq; à territorii dominis impediri poteſt. *n.* 36. Aliud dicendum de innoxia mercium in plagas liberas tranſvectione. *n.* 37. *Moyſes*, ob denegatum innoxium tranſitum, juſtum bellum intulit *Amorreis*. *n.* 38. Innoxius tranſitus, quatenus armis vindicari poſſit? *n.* 39. Metus ex multitudine tranſeuntium conceptus, An, & quando ſufficiat ad negandum tranſitum? *n.* 40. An tranſitus cenſeri debeat innoxius, ſi tranſitum petens, non niſi lucrum ex mercatu intendat? *n.* 41. Mercatores alienigenæ, jura *Emporii*, *Stapulæ*, aut *Geranii* certis civitatibus competentia obſervare tenentur. *n.* 43. Quid ſit jus *Emporii* & *Stapulæ*? Et quis illud concedat in Imperio *Romano-Germanico*? *n.* 44. *Stapulæ* vocabulum, unde derivatum? *n.* 45. Quid poſſint, qui jure *Stapulæ* gaudent? *n.* 46. Quid ſint merces *Germ. Staffelbar-güter: Meſs-güter*? *n.* 47. Quæ Civitates defacto jus *Stapulæ* habeant? & quid ea de re Conſtitutionibus Imperialibus diſpoſitum? *n.* 48. A jure *Stapulæ*, quid differat jus *Geranii*? *n.* 49. *Geranium* quid? *n.* 50. An, & quo pacto, extraneis prætereuntibus tantiſper morandi licentia ſit concedenda? *n.* 51.

Num

Num exteris receptum quærentibus indulgenda ſit perpetua habitatio? *n.* 52. Solum ſterile, aut deſertum, exteris commiſeratione dignis facilè concedendum, non tamen ab iis proprio auſu occupandum. *n.* 53. In neceſſitate v. g. famis, extranei ex urbe expelli poſſunt. *n.* 54. Num exteri, ad ſua, in ditione alterius Principis vendenda, liberam habeant facultatem? *n.* 55 An populus undique cinctus territorio alterius Principis, eò invitò tranſire poſſit fines ejus, ad res ſuas tum alibi vendendas, tum alias emendas? *n.* 56. An alienigenis competat libertas Matrimonii contrahendi apud vicinas gentes? *n.* 57. An genti uni liceat cum alio populo monopolium contrahere? *n.* 58. Extranei in alieno territorio exiſtentes impediri non poſſunt ab actibus, ſine quibus vita commodè conſervari nequit. *n.* 59. An, & quatenus certus populus extraneus excludi poſſit ab exercitio actuum, quos Reſpublica, aut Princeps aliis paſſim exercere conceſſit? *n.* 60.

CAPITE V. Adæquatè agitur de modis *originariis* & *naturalibus* acquirendi dominii, jure Gentium probatis. En! prolixi hujus capitis Summarium. Aliter *Grotius* & ejus Epitomatores, aliter verò Romani Juris *Interpretes* dividunt acquirendi dominii modos. *n.* 1. *Occupatio* quid & quotuplex? *n.* 4. Præſcindendo à Principum reſervationibus & prohibitionibus, quænam animalia, jure naturali, cedant primo occupanti? *n.* 5. An, & qua ratione, Princeps ſupremus, jus venandi ſubditis adimere & ſibi appropriare potuerit? *n.* 6. An ſubditi ſaltèm feras nocivas in fundo proprio occidere vel capere poſſint? Et, ad quid teneatur Princeps prohibens ſubditis abigere feras, ſegetes depaſcentes? *n.* 7. Num ſubditus feram faciat *ſuam*, quam contra Principis prohibitionem cepit? *n.* 8. Vetus & verior ſententia non obligat capientem feram, ut eam Principi reſtituat. *n.* 9. Neque verum eſt; furtum propriè dictum committi à *feripeta*, quanquam venationis prohibitio non careat omni effectu. *n.* 10 & 11. Feripeta non videtur ſupplicio mortis afficiendus, niſi aliunde graves circumſtantiæ concurrant. *n.* 12 & *ſeq.* Veroſimilius eſt, nec furtum committi ab eo, qui feram invito domino ceperit in fundo, cujus fructus in venatione conſiſtunt. *n.* 14. Exceptio, & intellectus. *l.* 3. §. 14. *ff. De acquir. vel amitt. poſſeſſ.* *n.* 15. Quid, ſi fera vel volucris certo ſigno domini, cujus cuſtodiam evaſit, notata, ab alio capta fuerit, vel occiſa? *n.* 16. Ad conſequendam feræ proprietatem, requiritur *corporalis* apprehenſio. *n.* 17. Amplectimur ſententiam Imperatoris in §. 13. *Inſtit. de rer. diviſ. &c.* circa feram ab uno vulneratam, & ab altero captam. *n.* 18. Pariter ſequimur judicium Imperatoris, de apibus ab alio captis. *n.* 19. Itidem de pavonibus & columbis. *n.* 20. Nec non de animalibus naturâ manſuetis. *n.* 21. Quænam animalia, naturâ ſuâ, ſint *fera*, & quæ *domeſtica*? *n.* 22. Altera occupationis ſpecies, eſt *inventio*, quæ deſcribitur. *n.* 23. Præſcindendo à Principum interdicto, Gemmæ, Corallia & cætera in littore maris reperta, primò occupantis fiunt. *n.* 24. In locis, ſive privatis ſive publicis, inventa, priſtino domino [ſi detegi poſſit] reſtituenda; eo verò non reperibili, probabilior & magìs pia ſententia vult; res hujuſmodi, earúmve pretium, in cauſas *pias* erogari debere, licet probabile etiam ſit; quòd inventor, tales res, *titulo fortunæ* ſibi retinere queat. *n.* 25. & 26. ubi occurritur *objectioni*. Res, quæ *nullius* eſt, ſolâ viſione non acquiritur. *n.* 27. Cur theſaurus, jure naturali *permiſſivo*, cedat inventiori? *n.* 28. Quid jure *Juſtinianæo* diſpoſitum ſit circa theſauri inventionem? *n.* 29. Quid eodem jure obtineat circa theſaurum, in loco *ſacro* vel *religioſo*, repertum? *n.* 30. Hodie theſaurus in Cœmeterio vel Eccleſia repertus, non cedit Fiſco, ſed Prælato loci. *n.* 31. Quid jus *commune* diſponat de theſauro invento in loco *publico*. *n.* 32. Quid jure *Auſtriaco* peculiariter conſtitutum circa theſaurum alicubi quomodolibet repertum? *n.* 33. Cujus ſit theſaurus in fundo *Feudali* vel *Emphyteutico* repertus? *n.* 34. Quid de creditore, in fundo ſibi hypothecato, theſaurum inveniente? *n.* 35. Quod *pro derelicto* habitum, primò occupantis fit. *n.* 36. Unde conſtet, quid pro derelicto habitum? *n.* 37. Res, metu naufragii, in undas projectæ, nequaquam pro derelictis habendæ; proinde nec occupantibus cedunt. *n.* 38. Quid circa hujuſmodi res obtineat jure *Belgico*? *n.* 29. Quid itidem jure *Gallicano*? *n.* 40. Res é Rheda currente decidentes, priſtinis dominis probè inquirendis, abſque *menytri* exactione, reddendæ. *n.* 41. Quandónam *tacens* aut *nihil agens*, conſentiſſe, vel quid feciſſe cenſeatur *n.* 42. & *ſeq.* Rejectis aliorum opinionibus, firmatur: tacentem pro con-

Digitized by Google

conſentiente ſemper habendum, *ſi legitima & rationabilis non detur in contrarium conjectura.* *n.* 46 Duo requiruntur, ut ſilentium valeat ad præſumendam rei derelictionem. *n.* 47. Ex circumſtantiis rei geſtæ colligi poteſt, num quis ſilendo conſenſerit *n.* 48. Quanti temporis lapſus fundet probabilem conjecturam *derelictionis*? *n.* 49. Quot annorum decurſus faciat tempus *immemoriale*? *n.* 50. Cur ex actibus *negativis*, accedente temporis diuturnioris lapſu, præſumatur rei ab altero occupatæ derelictio? *n.* 51. Alter *originarius* acquirendi modus, eſt *acceſſio.* *n.* 52. Acceſſio *naturalis*, vel eſt *continua*, vel *diſcreta.* *n.* 53. *Alluvio* quid? & qua ratione, per illam acquiratur dominium? 54. Alluvio locum duntaxat habet in agris *illimitatis* *n.* 55. Quinam agri dicantur *illimitati*? *n.* 56. Quo pacto, privatis, ratione agri, competere poſſit jus *alluvionis*? *n* 57. Cujus ſit notabilis pars terræ, impetu fluminis, alterius fundo adjecta? *n.* 58. An, & quatenus pro arbore in alterius fundum tranſlata, & poſtmodùm eruta, competat *rei vindicatio*? 59. *Inſulæ productio*, eſt modus dominii acquirendi, ratione prædii noſtri fluvio vicini. *n.* 60. *Inſula* & *Peninſula* quid? *n.* 61. Cui cedat inſula in mari vel fluvio nata? *n.* 62. Quid de *circumluvione* & *inundatione*? *n.* 63. Intellectus *l. pen. & fin. ff. De A. R. D.* Cui hodie cedat inſula in flumine nata. *ibid.* *n.* 64. Imperium *ſummo minus*, ſeu *ſubordinatum* habens, an eô ipſo habeat jus circa fluvialia incrementa? *n.* 65. Titulo *acceſſionis naturalis*, cui acquiratur alveus à flumine derelictus? *n.* 66. An, & quatenus mutato fluminis curſu, quo alias Imperia, ſeu ditiones diſcriminabantur, mutetur quoque territorium? *n.* 67. Imperia, in dubio, ad medietatem limitanei fluminis vel alvei derelicti, ſe extendunt: quod tamen contrario uſu vel pacto, aliter ſe habere poteſt. *n.* 68. Acceſſione naturali *diſcretâ*, puta: *animalium fæturâ*, & *fructuum perceptione*, dominium quoque acquiritur. *n.* 69. An jure naturali, partus ita ventrem ſequatur; ut dominus pecudis parientis, efficiatur quoque dominus animalis geniti? *n.* 70. Fructuum nomine, quid veniat? Item: quotuplices ſint fructus? *n.* 71. Quis *bonæ, malæve fidei poſſeſſor* dicatur? *n.* 72. Fructus *adſcititios*, id eſt: *meriſſimè induſtriales*, quivis poſſeſſor *ſuos* facit. *n.* 73. & 74. Aliud dicendum de fructibus civilibus *ſpontaneis.* *n.* 75. *Malæ fidei* poſſeſſor (exceptis adſcititiis) quoſcunque fructus, ſive *perceptos*, ſive, abſque peccato *perceptibiles*, in utroque foro, cum re principali, domino reſtituere tenetur. *n.* 76. An *malæ fidei* poſſeſſor, rei alienæ, quæ apud ipſum ſine nova culpa periit, æſtimationem, domino, de jure naturali refundere teneatur? *n.* 77. Quatenus *malæ fidei poſſeſſor* fructus illicitè ex re aliena perceptos reſtituere obligetur? *n.* 78. *Bonæ fidei poſſeſſor* nedum fructus *induſtriales*, ſed & *naturales* perceptos, *ſuos* facit. *n.* 79. & *ſeq.* ubi perimuntur *objectiones.* Quòd, ſi tamen hujuſmodi fructus necdum *præſcripſerit*; à rei principalis domino poſtea recognito, repeti poterunt. *n.* 82. De jure civili, ſolus *b. f.* poſſeſſor, labores & expenſas, in fructuum productione & perceptione factas, *deducit*: Verùm, de jure naturali, id etiam porrigitur ad *m. f.* poſſeſſorem. *n.* 83. *Præſcriptio triennalis*, de jure civili, adſcribit dominium *irrevocabile* fructuum *b. f.* poſſeſſori. 84. In *foro* tamen *poli* veriùs eſt, aut ſaltèm tutiùs, hujuſmodi poſſeſſorem teneri domino, quatenus ex fructibus perceptis, factus eſt *locupletior.* *n.* 85. & 86. ac infra *n.* 95. *B. f.* poſſeſſor non facit *ſuos* fructus *poſt litis conteſtationem* perceptos vel conſumptos. *n.* 87. Fructus necdum percepti, ſed adhuc pendentes, à quocunque poſſeſſore, domino rem ſuam evincenti debent reſtitui. Quinimò domino non repetenti, res ſua reſtituenda eſt. *n* 88. & 89. Errat cum *Grotio*, *Vitriarius* cenſens: illum, qui ab initio, malâ etiam fide, poſſidere cœpit; non teneri ſuis impenſis, rem domino reſtituere; ſed duntaxat teneri, illam ipſi indicare. *n.* 90. *B. f.* poſſeſſor, ad nihil tenetur domino, qui v. g. à fure, conſecutus eſt rei ſuæ æſtimationem. *n.* 91. *Præponens*, quatenus teneatur ex facto *Inſtitoris.* *n.* 92. Uxor *condictitiam* habet actionem *in rem*, ex pecunia ſua marito donata, *comparatam.* *n.* 93. In pupillos, è re ipſis commodata locupletiores factos, datur *utilis commodati actio.* *n.* 94. An, & quatenus quis rem alienam bonâ fide emptam, poſſit venditori reddere ad recuperandum pretium. *n.* 96. Acceſſione *induſtriali*, quibus modis rei alterius dominium acquiri poſſit? *n.* 97. Quid ſit *Specificatio*? *n.* 98. Ex aliena materia, malâ fide ſpeciem faciens, non ſolùm operam perdit, ſed & pluribus actionibus materiæ domino obſtringitur. *n.* 99. & *n.* 100. ubi reſpondetur ad oppoſitum argumentum. Ad ſpecificationem non ſufficit figuræ tantùm externæ mutatio, *n.* 101. Vinum ex alienis botris factum

ſit ſpecificantis. *n.* 102. Nova ſpecies, ad priſtinum rudis materiæ ſtatum reducibilis, cedit **materiæ** domino. *n.* 103. Cujus ſit navis ex alienis tabulis facta? *n.* 104. Partim ex *ſua*, **partim ex** *aliena* materia, novam ſpeciem faciens; dominus ejus evadit. *n.* 105. *Adjunctione*, **puta:** *intexturâ*, *Suturâ &c.* qualiter acquiratur rei alienæ dominium? *n.* 106. Quandónam **aurum** gemmis adjunctum, illis cedat, aut écontra? *n.* 107. Quænam actiones competant **contra** illum, qui bonâ vel malâ fide, rem alienam rei ſuæ junxit? *n.* 108. *& ſeq. Ædificatione* qualiter acquiratur dominium? *n.* 110. Ex aliena materia, in ſuo ſolo ædificans, an & **quatenus** fiat materiæ dominus? *n.* 111. Quid juris, ſi quis ex ſua materia, in ſolo alieno **ædificaverit?** *n.* 112. *& ſeq.* Malâ fide ædificans, quid *ſtricto jure*, quídve *ex æquitate* poſſit, ſi ædificium ab alio vindicetur? *n.* 114. Moribus hodiernis, *actio de tigno juncto*, quatenus eſt *in duplum*, ab uſu receſſit. *n.* 115. Impenſæ quotuplices? *n.* 116. Aliud eſt *deducere*; **aliud** *tollere* impenſas *n.* 117. Impenſas *neceſſarias*, quilibet, etiam malæ fidei poſſeſſor *deducit.* *n.* 118. Impenſas *utiles*, bonæ fidei poſſeſſor *deducere*; poſſeſſor autem malæ fidei, **ſolùm** *tollere* poteſt. *n.* 119 Poſſeſſor bonæ fidei, quatenus impenſas *voluptuarias* deducere **queat?** *n.* 120. Notabile diſcrimen inter *bonæ* & *malæ fidei* poſſeſſorem. *n.* 121. Quid ſit *confuſio*, & quid juris circa eam? *n.* 122. *&* 123. *Commixtio* quid? & qualiter per eam acquiratur **dominium?** *n.* 124. *& ſeq.* Quid de *ſcriptura* & *pictura* in aliena charta vel tabula? *n.* 126. **De** acceſſionis ſpeciebus, & modis acquirendi dominii; aliter legibus Romanorum ſtatutum; aliter rationis naturalis ductu pronuntiandum. 127. *Traditione*, jure Gentium, acquiritur dominium. *n.* 128 Quotupliciter fieri poſſit *traditio*? *n.* 129. Jure naturali, etiam abſque traditione, transferri poteſt dominium. *n.* 130.

CAPITE VI. Tractatur de modis *derivativis* acquirendi dominii. Naſcuntur autem hi modi vel, *ex hominum voluntate*, vel: *ex legum diſpoſitione.* *n.* 1. Generalis & maximè naturalis modus *derivativus*, eſt *Traditio.* *n.* 2. Proponitur quæſtio: num modi *derivativi* acquirendi dominii, profluant à jure naturali? *n.* 3. Modi transferendi dominii, à voluntate hominum dependentes, ſunt juris naturalis *merè negativi.* *n.* 5. Remotè tamen & generatim, ſunt juris Gentium. *n.* 6. Tametſi modi ſpeciales, queis hac vel illâ formâ transfertur dominium, adſcribantur juri civili; obligatio equidem inde reſultans, rectè refertur ad jus naturale *præceptivum.* *n.* 7. Regnorum alia ſunt *Patrimonialia*, alia *legitima.* *n.* 8. An, & quatenus Rex ſuper regno *Patrimoniali*, vel *legitimo* diſponere queat? *n.* 9 In regno *Patrimoniali* poteſt *abſolutè loquendo*, quis filium *Adoptivum* vel *Arrogatum*, hæredem inſtituere; neque in hujuſmodi regno, *Primogenituræ jus* locum habet: cùm Rex *ſecundò*, vel ulteriùs *genitum*, imò *extraneum* vocare poſſit ad ſucceſſionem. *n.* 10. id, quod ab exemplis probatur. *n.* 11. Princeps non *ligius*, ſed *ſupremus*; de rebus *allodialibus*, ſive *inter vivos*, ſive *mortis causâ*, liberè diſponere poteſt. *n.* 12. In *Germania*, multi Principatus & Comitatus, pro *Allodiis* habentur. *ibid.* Quinimò quædam Feuda ob tenuitatem obligationis & nexûs feudalis, propiùs ad naturam rei *allodialis* accedunt. *n.* 13. Ab origine & ſtructura Rerumpublicarum, efformari poteſt judicium de facultate Imperantibus competente *n.* 14 Non omnes gentes, parem Imperantibus poteſtatem contulerunt. *n.* 15. Ex populi primævo conſenſu, Imperantis authoritas atque poteſtas metienda eſt. *n.* 16. Sæpe, ne *Martis* arbitrio decidi potuit dubium; ſitne regnum alicubi *Patrimoniale*, an *legitimum*? *n.* 17 Quid verò rationabiliter hac de re cenſendum? *ibid.* Hac in parte errârunt diametraliter ſibi oppoſiti *Ludovicus Molina*, & *Michael ab Aguirre.* *n.* 18. Indicium regni *Patrimonialis* adfertur. *n.* 19. Europæ Regna potiùs pro *legitimis*, quàm *Patrimonialibus* habenda ſunt. *n.* 20. In Regnis *legitimis*, ordo ſuccedendi, conformis eſſe debet *legibus fundamentalibus* inibi vigentibus. *n.* 21. In Regno *Patrimoniali*, Rex limites *juris* ſaltem *naturalis* tranſilire non debet. *n.* 22. Circa regni alienationem diſponens, præprimis liberè conſentire debet. *n.* 23. Ad validum conſenſum requiritur *præſuppoſitivè* actus intellectûs, & *formaliter* actus voluntatis, immunis à vi & coactione externa. *n.* 24. Sæpe intellectus per errorem, & voluntas per metum, coactionémve externam propelli poteſt in actum de jure *nullum.* *n.* 25. Plenus & liber teſtatoris conſenſus, iis, quorum intereſt, innoteſcere debet. *n.* 26. Per Principis teſtamentum, non poteſt alteri auferri jus quæſitum; nec quid ſtatui, quod juri naturali, vel divino *poſitivo* adverſum ſit. *n.* 27. Quòd Princeps in Regno etiam *Patrimoniali*, nihil in perniciem populi diſponere poſſit;

††††† ve-

Digitized by Google

verius eſt. *n.* 28. Neque pro lubitu, jus populi, liberorum vel agnatorum lædere valet. *n.* 29. An filius, aut alius alioquin hæres Regni, exhæredari poſſit? *n.* 30. Princeps nequit teſtamento diſponere de bonis, quibus per pacta familiarum, modus devolutionis præſtitutus eſt. *n.* 31. Pacta *Confraternitatum* inter illuſtres Germanorum familias, unde trahant originem? *n.* 32. Quid hujuſmodi pactis inductum fuerit? *ibid. Confraternitas*, prout importat jus mutuò ſuccedendi, quatenus ſit valida? *n.* 33. *& ſeq.* Quatenus Princeps Succeſſor, anteceſſorum ſuorum pactis aut teſtamentis teneatur? *n.* 35. De teſtamento *Caroli II. Hiſpaniarum Regis*, REMISSIVÈ. Imperia alienari poſſunt ab iis, in quorum dominio ſunt. *n.* 37. Si pars Regni ſit alienanda, an regnicolarum illius regionis conſenſus requiratur? *n.* 38. Si Princeps pacis cauſâ, hoſti validiori Provinciam vel civitatem cedat; an Provinciales, vel cives obluctari poſſint hoſti poſſeſſionem capere volenti? *n.* 39. *& ſeq.* Majus jus habet pars ad ſe tuendum, quàm corpus ad tuendam partem. *n.* 41. *& ſeq.* Faciliùs alienari poteſt pars territorii, quàm pars populi. *n.* 44. Num Rex, ſine conſenſu populi, poſſit regnum ſuum alteri offerre in *Feudum*? *n.* 45. Pars populi, aut portio imperii in populum, ſine ejus conſenſu, nequit alteri in pignus dari. *n.* 46. Num Rex, ſine conſenſu populi, poſſit aliis, jure hæreditario, concedere *Ducatus*, *Marchionatus &c.* *n.* 47. *Bona Domanialia*, Rex, ſine conſenſu populi, alienare nequit. *n.* 48. Acquiſitio *derivativa*, quæ ſit *per legem*, aut ſit per legem *Naturæ*, aut *Gentium*, aut *Civilem*. *n.* 49. Naturalis juſtitia *commutativa* petit, ut id, quod debetur; in ſpecie præſtetur, aut aliud tantidem valens. *n.* 50. Ubi judiciorum viget authoritas, nemo auſu proprio, invito debitori, creditum vel debitum extorquere poteſt. *n.* 51. Quo caſu, quis ſibi occultâ compenſatione conſulere poſſit? *n.* 52. Adde dicta *libro* 1. *cap.* 9. *n.* 78. *& ſeq.*

Jure naturali, parentum hæreditas *ab inteſtato* primùm defertur in liberos, quibus iniquè exhæredatis datur *querela inofficioſi*. *n.* 53. *& ſeq.* Niſi pactis *dotalibus*, aut alio modo, aliter diſpoſitum fuerit; liberi *ab inteſtato*, æqualiter ſuccedunt in bona parentum. *n.* 56. Pactis conjugum ſtatui poteſt, ut quidam liberorum non ſint hæredes, ſed certâ portione contenti eſſe debeant. Et ille eſt effectus Matrimonii, quod *Germani* vocant: Ad *morgengabicam*, ſeu: *Morgenaticam*. Tale Matrimonium moribus hodiernis, præſertim inter perſonas, quarum una eſt illuſtris, altera ignobilis, reputatur *validum* & *Licitum*. *n.* 75.

Liberorum hæreditas defertur parentibus, ſeu aſcendentibus, in defectu deſcendentium. Ubi diſtinctio facienda videtur inter bona à Patre vel Matre profecta. Sed, de hoc accuratiùs infr *n.* 63 & *ſeq. Ratio*, cur parentes liberis *ab inteſtato* ſuccedant? *n.* 59.

Parentibus non ſuperſtitibus, defuncti *fratres Germani*, aut eorum liberi, *jure repræſentationis*, ab inteſtato ſuccedunt. *n.* 60. Quid, ſi ſolùm ſuperſint defuncti fratres *duntaxat conſanguinei* & *uterini*? An tunc bona paterna *conſanguineis*, materna *uterinis* obvenient? *n.* 61. Pleniùs expenditur, qualiter de jure Civili, poſt deſcendentes & aſcendentes, tertio ordine, ab inteſtato, ad ſucceſſionem vocentur fratres tum *Germani*, tum *Conſanguinei* aut *Uterini*, eorúmve liberi concurrentes? *n.* 62. Limatiùs diſcutitur quæſtio: num in concurſu fratrum conſanguineorum & uterinorum, obtineat Brocardicon: *Paterna paternis*, *Materna maternis*? *n.* 63. In bonis *feudalibus*, conſanguinei, à fratribus *Germanis* non excluduntur. *n.* 64. Præmortuorum fratrum filii, ultimo avunculo ſuccedunt *in capita*. Fratres germani, alteri germano ſuccedentes, ſimpliciter & abſque diſtinctione bonorum, excludunt fratres *tantùm conſanguineos*, vel *merè uterinos*. *n.* 66. Non extantibus verò fratribus germanis vel eorum liberis; in *Allodialibus*, ſuccedunt fratres conſanguinei & uterini, eorúmve liberi pariter, abſque diſtinctione bonorum. *n.* 67. Non ſolùm Germanorum, ſed & conſanguineorum, vel uterinorum fratrum liberi (ſi ſoli fuerint) excludunt defuncti Patruum, Avunculum, Materteram, aut Amitam. *n.* 68. Fratres *legitimati per ſubſequens Matrimonium*, ſuccedunt æqualiter cum aliis legitimè natis. *n.* 69. Aliud dicendum de legitimatis *per Reſcriptum Principis*. *n.* 70. Quid de fratribus *Adoptivis* vel *Arrogatis*? *n.* 71. Quid de fratribus *naturalibus tantùm*? *n.* 72. Statuitur norma ſuccedendi pro remotioribus *collateralibus*. *n.* 73. Jus *repræſentationis* in linea *collaterali*, non extenditur ultra fratrum liberos; nec *duplicitas vinculi* ulteriùs attenditur. *n.* 74. De ſucceſſione conjugum *remiſſivè*. *n.* 75. Affinium, nulla inter ſe *ab inteſtato* ſucceſſio. *n.* 76. *Fiſcus*, quando ſuccedat? *n.* 77. & *ſeq.* Quid jure *Albinagii* obtineat in *Gallia*? *ibid.*

Quæ

Quæ de modo & ordine ſuccedendi, *jure Civili* ſancita ſunt; non eam habent de jure naturæ neceſſitatem, quin pactis, legibus, aut moribus, variari poſſint. *n.* 79. Si defunctus voluntatem ſuam non expreſſerit; cenſetur id voluiſſe, quod lex aut mos populi habet. *n.* 80. In Regnorum Succeſſione, diſtinctio facienda inter Regna *pleno jure & modo poſſeſſa* ab his, quæ modum poſſeſſionis à populo acceperunt. *n.* 81. In Regno *indiviſibili*, ſi aliter non ſit diſpoſitum, prætertur mas fœminæ, & natu maximus aliis poſtea genitis. *n.* 82. Quo caſu tamen primogenitus, aliis fratribus, congruam portionem, quæ vulgò *Appanagium* dicitur, aſſignare debet. *n.* 83. Quid *nominis & rei* ſit *Appanagium*, & qui dicantur *Appanagiati*? *ibid.* *Appanagium*, unde conſtituendum? *n.* 84. Quæ debeat eſſe quantitas *Appanagii*? *n.* 85. Principes *Appanagiati*, an ſint Status Imperii? *n.* 86. *Appanagium*, quatenus ſuccedat in locum *legitimæ*? *n.* 87. An *Baſtardis* etiam ſit conſtituendum *Appanagium*? *n.* 88. Secundò genitus ex matre *Illuſtri*, an ſit præferendus primogenito ex matre *plebeja*? *n.* 89. In Succeſſione Regnorum, populus cenſetur id voluiſſe, quod maximè expedit. *n.* 90. Quid expediat maximè? *ibid.* An ad ſucceſſionem admittendi ſint *Adoptivi*? *n.* 91. Cur mares, in ſucceſſione, fœminis præferantur? *n.* 92. Cur & natu maximus filiorum? *n.* 93. *Jus repræſentationis*, quò ad ſucceſſionem regni, capiendum; ſalvâ *ſexûs* primùm, deinde *Ætatis* prærogativâ. *n.* 94. An Regnum ſit pars hæreditatis paternæ? *n.* 95. An primogenitus acceptato Regno, reliquam hæreditatem, ob nimium æs alienum, repudiare poſſit? *n.* 96. An populus per Regem, nomine Reipublicæ, obligari poſſit? *n.* 97. Hujuſmodi facultatem, quatenus ad imperium ritè gerendum neceſſaria eſt, quivis Rex habere cenſetur. *n.* 98. Principum actiones, non ſunt ſcrupuloſè commenſurandæ, Regulæ pro negotiis privatorum ſtatutæ. *n.* 99. Actus in perniciem Reipublicæ geſtus, non tam revocari, quàm ab initio *nullus* fuiſſe, declarari poteſt. *n.* 100. An, & quatenus, Rex imperio ſe abdicare poſſit? *n.* 101. Utrùm abdicando regnum, primogenito, vel aliis nocere queat? *n.* 102. Quis ſuper controverſia de ſucceſſione regni judicare queat? *n.* 103. Utrùm filius natus, priuſquam pater erat Rex, præferendus ſit fratri in regia fortuna nato? *n.* 104. & *ſeq.* An nepos ex filio priore, præferendus ſit filio Regis poſteriori? *n.* 106.

CAPITE VII. Agitur *de Majeſtate tum ſacra tum profana*; ubi *de Romani Pontificis primatu & infallibili authoritate definiendi controverſias fidem Chriſtianam, aut naturalem morum honeſtatem attinentes.*

Quid ſit *Majeſtas*? *n.* 1. & 2. *Carolus Magnus* à *Leone III. Pontifice maximo*, fuit *Romæ* coronatus. *n.* 3. An Romanorum Imperator poteſtatem ſuam *immediatè* habeat à Deo? *ibid.* Non ſolus Imperator hodie utitur titulo: *Dei gratiâ*. Perverſiſſimè autem *Martinus Lutherus* ſibi hanc prærogativam arrogavit. *ibid.* Majeſtas alia *ſacra*, alia *profana*. *n.* 5. Variè ſubdividitur Majeſtas *profana*. *n.* 6. Prima & fundamentalis origo omnis Majeſtatis, eſt *Deus ter optimus maximus.* *n.* 7. & 8. Majeſtas relatè, quo ad *ſubjectum exiſtentiæ*, ſpectata, veroſimiliùs *immediatè* proficiſcitur ab hominum voluntate. *n.* 9. Modus aliquis exercendæ ſummæ poteſtatis, à populo eligendus. *n.* 10. Forma *Democratica* propiùs accedit ad ſtatum naturalem. *ibid.* Pſeudopolitici contra fidem errant, dum contendunt; quemvis ſæcularem Principem, *quo ad modum acquirendi vel exercendi Imperii*, poteſtatem ſuam à Deo conſecutum fuiſſe. *n.* 11. & *ſeq.* Ubi reſpondetur ad oppoſita argumenta. An Majeſtas rectè dividatur in *realem* & *perſonalem*? *n.* 17. Ubi referuntur argumenta *negantium* & exploditur *Vitriarii* ratiocinatio. Exponitur ſtatus quæſtionis *n.* 18. & *n.* 20. Reſolvitur; quod in ſano ſenſu, probabiliùs præter Majeſtatem perſonalem ſummo Principi propriam, admittenda quoque ſit Majeſtas *realis* penes populum *potentialiter* ſeu *radicaliter* manens. Argumenta *Grotiana* expenduntur, ex quorum ſolutione, firmatur noſtra aſſertio. *n.* 21 & *ſeq.*

Quid per vocabula: *Tyrannus* & *populus* hîc intelligatur. *n.* 24. Menſura ſummæ poteſtatis non eſt haurienda ex factis bonis vel pravis Magiſtratûs vel Principis. *n.* 25. Summa poteſtas non tam à facto & voluntate hominum, quàm ipſomet jure naturali, immediatè deſcendere videtur. *n.* 26. Si natura humana non foret corrupta; equidem dari deberet ordo imperandi & parendi. *n.* 27. Parùm firma eſt ſententia *Vaſquezii* contendentis Imperium eſſe juris naturalis, *non præceptivi*, ſed *merè ſuaſivi*. Neque verum eſt, vim & tyrannidem peperiſſe imperia. *n.* 28. Quodnam ſit objectum, ſeu materia *circa quam* verſatur Summum Imperium? *n.* 29. Vocabula: *Rex*, *Princeps*; an ſint Synonyma? *n.* 30. Num diſcrimen *Summi* Imperii, & Imperii *Summo minoris*, rectè deſumatur à modo quo defertur? *n.* 31. An dari poſſit Monarcha *temporarius*? *n.* 32. Exempla quæ *Grotius* adfert, intentum non probant. *n.* 33. Quam poteſtatem olim habuerint *Dictatores Romani*? *n.* 34. An *ſummitas* Imperii ſubſiſtere queat, ſine *exercitii plenitudine*? *n.* 35. An Imperium deſinat eſſe ſummum, ſi imperaturus, Deo, aut ſubditis aliqua promittat? *n.* 36. Dilucidatur propoſita Theſis. *n.* 37. Trutinantur & corriguntur *Grotii* verba. *n.* 38. Haud indiſtinctè capienda ſunt exempla à *Grotio* adducta. *n.* 39. & *ſeq.*

Tranſitur ad alteram hujus *Capitis* partem, & probatur, dari *Sacram*, ſeu *Eccleſiaſticam Majeſtatem* ſuper terram. *n.* 43. A *num.* verò 44. uſque ad *n.* 48. refutantur Hæreticorum & Pſeudopoliticorum argutiæ, & pleniùs Romano Pontifici aſſeritur *Majeſtatica* poteſtas circa regimen univerſalis Eccleſiæ. Qua ratione *Paulus Apoſtolus*, par & æqualis fuerit *Divo Petro*? *n.* 49. Demonſtratur; *Divum Petrum*, *Romæ*, Apoſtolicam ſtabiliviſſe Cathedram. *n.* 50. Refellitur *objectio*. *n.* 15. Duæ proponuntur & refutantur

Digitized by Google

tantur *Replica*, quas *Obſtraet De locis Theologicis. Tom.* 2. *Diſſert.* 5. pro præcipuo fundamento oggerit, ad evincendum, quòd ſummus Pontifex, ſit *inferior Concilio Generali.* Duplex in ſummo Pontifice, diſtinguenda eſt poteſtas. *n.* 53. An, & quatenus Papa poſſit diſpenſare in *Canonibus Apoſtolorum*? *n.* 54. Quandónam Summus Pontifex utatur *plenitudine poteſtatis*? *n.* 55. An Papa poſſit diſpenſare *contra univerſalem Eccleſia ſtatum*? *n.* 56. An, & quatenus Epiſcopis ſit conceſſum, diſpenſare circa Sacros Canones, Conſtitutiones Apoſtolicas, aut Decreta Conciliorum Generalium? *n.* 57. Quid, ſi Papa vel alius inferior in caſibus alioquin permiſſis, ſine rationabili cauſa, diſpenſet in lege purè humana? Num valeat diſpenſatio? *n.* 58. Ex *Magno Patre Auguſtino* probatur ſucceſſionis ordo, in Cathedra Romana *Petri. n.* 59. Oſtenditur; quòd ſumma poteſtas *circa ſacra*, Papæ ſit *immediatè* à Deo conceſſa. *n.* 60. Unde Romanus pontifex legitimè deſignatus non indiget ullius hominis confirmatione ad regendam univerſalem Eccleſiam. *n.* 68.

Hæretici paſſim negant; quòd *Conſtantinus Magnus*, Papæ donaverit Civitatem *Romanam* cum parte Italiæ, quam nunc poſſidet. *n.* 63. Verùm prolixè probatur, & refutatis adverſantium argutiis, evincitur; quòd *Conſtantinus* illam donationem Sedi Apoſtolicæ *de jure* facere potuerit, & *reapſe* fecerit. *n.* 64. 65. 66. 67. & 68.

Ex *Gerſone*, & Declaratione tam Cleri *Gallicani*, quàm Facultatis *Pariſienſis*, ulteriùs oſtenditur; quòd ſtatus Eccleſiæ ſit *Monarchicus*; & quòd Papa circa ſpirituale Regimen univerſalis Eccleſiæ, ſit verus *Monarcha. n.* 69. Equidem multi ſcriptores *Galli*, prætextu *libertatum ſuarum*, inextricabilibus ſeſe implicant difficultatibus, à quibus nec ſe, nec alios, exemit *Petrus de Marca* Archiepiſcopus Pariſienſis, in ſuis *Diſſertationibus de Concordia Sacerdotii & Imperii*, ſeu: *De libertatibus Eccleſia Gallicana.* Quidam Enthuſiaſtæ Galliâ pulſi, vulgò *Janſeniſta* dicti, errores è *Paſchaſio Queſnello* hauſtos, in confœderati Belgii Provincias invexerunt, falsò ſe nominantes diſcipulos. *SS. Auguſtini*, *Thoma* & *Bernardi. n.* 70. Quid ſentiendum de quadam Deciſione Concilii *Conſtantienſis* & *Baſilienſis*? *n.* 71. Catholica veritas exponitur *de ſuperioritate Pontificis ſupra Concilium. n.* 72 & 73. Concilium etiam *Generale* nequit condere Decreta, queîs Pontifex obſtringatur. *n.* 74. Refertur erronea & ſummoperè ſcandaloſa opinio *Caroli Epiſcopi Antiſſiodorenſis n.* 75. quæ *n.* 77. 78. 79. & 80. fundamentaliter refutatur. Quòd *Queſnelli* ſectatores Janſeniſtarum nomine gloriantes, nec *S. Auguſtinum*, nec *S. Thomam Aquinatem* imitentur, *ibid.* uſque ad *n.* 83. luculenter demonſtratur. A quo tempore cœptum fuerit dubitari de Summi Pontificis infallibilitate in decidendis fidei & morum quæſtionibus? *n.* 84. Oſtenditur: quòd Schiſmatica *Queſnelliſtarum* opinio, nata fuerit tempore *Schiſmatis*, & communis ſit omnibus Hæreſiarchis. *n.* 85. Refellitur principale argumentum *Caroli Epiſcopi Antiſſiodorenſis*, & inſuper oſtenditur: quòd olim ſummus etiam *Synagoga* Pontifex, in rebus ad fidem pertinentibus, fuerit infallibilis dum ex Cathedra locutus fuit. *n.* 86. & *ſeq.* Invectiva in *Appellantes à Papa*, *ad futurum Concilium. n.* 88. Ipſemet *Cornelius Janſenius Ipreſis Epiſcopus* cohærenter cum Sanctis Patribus docuit: Papam in definiendis fidei & morum quæſtionibus, *eſſe infallibilem. n.* 89.

An ſummi Pontificis *Monarchia* ſeſe extendat ad temporalia mundi regna? *n.* 90. Verius eſt, quòd nec ipſe Chriſtus, *quà homo*, fuerit Rex *temporalis. n.* 91. & *ſeq.* ubi reſpondetur ad contraria argumenta. Papa non arrogat ſibi *directam* poteſtatem, aut juriſdictionem merè temporalem, in Reges aut Regna. *n.* 95. *Ex Publiciſtarum* ſententia, Imperialis aut Regia poteſtas, non profluit *immediatè* à Summo Pontifice; ſed: vel *à Deo*, vel *Republica. n.* 96. In cauſis *civilibus* & *merè temporalibus*, non licet *regulariter*, à Regibus provocare ad Papæ judicium. *n.* 97. & *ſeq.* An, & quatenus Papa poſſit deponere Reges? *n.* 99. An Papa, tempore *vacantis Imperii*, ſuccedat in Jura Imperialia? *n.* 100. Qua ratione *Bonifacius VIII.* dixerit: Eccleſiam habere duplicem poteſtatem? & *Alexander VI.* neò detectam orbis partem, attribuerit Regibus *Hiſpania* & *Luſitania*? *n.* 101. Reſpondetur ad paſſus ex *Divo Thoma* deſumptos. *n.* 102. An Imperatori noſtro *Romano-Germanico* competat dominium totius orbis? *n.* 103. Diſcrimen inter Romani Pontificis, & Cæſaris, *Majeſtatem. n.* 104.

CAPUT VIII. *De Bello* adæquatè & prolixè tractans, ob ſuî prolixitatem, in duodecim *ſectiones* diviſum fuit. En totius capitis compendium!

Bellum, quid & quotuplex? *n.* 1. 2. 3. & 4. Quis cenſeatur ſummam habere poteſtatem, ut *ſolemne* bellum gerere poſſit? *n.* 5. Bellum aliud *offenſivum* aliud *defenſivum. n.* 6. Etſi quidam *Sycophanta* negaverint; licitum eſſe bellum gerere, præſertim Chriſtianis, probatur tamen, neque his ob legitimas cauſas, prohibitum eſſe belligerare, cùm jus naturæ non improbet bella juſta. *n.* 7. & *ſeq.* Ut bellum ſit legitimum & permiſſum, requiritur *primò authoritas* ſummi Principis bellum indicentis. *n.* 13. Qua ratione unus Princeps alioquin ſupremus, fiat altero inferior? *n.* 14. Non ſolus Romanorum Imperator bellum indicit. *n.* 15. Principes Chriſtiani bellum indicere poſſunt ſine conſenſu ſummi Pontificis, qui tamen ſuum arbitrium ad pacem interponere poteſt. *n.* 16.

Ad bellum legitimum, *ſecundò* requiritur, ut *ex juſta cauſa* ſuſcipiatur. *n.* 17. Recenſentur in ſpecie, Juſtæ belligerandi cauſæ. *n.* 18. Quanta debeat eſſe injuria, quæ ad movendum bellum ſufficiat? *n.* 19.

An,

Digitized by Google

An, & quatenus Princeps læſus teneatur deſiſtere à bello, ſi ipſi fuerit oblata ſatisfactio? n. 20. & 21.

Ad legitimum & inculpabile bellum, *tertiò* requiritur *recta intentio* ex parte belligerantium. n. 22. Diſcrimen inter tres memoratas conditiones ad bellum requiſitas. n. 23. An privato auſu, in bello alioquin juſto, præliantes & prædantes, ſint obnoxii reſtitutioni faciendæ iis, quibus damnum intulerunt. n. 24.

Quid ſint *Repreſſaliæ*, & quandonam licitæ? n. 25. Quouſque ſe extendant, & in quos uſurpari poſſint? n. 26. & *ſeq.* Hodierno jure, facultas *Repreſſalias* exercendi, à Summo Principe, aut Magiſtratu ordinario peti ſolet. n. 30. Qualiter, jure Gentium & civili, rerum per *Repreſſalias* aut *Pignorationem* captarum, dominium acquiratur? n. 31. An, & quatenus quis ex delicto alieno teneatur? n. 32. Jure Gentium inductum eſt, ut pro debito *Civili*, civitatis, vel ejus Capitis, obligata cenſeantur bona civium vel incolarum. n. 33.

In *moralibus*, tanta non invenitur certitudo, ùt in *Mathematicis*. n. 34. Quod *in ſe* juſtum eſt, *ex parte operantis*, injuſtè fieri poteſt. n. 35. Cur *in moralibus* animus ſæpe in bivio hæreat? n. 36. Indocti peritiores debent conſulere, & eorum conſilia ſequi. n. 37. Pars tutior ſemper eligenda. n. 38. Ad pacem potiùs in dubio, quàm ad bellum flectenda ſunt conſilia. n. 39. Quot & quibus modis bellum averti poſſit? n. 40. & *ſeq.* An, & quatenus dari poſſit bellum ex *utraque parte* juſtum? n. 43. Adducitur exemplum belli utrimque *formaliter* juſti. n. 44. Quid, ſi bellum, quod ab initio juſtum eſſe credebatur, poſtea injuſtum deprehendatur? Anne tali caſu, damna innocentibus illata, aut res captæ reſtitui debebunt? n. 45. Non, ob quamvis injuriam, mox ad arma procedendum. n. 46. Princeps in puniendo vel vindicando, clemens eſſe debet. n. 47. & 48. Si rei gravitas & juſtitia bellum poſtulet; videndum etiam, an hoc ſit conſultum & ſalutare Reipublicæ? n. 49. & 50. Ut bellum prudenter ſuſcipiatur; *propria*, nec non *adverſarii* vires; Item: *tempus* & *opportunitas* conſideranda ſunt. n. 51. Bellum, non niſi ob urgentem, & publicam neceſſitatem, ſuſcipiendum eſt. n. 52. Homo *ſecundùm ſe*, & extra civile imperium conſideratus; naturaliter, ſui juris vindex eſt. Aliud eſt; ſi ùt membrum Reipublicæ, & *ùt Chriſtianus* conſideretur. n. 53.

Epiſcopis & Clericis, *regulariter* interdictum eſt belligerare. n. 54. & *ſeq.* Clericis, *regulariter* interdictum eſt belligerare. n. 54. & *ſeq.* Clerici in bello alioquin juſto, ex parte ſua illicitè pugnantes; an teneantur reſtituere prædam, quam ab hoſtibus reportàrunt? n. 56. Sacri Imperii *Romano-Germanici* Principes *Electores Eccleſiaſtici*, poſſunt abſque irregularitatis incurrendæ periculo, conſtituere Duces exercitûs, aut *cauſas ſanguinis* aliis delegare. n. 57. Clerici etiam Sacerdotes, nedum in caſtris licitè miniſtrant ſpiritualia militantibus, ſed & citra culpam, illos ad ſtrenuè pugnandum in bello (ut ſupponitur) juſto, adhortantur. n. 58. Num Clerici cum licentia Papæ, aut alioquin urgente neceſſitate pugnantes, fiant *irregulares*? n. 59. Irregularitas etiam *ſine culpa Theologica* incurri poteſt. n. 60. Clericis non eſt prohibitum bellare *Jure Divino*. n. 61. & *ſeq.* Ubi diluuntur *objectiones*. Naturaliter, non ſolum unuſquiſque ſui, ſed & alieni juris defenſor eſt, n. 64. An civis innocens ab hoſtibus ad internecionem poſtulatus, deſeri poſſit? n. 65. An ad evitandum civitatis excidium, civis innocens, in manus hoſtium tradi queat? n. 66. An is ſe hoſti offerre teneatur? *ibid.* Et: num ſe taliter hoſti conſecrare recuſans, vi compelli poſſit? n. 67.

Socii & clientes, quatenus armis juvari & defendi debeant? n. 68. Amicis ſingulariter aſſiſtendum. n. 69. Homo hominem, & populus populum, qualiter, abſque ſpeciali fœdere, ab injuriis defendere teneatur? n. 70. Num pro alienis ſubditis, ut à tyrannide proprii Regis liberentur, licitè ſuſcipi queat bellum? n. 71. Peſſimè agunt, qui abſque cauſæ diſcrimine, vel ſolius mercedis intuitu; alteri militant, aut copias mittunt auxiliares. n. 72. Res horrenda eſt bellum, & ideo abſque ſumma neceſſitate haud ſuſcipiendum. n. 73.

An, & quatenus Princeps *Catholicus*, poſſit *infideles* in auxilium vocare, vel ipſos adjuvare? n. 74. Chriſtiani metu mortis adacti contra Chriſtianos remigantes, vel præliantes; an, & quatenus peccent, & num fiant *irregulares*? n. 75. Aut excuſandi ſint ab excommunicatione? n. 76. *Infidelitas* quotuplex? n. 77. Infideles *propriè dicti*, non ſunt armis vel tormentis compellendi ad fidem *Catholicam*. n. 78. & *ſeq.* Tyrannicè agunt infideles, dum cauſâ Religionis, torquent, aut trucidant Chriſtianos. n. 81. & *ſeq.* Principes Chriſtiani, armis compellere poſſunt *Paganos*, ne ſæviant in Chriſtianos, néve fidei annuntiationem impediant. n. 83. Hæretici & Apoſtatæ, ab Eccleſia compelli poſſunt, ad recipiendam & profitendam fidem orthodoxam, quam deſeruerunt. n. 84. An, & quatenus infideles cogi poſſint ad audiendam *Evangelii prædicationem*. n. 85. & 86. Infidelium infantes, invitis parentibus, *validè* quidem baptizantur; n. 87. Non tamen *licitè*, n. 88. & *ſeq.* Exceptis quibuſdam caſibus. n. 90. & *ſeq.* Quo ſenſu, jus parentum in liberos, ſit *naturale*? n. 92. *P. Carolus Renatus Billuart* refutat argumenta *P. Franciſci Henno*, contendentis: Parentes infideles nullum jus habere impediendi, quò minùs baptizentur eorum infantes. n. 94.

An contra *Idololatras*, aut *Paganos*, propter delicta *directè in Deum commiſſa*, bellum ſuſcipi poſſit? n. 95. & *ſeq.* An Idololatræ indiſcriminatim, morte puniri poſſint? n. 101. Princeps Chriſtianus com-

pellere

pellere poteſt Paganos ſibi ſubditos, ut obſervent legem naturæ. *n.* 102. Judæorum & aliorum infidelium ritus, an & quatenus tolerandi inter Chriſtianos? *n.* 103. An, & quibus in rebus, fideles poſſint communicare cum infidelibus? *n.* 104. & *ſeq.* Quorundam Ethnicorum libri, ob Sermonis elegantiam, uſum habent, ſed *Thalmudica* Judæorum commenta, perinde ac libri hæreſin continentes, meritò proſcripta ſunt. *n.* 107. Hæretici, an in ditionibus Catholicis, tolerandi? *n.* 108. An de jure puniendi? *n.* 110. & *ſeq.* Ubi reprehenditur *Grotius*. An populi extranei, bello poſſint impeti, eò quòd in *jus naturæ* delinquant? *n.* 112. & *ſeq.* An, ad ſervandum (ùt ajunt) *æquilibrium*, bellum ſuſcipi poſſit? *n.* 114.

Ob probroſam & indignam *Legati* tractationem, ſuſcipi poteſt bellum. *n.* 115. De quibus *Legatis* hoc procedat? *n.* 116. Quatenus immunitas ſeu inviolabilitas competat *Legatis*? *n.* 117. An legatorum immunitas extendatur ad comites, officiales & familiares, item: ad res ipſorum? *n.* 118. An jure *Talionis* arreſtari, torqueri, aut interfici poſſit *Legatus*? *n.* 119.

Legitima belli gerendi cauſa, non debet eſſe duntaxat *ſuaſoria*, ſed *juſtifica*. *n.* 120. Ex quibus injuriis, naſcuntur *actiones forenſes* inter privatos, ex iiſdem reſpectivè, reſultant cauſæ belli *juſtificæ* inter ſupremos Principes. 121. Qua ratione, ob injuriam non *factam*, ſed quæ fieri timeatur; bellum ſuſcipi poſſit? *n.* 122. Summoperè culpandi ſunt, qui abſque cauſa *juſtifica*, alienas ditiones armis invadunt. *n.* 123. An, ob negatum alibi connubium; vel recuſatum domicilium, ſuſcipi poſſit bellum? An item inventionis titulô, Gens una poſſit ſibi vendicare illa, quæ ab alia Gente poſſidentur? *n.* 124. An populus in ſervitutem redactus, libertatis recuperandæ obtentu, poſſit bellum gerere? *n.* 125. An Romanorum Imperator jus habeat ſubjugandi ſibi gentes exteras, & eorum terras occupandi? *n.* 126. Num tale jus à Pontifice conferri poſſit Imperatori? *n.* 127.

Bellum *ſolemne*, ſpeciali titulô dicitur *juſtum*. *n.* 128. Hoſtis, quis propriè dicatur? *n.* 129. & *ſeq.* An, & quo jure, ad belli juſtitiam requiratur *prævia indictio*? *n.* 132. & *ſeq.* Belli denuntiatio, vel *purè* vel *conditionatè* fieri poteſt. *n.* 134. Quibus cæremoniis, veteres bellum indixerint? *n.* 135. An bellum uni Principi indictum, denuntiatum quoque cenſeatur aliis, ipſi confœderatis aut ſubditis? *n.* 136. Quando, & cur belli indictio facienda? *n.* 137. & *ſeq.* In bello *ſolemni* & juſto, illa ſunt licita, quæ boni communis neceſſitas fieri poſtulaverit. *n.* 139. In bello *ſolemni*, aliquid licitum vel illicitum eſſe poteſt, vel *ex belligerantium conventione*; vel *abſolutè* ex Naturali aut Gentium jure. *n.* 140. Abſque Divina revelatione, non licet *per ſe* & ex intentione *directa*, in bello quantumcunque juſto, occidere innocentes. *n.* 141. Nomine Innocentium, quinam veniant? *n.* 142. Innocentes, qui ſunt ſubditi Reipublicæ hoſtilis, quatenus bonis ſuis ſpoliari & in captivitatem abduci poſſint? *n.* 143. & *ſeq.* Peregrinos, advenas, aut hoſpites, qui in civitate hoſtili reperiuntur, ſpoliare non licet, niſi conſtet de ipſorum culpa. Idem eſt de locis *ſacris* aut *piis*. *n.* 146. Quid de iis, qui hoſtes quidem non ſunt; hoſtibus tamen res aliquas ſuppeditant? An res ipſorum prædæ ſubjaceant & intercipi poſſint? *n.* 147.

Pluribus modis, quid licitum eſſe, intelligi poteſt. *n.* 148. Quinam *impunè*, in bello *ſolemni* offendi vel occidi poſſint? *n.* 149. Gentes ferociores, occidendi licentiam, etiam in mulieres, infantes, & captivos prorogabant. *n.* 150. Gentium jure, hoſtes *dediti*, & *ſine conditione*, *aut venia promiſſione* recepti, non conſequuntur jus in vitæ ſuæ conſervationem; ſed duntaxat *ſpem gratiæ conſequendæ*. *n.* 151. Rigor ille nimius, *coram mundo*, aliter excuſari non poteſt, quàm *quòd impunitus maneat*. *n.* 152. Multa, Gentium jure permiſſa ſunt, quæ *jure naturæ* ſunt vetita: nonnulla quoque *illo jure* ſunt vetita, quæ *hoc* ſunt permiſſa. *n.* 153.

Eſt contra jus Gentium ſaltem *Europæorum*, arma veneno inficere. *n.* 154 Belli quoque jure, non licet flumina, rivos, aut fontes, unde homines communiter bibunt, veneno inficere. *n.* 155. An, & quatenus, immiſſo clam percuſſore, hoſtem inopinatò liceat trucidare? *n.* 156. Jure Gentium, in bello alioquin juſto, nequaquam permiſſa ſunt ſtupra in hoſtium fœminas. *n.* 157. Spectatâ juſtitiâ *internâ*, nemo etiam in bello juſto, juſtè & inculpatè occidi poteſt, niſi in pœnam delicti perpetrati, interfici mereatur; aut: niſi alioquin vitam & res noſtras tueri non valeamus. *n.* 158. Quid victori, in foro poli, liceat in hoſtem victum & ſubactum? *n.* 159. Jure naturali, quibus ſpecialiter parcendum ſit inter hoſtes devictos? *n.* 160. Æquitas naturalis poſtulat, ut victis & captis militibus, vita relinquatur. *n.* 161. Nec prætextu *Talionis*; neque, ad incutiendum aliis timorem, trucidari poſſunt hoſtes exarmati & capti) niſi (ùt dictum) perſonalia delicta, morte digna perpetraverint. *n.* 162. Equidem, ſi multitudo quid morte dignum, perpetraverit, mitiùs ſinguli puniendi erunt. & pauci ad pœnam trahendi. *n.* 163. *Obſides*, propter perfidiam, aut peccatum aliud Reipublicæ, occidi nequeunt. Neque moribus probari poteſt conventio, ut *Obſides* occidere liceat, ſi ex parte dantis Obſides, pacta non ſerventur. *n.* 164.

Antiquo, & inter Chriſtianos abolito Gentium jure, res hoſtiles ita victoribus cedebant; ut nequidem res ſacræ aut Deo dicatæ fuerint exceptæ. *n.* 166. & *ſeq.* Ut jure naturæ, & abſque reatu culpæ coram Deo, res alterius auferri vel deſtrui poſſit; requiritur, aut extrema neceſſitas, aut debitum, vel delictum alterius præcedens. *n.* 168. Arbores frugiferæ, in ſolo hoſtili, *regulariter* non excidendæ aut evellendæ, neque ædificia deſtruenda. *Excipe*: niſi atrocitas criminum, tantam exigeret pœnam. *n.*

n. 169.

169. & *n.* 170. Sata & alimenta hoſtium, quandónam deſtruere liceat? *n.* 171. Naturali & divino jure, non violandæ res *ſacræ*; aut, *ſacris uſibus conſecrata. n.* 172. Nedum locis *ſacris*, ſed & *religioſis* parcendum. *n.* 173. Quinimò tam civilis, quàm naturalis poſtulat ratio, ut cum moderamine, res hoſtium tractentur. *n.* 174.

An, & quatenus, in bello, dolis uti liceat? *n.* 175. Dolus alius conſiſtit in actu *negativo*; alius in actu *poſitivo*. Exactiùs ponderatâ mendacii naturâ *n.* 177. & 178. concluditur; nec pro ſalvanda vita innocentis, neque ad fallendum hoſtem, in *foro poli*, licitum eſſe mentiri, aliter quàm tradit *Grotius*, malè & corruptè citans *Divum Patrem Auguſtinum. n.* 179. Proponuntur *Grotiana* argumenta, ex quorum reſolutione firmatur *Auguſtiniana* aſſertio, videlicet: quòd mendacia etiam *jocoſa*, & *officioſa*, non vacent culpâ ſaltem veniali. *n.* 180. Cur *Magnus Pater Auguſtinus*, duos libros ſingulares ſcripſerit, unum ſcilicet, *De Mendacio*; & alterum; *contra mendacium? n.* 181.

An, & quo pacto, in bello *ſolemni*, à populo pacato; ſeu, (ut dici ſolet) *neutrali*; annona, pecunia; commeatus, aut quid ſimile exigi poſſit à belligerantibus? *n.* 182. Qualiter ſe gerere debeant cum utrimque belligerantibus, qui *neutrarum partium* ſunt? *n.* 183. Qui miles non eſt, non habet jus pugnandi cum hoſte; imò nec miles culpâ vacat, ſi injuſſu Ducis pugnet. *n.* 184. Quinam ſpeciali mandato pugnandi cenſeantur muniti? *n* 185. In bello ſolemni, bona hoſtibus erepta, *indefinitè* cenſentur *jure Gentium*, fieri capientium. *n.* 186. Quatenus & id procedat *jure naturali? n.* 187. Quandónam res hoſtilis plenè capta cenſeatur? *n.* 188. Ager captus, ut in hoſtis dominium cedat; debet ab illo firmiter poſſideri. *n.* 189. Non omnis res, quæ apud hoſtes reperitur, hoſtilis eſt. *n.* 190. Cuinam *determinatè*, in bello publico & ſolemni, acquirantur res ab hoſtibus captæ? *n.* 191. Quid hac in parte legibus *Hebraeorum* ſtatutum fuerit? Quid & *Græcorum* moribus obſervatum? Quid dein, *Romanorum* legibus ſancitum? & quid porrò, modò inter Chriſtianos, *uſu* receptum? *n.* 192. & *ſeq.*

Si præda ab hoſtibus recuperata, rurſus ipſis ab altero manipulo militum eripiatur; præda ſpectabit ad ſecundum manipulum. *n.* 195. Cur milites in expeditione *publica* verſantes, non ſibi; ſed *Reipublicæ* prædam acquirant? *n.* 196. Privati, propriis ſumptibus, naves bellicas inſtruentes, quatenus prædam faciant *ſuam*? *n.* 197. Quid juris de mercibus amicorum, repertis, in navibus hoſtium & ècontra? *n.* 198. An magis expediat, ut quiſque quod cepit, habeat; an, ut inter commilitones fiat prædæ diſtributio? *n.* 199. Cui cedat navigium cum mercibus, quod quidem per hoſtes captum, ſed rurſum à noſtratibus recuperatum eſt? Quid eatenus ab *Hollandiæ Statibus* reſolutum fuerit? *n.* 200. Quid, ſi navis à *tertio* redempta fuerit? *n.* 201. An res hoſtilis, in fundo pacato, capta, fiat capientium? *n.* 202. Quinam bello capti, fiant capientium ſervi? *n.* 203. Quid veteri Gentium jure, domino licuerit in ſervum? *n.* 204. Ab injuſto hoſte capti, tutâ conſcientia aufugere poſſunt. Id quod firmatur per ſolutionem *Objectionum. n.* 205. Victor, victos nedum ſingulos, ſed & univerſos, pro arbitratu ſuo, ſibi ſubjicere poteſt: vel: *merè civiliter*; vel *merè heriliter*; vel *mixtim. n.* 206. Inter *deditionem* & *violentam capturam*, non eſt diſcrimen faciendum, quantum attinet ad jus victoris. *n.* 207. Naturali jure, quid victor poſſit in res hoſtiles, item: in homines captos? *n.* 208. Servis à Domino beneficium præſtari poteſt, & *peculium* relinqui. *n.* 209.

Poſtliminium quid *nominis* & *rei*? *n.* 210. In pace quatenus ſit *Poſtliminium*? *n.* 211. An, & quatenus durante bello, *Poſtliminium* obtineat? *n.* 212. Statuuntur exceptiones à regula, quæ dicit: *quòd Poſtliminiò rediens recuperet omnia jura ſua. n.* 213. Servi & ancillæ ab hoſtibus reverſi, priſtino domino reddendi ſunt. *n.* 214. Agri & ſolo cohærentia, poſtliminiò recuperantur; ſed hoc in *mobilibus* bello amiſſis, *regulariter* non procedit. *n.* 215. & *ſeq.* Res in bello *injuſto* captæ, in foro *poli* dominis reddendæ ſunt. *n.* 217. Quinimò dantes aliis damna, illa reſarcire debent. *n.* 218.

Hoſti fides data ſervanda eſt. *n.* 19. & *ſeq.* ubi diluuntur *objectiones*. Promiſſa in bello ſolemni, *pacis causâ*, reputantur jure Gentium *valida*; etſi promiſſio per metum *injuſte incuſſum* extorta ſit. Aliud tamen ſuggerit jus naturale, quòd Chriſtiano ſequendum. *n.* 221. Quatenus ſine perfidia, poſſit non præſtari promiſſum.

CAPITE IX. Agitur de PACE, & *his, quæ Pacem concomitantur ac ſubſequuntur.*

Quid ſit *Pax*, & qualiter differat à *Treuga*, item: à *fœdere*? *n.* 1. 2. & 3. Quis propriè pacem pangere poſſit? *n.* 4. Rex *minorennis*, *mente captus*, aut *furioſus* pacem facere non poteſt. *n.* 5. An Rex captivus eâ gaudeat poteſtate? ſub diſtinctione reſolvitur. *n.* 6. In ſtatu *Ariſtocratico* vel *Democratico*, quis, aut quinam, *de Pace* ſtatuere queant? *n.* 7. Bellidux, injuſſu Regis aut populi, facultatem non habet faciendæ pacis. *n.* 8. Id quod verum, licet generali mandato inſtructus ſit. *n.* 9. Super brevibus tamen induciis, cum hoſte convenire poteſt. *n.* 10. Pax ad inſtar *tranſactionis* peragi ſolet. *n.* 11. Pacificantium conventiones, adæquatè, ad duo reducuntur capita. *n.* 12. *Amneſtia* quid importet? *n.* 13. Simplex indulgentia non reſtituit bona aut actiones priſtinas. *n.* 14. Num paci naturaliter inſit *Poſtliminium*? *n.* 15. Quid, ſi pax cum *piratis* aut *rebellibus* inita fuerit? *n.* 16. Adverſus rebelles, juſtum bellum geritur, & hi, ut amiſſas poſſeſſiones recuperent; ſpeciali Principis gratiâ opus habent. *n.* 17.

Re-

SUCCINCTA TOTIUS OPERIS EXHIBITIO.

Reſtitutio, quæ poſt pacem facienda, non tam ex *jure Poſtliminii*, quàm ex pactis proficiſcitur. *n.* 18. Quæ de rebus, ex pacto, utrimque reſtituendis, facienda interpretatio? *n.* 19. Reſtitutionis vocabulo, quid contineatur? *n.* 20. Quid, ſi res reſtituenda, fuerit conſumpta? *n.* 21. Quatenus cauſa pacis, ſit *favorabilis*, & quouſque favor iſte prorogandus? *n.* 22. Quid, ſi pace dictum ſit; ut reſtitutio fiat *pleniſſima*? *n.* 23. & *infra n.* 83. An, & quatenus, fructus cum re principali veniant reſtituendi? *n.* 24. Ubi diſtinctio facienda inter *mala* & *bonæ fidei poſſeſſorem*. *n.* 25. Jure naturæ, ea facienda eſt interpretatio, ut unuſquiſque, quantum fieri poteſt, indemnis reddatur. *n.* 26. Quid, ſi in tractatu pacis nihil cautum fuerit de facienda reſtitutione? *n.* 27. In pacificatione, faciliùs Reges & populi cenſentur ſibi mutuò quid condonâſſe aut remiſiſſe, quàm homines privati. *n.* 28. Nomina Regionum, ex uſu præſentis temporis, in pacis inſtrumento, capienda ſunt. *n.* 29. *Regulariter* contra eum facienda eſt interpretatio, qui conditiones poſuit. *n.* 30. Proponitur quæſtio; num ſcilicet, & quatenus Princeps pacem faciendo, privatis præjudicare poſſit? *n.* 31. *Regulariter*, ne Principis quidem facto, quod noſtrum eſt, nobis invitis adimi poteſt. *n.* 32. Cauſa pacis, ab hac Regula exceptionem facit. *n.* 33. Salus populi, ſuprema lex eſt, cui cedere debet utilitas privata. *n.* 34. Æquitas poſtulat, ut his, qui pro communi bono res ſuas amiſerunt, detrimentum reſarciatur. *n.* 35. Quod limitandum 1*mò*. ſi quid damnum paſſis privatim imputari poſſit. 2*dò*. Si deſint media, unde ipſis damnum reſarciri queat. *n.* 36. & *ſeq.*

In Republica, prima cura eſt habenda circa Religionem. *n.* 39. Quatenus pacis causâ, Hæreſis tolerari poſſit? *n.* 40 & *ſeq.* Ubi reſpondetur ad objectiones. Nedum pace factâ, ſed etiam bello durante, fides hoſti data, ſervanda eſt. *n.* 42. & *ſeq.* Fruſtra tamen quis fidem ab altero præſtari poſtulat, qui ipſe perfidus invenitur. *n.* 44. Subditi fidem Principis ſui infringere nequeunt. *n.* 45. Cujus ſit reſolvere dubia, circa pacis articulos orta? *n* 46. Pacta cum ſubditis rebellibus inita, religioſè ſunt obſervanda. *n.* 47.

An, & quatenus Rex, contractus à ſe initos irritare, aut ſemet à juramenti vinculo eximere queat? *n.* 48. Diſtinguendum inter actus à Rege geſtos. *n.* 49. Actus à Rege geſtus contra leges fundamentales regni; à populo irritari poteſt. *n.* 50. Refellitur *Bodinus*, qui contendit; Regem, pro lubitu, poſſe reſcindere pacta à ſe etiam *jurata*. *n.* 52. Rex ſubditis jus etiam quæſitum auferre poteſt, aut: *in pœnam*; aut: *ex vi dominii eminentis*. *n.* 53. Qualiter in Regno *Patrimoniali*, item in *electivo* aut *legitimo*, ſucceſſor teneatur pactis & conventionibus anteceſſorum? *n.* 55. Quid Rex, reſtrictam habens poteſtatem poſſit, vel non? *n.* 56. Refellitur *Cabotii* error. *n.* 58. & *ſeq.*

Conventiones aut *publicæ* ſunt, aut *privatæ*. *n.* 59. Fœdere interdum concluditur quid, quod alioquin eſt juris naturalis *præceptivi*. *n.* 61. Fœdera, juri naturali quid adjicientia, aut *æqualia* ſunt, aut *inæqualia*. *n.* 62. & *ſeq.* An, & qua ratione ſit, aut fuerit aliquando in veteri lege prohibitum, inire fœdus cum exteris, à Religione alienis. *n.* 64. Quid nova lex, hac in parte nobis præcipiat? *n.* 65. In *theſi*, & generatim, ſocietas, ſive *bellica* ſive *civilis* cum Gentilibus vel Hæreticis, non continet *intrinſecam* pravitatem. *n.* 66. Si orthodoxa non attingatur Religio, etiam Chriſtiani poſſunt opem ferre Infidelibus à Principe Chriſtiano, ſine legitima cauſa invaſis & oppreſſis. *n.* 67. *Reinkingius*, quod nobis negat, ipſe concedit. *n.* 68. Rejicitur *Boceri* diſtinctio. *n.* 69. Expenditur, & pro caſuum diverſitate exponitur, qua ratione *Doctor Gentium* Chriſtianis interdixerit converſationem cum infidelibus. *n.* 70. & *ſeq.* Juſtitia etiam per homines improbos executioni poteſt mandari. *n.* 73. Qui duobus fœderatus eſt, cuinam debeat opitulari, ſi iſti inter ſe bellum gerant? *n.* 74.

Qui ſummo gaudet imperio, ad nihil tenetur, ſi *Sponſor* abſque ejus mandato quid promiſerit. *n.* 75. *Sponſor* qui factum alienum promiſit, ad quid teneatur *Stipulatori*? *n.* 76. Quatenus Sponſor Stipulatori teneatur ad id, *quod intereſt*, ſi factum alienum, quod promiſit, non præſtetur? *n.* 77. Num Principis ſcientis & ſilentis taciturnitas, ratam faciat Sponſoris promiſſionem? *n.* 78. Promiſſor non obligatur ultra intentionem ſuam. *n.* 79. Verba regulariter, in proprio & uſuali ſenſu, accipienda ſunt. *n.* 80. & *ſeq.* Quæ in pactum deducuntur, aut *favorabilia*, aut *odioſa*, aut *mixta* ſunt. *n.* 82. Adferuntur regulæ in *odioſis* obſervandæ. *n.* 83. & *ſeq.* Nomine *ſociorum*, an veniant ſocii *futuri*? *n.* 85. An pacta cum Rege vel populo inita, ſint *realia*, vel *perſonalia*? *n.* 86. Quid, ſi ſtatus Reipublicæ, cum qua pactum fuit initum, mutetur? *n.* 87. Ex quibus indiciis probetur, pactum eſſe *reale*? Quid, ſi fœdus ſit initum cum Rege, qui regno ſit pulſus? *n.* 89. Subditi, quatenus pro legitimo Rege ſuo arma ſumere poſſint contra invaſorem regni? *n.* 90. Quid, ſi populus in poteſtatem venerit alterius illegitimi Principis? *n.* 91.

Interpretatio alia fit per *ampliationem*, alia per *reſtrictionem*. *n.* 93. Mandatum, an impleri poſſit per æquipollens? *n.* 94. Interpretatio *coarctans*, unde petenda? *n.* 95. Verba, quando ſtrictim ſumenda? *n.* 96. Ex rationis ceſſatione, ceſſat diſpoſitio. *n.* 97. Materia de qua agitur, attendenda ad faciendam verborum interpretationem. *n.* 98. Quæ facienda interpretatio, ſi in pactis aut aliis diſpoſitionibus inveniatur aliqua apparens contrarietas? *n.* 99. An, ad contractus ſubſtantiam, requiratur ſcriptura? *n.* 100.

N. B. Menda Typographica quæ irrepſerunt, & attentionem reviſoris ſubterfugerunt, in calce Libri Secundi *emendata reperientur. Ea interim candidus Lector excuſata habeat.*

EMINENTISSIMO

AC LONGÈ

REVERENDISSIMO DOMINO,

DOMINO

SILVIO VALENTI

GONZAGA

SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTERO CARDINALI CAMERARIO, SS.mi DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

STATÛS SECRETARIO &c. &c.

DOMINO Dno MEO GRATIOSISSIMO,

HAud multùm mihi deliberandum eſt EMINENTISSIME PRÆSUL! cui hanc *Ethicam Chriſtianam*, ſeu *Orthodoxam Juris Naturalis & Gentium Prudentiam* dedicatum conſecratúmque

† eam,

eam. Sicut enim perſæpe alias, ita in præſenti meditatione, EMINENTISSIMÆ DIGNITATIS TUÆ ſeſe mihi præſentat Imago, in qua velut limpidiſſimo Paradigmate, ***Juris*** tum ***Naturalis & Divini***; tum ***Humani & Gentium***, encyclopœdia eluceſſit. Et quanquàm opellam meam, nequaquam iſtius momenti & valoris eſſe præſumam; ut eam dignum Sublimitate Tuâ munuſculum eſſe cenſeam; hac tamen animor fiduciâ; ut ſperem, conatum meum, non prorſus diſpliciturum EMINENTIÆ TUÆ; præſertim; quia heterodoxos, veteris moderniſque temporis, Moraliſtas, & Juris ***Naturalis***, juxta ac ***Divini poſitivi*** corruptores, quin & Pontificiæ Authoritatis oſores & obtrectatores, pro viribus meis refellere & expugnare; proinde Apoſtolicam S. Romanæ Eccleſiæ Doctrinam, in ſua puritate, cunctis exhibere conatus ſum.

Ad compilandum hocce Opus, EMINENTISSIME PRÆSUL! inde potiſſimùm impulſus fui, quòd in Academiis, ſeu Studiorum Univerſitatibus Germaniæ præſertim noſtræ, quorſum Juventus undíque confluere ſolet; in expoſitione ***Juris Naturalis & Gentium***, vix citentur alia, quàm *Grotii*, *Seldeni*, *Puffendorfii*, *Gronovii*, *Bœcleri*, *Ziegleri*, *Mevii*, *Barbeyratii*, *Schilteri*, *Paſſii*, *Wolffii*, *Hennigis*, *Thomaſii*, *Titii*, *Herzii*, *Coccêi*, *Gundlingii*, *Hobbeſii*, *Velthuſii*, *Hornii*, *Rechenbergii*, *Koebleri*, *Schierſchmidii*, *Vitriariorum*, aliorúmque Acatholicorum profana nomina, ex quo (prô dolor!) effectum, ut non pauci nedum mediocris ſortis, ſed ſublimioris etiam conditionis adoleſcentes, peſſimis imbuti principiis, moribúſque corrupti, ad proprios lares reverſi, ſúſque déque habitâ S. Romanæ Eccleſiæ & Divorum Patrum doctrinâ, priſcam exuerint pietatem & probitatem, atque obedientiam ſupremo in terris Jeſu Chriſti Vicario debitam excuſſerint, ac porrò Fidem adoptaverint ***quodlibeticam*** Suo Genio accommodatam; derideant verò ac ſubſannent eos, qui in dirimendis

dis Juris Naturæ & Gentium quæſtionibus, provocant ad Divinam Decalogi legem, quâ teſtibus Divo *Patriarcha* AUGUSTINO *quæſt.* 140. *ſupra Exodum*; & Doctore *Angelico*, 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. Veluti in epitome, & perpetua Divini Numinis Sanctione, univerſum naturæ jus, toti humano Generi commune, ſummatim reperitur concluſum, imò multò plura, perfectiùs, locupletiùs & ordinatiùs continentur; quàm quæ maximorum Philoſophorum, legiſlatorum, & Juriſconſultorum, de Divino cultu, de ſervanda inter homines pace, juſtitiáque adminiſtranda, infinitis comprehenduntur voluminibus.

Hæc (inquam) EMINENTISSIME PRÆSUL! ratio incentiva fuit; cur pro honore Dei, ad ſalutem proximi noſtri, & ad propagandam S. Romano-Catholicæ Eccleſiæ doctrinam indefectibilem, hocce bipartitum Opus ſuſceperim elucubrandum. Cæterùm; quia Naturalia Decalogi præcepta latiſſimè patent, & cuncta mortalium officia, tam Belli, quàm Pacis tempore, reſpiciunt; Idcirco, ne opus mancum evaderet; *Libro Secundo*, ex Divinis Decalogi Præceptis, & Æquitatis Naturalis Dictaminibus, demonſtrare, & ſigillatim indigitare allaboravi, quæ tam in Belli tempeſtate, quàm Pacis malaciâ, inter mortales obſervanda ſint jura, ut nemini fiat injuria, Divinúmque non offendatur Numen.

Dum hanc opellam meam EMINENTISSIMÆ DIGNITATI TUÆ devotiſſimè conſecro; in Laudum Tuarum encomia haud excurro; nec Panegyrin Tibi adornare præſumo; tum quia propriæ Gloriæ Tuæ fumum, Tua reſpuit humilitas & modeſtia ſingularis; tum verò vel maximè; quia Laudum Tuarum ampliſſima materies, impolitæ Rhetorices meæ ſuperat artificium, ut proinde hanc Provinciam illis cedere debeam, qui facundiore pollent ſuadâ, Tuáque grandia merita, condignis elogiis celebrare nôrunt.

Suſcipe

Suſcipe autem EMINENTISSIME PRÆSUL! Serenâ fronte, & Tuo Valentiſſimo patrocinio proſequi dignare hocce munuſculum, quod in devotiſſimæ obſervantiæ & venerationis meæ teſſeram, ſublimitati Tuæ humillimè conſecro devoveóque; devotiſſimè rogans; ut Sacrum Ordinem noſtrum, ſub Reverendiſſimo & Præſtantiſſimo Capite, Patre Magiſtro AUGUSTINO GIOJA, benignitatis Tuæ favoribus complecti & fovere non deſinas. Præveniat Te Deus in benedictionibus dulcedinis: Repleat in bonis deſiderium Tuum, & renovetur, ùt Aquilæ, Juventus Tua, ut diutiſſimè SS^mo^ D^no^ noſtro PAPÆ Tuis aſſiſtas ſaluberrimis conſiliis, totíque proſis Eccleſiæ Romano-Catholicæ. Ita oro, & cordicitus exopto

Trajecti ad Moſam, 18. *Julii* 1751.

EMINENTISSIMÆ AC LONGE REVERENDISSIMÆ DIGNITATIS TUÆ

Humillimus & obſervantiſſimus famulus

F. Antonius Hochkirchen Auguſtinianus Aquenſis.

PROLEGOMENA
IN BINOS LIBROS
DE JURE NATURÆ & GENTIUM
SIVE
DISSERTATIO PRÆAMBULA
DE
ORIGINE & PROGRESSU HUJUS JURIS.

SUMMARIUM.

No. 1. *PAuci rectè ſcripſerunt de Jure Naturæ.*
2. *Jus Naturæ undè depravatum?*
3. *Pſeudopolitici perſtringuntur.*
4. Carneades *negavit dari juſtitiam.*
5. *Error ipſius refutatur.*
6. *An & quæ leges ſileant tempore belli?*
7. *Chriſtianis non interdictum belligerari.*
8. *Deus eſt Fons omnis Juris & Juſtitiæ.*
9. *Deus primo homini indidit jus naturale.*
10. *Protoparentibus noſtris in paradiſo non niſi unica lex data, in qua tamen reliqua naturalia Præcepta comprehenduntur.*
11. *Omnis homo peccabilis & ſolus Deus eſt impeccabilis.*
12. *Quomodo peccatum ſit* nihil?
13. *Error* Pelagii *de peccato originali, ab* Anabaptiſtis *reſuſcitatus.*
14. *Omnis ab* Adamo *per carnalem propagationem deſcendens, peccato originali inquinatur, ſolâ Deiparâ Virgine præſervatâ.*
15. *Anima inficitur peccato* Originali, *primo inſtanti, quò unitur corpori.*
16. *Cur & qua ratione deſcendentes ab* Adamo *contrahant originale peccatum?*
17. Eva *peccavit quidem* lethaliter, *ſed non* originaliter.
18. *Si ſola* Eva *peccâſſet, peccatum origina-*

le non fuiſſet in poſteros transfuſum.
19. *Si* Adamo *non peccante, peccâſſet quis filiorum ejus, v. g.* Abel *aut* Caïn, *peccatum originale pariter non fuiſſet in alios propagatum.*
20. *Concepti ex Dæmone incubo contrahunt peccatum originale.*
21. *Quid de illo, qui prodigiosè naſceretur è femore, v. g. viri aut mulieris?*
22. *Quæ mala attulerit, & bona abſtulerit peccatum originale?*
23. *Poſt* Adæ *peccatum, diu ſine lege poſitiva victitatum.*
24. *Cur major probitas viguerit in hominibus primi Ævi?*
25. *Occaſio corruptionis in poſteris.*
26. *Altera perverſitatis ratio.*
27. *Num ante diluvium extiterint aliæ leges præter jus Naturæ?*
28. *Cur Deus in diluvio ſervaverit* Noë *cum paucis familiaribus.*
29. *Multiplicato rurſus poſt diluvium humano genere, multiplicata quoque fuit malitia, & eviluit legum obſervantia, ac ideò Deus per* Moyſen, *Decalogum promulgari fecit.*
30. *Lex Decalogi perfecta, & ad eam cætera Naturæ præcepta reducuntur.*
31. *Lex Decalogi Populo Hebræo primitus data & cur?*
32. *Lex Decalogi ſemper obligavit univerſum Genus humanum.*
33 *Cur lex Decalogi, lapideis tabulis conſignata*
34. *Varia incitamenta Divina, ad Legis obſervantiam.*
35. *Deus miſit filium ſuum, ut depravatam reſtauraret & erudiret naturam, per ſe & Apoſtolos.*
36. *Utrum lex vetus etiam in moralibus à* Chriſto *mutata, correctáve fuerit?*
37. *Duplicem Hebræorum errorem* Chriſtus *redarguendo correxit, & genuinum legis Naturæ ſenſum expoſuit.*
38. *Qua ratione* Chriſtus *divortia & Polygamiam abrogaverit?*
39. Chriſtus *multa* præter, *ſed nihil* contra *legem Naturæ inſtituit aut docuit.*
40. *Jus Naturale etiam Divinum eſt.*
41. *Jus Divinum duplex.*
42. *Diſcrimen inter jus Divinum neceſſarium & voluntarium.*
43. *Præter Jus Divinum datur & jus humanum, quod varium eſt.*
44. *Penes quos olim fuerit poteſtas legum condendarum?*
45. *In Imperio* Romano-Germanico, *quis hodie leges condat univerſales?*
46. *Jus Gentium quo pacto introductum?*
47. *Qualiter differant jus naturale & gentium?*
48. *Triplex univerſim juris ſpecies.*

---

1. IN Juris Romani ſivè Pontificii ſivè Cæſarei explanationem elucubrârunt innumeri, aſt ad ſiſtendum exponendúmque jus, illud quod toti humano generi, maribus & fœminis, parentibus & imperantibus, incolis & peregrinis, Chriſtianis & Paganis, Catholicis & Sectariis peræquè ad bene moraliter vivendum & aliis ſocialiter convivendum commune eſſe debet ac præprimis conducit & ad ſalutem æternam porrò viam ſternit, multi ſcriptitare pertentârunt, aſt nemo methodicè, nemo pro rei gravitate ſat accurratè & emendatè, ac ut verbo dicam, ſat Chriſtianè, noſtris etiam ſcripſit temporibus Laudari tamen meretur *Eximius P. Ignatius Schwartz S. J.* Sacerdos, qui *Anno* 1743. *Auguſtæ* evulgavit *Inſtitutiones Juris Univerſalis Naturæ & Gentium.* Atque egregiè refutavit heterodoxos noſtri temporis moraliſtas.

2. Sicuti

Digitized by Google

2. Sicuti antè Diluvium & *Moyſis* ætatem, omnis caro jam tum corruperat viam ſuam, & à juris primævi præceptis receſſum erat; ita morum corruptela, longiore temporis tractu, adeò obfuſcavit, mentibus hominum ab authore Naturæ indita rectæ rationis dictamina, ut bene multi ne agnoſcant, minus opere præſtent, quòd inſinuat ſuggerítque concreati luminis diluculum.

3. Nihil hodie in Aulis Principum, à Pſeudopoliticis & maleſuaſis Conſiliariis frequentiùs jactari audias; quàm Regi aut Principi Imperium habenti nihil injuſtum eſſe, quod duntaxat ſit utile, & in ſumma fortunæ, id æquius, quod validius, quinimò rempublicam ſine injuria geri non poſſe. Ex hoc putrido fonte, vulgò creditum, inter arma, ſilere leges, & inter bellorum ſtrepitus, non exaudiri juris dictata. Verùm, etſi ùt plurimùm experiamur non aberrâſſe *Tertullianum*, dum *lib. adverſus Judæos cap.* 9. dixit: *Dolus, aſperitas, injuſtitia, propria ſunt negotia præliorum.* Graviſſimè tamen aberraret, imò deſiperet, qui cum *Carneade* apud *Lactantium* relato, contenderet, homines jura cuncta, pro ſua duntaxat utilitate ſanxiſſe & conſtituiſſe varia, pro moribus & temporum viciſſitudine; nullum verò exſtare jus *naturale*, ſed homines perindè ac cæteras animantes, ad ſuas utilitates, naturâ ducente ferri; proindéque aut nullam dari juſtitiam, aut ſi quæ eſſe putatur, ſummam fore ſtultitiam.

4. Priuſquam craſſiſſimum iſtum refutem errorem, obſervandum eſt, quòd *Carneades* Cyrenæus patriâ, poſt *Platonem* & *Arceſilam*, fuerit novæ Academiæ conditor, & *Academicorum* nihil definientium, ſed in utrámque partem, de quavis re diſceptantium more, probare contenderit, nullam prorſus reperiri juſtitiam.

5. Verùm argumentum *Carneadis*, à ſola utilitate petitum, per animantium ratione carentium indolem, refutatur. Quis enim neſcit, ipſammet etiam bruta, proprias ſæpe utilitates, alienis commodis poſtponere? Nónne videmus, quòd galli gallinacei, gallinas, & hæ pullos ſuos priùs exſaturent, quàm ipſi granum ſumant? Quid, quòd hæ animantes & pleræque etiam feræ, pro catulis & fœtibus ſuis ſeſe in periculum conjiciant? Quid, quòd canes venatici, prædâ abſtineant, ut illam domino aſſervent? Quid, quòd formicæ, Apes, Ciconiæ, in alienum commodum multa faciant? Audiamus egregiam hac de re *Philonis* pareneſin ſupra quintum Decalogi præceptum: „imitatores (inquit) ſaltem mutorum animalium eſtote homines. Beneficio vicem rependere, illa edocta nôrunt. Canes domûs defenſores ſunt, quin & pro heris moriuntur, ſi quod ſubitò periculum eos contigerit. Dicuntur & canum illi, qui greges comitantur, præcedere pecora, depugnantes ad mortem uſque, ut paſtores illæſos præſtent. Nónne inter fœda fœdiſſimum eſt, in referenda gratia, vinci hominem à cane, mitiſſimum animal, à ferociſſimo? Quòd, ſi à terreſtribus non ſatìs edocemur; tranſeamus ad naturam volucrum aëris viatricem, ut vel inde diſcamus, quòd oportet. Ciconiarum ſenes, in nidis manent volare invalidæ. Harum ſoboles per omnes, propè ſic dixerim, terras mariáque volitant, victum undique parentibus quærentes: illæ, pro ætatis merito, fruuntur quiete, rerum copiâ, deliciis etiam: hæ verò itineris moleſtias ſolantur pietatis conſcientiâ & expectatione obſequii olim paris, ubi ſenuerint, à ſua prole; atque ita legitimo tempore debitum perſolvunt neceſſarium, quòd accepêre reddentes: neque enim ab aliis alimenta habere poſſunt, aut initio vitæ, parvæ cùm ſunt, aut natu grandes, in vitæ exitu. Quapropter non alio, quàm naturæ magiſtro didicerunt educare vetulas, edu-

„ catæ & ipſæ, cùm teneræ eſſent. Nonne „ verò hæc ubi audiunt, habent, cur ſe „ præ pudore abſcondant, qui parentum „ curam non habent, atque eos negligunt, „ quos aut ſolos, aut præ cæteris, ſuble- „ vare debuerant, præſertim, cum id fa- „ cientes, non tam daturi ſint quidpiam, „ quàm id quòd debent, reddituri? Ni- „ hil enim eſt liberis proprium, quòd non „ parentum ſit prius, qui aut de ſuo dede- „ runt, aut acquirendi præbuerunt cauſas." Ita *Philo loc. cit.* juxta *edit. Pariſ. pag.* 760. *& ſeq.* Si autem bruta animalia, quæ in- ſtinctu ipſis ab authore naturæ indito fe- runtur, non ſemper agunt, ſolâ utilitate trahente; qua fronte, id de homine ratio- nis & libertatis compote dici poſſet? Ho- mo quidem animal eſt, ſed rationale; & creatura poſt Angelos, de facto præſtan- tiſſima, atque imago Dei viventis, cui pro- prium eſt agere propter ultimum finem & media ad illum conducibilia, juxta ratio- nis dictamen eligere & exequi. Unde ho- mo agens *ùt homo*, non movetur ad agen- dum ſolâ utilitate ſenſuali aut bono dele- ctabili, ſed vel maximè bono honeſto, ſeu honeſtate in rebus vel actionibus repertâ vel ſaltem apprehensâ.

6. Falluntur etiam, qui vel in ipſo bello, arbitrantur omnia jura ceſſare. Siquidem nec ſuſcipi bellum debet, niſi ad juris con- ſecutionem, nec ſuſceptum geri, niſi intra juris tramites & fidei modum. Licet enim bellum geratur in illos, qui pares ſe faciunt aut eſſe putant; ita, ut judiciis coërceri nequeant; equidem, ut juſtè ſuſcipiatur; non minori religione gerendum, quàm ju- dicium inter privatos exercendum. Quo- circa, quòd dici ſolet: *inter arma ſilent leges.* Accipiendum eſt de legibus merè ci- vilibus & judiciariis, aut iis, quæ paci ſunt propriæ, non verò de legibus naturalibus, quæ ſunt perpetuæ & omni tempori ac- commodatæ. Tam enim Belli, quàm pacis tempore, jus nobis à natura inditum, & quòd ex illo propagatum eſt jus Gentium, obſervandum eſt, juſtitiáque perpetuò præ oculis habenda. Unde *Pompejus* Spartani cujuſdam Regis effatum: *beatiſſimam* vide- licet *fore Rempublicam*, *cujus fines baſtâ & gladio terminarentur*; prudenter correxit dicens: *eam fore beatam*, *quæ juſtitiam pro finibus haberet.*

7. Sicut autem *Carneades* enormiter er- ravit cum *Epicuro* & Epicureorum, ulti- mum finem in voluptatibus carnalibus po- nentium ſecta; ita multùm aberrant Chri- ſtiani quidam, nominetenùs etiam Catho- lici, qui charitatis obtentu, bellum omne Chriſtianis interdixerunt; ſiquidem, cum tam Belli, quàm pacis, ſint jura; ea nempe, quæ æquitas naturalis dictitat; ſequitur, tam juſtè bellum geri poſſe, quàm pace frui licere. Quia autem inter belligerantes nec reſpici, nec intendi ſolet juſtitia, ex obſervantia legum civilium reſultans (qui- vis enim populus, quin & civitates penè ſingulæ, aliis atque aliis vivunt legibus ci- vilibus) ideò ad altiùs generaliúſque jus re- currendum eſt, quòd utique non eſt aliud, quàm illud, quòd toti humano generi con- genitum, aut illud, quod exinde apud mo- ratiores populos, communi conſenſione enatum & introductum, ac ideò *jus gentium* nuncupatur. De hoc jure, ſcilicet *Naturali primævo*, ac alia ſpecie ſubalterna, quæ jus gentium audit, jam propiùs agendo:

8. Certiſſimum ſuppono, quòd fons pri- mus juris & juſtitiæ naturalis, non ſit alibi, quàm in ſolo Deo quærendus. Sicut enim Deus *eſſentialiter* & *ſubſtantialiter* juſtus, inter cætera omnia, naturam condidit ra- tionalem; ita eidem indidit perfectionem ſuæ ſpeciei convenientem. Quò reſpicien- tes Philoſophi *Pythagoras*, *Chryſippus* & alii, dixêre; non poſſe inveniri principium aliud juſtitiæ quàm à *Jove* & communi na- tura. Quin & Poëtæ, eam ob cauſam, finxêre, Juſtitiam ab Ævo, *Jovi* aſſidére ùt rectricem omnium, quæ *Jupiter* vult, agit, decernit.

Digitized by Google

9. Itaque, qui ad imaginem ſuam, id eſt, cum intellectu, memoria & voluntate, creavit Deus hominem, nedum voluit illum jure inſtructum, juſtitiæque deditum; ſed, ut eſſe poſſet, effecit: ita enim è limo terræ producto corpori humano vitam ſeu animam rationalem inſpiravit, eámque lumine vultûs ſui condecoratam, tot tantiſque dotibus locupletavit; ut homo cunctis agendis ſuffeciſſet, niſi liberâ voluntate ſuâ, à juſtitia originali defeciſſet.

10. Quoniam igitur protoparentibus noſtris in paradiſo mens juſta & recta erat indita, quæ ipſis eſſe poterat vivendi agendíque cynoſura; ideò ipſis non niſi unica legitur data fuiſſe lex, videlicet: de non comedendo de arbore ſcientiæ boni & mali. In hac equidem lege unica, quæ obedientiam ſpectabat creatori optimo debitam, reliqua naturalia præcepta per *Moyſen* promulgata, virtualiter continebantur. Undè nihil non delicti perpetratum noſcitur in eſu pomi vetiti, prout egregiè adnotavit *Tertullianus* in *lib. adverſus Judæos.* Ubi ait: "In principio mundi, ipſi *Adæ* & *Evæ* „ Deus legem dedit, ne de fructu arboris „ plantatæ in medio Paradiſi ederent; quòd „ ſi contra feciſſent, morerentur. Hæc lex „ ipſis ſuffeciſſet, ſi cuſtodita fuiſſet. In „ hac enim lege, *Adæ* data, omnia præ„ cepta condita cognoſcimus, quæ poſtea „ pullulaverunt, data per *Moyſen.* Id: di„ liges dominum Deum tuum, de toto cor„ de tuo & ex tota anima tua &: diliges „ proximum tibi ſicut te. Et: non occides. „ Non mœchaberis. Non fraudaveris. Fal„ ſum teſtimonium non dices. Honora pa„ trem & matrem &c. Alienum non con„ cupiſces. Primordialis lex eſt enim data „ *Adæ* & *Evæ* in Paradiſo, quaſi matrix „ omnium præceptorum Dei. Denique ſi „ dominum Deum ſuum dilexiſſent, contra „ præceptum ejus non feciſſent. Si proxi„ mum dilexiſſent, id eſt ſemetipſos; per„ ſuaſioni ſerpentis non crediſſent, atque „ ita in ſemetipſos homicidium non com„ miſiſſent, excidendo de immortalitate, „ faciendo contra præceptum Dei. A furto „ quoque abſtinuiſſent, nec à conſpectu „ domini Dei noſtri, ſub arbore deliteſcere „ geſtiſſent. Nec falſum aſſeveranti Diabo„ lo participâſſent, credendo ei, quòd ſi„ miles Deo eſſent futuri: atque ita nec „ Deum offendiſſent ùt patrem, qui eos de „ limo terræ, quaſi ex utero matris, figu„ raverat. Si alienum non concupiviſſent, „ de fructu illicito non guſtâſſent. Igitur „ hac generali & primordiali Dei lege, „ quam in arboris fructu obſervari Deus „ ſanxerat, omnia præcepta legis poſterio„ ris ſpecialiter indita fuiſſe cognoſcimus."

11. Cùm autem defacto *Adam* violando Divinam iſtam legem, peccaverit; apparet, quòd non ita conditus fuerit juſtus, ùt injuſtus fieri non poſſet. Ille enim injuſtus fieri non poteſt, qui *eſſentialiter* ac *ſubſtantialiter* juſtus eſt, Deus duntaxat. Primus autem homo ex nihilo conditus, & juſtitiâ originali, beneficio creatoris, cumulatus, per uſum libri arbitrii, in nihilum peccati cadere potuit.

12. Dixi: *in nihilum peccati.* Non enim, juxta Theologos, peccatum *formaliter* conſiſtit in *poſitivo*, ſed in *privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui:* prout indigitat Divus P. *Auguſtinus* l. 7. *Confeſſ. cap.* 16. inquiens: *Quæſivi quid eſſet iniquitas, & non inveni ſubſtantiam.* Id eſt, *ens poſitivum.* Unde idem S. Pater *Tract.* 1. *in Joan.* ait: *Peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines, cùm peccant.* Atque ex indè concludit S. Doctor: ſine *ipſo:* Deo ſcilicet, factum eſſe *nihil*, id eſt, peccatum, cùm cætera omnia entia poſitiva per ipſum facta ſint.

13. *Pelagii* & ejus Sectariorum, vetus error à Divo P. *Auguſtino* invictiſſimè expugnatus, ferebat; deſcendentes ex Adamo, neceſſitatem quidem moriendi pœnáſque temporales contrahere ex peccato ipſius, non tamen ipſum peccatum. *Pelagius* enim ejúſque

ejúſque Aſſeclæ, verba illa *ad Rom.* 5. *In quo omnes peccaverunt.* Dicebant, intelligenda eſſe; *ſecundùm imitationem*, non verò *ſecundùm propagationem.* Sed quàm inſulſa hæc fuerit expoſitio, ex eo liquet, quòd pluſquàm dimidia pars hominum moriatur, priuſquam ſint peccati committendi capaces. Qua autem ratione, illi imitarentur Adamum peccando? Hunc errorem diu ſopitum ſuſcitârunt *Arméni*, *Albigenſes* & noſtri temporis *Anabaptiſtæ*, quorum ultimi, ideò contendunt, infantes non eſſe baptizandos.

14. Veritas autem Chriſtiana eſt, quòd quivis homo ab Adamo per carnalem propagationem deſcendens, contrahat peccatum originale, à qua tamen lege meritò excipitur Deipara Virgo, quæ ex ſpeciali privilegio, in ſuî conceptione, a labe originali, præſervata piè creditur, ut eam ob cauſam in Eccleſia Catholica celebretur feſtum *immaculatæ ejus conceptionis.* Præmiſſa veritas manifeſtè colligitur ex S. Scriptura, *Ad Rom. cap.* 5. *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Non quidem *perſonaliter*, ſed *originaliter.* Unde Divus P. *Auguſtinus in Pſal.* 50. ait: *Quid eſt, quòd ſe dicit* [nempe David] *in iniquitatibus conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam?* Illud ergo *Ezech.* 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Capiendum eſt de iniquitate *perſonali*, non *originali*, ſi velis ibi eſſe ſermonem de primo Patre ſeu protoparente Adamo: ſi verò contendas, ibi eſſe ſermonem de quocunque alio immediato patre, utique certum eſt, quòd filius non portet iniquitatem Patris ſui. Sed quid? quòd Dominus dixerit ad *Moyſen: Ego Dominus zelotes viſitans peccata parentum in filios, uſque in tertiam & quartam generationem?* Pro intellectu hujus textûs & ſolutione argumentorum, quæ opponi poſſent; Obſervandum, quòd duplex ſit pœnarum genus, alterum quod in præſenti vita infertur; alterum quod poſt mortem infligitur. De priori in propatulo eſt, quòd ad alios ſæpe extendatur, ſine præjudicio juſtitiæ Divinæ; quia illa, quæ vulgò appellantur mala, ùt ſunt: paupertas, ſervitus, morbus, exilium, mors; *adiaphora* ſunt, hoc eſt, de ſe, nec bona nec mala, ſed talia ſunt, qualis eſt ille, qui ea patitur: & cùm prodeſſe hæc poſſint animarum ſaluti; nihil injuſtè agit Deus, dum ea innocentibus immittit, ac materiam & occaſionem præbet virtutis exercendæ: & quamvis propriè non ſint dicendæ pœnæ, quatenus ab innocentibus tolerantur, cùm omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna ſit; illorum tamen comparatione & intuitu, pœnæ ſunt, ob quorum peccata infliguntur. Quare & rectè dixit Deus ſe viſitaturum peccata parentum in filios, uſque in tertiam & quartam generationem; quia ad tantum ferè tempus vivebant olim homines, ut quartam à ſe viderent progeniem; quâ adverſa patiente, ipſi non poterant non cruciari. Neque mors filiorum aut ſubditorum, quæ nobis fortaſsè mala videtur, mala omnino dicenda eſt, cùm juſtus ſemper bene moriatur. Dein; mala temporalia interdum habent rationem *pœnæ*, & ſic nemo luit peccatum aut culpam perſonalem alterius: interdum rationem *medicinæ præſervativæ*; & ſic etiam ab innocentibus tolerantur, ut à peccatis cohibeantur. Ita docet *Doctor Angelicus* 1. 2. *q.* 87. *art.* 1. Cæterùm, in altera vita, & quò ad animam, nullus ſine culpa punitur propria. Huc facit *Regula* 23. *jur. in* 6. *ſine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.* Ubi Nota *tò: niſi ſubſit cauſa.* Neceſſitas enim boni publici, poteſt eſſe juſta cauſa, ut pœna innocentes comprehendat, quatenus in illis & delinquens condignè punitur & medicinæ ratio conſervatur. Sic contingit interdum inter delinquentes & innocentes talem eſſe connexionem, ut hi cen-

cenſeantur velut pars & res delinquentium, ut in filiis reſpectu patris. *L. cum ſcimus.* ibi*: pars quodammodo. Cod. de Agricolis.* Subditis, reſpectu ſuperioris; in quibus interdum veluti in partibus ſuis, Pater & Dominus delinquentes condignè puniuntur. *Argum. cap. ſi ſententia.* 16. *De ſent. excom.* Aliud eſt de pœna *ſpirituali*, qua nullus innocens pro delicto alterius puniri debet. Nam, cùm hæc pœna animam afficiat; quò ad illam, innocens non poteſt conſiderari ut res & pars delinquentis, quin nec ſervaretur medicinæ ratio, ſed offenderetur; dum pro remedio boni temporalis, fieret privatio in bono ſpirituali, quòd eſt dignius, prout de pœna excommunicationis probat *text. in can. Non imputatur* 1. *q.* 4. & *in can.* 1. *cauſ.* XXIV. *q.* 3. & *in cap. ſi ſententia. De ſent. excom.* & tradit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 108. *art. fin. Covarruvias lib.* 2. *variar. cap.* 8. *num.* 1. Vide quæ ſcripſi *ad Reg.* XXIII. *jur. in* 6. Porrò Apoſtolus *ad Roman.* 5. dicens*: Regnavit mors uſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ* interprete Divo P. *Auguſtino. Lib.* 1. *de peccat. merit. cap.* 11. intelligendus eſt hoc ſenſu: quòd illi, qui non peccaverunt *actualiter*, ſive voluntate propriâ, ſicut fecit *Adam* comedendo fructum vetitum, ad inſtar ejus, fuerint morti obnoxii, quia in illo utpote capite *morali*, peccârunt duntaxat *originaliter*.

15. Theologi de traduce peccati originalis agentes, plura deducunt conſectaria, quæ omnes Chriſtianos ſcire attinet. Sic concludunt primò. Quòd omnes per ſeminalem maris & fœminæ commixtionem concepti, in primo inſtanti, quo anima corpori unitur, peccatum illud contrahant. Confer *D. P. Auguſtinum lib. de nupt. & concupiſc. cap.* 5. ubi ait: *Ideo illos* (ſcil. homines univerſos) *eſſe ſub Diabolo quia de ſexûs utriúſque commixtione naſcuntur.* Junge *Concil. Trident. ſeſſ.* 6. *c.* 3.

16. Concludunt 2dò. Deſcendentes ex *Adamo*, non ideo naſci infectos peccato originali, quòd *Adam* ſit principium & caput *Phyſicum* naturæ humanæ; alias non unum tantùm, ſed omnia ejus peccata contraherent, imò & cunctorum proavorum, ex quibus deſcenderent; ſed, quia *Adam* erat caput *morale*, quocum Deus pactum ſaltem *virtuale* inierat, ut, ſi juſtitiam originalem, quam pro ſe & poſteris ſuis acceperat, ſervaret; illam quoque viâ generationis naturalis, in cunctos poſteros transfuſurus eſſet: ſi autem illam perderet, tranſgrediendo præceptum, de non comedendo fructu vetito, ſe, poſteritatemque ſuam eſſet infecturus. Concludunt 3tiò.

17. *Evam* inducendo *Adamum*, peccâſſe quidem *lethaliter*, aſt non ideò contraxiſſe peccatum originale ex perſona *Adami*, quia ex illo non prodiit per carnalem generationem.

18. Quinimò Theologi docent, quòd ſi *Evâ* peccante, *Adam* non peccâſſet; poſteri peccatum originale non contraxiſſent. Tametſi enim *Evæ* etiam datum fuerit interdictum de comedendo fructu vetito; datum tamen illi fuit *quà perſonæ privatæ*, non verò *quià capiti morali* generis humani, qualiter datum fuit *Adamo*. Atque hoc ſenſu intelligere oportet Scripturam dicentem: nos omnes in *Adam* peccâſſe, & in *Adam* mori, non autem in *Eva*. Illud verò Eccleſ. 25. *à muliere initium factum eſt peccati.* Intelligendum eſt de occaſione & ſuaſione, non autem de principio transfuſionis. Ex eadem ratione:

19. Concludunt 4tò. Quòd ſi *Adamo* non peccante, peccâſſet quis filiorum ejus, V. G. *Abel* aut *Caïn*; peccatum quidem perſonale, aſt non originale fuiſſet perpetratum, nec proinde propagatum in poſteros eorum. Siquidem nemo filiorum *Adæ* conſtitutus fuit *caput morale* poſterorum quantùm ad transfuſionem juſtitiæ vel peccati originalis. Quod ſi quis fuiſſet ab *Adamo*

Digitized by Google

mo genitus, aut etiam conceptus tantùm, priuſquâm peccâſſet; equidem non contraxiſſet peccatum originale, ex ratione: quòd non fuiſſet in lumbis *Adami*, dum peccavit. Imò & probabiliùs eſt, quòd neque ab hujuſmodi Adami filio deſcendentes, originali peccato fuiſſent infecti. licet enim progeniti fuiſſent poſt illam culpam & virtute ſeminis ab *Adamo* participati, non tamen virtute ſeminis pro tunc *infecti*, ſed deciſi ab *Adamo* adhuc juſto.

20. Concludunt 5tò. Conceptos ex Dæmone *incubo*, contrahere peccatum originale, eò quòd naſcantur ex ſemine virili aliundè advecto.

21. Concludunt 6tò. Prodigiosé natum ex brachio, pede aut ſimili parte alicujus viri aut mulieris, ubi congreſſus carnalis aut ſeminum commixtio fieri non poteſt, non fore infectum peccato originali. Ut ùt enim taliter editus deſcenderet ex *Adamo* ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, non tamen per carnalem generationem & rationem ſeminalem, quod requiritur ad contrahendum illud peccatum, prout definivit *Concil. Tridentinum ſeſſ. 5. c. 2.* Quocirca puer ille formatus ex femore viri prope *Dixmudam* in *Flandria*, *Anno* 1330. prout conſtat ex Regiſtro Parochiæ, epitaphio Patris dicti infantis & traditione incolarum; ex Theologorum ſententia non contraxit peccatum originale, licet alio titulo baptizari debuerit, videlicet ut per characterem baptiſmalem adoptaretur in familiam Chriſti, & fieret capax aliorum ſacramentorum, quorum baptiſmus eſt janua, tum etiam, ut reciperet gratiam ſanctificantem & habitus ſupernaturales. Nec Obest, quod infans ille fuerit ſubjectus morbi doloribus, morti aliiſque hujus vitæ miſeriis, quæ ſupponunt & conſequuntur peccatum originale. *Nam*, etſi miſeriæ iſtæ abfuiſſent à natura *integra*, eò quòd Deus illam ſingularibus beneficiis cumulaſſet; iſta tamen beneficia non erant debita homini *ſecundùm ſe*, ſeu (ùt ajunt) in ſtatu *naturæ puræ*. Defectus igitur illi & miſeriæ, naturæ ſecundùm ſe cohærentes, eatenus dicuntur pœnæ peccati originalis, quatenus homo, ſi in juſtitia originali perſtitiſſet, ab iis omnibus ſpeciali Dei privilegio, præſervatus fuiſſet.

22. Ne longiùs digrediar, limatiùs inſpeciámus, quæ mala attulerit, quæque bona abſtulerit naturæ humanæ, peccatum originale? Qua in re suppono, quòd Deus ob peccatum originale non abſtulerit ab homine partem aliquam aut potentiam naturalem. Sicut enim in Angelo peccante: manſerunt omnia ſubſtantialia, ita & in homine. Igitur homo tantùm vitiatus eſt in quibuſdam accidentalibus, per quæ in deterius mutatus eſt ſecundùm animam, ùt loquitur *Concil. Tridentinum ſeſſ. 5. can.* 1. Undè Theologi dicunt: *Adamum*, & in ipſo poſteros, ſpoliatos fuiſſe donis gratuitis, & in naturalibus fuiſſe vulneratos. *Dona gratuita*, quêis in *Adamo* peccante ſpoliati dignoſcuntur Poſteri; præter ipſammet Juſtitiam originalem, ſeu gratiam habitualiter ſanctificantem, ſunt: fides, ſpes, charitas, dona Spiritûs ſancti: gratiæ actuales; ſubjectio partis inferioris ad ſuperiorem, optima humorum temperies; ſingularis Dei protectio & præſervatio à noxiis tum corporis tum animæ & præparatio variorum remediorum, quibus homo perpetuam incolumitatem conſequi potuiſſet.

Vulnera naturæ humanæ per peccatum originale inflicta, præcipuè numerantur quatuor: videlicet: ignorantia in intellectu, malitia in voluntate concupiſcentia in appetitu concupiſcibili, & infirmitas in iraſcibili. Confer *Franciſcum Henno Tract. de peccat. Dip. 3. q. 4. concl. 3.*

Cæterum, pœnæ decedentium cum ſolo peccato originali, in altera vita, ſunt: pœna *damni*, quæ eſt æterna privatio viſionis beatificæ, quæ reſpondet averſioni à Deo, & pœna *ſenſûs*, ſi in rigore loquendum.

Pœna

Pœna autem ſenſûs eſt cruciatus ab igne infernali, qui reſpondet converſioni ad creaturam. *Ratio* hujus aſſerti eſt; quia infectus peccato originali, eſt in ſtatu veri peccati mortalis, eſt inimicus Dei, naturâ filius iræ, tantùmque abeſt, ut infantes cum ſolo originali decedentes, gaudeant beatitudine naturali, ut potiùs *S. P. Auguſtinus* id referat eſſe damnatum à Sede Apoſtolica 2. *de anim. cap.* 12. Satíſque manifeſtè colligitur ex *Concil. Florentino ſeſſ. ult.* ubi definitur: *Animas, quæ cum actuali mortali*, VEL SOLO ORIGINALI *decedunt, mox in infernum deſcendere pœnis diſparibus puniendas. Dixi* etiam, *de rigore*, pœnam ſenſûs videri infligendam decedentibus cum ſolo originali. Quia originale peccatum eſt infinitum *in ratione offenſæ* adeóque punibile, omni genere pœnæ poſſibilis. Interim, utrum defacto Deus pœnam ſenſûs infligat decedentibus cum ſolo originali, lis eſt inter SS. Patres & Theologos, ùt videre eſt apud *Eximium S. Gircken Tract.* 3. *q.* 3. *dub.* 4. *& P. Henno loc. cit. quæſt.* 5. *concl.* 2. Porrò, apud omnes certum eſt, quòd parvuli cum ſolo originali decedentes, non patiantur pœnam *vermis*. *Ratio*: quia pœna *vermis* correſpondet delectationi, quam quis peccando expertus eſt; jam autem parvuli nunquam experti ſunt delectationem. Ergo.

Ex illo igitur primi hominis lapſu, amiſſæ ſunt dotes, quibus homo potuiſſet eſſe exactè bonus & immortalis. Et licet naturæ vires valde infirmatæ fuerint, manſit tamen ipſa natura ſuperſtes, manſitque homo animâ præditus rationali, per quam à cæteris differt animantibus: eò ipsò autem, quo remanſit anima rationalis, remanſit quoque lumen rationis, licet aliquatenus obfuſcatum, quo mediante, homo naturaliter noſcere poteſt, quid ſit bonum, quídve malum moraliter? Quò reſpiciens Apoſtolus *ad Rom cap.* 1. homines pronuntiat *inexcuſabiles*, eò quòd ex rebus creatis, Deum naturaliter cognoſcentes, cum, ſicut Deum non glorificaverunt. Quinimò Divinæ juſtitiæ congruebat, relinqui juris concreati notitiam ſenſúmque in mente rationali, ut ſupereſſet, ex quo admoneretur de juſtis, convinceretur de injuſtis, conciperet mali pudorem, metueret Divinam vindictam & judicii extremi rigorem; adduceretùrque porrò ad deſiderium emendationis & ſpem veniæ conſequendæ.

23. Cæterùm, ab initio orbis conditi, póſtque lapſum *Adami*, diu ſine lege ſcripta aut poſitiva victitatum, neque alia extitit lex, quàm *naturalis* homini concreata, alius quoque non non extitit Rector, quàm Spiritus Dei. Acceſſerunt poſteà Patriarchæ & Patresfamilias, veluti Præceptores & Magiſtri, alios hortatu atque exemplo ſuo ad bonum ſtimulantes, à malo retrahentes. Fabula igitur eſt, quòd de libro *Razielis*, Hebræi comminiſcuntur. Mundus enim recens, & needum penitus pravis moribus corruptus, potuit ſine lege poſitiva, juxta rationis dictamen, ſe regere & honeſtè vivere, & ſua cuique natura, ad bene vivendum dux erat: & ſicut illi, qui in mundi infantia vivebant, minus in corruptelas deflexerant; ita & integriùs egerunt.

24. Si autem cauſam primitivæ probitatis inquiras, aliàm non invenies, quàm *ſimplicitatem:* per hanc enim ignorata diu, aut non ruminata, quæ vitam moreſque corrumpere nata erant. Siquidem illi, qui in mundi infantia vivebant, infantibus ſimiles erant, in quibus & hodiedum pravitas non adeò ſeſe exerit, ſed invaleſcit cum ætate. Adfuit prætereà primis temporibus continentiæ vinculum & veluti clauſtrum, ex educatione & domeſtica diſciplina, quæ ſub primo rerum ſtatu, veluti cognata juriſdictio, per Patresfamilias majore vi & rigore potuit exerceri: atque ex inde diſcebatur leviùs, corrigebatur faciliùs, & metuebatur graviùs. Verùm, ùt à priſtina ſimplicitate deſcivit genus humanum, protinus

quoque exuit antiquam morum probitatem atque eò demum malitiæ pravitatiſque deventum, ut quadantenus querulante Deo *Geneſ. 6.* ℣. 5. multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatiò cordis fuerit intenta ad malum omni tempore; ita quidem, ut *voluntate ſigni* pœnituerit ipſum creatorem quodammodò tactum dolore cordis intrinſecus, quòd hominem creâſſet, cogitaverítque, qua ratione deleturus eſſet genus humanum tantoperè perverſum.

25. Quando autem & qua occaſione, mortales in tantæ perverſitatis profundum prolapſi ſint, exponit Geneſeos author *Moyſes*, inſinuans id eveniſſe, multiplicato hominum genere, cum quibus multiplicata vitia, corrupti mores, virtutes vilipenſæ. Prima quidem exinde pullulavit corruptela, quòd filii Dei videntes filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperint ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Ubi notantur deſideria carnis, vagæ libidines, inordinatæ conjunctiones, inauſpicata connubia; ex quibus familiæ corruptæ, domeſtica diſciplina laxata, pernicioſa exempla invecta & liberorum educatio depravata.

26. Altera corruptionis cauſa reſultabat ex affectata quorundam potentia, de qua ſic *Moyſes*: *Gigantes erant ſuper terram in diebus illis. Iſti ſunt potentes à ſæculo, viri famoſi.* Natura quidem homines fecerat pares, quò autem unus pluribus dominaretur, ſubjugarétque alios; in vicem juris naturalis, unicuique ſuum relinquentis & nemini nocere præcipientis, ſucceſſit vis, imperium, tyrannis: atque exinde prodiit genus *Giganteum*, id eſt, violentum.

27. QUÆSITUM fuit, num ante diluvium, præter jus naturæ, extiterint aliæ leges? Si ſacram Scripturam evolvamus, nullum invenimus indicium vel argumentum demonſtrativum aliarum legum. Si autem conjecturâ id, quod veroſimile eſt, aſſequi velimus; non eſt improbabile, quòd ante diluvium aliæ extiterint leges humanæ. Conſtat enim populos iniviſſe ſocietates, urbéſque fuiſſe conditas, in quibus alii utique præerant & dominabantur; alii ſuberant & parére cogebantur, quæ certè ſine legibus practicari non poterant. Non videntur tamen leges iſtæ, ab æquitatis naturalis fonte uſquequaque fuiſſe profectæ, cùm diſplicuerint Authori naturæ, prout diluvii cauſæ teſtantur.

28. Quanquam autem Deus juſtiſſimè decreviſſet perditâ primi hominis integritate, exindeque ſubſecutâ multò majore corruptione, per diluvii undas delere genus humanum, attamen miſericordiâ ſuperexaltante judicium, ita exercere voluit præteritæ malitiæ ultionem, ut ſupereſſet in *Noë* juſto in generationibus ſuis, ſpes melioris vitæ in poſteris inſtituendæ, veniæque ab aliis conſequendæ. Nolim tamen, putes; Patriarcham *Noë*, ſui meritô, cum ſuis conſervatum: ait enim Moyſes: *Noë invenit gratiam coram Domino.* Vix enim integritatem magnus ille & Deo charus Patriarcha ſervavit, utpote vino deditus, quin & corrupta ejus poſteritas *voluptatibus*, cui vinum præbuerat incitamentum: poſtmodùm & *ambitione*, quam hiſtoria ſacra per ſtructuram Turris Babylonicæ deſignat. Diverſæ inſuper cupiditates, in ſtudia diverſa, animos diſtraxerunt. Deviârunt enim à rectæ ſanæque rationis ductu, & jus ſibi congenitum ac familiare, parvi aut nihili prorſus fecerunt. Obliterato, per inveteratam corruptelam, iſthoc venerando jure, promiſcua libido, de qua Apoſtolus lamentatur, invecta fuit, quin & pro viribus uſurpata licentia, ut juſtum fuerit reputatum, quòd potentioribus placuit. De hujuſmodi præpoſtera juſtitia capiendus eſt locus *Sap. cap.* 2. ℣. 11. *ſit fortitudo noſtra, lex juſtitiæ.* Et eò referri poteſt, illud *Luciani*: *Menſuráque juris, vis erat.* Et populare illud: *Stet pro ratione, voluntas.* Tametſi autem Sacer Codex non referat, quòd Deus poſt diluvium, humano generi

dederit leges quaſdam peculiares, ſed repetat duntaxat mandatum illud, quod univerſi conditor, homini è limo terræ producto mox dederat, committendo ejus expoſitionem *Noë* viro juſto, quem ſine dubio, hunc in finem, ſpiritu ſuo pleniùs informaverat; vero tamen ſimiliùs eſt, quòd Deus mox à diluviò, Patriarchæ huic liberíſque ejus in arca conſervatis, ac per hos univerſo generi humano quaſdam dictitaverit leges. Id ſanè nedum probat vetus judæorum traditio, quam *Rabbini* in ſcriptis ſuis tuentur & ſequuntur, quámque prolixè diſcutit ſolertiſſimus Hebraïcarum antiquitatum indagator *Seldenus* in *tractatu de Jure Naturali & Gentium, juxta Diſciplinam Hebræorum lib. 7. cap.* 11. Sed & agmen Catholicorum ſcriptorum, tanquàm certum concludit & eruit ex illis verbis *Levit* 18. *facietis judicia mea, & præcepta mea ſervabitis, & ambulabitis in eis.* Ubi per *Judicia* intelligunt leges *Noë* ejúſque progeniei datas, per *Præcepta* verò, leges per *Moyſen* promulgatas. Idipſum deducunt Theologi ex hiſtoria *Jobi*, qui juxta *Euſebium de demonſtratione Evangel. cap.* 5, & Genealogiam à *Moyſe* deſcriptam, duobus ſæculis ante *Moyſen* adeòque Decalogi promulgationem vixit. In hac enim Hiſtoria referuntur præcepta & mandata Dei, quæ utique Patriarchæ *Noë* inſpirata fuêre. Accedit, quòd Prophetæ, Gentibus peccantibus, iram & vindictam Dei intimaverint, Gentiléſque acriter reprehenderint: ex quo probatur, nedum Judæis per *Moyſen*, ſed & Gentibus datas fuiſſe leges. Quò reſpexiſſe videtur Chriſtus, quando (ùt eſt apud *Matth. cap.* 6.) exponens legem Divinam à cunctis obſervandam, non convertit ſermonem ad ſolos Judæos, quibus Decalogus fuit datus, ſed maximè ad Gentes, quibus prædìcandum erat Evangelium, prout colligitur ex verbis: *veteribus ſcriptum eſt.* Quibus Chriſtus ſe refert ad legem Decalogo antiquiorem & cunctis, etiam Gentibus præſcriptam. Huc etiam facit, quòd Apoſtoli & SS. Patres, qui ſub primordiis Eccleſiæ Chriſtianæ floruerunt, ſæpe mentionem fecerint legum, quibus obſtrictæ erant Gentes, quæque per Evangelium non ſunt ſublatæ. Licet autem præcisè determinari non poſſit, quando & per quem, leges iſtæ fuerint promulgatæ; indubium tamen videtur, quin ipſi Patriarchæ *Noë* ejúſque liberis inſpiratæ fuerint.

29. Quemadmodùm autem ipſum rectæ rationis lumen, per hominum malitiam obfuſcatum; ita & leges Patriarchæ *Noë* ejuſque poſteris Divinitus inſpiratæ, creſcente rurſus mortalium numero, creſcentibus itidem ſinè numero vitiis, eviluerunt atque evanuerunt, adeò ut Divinum Numen obliteratam in cordibus hominum, naturæ legem diſtinctè & expreſsè renovare atque promulgare neceſsùm duxerit. Conſilium illud atque beneficium Divinum expendens *D.P. Auguſtinus lib.* 53. *qq. quæſt.* 14. ait: „Ubi naturalis lex evanuit, impreſsâ con„ſuetudine peccandi, tunc oportuit legem „manifeſtari.... Idololatriæ ſtudebatur, ti„mor Dei in terris non erat, ſed fornicatio „operabatur. Circa rem proximi avida „erat concupiſcentia. Danda igitur lex „erat, ut & quæ ſcribebantur, authorita„tem haberent; & quæ latere cœperant, „manifeſtarentur."

30. Lex autem Divinitus data *Decalogo* circumſcribitur, & in illo veluti in perpetua Divini Numinis ſanctione, univerſum naturæ jus toti humano generi commune, concluſum reperitur. Unde, prout per decurſum apparebit, omnia juris naturæ præcepta atque dictata ad Decalogum reducuntur ſeu, ùt principia, ſeu, ùt concluſiones, ſeu denique ùt conſectaria. Quamobrem Pſaltes Regius, illam tanquam perfectam celebrat, & meritò, quia lex illa denario numero concluſa, ultimæ perfectionis argumentum ſuppeditat. Nam, ùt obſer-

Digitized by Google

obſervavit *Philo lib. de Decalogo. Decada*, ſeu *Decas* capit omnium numerorum genera, & rationum proportionúmque Arithmeticarum, ac inſuper harmoniarum ſymphoniarúmque varietates: quin & numerus denarius in omni computatione poſtremus eſt, aut ultra illum ſi procedatur, tamen ad illum porrò reditur, neque numerus adeò augetur, quin ſemper denarium contineat. Sanè, ſi Decalogi præcepta limatiùs perſcrutemur, inveniemus, quòd denario illo numero longè plura comprehendantur, quàm quæ innumeris magnorum Philoſophorum, legiſlatorum & Juriſconſultorum continentur voluminibus: ſiquidem in iſtis nullum extat verbum de recta Rerumpublicarum conſtituendarum ratione, déque ſervanda inter homines pace, juſtitiáque adminiſtranda, quod non multò locupletiùs, perfectiùs & ordinatiùs, decem illis mandatis contineatur. Neque in Decalogi ullum extat præceptum, præterquàm *tertium, quò ad determinationem Sabbathi duntaxat*, niſi quod à recta ratione, ſeu jure naturali profluit. Ut proinde legem in ſe & ex parte materiæ, ſeu objecti eandem, ex modo conſtitutionis, geminam facere poſſimus, *Naturalem* ſcil. & *ſcriptam. Naturalem* cordibus impreſſam, *Scriptam*, in tabulis conſignatam.

31. Deus igitur, qui mundum concupiſcentiis corruptum, in ſua perditionis maſſa relinquere poterat, eundem ex immenſa miſericordia ſua ſervatum emendatùmque ivit, initii gratiam faciendo populo Hebræo, è primitivis Patriarchis orto & è ſervitute Ægyptiaca educto. In hoc enim populo pariter vitiis immerſo & dementato, naturale lumen obfuſcatum & penè extinctum, iterum verbi ſui manifeſtatione primùm accendit & lucère voluit, atque adeò populo iſthoc, veluti candelabro uſus, unde fax veritatis in orbem luceret; ſicut Propheta de eo vaticinatus: *Ex Sion prodibit lex & verbum Domini de Jeruſalem.*

32. Equidem, ùt dictum, lex illa Populo Hebræo duntaxat data, totum tamen genus humanum peræquè attinebat, quia nihil in illa reperitur, quod natura mentibus non indidiſſet & ſana ratio pro jure non inſinuâſſet. Promulgatio igitur in una gente facta, pro Pedagogo erat, quem gentes cæteræ ùt Doctorem ſequerentur. Quamobrem Deus per Prophetas cæteris gentibus declaravit, quòd legi per *Moyſen* traditæ, omnes omnino obnoxiæ eſſent, ſi non ex promulgatione, quæ ipſis nondum facta fuerat, niſi per famam; attamen ex objecto, materia & ratione; ac quod proinde peccata omnium gentium juxta rigorem illius legis dijudicanda puniendáque veniant. Perſpicuam ejuſdem legis explicationem Chriſtus & Apoſtoli, ſub primordiis Novi Teſtamenti, toti mundo dederunt: & licet Tabulæ *Moyſis* fuerint populo Hebræo datæ & manſerint ipſis concreditæ, cæteræ tamen gentes ad ejuſdem legis obſervantiam obſtrictæ erant & juxta illam judicandæ dicuntur *ad Rom.* 2. ℣. 12. ubi inquit Apoſtolus: *Quicumque enim ſinè lege peccaverunt, ſinè lege peribunt, & quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Non enim auditores legis, juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.*

Celebritas promulgationis iſtius Divinæ legis factæ in monte *Synaï*, multos percullit & induxit alienigenas ad ejuſdem obſervantiam, prout indigitatur *Eſther cap.* 8. ℣. 17. *Apud omnes populos, urbes atque provincias, quocunque Regis juſſa veniebant, mira exultatio, epulæ atque convivia, & feſtus dies: in tantum, ut plures alterius gentis & ſectæ, eorum religioni & ceremoniis jungerentur.*

tur. Cognitâ ſcilicet Dei erga ſuos providentiâ & Moſaïcæ legis ſanctitate.

33. Profectò, præter ea quæ in publicatione in monte *Sinaï* peracta exhibuit Deus devoti cultûs admiranda incitamenta, ante omnia, legis ſuæ perpetuitatem, eíque ſemper debitam obſervantiam, factâ in tabulis lapideis conſignatione, demonſtravit. Quò reſpiciens Verbum Divinum *Matth*. 5. ℣. 18. aſſeveravit: *Donec tranſeat cœlum & terra, jota unum aut apex unus non præteribit à lege, donec omnia fiant*. Cæterum quia Divinæ iſtius & naturalis legis in duas Tabulas contractæ, quædam poterant videri dubia & ulterioris expoſitionis indiga; hinc æterni Numinis providentia per famulum ſuum *Moyſen* uberiorem dedit legis ſuæ explanationem, eò tendentem, ut oſtendatur, quòd Decalogus reapſe ſit Synopſis & compendium omnis juris à Creatore creaturis rationalibus inditi.

34. Ad excitandam porrò in cunctis hominibus perennem legis ſuæ obſervantiam, adjecit Deus 1°. ampliſſimam magnarum gratiarum multorúmque bonorum promiſſionem, écontra multiplicium miſeriarum & calamitatum, imò gehennæ in negligentes comminationem. 2dò Determinavit diem *Sabbathi*, quo quieſcentibus omnibus aliis operibus, in cœtu ſeu Synagoga celebraretur legis lectio & expoſitio, ut quiſque ſciret, quid ſibi quovis per annum die faciendum foret. 3tiò Diſtrictè parentibus demandavit, ut liberis ſuis præcepta aſſiduè inculcarent & ad eorundem obſervantiam illos ſtimularent. 4tò Sacerdotes & Levitas velut præcones & catechiſtas ordinavit, quatenus verbis exempliſque populum exhortarentur ad legis implementum. 5tò Regibus & Magiſtratibus præcepit Deus, ut veluti cuſtodes legis, non tantum ipſum legis codicem aſſiduè lectitarent, nec à facie ſua deponerent; verùm etiam hortatu & exemplo ſuo cæteris præirent. Quando rurſus hæc incitamenta in animis hominum flaccida evaſerunt, miſit Deus extra ordinem Prophetas, qui legem prædicarent & ad ejus obſervantiam tum minis tum ſpe liberationis per Meſſiam faciendæ, populum exhortarentur. Tandem Divína ac humana providentia pro robore, authoritate & vigore juris naturalis ſeu moralis, quinque hæc ordinavit: *Rationem, Imperium, Religionem, Diſciplinam & Judicium*; quæ adhuc hodie ejuſdem manent fræna in ſocietate civili, ad eum finem, per prudentiam Rectorum applicandæ.

35. Ut ùt autem Deus per Prophetas vehementer fuerit populum exhortatus; nihilominus penes ipſos Hebræos modica evaſit legis cura: ſiquidem pravis inter pretationibus & vanis traditionibus verum legis intellectum ſubverterunt & ad ſuum carnalem ſenſum contorſerunt. Gentiles quoque, cùm Hebræorum Reìpublicæ ex justa Dei ira, varias viderent inferri calamitates; nedum populum Hebræorum averſari, ſed & legem ipſis divinitus datam vilipendere cœperunt, ac porrò in Idololatriam vanáſque obſervantias prolapſi ſunt. Rurſum autem Deus miſertus miſerorum, in depravatæ naturæ humanæ reſtaurationem, in mundum miſit filium ſuum unigenitum, qui, quò ad in terris converſatus eſt, plurima teſtibus Evangeliſtis, in lucem revocavit, expoſuit & declaravit, quæ juris erant naturalis, atque hæc ipſa poſt ſuam in cœlum aſcenſionem, miſſis in mundum univerſum Apoſtolis, ubivis terrarum divulgari fecit, ut nemo neſcius eſſet tum juris ſecum connati, tum ſui erga Deum homineſque officii. Munus illud, poſt Magiſtrum ſuum, quem in tertio cœlo Præceptorem habuit, fervidiſſimè executus eſt Apoſtolus *Paulus* Gentium Doctor effectus, qui tum alibi, tum ſignanter in ſua *ad Romanos* epiſtola verè omnis Religionis & Doctrinæ Chriſtianæ compendio, juris naturalis exiſtentiam, vim & regulas toti orbi communes elegantiſſimè exponens, limpi-

limpidiſſimè demonſtravit, quòd non Hebræorum duntaxat, ſed omnium omnino gentium jura ſint, quæ Deus in Decalogo propoſuit ac per Prophetas ipſumque filium ſuum unigenitum explicatiùs expoſuit. Utinam non modò noſtri temporis Theologi, ſiccis, inutilibus, ne dicam, temerariis quæſtionibus enodandis, ſępe occupati, & JCti corticibus legum civilium nimium ſubinde intenti, animum adjicerent ad iſtius juris evolutionem, ſine quo nihil nec juſtum nec honeſtum, & à quo ſolo fundamentum & regula rectè agendorum hauriri debet.

36. Ex hoc, quòd doctrina à Chriſto tradita, in multis contrariari videatur iis, quæ ſecundùm legem *Moyſis* in veteri Teſtamento conſtituta leguntur; exorta fuit nedum inter Theologos, ſed & JCtos acerrima diſputatio, num videlicet lex vetus à Chriſto *etiam in moralibus*, ſeu iis, quæ juris naturæ ſunt & in Decalogo præſertim continentur, mutata correctáve fuerit? Verius èſt, quòd non alia, ſed eadem lex à Chriſto duntaxat renovata, expoſita & ab erroribus Phariſæorum, Scribarum & ita dictorum legiſperitorum, repurgata fuerit. Evincitur hæc Aſſertio ex Concione, quam Salvator pro legis veteris expoſitione, habuit *Matth.* 5. ubi requirens abundantiorem juſtitiam, non ſprevit illam, quæ ex lege *Moyſis* eſt, ſed ſolummodo redarguit illam, quæ erat *Phariſæorum*. Quid, quòd Chriſtus ipſe aſſeveraverit, ſe non veniſſe, ut legem, ſcilicet moralem, tolleret, ſed adimpleret? Atque hoc ipſum ex doctrina Divini Magiſtri ſui, tradit *Paulus ad Rom.* 3. ℣. 31. Inquiens: *Nun legem deſtruimus per fidem? Abſit; ſed legem ſtabilimus.* Lex naturæ ſeu æterna Dei, humanæ menti concreata, non niſi memoriæ refricandæ gratiâ, tabulis lapideis conſignata fuit. Quî igitur potuit ab eo, qui naturam non ſuſtulit, ſed ejus corrupta reſtauravit, fieri mutatio iſtius legis, quæ nondum promulgato Evangelio, per divina oracula, dicitur perfecta, irreprehenſibilis? Sanè, ſi Divo *Anſelmo* credimus *Homil.* 4. lex & Prophetæ, juxta ſpiritualem intellectum, nihil aliud ſunt, quàm doctrina Evangelica. Quò alludens Doctor gentium, ſuam ad Romanos Epiſtolam his verbis orditur: *Paulus Servus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis, de filio ſuo.* Lex enim fuit via ad Chriſtum & Evangelium: ſiquidem: *finis legis, Chriſtus omni credenti. Ad Rom.* 10. ℣. 4. Ipſum igitur evangelium, eſt meta, ſcopus & terminus, in quem omnia veteris teſtamenti volumina & ſacramenta tendebant, quinimò veteri legi, lex nova virtualiter inerat.

37. Cæterùm, duplicem errorem, qui eo tempore animos Hebræorum occupaverat, Chriſtus correcturus venit. *Primus* erat, quòd legis obligatio, non niſi ad exteriora vitæ pertineret; *Alter*, quòd gratia Dei & æternitatis gloria, per obedientiam, quæ tunc à Phariſæis præſtabatur, obtineri poſſet. Priori inſaniæ Chriſtus oppoſuit declarationem veri intellectûs legis, demonſtrando; quàm longè plura, præſertim animus planè mundus ac à concupiſcentiis & deſideriis legi non congruis, alienus, ad ſalutem neceſſaria ſint. Poſteriorem errorem Aſſertor noſter refutavit, oſtendendo; quòd per nudam crudam obedientiam in meris factis exterioribus conſiſtentem, nec gratia, nec ſalus æterna obtineri queat. Unde Chriſtus perfectius quid requiſivit, *non in lege*, quæ eadem perpetuò manet, ſed *in operibus*, quæ apud Deum gratiam vel gloriam meritura eſſent. Itaque hac in quæſtione, perpendenda eſt lex in ſe, & conſiderandum, quid homini cœlum ſuis operibus merituro incumbat? Ipſimet legi Divinæ naturali cunctis numeris abſolutæ nihil à Chriſto ſuperadditum, ſed expoſitum duntaxat, quòd juſtitia Phariſæorum

&

Digitized by Google

& exteriùs ſimulata obſervantia, minimè viam ſterneret ad gratiam aut gloriam. Ex quo fluit, quòd iſthæc Chriſti doctrina, nequaquam cenſenda ſit immutatio aut ampliatio legis *extenſiva*, *ultra* videlicet vel *contra* mentem legiſlatoris, ſed genuini ſenſûs expoſitio, quæ *ſupplementum* dici poteſt, non aliquid extraneum apponendo, ſed aliud, quàm perperàm intelligebatur, explicando.

In Politia Hebræa, exteriora legi congruere ſufficiebat, & exinde popularis error irrepſit, nihil ultra ad ſalutem requiri. Hunc errorem, ùt dixi, fovebant Phariſæi, Scribæ, & legisperiti. Creditum præterea fuit, ad evitanda graviora mala, quædam contra legem, indulgenda fore; uti *Moyſes* ob duritiam cordis, Judæis dicitur permiſiſſe divortia, uti & aliquam privatam vindictam. Verùm, quando Chriſtus non ex lege, ſed per gratiam, meritis ſuis partam, homines reddere voluit juſtos & beatos; præcipuè docuit nequaquàm ſufficere illam Phariſæorum legis obſervantiam, ſed exigi, ut juxta verum ſuum ſenſum, lex adimpleatur. Unde ajebat: *veteribus dictum eſt*; *non occides*: *ego autem dico* &c. ſcilicet non aliud, ſed expono; quis juxta legem occidere cenſendus? Pari modo aliis in locis, non ſanciendo novam legem, ſed veteris ſenſum exponendo, loquitur.

38. Igitur, quæ *præter*, imò contra verum legis ſenſum permiſſu vel abuſu irrepſerant, Chriſtus genus humanum reſtaurando & ad meliorem vitam informando ſuſtulit. E cenſu horum ſunt: abrogatio divortiorum, prohibitio vindictæ privatæ, Polygamiæ interdictio &c. Hinc Divus Chryſoſtomus *lib. de Virginit. cap.* 44. ait: " Olim tanta nobis injuncta non erat virtutis menſura, ſed vindictam ſumere de injuriam inferente, & convitianti reddere convitium, & pecuniis ſtudere licebat; ſed & citra falſimoniam jurare, & pro oculo, excutere oculum, & odio habere inimicum, quin & deliciis frui, nec iraſci, nec uxorem aliam ejicere, recipere aliam, vetitum erat. Parum dixi: etiam duas eodem tempore uxores haberi lex ſinebat; multáque & in his & in aliis, erat temporum illorum indulgentia." Egregie hæc omnia pro more ſuo complexus eſt Divus *P. Auguſtinus Ep.* 118. docens eandem in utroque teſtamento fore legem, ſcilicet *moralem*, ſenſum quoque perpetuò fore eundem, licet obliquè fuerit intellectus à Scribis & Phariſæis. Cæterùm, " judiciales leges (inquit ibidem Doctorum Aquila) Chriſtus in Evangelio non tulit ſed ferendas reliquit illis, qui variis in locis Rempublicam gerentes, pro rerum, perſonarum & temporum diverſitate, inſtituendas eſſe judicaverint. Morales leges, quæ perpetuæ ſunt, eaſdem ferè habet lex & Evangelium: ſed in hoc præſtat Evangelium legi, quòd quædam graviora, quæ à Judæis propter infirmitatem ipſorum, in lege non exigebantur, à Chriſtianis in Evangelio exiguntur: ùt patet in libello repudii & Polygamia. Quædam etiam expreſſiùs leguntur in Evangelio, quæ obſcuriùs habentur in lege."

39. Porrò, ſi accuratè & ſuccinctè motam diſcutere volumus quæſtionem; ſciendum eſt; quòd Chriſtus multa repetierit, quæ verbis *directis* legis continebantur; alia autem docuerit, quæ *Præter*, non tamen *contra* legem erant. Exemplo ſit, quod de Polygamia ſtatuit. Hanc enim nulla lex olim vetuit, quin communis hominum opinio & uſus illam habuit licitam: ob incommoda tamen & concordiæ Chriſtianæ obſtacula ex mulierum pluralitate alienigenarum præſertim reſultare nata; noluit Chriſtus Polygamiam Sectatoribus ſuis fore liberam. Qua in re, id quod nulla lege vetitum & in arbitrio antea erat, ad modum reduxit Eccleſiæ ſuæ novæ convenientiorem, ceſſante præſertim ratione, quæ Polygamiæ li-

Digitized by Google

licentiam fecerat. Ratio enim indultæ Polygamiæ erat multiplicatio populi Judaïci, quem Deus auctiſſimum eſſe volebat. Jam verò, quia non carnali impoſterum, ſed ſpirituali generatione, Chriſtus, etiam ex Gentibus, ſuam volebat auctam Eccleſiam, unam ſtatuit ſufficere conjugem, cùm gemina vel multiplicata, Chriſtianiſmo facilè queat eſſe impedimento. Non ergo inficiandum, nonnulla in Evangelio *ultra* legem præcipi, quæ licet non ſint præcisè juris naturalis, non tamen ei adverſantur, ſed duntaxat *præter* ipſum ſunt inducta, tanquam documenta. Unde *S. Chryſoſtomus. De virginit. cap.* 94. *major* (inquit) *nunc virtus oſtendenda eſt*, *quia exuberat Chriſti gratia*. Quocirca utrique aberrant, & qui dicunt, nihil evangelio contineri, quod non ſit *directè* juris naturalis, & qui contendunt: quædam eo comprehendi, legi morali veteri diametraliter adverſantia, aut aliter, quàm huic conveniat, fore per Chriſtum demandata. Siquidem, non niſi media per Chriſtum acceſſerunt virtutis eminentioris documenta, legi naturali neutiquam oppoſita, ſed nec ab illa directè pullulantia. Exemplo habe præceptum Evangelicum de ſubeundo pro aliis nedum vitæ diſcrimine, ſed & ſubeunda morte. 1. *Joan.* 3. ℣. 16. Id quod nec lex vetus præcipiebat, nec ratio naturalis dictabat, licet nec eidem adverſetur: Adeóque communi humanitatis officio ſuperadditum ſolùm fuit perfectioris imò pleniſſimæ dilectionis documentum. His præmiſſis, obiter ſaltem hic loci, juris quidlitatem & partitionem ruminemur.

40. Jus (ùt ſæpiùs inſinuatùm) hominum mentibus concreatum & idcirco *naturale*, ab authore, conditore, confirmatore & doctore ſuo *Divinum* eſt, aſt non vice verſâ, omne jus *Divinum*, eſt *naturale*. Nam præter illud, quod Deus homini primitus inſevit, aliud voluntate ſuâ conſtituit, ùt liquet ex ſacra Scriptura utriuſque teſtamenti, ubi multa præter naturæ legem, præſcripta habentur; alia quidem in reparatione generis humani poſt cataclyſmum univerſalem, alia in ſublimiori reſtauratione, per Chriſtum. Igitur

41. Jus Divinum bifariàm diſpeſci poteſt; ita, ut unum vocetur *naturale* ſeu *neceſſarium*, quod videlicet homini concreatum & perpetuam exigit obſervantiam; alterum *voluntarium* ſeu *poſitivum*, quod poſtea ex libera Dei voluntate conſtitutum.

42. Quæ ad primam juris ſpeciem pertinent; ideo præcepta ſunt, quia *in ſe* juſta, honeſta & bona ſunt: quæ verò alterius ſunt, quia à Deo præcepta: & hujuſmodi, unum populum v. g. Hebræum obligare poſſunt, non alterum: item pro aliquo tempore, non pro omni. Atque hæc diſtinctio etiam JCtis obſervanda ſæpe venit, ut diſcernere queant, qua ratione leges poſitivæ ſive Divinæ ſive humanæ, certum populum tantùm, pro certo itidem tempore & ſtatu obligare poſſint, abſque eo, quòd in alios jus conſtituant. Ob hujus diſcriminis ignorantiam, aut inconſiderationem, multi etiam viri alioquin docti aberrâſſe repeRiuntur.

43. Præter jus Divinum naturale & voluntarium, aliud jus *ſociale* inter gentes conſtitutum invenitur. Poſtquàm enim homines ab univerſali illa ſocietate & bonorum communione receſſerunt, ſuiſque privatis commodis, placitiſque inhiare cœperunt; cœperuntque ſtatuere leges, quibus pro arbitratu ſuo, omnia ſibi juſta, permiſſa & ſecuta facerent: legum etiam condendarum occaſio ſæpe fuit, effrœnis hominum malitia. Nam, ùt obſervavit *Thraſea* apud *Tacitum lib.* 15. *Annal. uſu probatum eſt*, *leges egregias*, *exempla honeſta apud bonos*, *ex delictis aliorum gigni*. Adeò, ut mali mores, ſæpe ſint mater bonarum legum, & cupiditates perverſæ, juſtarum ſint puerperæ Sanctionum. Cæterum; quia gentes ingenio, indole, moribus, copiâ, inopiáve rerum, opportunitatibus, incommodis ac vitiis

Digitized by Google

aliis variè differebant; ideò nequidem naturalia præcepta aut Divina inſtituta, multò minus hominum placita, ubivis eandem vim uſúmque æqualem ſortita ſunt, ſed diverſimodè attemperata, reformata aut difformata interdum conſpiciuntur. Quò reſpiciens *Ulpianus l. 6. ff. de juſt. & jure* dixit: *Jus Civile eſt, quod neque in totum à jure naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit. Itaque, cùm aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium, id eſt: civile efficimus.*

44. Primitus juris civilis condendi poteſtas, penes Reges duntaxat erat: ejectis autem Regibus, conſentiente populo Romano, interdum Conſules tulerunt leges, póſtque Conſules, etiam *Dictatores*, prout colligitur *ex l. 2. §. 18. ff. de O. J.* Donec tandem *Decemviri* conſtituti, qui ex legibus Græcorum *Athenienſium* ſcilicet & *Lacedemoniorum*, primò *decem*, poſtea *duodecim Tabulas* populo propoſuerunt, & ex iis jus dixerunt teſte *Livio l. 3. cap.* 33. Confer *Mæſtert. de Juſtitia ll. Roman. lib. 1. dub.* 12. Sublatâ rurſum *Decemvirorum* poteſtate, cùm ad *Tribunos plebis* & Conſules iterum ſumma rerum *A. U. C.* 306. rediiſſet, & in *ll. XII. Tabb.* non omnes caſus determinati eſſent; aliæ ſubinde à *Css* in Comitiis adjectæ fuêre leges. Præterea, legibus *XII. Tabularum* nimiâ brevitate laborantibus acceſſerunt 1mò *Interpretationes* & *Reſponſa prudentûm*, eorum ſcilicet, quibus conceſſum erat de jure reſpondere. *l. 2. §. 5. ff. de O J.* 2dò *Legis Actiones*, ſeu formulæ: *d. l 2. §. 6. & 7.* quas in unum collegerat *Appius Claudius*, ſcriba verò ejus ſeu Amanuenſis *Cn. Flavius* ſurripuerat & populo communicaverat. Unde poſtea liber harum Actionum, *Juris Civilis Flaviani* nomen ſortitus eſt. *d. l. 2. §. 7.* 3tiò *Leges ſingulares*, ad quas referuntur *Plebeſcita. d l 2. §. 8. Senatûs Conſulta. d. l. 2. §. 9. Prætorum Edicta. d. l. 2. §. 10.* Præter iſthæc jura enarrata, Conſtitutiones ab Imperatoribus ſubinde promulgabantur, quæ quamvis ab initio rariores fuerint, ne ſcil. Populo Romano odioſum redderetur regimen Imperatorum; pedetentim tamen in immenſum numerum excreverunt, adeò, ut tandem tres illarum Codices extiterint, ſcilicet *Gregorianus*, *Hermogenianus* & *Theodoſianus*, quorum hodie poſt Codicem *Juſtinianæum repetitæ lectionis* promulgatum *Anno Chriſti* 534. (vide Conſtitutionem: *Cordi nobis. De emend. Cod.*) non quidem ſupereſt uſus ad cauſarum deciſionem *Conſtit. ſumma Reipub. §. 2. de Juſtin. Cod. confirm.* bene tamen ad nonnullarum legum expoſitionem. Cæterùm; poſterioribus temporibus, poteſtas legiſlativa & aliis tributa Principibus, aut ab iis uſurpata; quinimò, in uno ſæpe Regno, quot reperiuntur Provinciæ, urbes, pagi, collegia aut Tribus; tot quoque diverſa reperiuntur jura ſeu ſtatuta: ut verum ſit quod *Maximus Tyrius Diſſert.* 1. ſcribit: *leges & jura pro cujuſque placito, in partes ita diſtrahuntur dilacerantúrque, ut non modò gens cum gente, ſed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, imò nec unus aliquis interdum ſecum ipſe conſentiat.*

45. In Imperio *Romano-Germanico*, quis hodie leges univerſales condere aut interpretari poſſit, variè à Doctoribus diſputatum: aliis hanc poteſtatem ſoli Imperatori adſcribentibus, quod *Weſenbecius* facit *ad tit ff. de ll. num.* 3, aliis, eam facultatem ſolis *ſtatibus*, attribuentibus, in quo peccat *Hippolytus à Lapide pag.* 82. Saniori judicio *Sleidanus in comment. lib. 1. pag.* 28. Imperatori & ſtatibus ſimul attribuit: hocque jus *ſtatibus* confirmatum, in *Inſtrumento pacis Monaſterienſis art. 8. verſ. gaudeant.* Confer *Capitulationem Leopold. art. 2. & Receſſ. Imp. de anno* 1654. Unde certum eſt, quòd hodie neque ſolus Imperator, nec Imperator cum ſolis Electoribus, legem univerſalem condere aut mutare poſ-

Digitized by Google

ſit, ſed adhoc concurrere debeat conſenſus omnium ſtatuum. Vide *Bœclerum Diſſ pol. de jurib. Majeſt pag* 343. Junge Vitriar. *l.* 3 *tit.* 3 *de jur. comm. Imper & Statib. n* 4.

46. ût ût autem ſupradicto modo, ſinguli populi peculiaria ſibi conſtituerint jura; attamen experientia docuit, non inde cuivis etiam populo ſatis proſpectum fuiſſe, cùm ſæpe populus unus alteri nocuerit aut ſaltem prodeſſe noluerit: cui incommodo, cùm aliter, quàm per commune aliquod jus, occurri non poſſet; ad id tandem introducendum ſervandúmque neceſſitas adduxit. Itum igitur eſt in aliquam pro eo obligationem, non quidem expreſſo pacto, quod egebat Gentium omnium conventione, quæ nunquam facta aut fieri potuit, ſed tacito conſenſu, quem exegit communis calamitas, conciliavit ratio, produxit uſus, ínque juris vinculum, tranſtulit mos. Tacitum hoc fœdus vocatur *jus Gentium*, quia, ſi non omnes, pleræque tamen gentes moratiores atque humanitati magis deditæ, illud receperunt, ſuúmque non modò, ſed & ſibi cum aliis commune voluerunt. Unde duplex jus gentium redditum; alterum, de quo ſupra dictum; alterum: quod pro uſu & neceſſitate vitæ humanæ, tacito populorum conſenſu introductum. Hujus juris quædam retulit *Hermogenianus in l.* 5. *ff. de juſtit. & jur. Ex hoc jure* [inquiens] *introducta bella, diſcretæ gentes, Regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, emptiones venditiones, locationes, conductiones obligationes inſtitutæ, exceptis quibuſdam, quæ à jure civili introductæ ſunt.*

Alii utramque ſpeciem alio vocabulo exprimunt. Priorem vocant Jus *Gentium neceſſarium*, utpote ſine hominum voluntate, ex Dei providentia, Originem & vim legis habens. Poſteriorem nuncupant *jus Gentium voluntarium*, utpote ex tacita earum conventione, vinculum obligationis habens.

47. Non autem, ùt jus naturale *ex ſe* omnes indiſtinctè ſtringit, ſic & jus gentium *voluntarium* communem omnibus obligationem injicit; ſed ex tacito pacto, illos duntaxat ligat, qui conſenſu & uſu, illud receperunt. Atque ex eo profectum, quòd aliqua, in una parte orbis terrarum, ſeu inter aliquos populos, ſint Gentium juris; quæ alibi non ita cenſentur. Quo circa gentium jus, aliud alio latius arctiuſve; aliud omnibus, aliud quibuſdam gentibus commune. Præmiſſa de juris origine, progreſſu & ſpeciebus, ſcitè & compendiosè complexus eſt Cicero *lib.* 2. *de invent.* "Initium juris „ (inquit) à natura ductum: videntur quæ„dam autem ex utilitatis ratione aut per„ſpicua nobis aut obſcura, in conſuetudi„nem veniſſe, poſtea autem approbata „quædam & legibus firmata eſſe... ejus „initium eſt à natura profectum; deinde „quædam in conſuetudinem, ex utilitatis „ratione, venerunt; poſtea res & ab na„tura profectas & ab conſuetudine proba„tas legum metus & religio ſanxit "

48. Triplex hinc meritò aſſignatur juris ſpecies, ſcilicet *Naturalis*, *Gentium* & *Civilis.* Alii has redigunt ad duas; quia conſtat, omnes gentes duplici jure uti, *communi.* ſcilicet & *proprio* Nam, ùt ait Cicero *lib.* 3 *offic. jure gentium & legibus populorum, in ſingulis civitatibus, Reſpublica continetur... Majores, aliud Gentium jus, aliud jus civile, eſſe voluerunt.* Quo reſpiciens Cajus *in l.* 9. *ff. de juſtit. & jure.* Sic ſcripſit: *Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur; partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam, quod quiſque populus, ipſi ſibi jus conſtituit; id ipſius proprium civitatis: quod verò naturalis ratio inter homines conſtituit, & apud omnes peræquè cuſtoditur; vocatur jus gentium, quaſi, quo jure, omnes gentes utuntur.* De jure Gentium communi tum *Naturali & neceſſario*, ſeu, ùt moderni authores loquuntur, *Primævo*; tum *voluntario*, ſeu, ùt ajunt, *ſecundario*, ad majorem Dei gloriam & omnium Gentium ſalutem æternam, deinceps ſuccinctè & diſtinctè agemus. L I-

LIBER PRIMUS

DE

JURE NATURALI

SEU

GENTIUM PRIMÆVO

CAPUT PRIMUM

DE

Quidditate, Diviſione & Objecto juris naturalis.

SUMMARIUM.

No. 1. *JUs naturale primævum nec ab impiis negari poteſt.*

2. *Definitur jus naturale:* & Grotii *deſcriptio refutatur.*

3. 4. & 5. *Solvuntur objectiones.*

6. *Exponitur* Juſtinianæa *deſcriptio juris naturalis.*

7. *Non omne quod* naturale, juris *quoque* naturalis *eſt.*

8. *Non datur* actio injuriarum *in beſtias nocivas.*

9. *Actus alius eſt* hominis, *alius* humanus.

10. *Jus naturæ & jus naturale in rigorè differunt.*

11. *Diſcrepant etiam jus naturale & libertas naturalis.*

12. *Jus naturale & inveterata conſuetudo, non ſunt idem.*

13. *Non omne, quod naturæ conforme, eſt juris naturalis* præceptivi.

14. *Diſcrimen inter* jus & pudorem naturalem.

15. *Varia pudoris ſpecies.*

16. *Qualis pudor, ſit juri affinis?*

17. *Juſtitiæ & pudoris cauſa & vis diverſa.*

18. *Pudoris deſcriptio, & quis pudor juſtus?*

Digitized by Google

19. *Honeſtum aliud* naturaliter, *aliud* civiliter *tale.*
20. *Principium Juris Naturalis aliud* eſſendi *aliud* cognoſcendi.
21. *Aliter obligat conſcientia* recta, *aliter* erronea.
22. *Contrariis occurritur inſtantiis.*
23. *Quale ſit peccatum agere contra conſcientiam?*
24. *Deus permittere nequit, ut agatur contra conſcientiam.*
25. *Quid, ſi quis erroneè quid vetitum putaret à ſuperiore, quod inferior faciendum præciperet?*
26. *Conſcientia* recta *quid?*
27. *Debet eſſe* moraliter, *non* Phyſicè *certa & evidens.*
28. *Enucleantur objectiones.*
29. *Conſcientia* invincibiliter errans *excuſat ab omni peccato & culpa.*
30. *Opus ex ſe malum ex ignorantia invincibili factum, non eſt* moraliter bonum, *ſed ſolùm* non malum.
31. *Actus conformis rationi erranti non eſt rectus.*
32. *Unde moralitas tum ſpecifica tum accidentalis deſumatur.*
33. *Bonitas operis* directè *intendi debet, malitiam ſufficit intendere* indirectè & interpretativè.
34. *Finis & Circumſtantiæ, qualiter concurrant ad moralitatem?*
35. *A fine non deſumitur, niſi moralitas* accidentalis.
36. *Quandònam actus ex objecto bonus,* ſimpliciter *vitietur?*
37. *Quandonam finis vitiet actum* ſimpliciter?
38. *Jus naturale pro vario reſpectu, variè accipitur.*
39. *Qualiter* Jus Nat. *diſtet* à Jure Gentium?
40. *Differentia inter* jus naturale, Synderesin & conſcientiam.
41. *Unde probetur, quid eſſe juris naturalis?*
42. *Diſcrimen inter jus* naturale & poſitivum.
43. Decalogi *præcepta, ſunt præcipua juris naturalis dictata.*
44. *Non omnia virtutum opera, ſunt juris naturalis* præceptivi.
45. *Nedum connubium, ſed & cœlibatus deſcendit ex jure naturali* permiſſivo.
46. Grotius *malè docet Polygamiam non fuiſſe jure divino vetitam.*
47. *Polygamia non eſt directè contra jus naturæ*
48. *Fuit in lege veteri, Deo diſpenſante, permiſſa.*
49. *Unde colligatur hæc diſpenſatio?*
50. *Polyviratus eſt directè contra jus naturæ.*
51 *Polygamia per Chriſtum omnibus probibita*
52. & 53. *Nedum Judæis, ſed & Gentilibus olim permiſſa.*
54. *Monogamia juri nat. multò conformior.*
55. *Quædam impedimenta, jure nat. Matrimonium dirimant.*
56. *Cujus juris ſit Patria poteſtas?*
57. *Rerum diviſio convenit juri naturali.*
58. *Obligatio ſervandi fidem in pactis, deſcendit ex jure nat.*
59. *Inde quoque derivatur ultimæ voluntatis diſpoſitio.*
60. *Num actus jure naturæ probibitus, eò ipſò ſit invalidus?*
61. *Num jure nat. ad Matrimonii valorem, requiratur conſenſus parentum?*
62. *Diluuntur Objectiones.*
63. *Liberi, qualiter teneantur petere & expectare conſenſum parentum ad nuptias.*
64. *Filius, an invitus teneatur obedire parentibus ipſi nuptias cum certa perſona præcipientibus?*
65. *Leges civiles non ſunt injuſtæ? dum parentibus dant facultatem exhæredandi liberos, contra ipſorum voluntatem nuptias contrahentes.*
66. *Injuſtè cogentes ad Matrimonium, excommunicantur.*
67. *Conſenſus Matrimonialis, in quæ neceſſariò ferri debeat?*
68. *An & in copulam carnalem?*
69. *Satisfit objectionibus.*

C 2 Jus

Digitized by Google

1. JUS naturale *primævum*, ideo nuncupatur, quia à primo ævo, ſeu cum ortu orbis cœpit. Nempe concreatum primò, deinde connatum, non ab hominibus inventum. Unde & *primigenium* rectè dicitur. Tametſi ex hoc jure, omni de juſtitia diſputationi, finis imponi deberet; ipſummet tamen in varias diſputationes incidit, & quod planè abominandum, diſputatum etiam fuit, num exiſtat, ſeu detur jus naturale? Nolim meminiſſe *Archelai* & *Auſtippi*, aut aliorum, qui ſapientiam profeſſi, eò uſque delirârunt, ut juris naturalis exiſtentiam aut negaverint, aut ſaltem in dubium vocaverint. Solummodò dolendum, quòd in aulis Principum, hodiedum etiam reperiantur Pſeudopolitici, opinantes juſta & injuſta, honeſta & turpia, non *naturâ* ita eſſe, ſed ex conſuetudine aut legibus, ídque demum æquum eſſe, quod è re, ſeu commodo Principis fuerit. Eandem ſupra diximus fuiſſe ſententiam *Carneadis*, quanquam is fortaſsè magìs pro ingenii ſui & eloquentiæ oſtentatione, quàm ex animo, ita Academicorum more, peroraverit. Non enim meretur humanum nomen, qui, quod humanitatis præcipuum, non modò non ſentit, ſed etiam abnegat. Neque ſe, nec hominem novit, qui jus naturæ inficiatur. Profectò ſi quis in ſua regreſſus fuerit præcordia, ſenſum mentis excutiens; non poterit non deprehendere, quòd honeſti atque turpis, principia ſpeciéſque ſibi ſpontè ſuggerat natura, adeóque ea non aliunde advehi, ſed ex animo ſuo pullulare intelligat. Teſtantur id ipſum Divini Numinis reverentia, honeſti amor, turpium averſatio, ſecuritas conſcientiæ in probis, tormenta & laniatus animorum in improbis. Adeò nemo juris naturalis ſtimulum excutere poteſt, ut quivis etiam in alios injurius, juris prætextu ſe exculpare ſtudeat, & inter ſcelera, opinionem bonitatis affectet. *Nec quiſquam* (inquit *Seneca* 4. *de Benefic. cap.* 17.) *tantum à naturali lege deſcivit, & hominem exuit, ut animi causâ, malus ſit. Neminem reperies, qui non nequitiæ præmiis, ſine nequitia, frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quòd virtus in omnium animos lumen ſuum præmittit : etiam, qui non ſequuntur illam, vident.* Videas etiam inter latrones & piratas, ùt ùt humanæ ſocietatis peſtes, juris ipſis inſiti agnitionem. Nemo quippe eorum eſt, qui cùm raptu vivant, non tamen malit honeſtiori titulo acquirere aut rapinas velare. Quid autem hoc aliud eſt, quàm fateri, quòd non omnia, *naturâ* ſint *adiaphora*, ſed quædam ſint honeſta & proba, quædam improba & inhoneſta. Non leve inſuper argumentum juris naturalis, infantes produnt. Eminet in iis ante diſciplinam, ab incunabulis, quædam propenſio ad æquitatem & velut impulſus aliquis ad juſta. Deplorant injurias, condolent triſtia paſſis, amant ſpontè parentes, reverentur ſeniores, beneficiis gaudent, malefactorum pœnam metuunt, ad obſequium proni, reciprocæ humanitatis officia, à coætaneis poſtulant.

2. Suppoſitâ juris naturalis exiſtentiâ, QUÆRITUR quid rei ſit jus naturale? *Grotius lib.* 1. *de Jure Belli & Pacis, cap.* 1. §. 10. deſcribit jus naturale; quòd ſit *dictatum rectæ rationis, indicans, alicui actui, ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura tationali ac ſociali; ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab authore naturæ*

Deo,

Digitized by Google

Deo, talem actum aut vetari aut præcipi: verùm nos cum *Schola Auguſtiniana*, jus naturale definimus, quod ſit: *Ordinatio Divinæ Sapientiæ, aut* (quod in idem recidit) *lex æterna Dei, nobis per dictamina rationis, veluti promulgatores manifeſtata: præcipiens ea, quæ rectæ rationi ſunt conſentanea & probibens contraria.* Unde ipſa dictamina, non ſunt, ùt *Grotius* putat, jus naturale *formaliter*, ſed duntaxat *ſigna oſtenſiva* illius. Ita refragantibus non paucis Thomiſtarum, reapſe *D. Thomas* 1. 2. *q.* 91. *art.* 2. inquiens: *lex naturalis nihil aliud eſt, quàm participatio legis æternæ in rationali creatura.* Ratio eſt; quia lex omnis eſt juſſio aut prohibitio. Jam verò nec dictamen rationis, nec ipſa natura rationalis, nec facultas diſcernendi, ſunt formaliter juſſio aut prohibitio. Ergo.

3. Nec difficultatem faceſſit, quòd *Juſtinianus* & *Ulpianus princip. Inſtit. de jure nat. gent. & civ. & l.* 1. §. 3. *ff. de juſt. & jure.* Jus naturale deſcribant: *Quod natura, omnia animalia docuit.* Siquidem, ùt bene obſervat *Schambogen ad tit. Inſt. cit.* Brutis, tantùm convenit jus naturale *materialiter*, ſeu quò ad opera & actus, à natura provenientes, non etiam *formaliter*, prout jus eſt lex aut regula faciendorum. Cui argumento eſt, quòd ipſimet *Juſtinianus* & *Ulpianus, princ. Inſt. & l.* 1. §. 3. *ff. Si quadrup. pauper.* negent, bruta cuipiam injuriam irrogare poſſe, quod tamen inficiari haud poſuiſſent, ſi bruta juris capacia ſomniâſſent; cùm injuria nihil aliud ſit, quàm non jure, ſeu contra jus fit. *Ratio* hujus eſt: quia creaturæ irrationales nequeunt dirigi veræ rationis ductu, ſed ex neceſſitate naturæ, ad unum quaſi objectum affixæ & determinatæ ſunt, neque tam agunt ex libera electione, quàm agantur ex impreſſa motione, ad finem à natura intentum.

4. Neque obſtat, quòd *Geneſ.* 9. ℣. 5. *Levit.* 20. ℣. 15. & *Exodi* 21. ℣. 28. *& ſeq.* de puniendis brutis agatur, ut videri poſſint culpæ capacia. Nam, bruta non puniuntur, ratione præcedentis culpæ propriæ, ſed interdum, in deteſtationem criminis, & ad memoriam abolendam nefarii facinoris, quod quis cum beſtia perpetravit: aut ad tollendam peccati occaſionem; vel etiam in pœnam negligentis cuſtodis, ne ultra noceat fera. Confer. *Franciſc. Schmier lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 1. §. 5. Contra poſitam definitionem juris naturæ.

5. Oggeri poteſt 1mò. Jus, ſeu legem naturæ cognoſcimus; ſed non cognoſcimus ordinationem Divinæ ſapientiæ, aut legem æternam Dei. *Quia, quæ Dei ſunt, nemo cognoſcit, niſi Spiritus Dei* 1. *Corinth.* 2. ℞. *Diſtinguendo minorem.* Non cognoſcimus legem æternam, in quantum eſt actus Dei præciſè, *Tranſeat.* Et ideo; quia, etſi non cognoſcamus *comprehenſivè*, ſicut Deus ſe & actus ſuos intimè cognoſcit; nec *intuitivè*, ſicut beati; cognoſcimus tamen *abſtractivè.* Non cognoſcimus legem æternam ex parte termini, ſeu eorum, quæ præcipiuntur aut prohibentur. *Nego.* Verùm nec alio modo cognoſcimus legem naturalem.

Oggeri poteſt 2dò. Lex æterna ſemper fuit, ſed jus naturale non fuit ſemper, cùm cœperit in tempore cum homine condito. Ergo. ℞ *Diſt. min.* Jus naturale non fuit ſemper, ex parte *authoris naturæ* ſeu legiſlatoris *Neg.* Ex parte *naturæ creatæ* & actualis obligationis. *Conc.*

Oggeri poteſt 3tiò. Lex naturalis dictat bonum faciendum, malum fugiendum: ſed hoc præſtat dictamen rationis; ergo in ipſo conſiſtit. ℞ *Diſt. mi.* Hoc præſtat dictamen rationis, *præcipiendo* vel *prohibendo Neg.* legem *manifeſtando. Conc.*

6. Ad pleniùs intelligendam deſcriptionem, quam *Juſtinianus* & *Ulpianus* locis ſupra citatis, faciunt de jure naturali, dicentes: *jus illud non humani generis proprium eſſe, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in cœlo, quæ in mari naſcuntur.* Obſer-

Digitized by Google

ſervandum eſt: quòd in brutis reperiantur inclinationes & facta multa, quæ eadem reperiuntur in hominibus; aſt, cum hoc diſcrimine: quòd bruta in actus naturæ propellantur, inſtinctu naturali, homines verò exerceant illos, prælucente ratione. Unde actus brutorum, actus *animales* audiunt: actus humani verò dicuntur *rationales*. Ratio autem, non inſtinctus, jus facit: neque jus ſine ratione eſſe poteſt. Proinde, ſicut inclinatio naturæ, à regimine rationis diſtat; ſic, quæ in brutis & homine eadem videntur; diſcrepant.

7. Ex quo reſultat, quòd non omne, quod naturale eſt, juris quoque ſit naturalis. Exemplo ſit: quod JCti de conjunctione maris & feminæ tradunt. Hæc quippe quà talis, naturalis quidem eſt, aſt non juris naturalis. Naturalis eſt, quatenus ad eam feruntur omnia animantia: juris vero naturalis eſt, quatenus ad eam, rationis dictatu dirigitur homo, ùt ad rem juſtam, & honeſtam, ex qua naſcatur obligatio mutua inter conjuges, ſecundùm præcepta juris coëuntes. Adeòque tunc jus conſurgit, dum communis omnibus animantibus materia, cum ratione ponderatur & formatur ùt juſta atque honeſta.

8. Cùm itaque omne jus ſive *activè* ſive *paſſivè* ſpectatum, vinculum obligationis importet; nulla autem eſſe queat obligatio, ubi deficit ratio; hinc nec homini injuriarum datur in beſtias actio, nec è contra, beſtiæ habent jus in homines. Ut bene ſcripſerit *Ulpianus l.* 1. §. 1. *ff. Si quadrupes pauper. Non poteſt animal injuriam feciſſe, quod ſenſu caret.* Damnum exinde, quod bruta intulerunt, non vocitatur ea voce, ſed *pauperies* dicitur. Quando igitur *Plutarchus* aliique Gentiles Philoſophi dixere: hominibus adverſus bruta, jus eſſe; admodùm impropriè locuti ſunt, & indigitare ſolùm voluerunt, quòd homini incumbat, moderatè in uſu non ſolùm rerum inanimatarum, ſed etiam animatarum verſari; non quòd his debeatur aliquod officium [nulla enim ex natura, cum iis ſocietas aut obligatio eſt, qua ſine, jus non exiſtit] ſed, quòd in his creaturis, moderamen & temperantiam uſûs demonſtrare, homini conveniat. Similiter, cùm homini in cætera animantia plenum dominium Divinitus datum ſit lege creationis, ea viciſſim jus non habent hominibus reſiſtendi. Igitur hoc ſenſu, quòd ad officium hominis ſpectet, non abuti pecudibus, neque ultra neceſſitatem vitæ, in creaturas Dei eſſe prodigum, intelligendum eſt ſapientiſſimi Regis Proverbium *cap.* 12. ℣. 10. Juſtum erga pecudem ſuam, affici miſericordiâ. Porrò, diſcrimen inter hominem & pecudem, eleganter expreſſit *Cicero* 1. *de Offic.* inquiens: *inter hominem & belluam hoc maximè intereſt, quòd hæc tantum quantum ſenſu movetur, ad illud ſolùm, quod adeſt, quòdque præſens eſt, ſe accommodat, paululùm admodùm ſentiens præteritum aut futurum. Homo autem, qui rationis eſt particeps, conſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earùmque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit, atque adnectit futuras.*

9. Theologi in ipſo homine duplicis generis actus diſtinguunt, *Hominis* ſcilicet & *Humanos*, id eſt: actus *animales* & *rationales*. Actum *humanum* ajunt eſſe illum, qui eſt à voluntate *formaliter* propter finem. Id eſt, qui procedit cum & ex cognitione finis, cognitâ ſcilicet ejus bonitate, & proportione mediorum, conferendo ea inter ſe, in ordine ad finem. Sic enim agere, eſt proprium homini, *ùt homo eſt*, & animal rationale; cùm collatio illa mediorum inter ſe, in ordine ad finem, ſit diſcurſus practicus, qui potentiæ ſenſitivæ, ſimpliciter & de plano objectum cognoſcenti, competere non poteſt. Actum *hominis* dicunt eſſe illum, qui procedit ab homine, *ùt animal* eſt, ſeu, qui non procedit cum & ex cog-

na-

nitione finis. Quocirca, colligunt Theologi: actûs intellectûs *primò primos*, & voluntatis indeliberatos, non eſſe actus propriè humanos; quia non ſunt *formaliter* propter finem. Actus verò, qui fiunt ab homine, *ùt animal* eſt, ùt: ambulare, edere bibere &c. in tantum eſſe humanos, in quantum fiunt à voluntate, cum & ex cognitione finis. Idem eſt de actibus Phyſicè propriis homini, quales ſunt: riſus, fletus &c. Nam, ſi fiant ſine cognitione, non ſunt humani. Confer *Exim. P. Magiſtrum Gircken Tract.* 1. *Theolog. moral. q.* 1. *dub.* 1.

10. Si accuratiùs loqui velimus, ſtatuenda quoque differentia eſt inter *jus naturæ*, & *jus naturale*; licet boni authores his vocibus promiſcue utantur. Jus naturæ in rigore nihil aliud eſt, quàm facultas naturalis, quæ cuique rei ineſt. Sic rebus etiam inanimatis, pro jure tribuitur, quòd ipſis ex genuina conditione ineſt: qualiter authores loquuntur de legibus aſtrorum, maris & elementorum. Pari ſenſu, animalibus ratione carentibus, juris vox accommodatur, quatenus indicat, quid ipſis naturale ſit? Verùm jus naturale, proprio ſignificatu, importat vinculum mentis ex ratione profectum, ad obſervandum honeſta & congrua, vitandum turpia ac iniqua.

11. Diſcrepant etiam naturale jus & *libertas naturalis*, quæ & JCti non raro confundunt. Jus naturale ſupra hominem eſt, utpote lex æterna Dei, libertas verò naturalis, in hominis poteſtate eſt: Illud neceſſitatem ſervandi, hæc voluntatem agendi importat. Nam ex illo eſt, ne quid aliter liceat, ex hac: ut alterutrum, vel neutrum fieri poſſit. Quia homo liber eſt, ùt Ethici loquuntur, libertate nedum *contrarietatis*, ſeu quò *ad ſpeciem*, ſed etiam *libertate contradictionis*, ſeu *quò ad exercitium*.

12. Non oportet inſuper negligere differentiam, quæ eſt inter jus *connatum*, & illud, quod ex inveteratis moribus profectum, in ſimilitudinem naturalis juris tranſiit. Conſuetudo, longævo uſu, ſubit quidem imaginem naturæ; aſt, niſi in principiis naturæ fundetur; non efficit jus naturale. Hinc intelliges, quo ſenſu *Paulus* dixerit: *turpe eſſe naturâ viro, comam alere:* Non enim id jure naturali vetitum erat, ſed priſco *Corinthiorum* more uſitatum. Neque recta ratio dictabat, fœdum aut turpe eſſe viro, comam alere; cùm pluribus aliis gentibus id uſitatum & laudabile fuerit viſum. Simili ſenſu *Pomponius l.* 16. §. 4. *ff. de contrah. empt.* ſcripſit: *naturaliter licere contrahentibus, ſe circumvenire.* Non quia naturâ ſic comparatum; ſed, quia ita moris communis, ex quo, velut naturale, id in emptionibus & venditionibus toleratum. Pari intellectu, idem ſcribit *l.* 7. *ff. de Reg. jur. Teſtati & inteſtati, naturaliter inter ſe pugnam eſſe.* Cùm tamen ea regula, è moribus Romanorum profecta, aliis populis, communis non ſit, nec apud ipſos Romanos exactè in omnibus obſervata.

13. Non ſunt etiam Synonyma: *eſſe naturæ conforme*, & *eſſe naturæ præceptum.* Actus enim quam plures ſunt naturæ non difformes & rationi naturali proximè convenientes, qui tamen non oriuntur ex lege naturali, nec vim præcepti important. Hæc ſæpe in *Juſtiniano* & JCtis confundi reperimus. Sæpe enim juri naturali attribui videmus, quæ naturæ conveniunt, aut rationi naturali complacent, quæ tamen non profluunt ex juris naturæ præcepto importante neceſſitatem faciendi vel omittendi.

14. Tandem non obiter obſervandum eſt diſcrimen juris & *pudoris naturalis.* Ex tranſgreſſione juris, reſultat quidem pudor, cùm illud ſine turpitudine non violetur, quæ pudorem cauſat; aſt, non quivis pudor ex juris violatione naſcitur, ſed & alias cauſas habet. Siquidem pudor provenire poteſt ex quavis imperfectione, quam in ſe ſentit homo; non modò circa moralia, ſed etiam in merè naturalibus & quidem talibus, in quibus nihil officii, virtutis, aut vitii

vitii quæritur aut ſpectatur. Latiùs ergo, jure, patet pudor.

15. Neque pudoris una ſolùm eſt ſpecies. Alius quippe eſt *neceſſarius*, dum naſcitur ex iis, quæ naturaliter turpia & ideo improba ſunt: & huic opponitur *impudentia*. Alius eſt *probabilis*, & *decorus*, at *non neceſſarius*; quique dum adeſt, laudatur, aſt dum abeſt, non invehit culpam, aut vituperium. Porrò, alius vocatur pudor *ruſticus* ſeu *ſtupidus*, qualis reperitur in iis, qui non ſolùm, non improba, ſed & honeſta, agere verentur. Unde pudor hujuſmodi, potius *timor*, vel *ſtupor* dici meretur. Diſcrimen iſtud perpendit *Ariſtoteles lib. 2. Ethic. cap. 7.* inquiens: *Qui omni ex re, pudore afficitur, pavidus dicitur: territus, qui à modo deficit: qui ex nulla re omnino, pudore afficitur; impudens, qui autem modum adhibet, is pudens & verecundus dicitur.*

16. Recenſitarum trium pudoris ſpecierum, poſterior vituperabilis eſt & ad tractatum de jure, minimè pertinet. Prior, ùt ad virtutem omnem, ita & ad juſtitiam, multùm attinet. Siquidem eam violatam, ceu umbra, ſequi ſolet, & delicti commiſſi argumentum eſt. Secunda ſpecies, non ita ex vetito & improbo facto, ſed duntaxat ex imperfectionis conſideratione, naſcitur; adeòque pudor ille omiſſus, non ultra vituperat, quàm neceſſè ſit tegere imperfectionem, unde naſci potuiſſet. Etſi itaque omnia injuſta, pudorem incutiant; non tamen omnia pudibunda, ſunt injuſta, aut naturaliter illicita. Quamobrèm in bonis authoribus, jus & pudor, meritò diſcriminantur, aliàque de jure, alia ex pudore, omittenda dicuntur: & ſæpe, quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor. Quò ſpectat illud Juſtiniani *princip. Inſt. de Fideicom. hæred. Fideicomiſſa appellata ſunt, quia nullo vinculo juris, ſed tantùm pudore eorum, qui rogabantur, continentur.* Sicque non rarò, quæ ex ſtricto jure, debita non ſunt; pudori acceptò feruntur, & ob illum præſtanda veniunt. Interdum etiam utriuſque ratio habetur. *In contrahendis* [enim] *Matrimoniis* (inquit *Paulus l. 14. §. 2. ff. de rit. nupt.*) *naturale jus & pudor inſpiciendus eſt.*

17. Ex his facilè eruitur, quòd ſicut juſtitiæ & pudoris non eſt eadem cauſa (juſtitia enim proximè oritur ex dictamine conſcientiæ; pudor verò ex agnitione imperfectionis & metu contemptûs) ita diſſimilis ſit utriuſque vis. *Illa* obligat & debitum obſervantiæ importat: *hic* excitat tantùm & ſenſum pœnitentiæ indigitat. Ex *illa* alteri, jus petendi aut prohibendi; ex *hoc* verò non niſi incitamentum decora faciendi, aut indecora obtegendi. Quare, quæ jus naturale fecit licita; pariunt actionem vel exceptionem; ex ſolo autem pudore ſervanda vel omittenda, præter vituperium, non valent, exactionémque non præbent, niſi quatenus ex lege aut conſuetudine majorem præſtandi neceſſitatem acceperunt, prout ſæpe à legiſlatoribus illa, quæ pudorem duntaxat lædunt, etſi naturaliter non obligent, in jus redacta ſunt; ita, ut ex conſtitutione aut conſuetudine tantùm, non verò *ex ſe*, obligationem inducant, ùt patet in eo, quod de fidei commiſſis ſancitum. Proinde non eſt univerſaliter concludendum, quod omnia indiſcriminatim, legi æternæ Dei aut conſcientiæ noſtræ adverſentur, quæ pudori non conveniunt, ſeu quæ pudorem incutiunt: ſunt enim plura ad pudorem efficacia, quæ directò culpâ aut vitio carent, ut quæ innatæ ſunt imbecillitatis vel ex mera naturæ infirmitate, in corpore, non in animo conſiſtunt, aut quæ mores certi populi ſaltem receperunt & verecundiam ciére ſolent. Quanquàm negandum non ſit, quòd pudor multùm conferat ad integritatem humanæ ſocietatis & virtutum cultum, atque legum obſervantiam. Teſte *Seneca* Etenim *Epiſt. 84. Plures pudore* pec-

peccandi, quàm bonâ voluntate prohibiti, abſtinent. & Cicero *de Orator.* inquit: *Cuſtos virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem maximam conſequens, verecundia eſt. .... Verecundia parens eſt omnis honeſti conſilii, Tutela ſolemnium officiorum, Magiſtra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore, favorabilem præſeferens vultum.* Unde pudori adſcribitur vis ſingularis ad virtutis ſtudium & fugam vitiorum. *Sæpe enim* (inquit Tullius 2. *Tuſculan. quæſt.*) *videmus fractos pudore, qui nulla ratione vincerentur.* Quin & multùm, ſine lege, movet pudor, dicente *Ovidio* 1. *Faſtor.*

Proque metu populum ſine vi, pudor ipſe regebat: nullus erat, juſtis reddere jura, labor.

18. Cæterum, pudor naturalis nihil aliud eſt, quàm internus animi motus, ortus ex imperfectionibus, quas quia quis longiſſimè à ſe remotas eſſe aut non obſervari cupit, ideo inviſas habet. Naſcitur enim pudor, cùm quis vel poſſidet manifeſtas imperfectiones, vel illas, queîs laborat, ita prodit, ut exinde in conſpectu hominum, ſe minoris fieri putet. Pudor juſtus eſt, dum quis ex detectis imperfectionibus, meritò contemptum metuit. Quidquid enim immeritò & ſine ratione metuitur; juſtum non efficit pudorem. Tria igitur ad juſtum pudorem concurrere debent. Videlicet: infirmitas ſeu imperfectio: ut *cauſa excitans*: de hac hominum judicium, ut *cauſa impellens*, deinde metus vituperii, ut *cauſa* efficiens. Infirmitas autem non omnis, finiſtrum meretur judicium, ſed ſaltem, quæ ex ſe facit hominem contemptibilem; veluti; ubi ex imbecillitate non reſiſtitur affectibus ad deteriora labentibus: veluti: cùm quis palàm detegeret genitalia membra, quæ Deus & natura voluit tegi coram vel omnibus vel quibuſdam.

19. Sicut autem vulgus multifariàm errare conſuevit; ita non ex qualicunque ejus judicio vel opinione, juſtus pudor prodit, ſed tum demum, ſi id quod cenſet, rationabile eſt. Veluti: ſi aut factum ex aliquo jure probroſum eſt, vel ſi licitum ex ſe, facienti tamen indecorum habetur, puta; quia infra ejus dignitatem ſit, minuátque ejus authoritatem; vel ſi offendit ſeu ſcandalizat videntem & audientem. Sicut autem pudor vel ex naturalibus vel civilibus principiis oritur; ita & duplex honeſtas ab Authoribus aſſeritur. *Naturaliter honeſtum* dicitur, quod naturæ ductu, neceſſariò decorum. *Civiliter honeſtum* habetur, cui in civitate, ex moribus & opinionibus, decus tribuitur. Illud ubique vim habet & pudorem movet; hoc verò duntaxat iis in locis, ubi ex moribus ortum duxit. Multa enim per ſe non turpia ſed indifferentia, pudorem incutiunt, quia vulgò habentur vilia & ſordida, ut vultus difformitas, nativitas in loco abjecto. Verùm, ſicut mores & hominum opiniones multùm variant; inde eſt, quòd alicubi pudenda, alibi non videantur probroſa. Hinc Cornelius Nepos. *in Præfat. plurima* (inquit) *apud alias gentes turpia, apud alias, decora putantur.* & Quintilianus *Inſtit. lib.* 5. *cap.* 10. *Non ubique idem aut licet, aut decorum eſt*: ac Cicero *lib.* 3. *de Offic. Multa, quæ naturâ videntur honeſta eſſe, Temporibus fiunt non honeſta.* Ita nuditas membrorum, quæ communiter teguntur, vitium & dedecus præſefert, non quidem ex natura, qua nudos nos producens, ex ſe nihil pudendi adjicit, ſed ex ſtatu corrupto & rationabili judicio. Attamen nec omni tempore fœda eſt, nec omnibus, veluti infantibus & conjugibus inter ſe; quinimò ex cauſa non ſolùm licet, ſed & neceſſaria eſt.

20. Principia rerum juxta Philoſophos alia ſunt *eſſendi*, alia *cognoſcendi*. Philoſophicè itaque loquendo, principium *eſſendi* juris naturalis ſummum & verum, eſt Deus; qui, ùt naturæ; ita & inditi eidem juris, Author. De hoc utpote notiſſimo, non eſt, cur

Digitized by Google

ir pluribus diſſeramus. Videri tamen poſſent, quæ ſupra in *Prolegominis n.* 8. *&* 9. poſuimus. Principium cognoſcendi pariter unicum ſtatuimus, ſcilicet conformitatem actuum, vel reſpectivè difformitatem cum lege æterna Dei & dictamine conſcientiæ. Sicut enim duplex, ùt Theologi diſcurrunt, tantùm eſt ſpecies moralitatis, ſcilicet *bonitas* & *malitia*; ſicut inquam omnis actus bonus vel malus *naturaliter*, id eſt, *moraliter*, talis præciſè ex eo eſt, quod ſit con-vel difformis legi æternæ Dei & dictamini conſcientiæ noſtræ; ſic principium cognoſcendi juris naturalis, ſeu diſcernendi, quid jure illo præceptum vetitúmve ſit? eſt conformitas actuum vel reſpectivè difformitas cum lege æterna Dei, & dictamine conſcientiæ noſtræ. In idem recidit, ſi cum ſcholaſticis, dixeris; legem æternam Dei eſſe *primam & univerſalem Regulam morum*; conſcientiam verò unicujuſque, eſſe *Regulam particularem & proximam*. Nam ratio & conſcientia uniuſcujuſque, eſſentialiter ſubordinatur & dependet in regulando à lege æterna veluti prima & univerſali regula; ab hac enim docente *Magno Auguſtino. lib.* 3. *confeſſ. cap.* 7. *&* 9. item *Q.* 6. *ſuper Exod.* & *lib.* 1. *de liber. Arbit. cap.* 6. derivatur: *quidquid juſtum atque legitimum eſt in hac temporali vita, eique omnes piæ mentes in operando ſe conformare nituntur*. Conſcientia verò confert objecta particularia cum regula univerſali, judicando: an conſonet vel diſſonet? ipsáque proximè & immediatè dirigit & influit in actum, ita, ut actus ſit moraliter bonus, aut malus; prout ipſa fuerit recta vel erronea. Nec Obest, quòd dentur opera *Conſilii* moraliter bona, quæ non videntur bonitatem ſuam haurire à lege æterna: Nam; quamvis opera *Conſilii* non hauriant bonitatem ſuam à lege æterna *præcipiente*, hauriunt tamen illam à lege æterna, ut *conſulente* & *approbante*. Neque Dicas: ex hoc ſequi; quòd Deum ejúſque legem ignorantes, aut ſaltem de eo non cogitantes, non peccent *formaliter*. *Negatur* enim *ſuppoſitum*, quòd quis invincibiliter Deum, ejúſque legem ignoret, aut de eo in operando non cogitet. Eſto enim quis de Deo ejúſque lege non cogitet *ſignatè*; cogitat tamen *exercitè* & *practicè*; quatenus divinæ legis radius relucet in objecto per ſe bono aut malo, quem radium quivis mentis compos facile cognoſcere poteſt. Vide infra cap. 3. n. 4. Ex dictis.

21. Colligunt Theologi 1mò. Conſcientiam *rectam* obligare, ut operemur juxta illam; *erroneam* verò *exiſtimatè rectam*, ne operemur contra illam. *Ratio* eſt, quia conſcientia [quæ eſt judicium practicum de moralitate ſpecifica operis faciendi vel omittendi:] intimat, aliquid in vim legis æternæ, & ex ejus præſcripto eſſe faciendum vel omittendum; adeóque conſcientia nos obligat, ſicut ipſa lex æterna, cujus virtute intimat & præcipit ſeu obligationem promulgat, perinde, ut verba præconis obligant, non quia præconis, ſed quia *Edicti Prætoris* ſunt promulgatio. Jam verò, quando voluntas ageret contra dictamen rationis ſibi intimantis, aliquid eſſe ex præcepto legis æternæ faciendum aut omittendum; ſperneret & contemneret authoritatem legis & præcepti ſibi intimati, adeóque peccaret. Igitur, ut quiſque obligatur obedire legi; ita tenetur conſcientiam ſequi. Unde bene dixit Pontifex in *cap. litteras. De reſtit. ſpoliat. Quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad Gehennam*. Atque hoc ipſum liquidò colligitur ex illo ad *Rom.* 14. ℣. 14. *&* 23. Cæterùm, eo modo obligat conſcientia, quo talis eſt, adeóque conſcientia *erronea*, ſicut tantùm eſt *exiſtimatè recta*, ſic tantùm exiſtimatè eſt conſcientia, tantúmque obligat *exiſtimatè*, ita videlicet, ut teneamur ei non contravenire, ſpernendo legem exiſtimatam, quod eſt eidem obedire *negativè*, non verò *poſitivè*, quod fit, dum

Digitized by Google

eam ſequimur & juxta illam operamur.

22. Dices 1mò. Conſcientia erronea non ſubordinatur legi æternæ, quomodò igitur ab illa hauriet vim obligandi? ℞. Non ſubordinari quidem *verè* & *reapſe*; ſubordinari tamen *exiſtimatè*. Lex autem ùt ùt falsò exiſtimata, ſaltem obligat, ut non ſpernatur in ſenſu compoſito iſtius exiſtimationis.

Dices 2dò. Lex inferior non obligat, ſi contrarietur ſuperiori: jam autem conſcientia eſt lex inferior, & dum eſt erronea, contrariatur legi ſuperiori. Ergo. ℞. Si contrarietur, & hoc cognoſcatur, utique non obligare ad aliud, quàm ut deponatur; obligare tamen, ſi contrarietur & putetur concordare. Facit enim falſa exiſtimatio conformitatis, ut teneamur verâ lege non ſpernendi authoritatem legiſlatoris.

Dices 3tiò. Si conſcientia erronea obilget, ergo poterit quis neceſſitari ad peccandum. Ponamus enim, quòd quis judicet, ſibi eſſe mentiendum ad conſervandam vitam: ſi mentiatur, peccabit contra legem veracitatis, ſi non mentiatur; peccabit contra conſcientiam dictantem ſibi eſſe mentiendum. ℞. *ex D. Thoma* 1. 2. *Quæſt.* 19. *art.* 6. *ad* 3. Poſſe quem neceſſitari ad peccandum ex *ſuppoſitô*, quod non deponat errorem vincibilem, non verò *abſolutè*.

23. Colligunt Theologi 2dò. Agere contra conſcientiam, eſſe tale peccatum, quale apprehenditur ſeu judicatur à conſcientia erronea. Unde (inquiunt) ſi conſcientia dictet, ſub graviore peccato & obligatione, eſſe aliquid faciendum, quàm lex ipſa jubeat; erit quoque gravius peccatum agere contra conſcientiam, quàm contra legem, èccontra verò, ſi lex obliget ſub mortali, & quis putet ſe obligatum ſubveniali; erit minus peccatum agere contra conſcientiam, quàm contra legem.

24. Colligunt 3tiò. Nequidem Deum poſſe diſpenſare, ne quis teneatur ſequi conſcientiam erroneam; quia hoc eſſet permittere tanquam licitum, ut ſpernatur lex, quod eſt intrinſecè malum.

25. Quid, ſi ſuperior ſubalternus quid imperet, quod à ſupremo, erroneè judicarem eſſe vetitum? ℞. Præſumptionem in dubio ſtare pro præcipiente immediato, de cujus voluntate certò conſtat, adeóque conſcientiam erroneam fore deponendam, ſi verò æquè certò conſtaret de voluntate ſuperioris majoris, huic potiùs fore obtemperandum.

26. Colligunt 4tò. Conſcientiam *rectam*, eſſe concluſionem Syllogiſmi practici & prudentialis: utitur enim ratio (ut ait S. *Thomas*, in agendis, quodam diſcurſu, cujus *majorem* univerſalem ſuppeditat *Synteréſis*, v. g. hanc: *bonum eſt faciendum:* cui ſcientia *moralis*, ſeu *Ethica*, ſub directione virtutis prudentiæ, adjungit *minorem* particularem v. g. *Hic actus eſt bonus.* Unde ſequitur concluſio: Ergò *eſt faciendus. Sub directione* inquam *virtutis prudentiæ*: ſiquidem ſcientia moralis, ſine prudentia, eſt navis ſine gubernatore. Scientia conſiderat objecta ſecundùm ſe, prudentia verò circumſtantias ponderat, ac proinde non eſt idem, ſcienter ac prudenter agere, multa enim in ſcholis ſcienter docentur, quæ in aliis circumſtantiis planè imprudenter in praxim redegeris.

27. Colligunt 5tò. Conſcientiam *rectam* nec ſemper eſſe, nec eſſe debere, quinimò nec interdum poſſe eſſe *phyſicè* certam & evidentem. Profectò *Job* conſcientiâ rectâ dicebat *cap.* 9. *Verebar omnia opera mea.* & Paulus 1. *Corinth.* 4. tametſi nihil ſibi conſcius eſſet, tamen non audebat ſe judicare juſtificatum. *Ratio* D. Thomæ eſt; quia, (ùt inquit *quæſt.* 17. *de verit. art.* 2.) *Conſcientia nihil aliud eſt, quàm applicatio ſcientiæ ad ſpecialem actum, in qua quidem applicatione contingit errare dupliciter; uno modo, quia id quod applicatur, in ſe errorem habet, alio modo; quia non bene applicatur.* Jam autem applicatio

in

In qua contingit errari, illius rectitudo non eſt phyſicè certa nec evidens. Ergo. Cæterùm; conſcientia recta debet eſſe *moraliter certa* de bonitate & honeſtate actionis, & hæc moralis certitudo ſufficit, ùt docet D. Thomas 1. 2. *q.* 96. *art.* 1. *ad* 3. ubi ait: *Non eſt eadem certitudo quærenda in omnibus, ut* 1. *Ethic. dicitur. Unde in rebus contingentibus, ſicut ſunt naturalia & res humanæ, ſufficit talis certitudo, ut aliquid ſit verum in pluribus, licet deficiat in paucioribus. Ratio* eſt; quia, ſi non ſufficeret certitudo moralis, ſeu illa, quæ communiter in rebus humanis habetur; obligaretur homo ad aliquid, quod eſt ſupra hominem, adeóque ad moraliter impoſſibile.

28. Dices. *Innocentius XI.* Pontifex Maximus inter 65. propoſitiones, damnavit hanc ordine primam: *licet ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore.* Sed opinio moraliter certa, eſt opinio tantùm probabilis, cùm non ſit evidens, nec infallibiliter vera. Ergo non licebit ſequi opinionem etiam moraliter certam, ſaltem, ubi agitur de valore Sacramenti. ℞. Opinionem moraliter certam eſſe opinionem probabilem *quò ad ſubſtantiam*, non *quò ad ſtatum.* Nomine enim opinionis tantùm probabilis, intelligitur opinio cum formidine *poſitiva* & accidentali. Itaque certitudo moralis excludere debet formidinem *poſitivam* practicè errandi. *Practicè*, inquam, *errandi.* Siquidem cum practica certitudine de actûs honeſtate, conſiſtere poteſt poſitiva intellectûs ſpeculativi formido & fluctuatio, prout egregiè oſtendit *Eximius P. Gircken. Tom.* 2. *tract.* 2. *q.* 3. *dub.* 3.

Replicabis. Operari cum formidine mali, non eſt rectè operari: conſcientia autem tantùm moraliter certa, operatur cum formidine mali: adeóque non eſt recta. ℞. *Diſt. maj.* Operari cum formidine *poſitiva*, non eſt operari rectè *C.* cum formidine ſolùm *negativa N. maj.* & *diſtinctâ min. conſeq.*

Urgebis. Qui operatur cum formidine *negativa* habet hunc actum: *fortè quod ago, diſplicet Deo*: ſed qui agit cum hoc actu, peccat. Ergo qui operatur cum formidine *negativa*, peccat. ℞. *Neg. maj.* Operans enim cum formidine *negativa*, hunc actum habet: *Omnibus penſatis nihil occurrit, cur hic actus ſit illicitus, & ex multis, apparet licitus & honeſtus: ergo illum operor, quamnon ſit impoſſibile, ut aliter ſit, & in aliis fortè circumſtantiis, aliter fuerit.* & tale judicium habuit Apoſtolus, cùm dixit: *Nihil mihi conſcius ſum.* Quaſi dixiſſet: conſideratis conſiderandis, arbitror, me eſſe ſine peccato, quamvìs non ſit impoſſibile, quòd aliter ſit; hácque ſolam *non impoſſibilitatem* compatitur certitudo *moralis* & per eam à ſcientia diſtinguitur.

29. Colligunt 6tò. Conſcientiam *invincibiliter errantem* excuſare ab omni peccato & culpa. Patet ex *Joan.* 15. *Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.* Sed non ex alio capite, niſi quia habuiſſent ignorantiam invincibilem, eò quòd audire non potuiſſent. Ergo. Unde hæc propoſitio: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ, operantem ex eâ, non excuſat à peccato formali*: poſt alias conſimiles propoſitiones, à *Pio V.* & *Gregorio XIII.* proſcriptas, meritò fuit damnata ab *Alexandro VIII. 7ma. Decembris* 1690. Senſus enim contradictorius omnino verus eſt, ſcilicet: *ſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ* (de quo infra ex profeſſo agetur) *excuſat operantem à peccato formali. Ratio* autem hujus eſt 1mò. Quia ignorantia invincibilis eſt illa, quam humanâ induſtriâ tollere nequimus, talis autem ignorantia ab omni peccato & culpa theologica excuſare debet, quia facit, ut malitia ſit penitus involuntaria, cùm faciat, ùt nequidem ſit cognita, nec potuerit cognoſci, proinde nec appeti. 2dò. Quia nemo laude vel vituperio dignus eſt, niſi cum *indiffe-*

differentia contradictionis, liberè hoc vel illud faciat: ſed qui operatur ex ignorantia invincibili, non agit cum indifferentia contradictionis; quia, ut poſſet non facere; deberet poſſe vincere ignorantiam. 3tiò. Quia ſecundùm Divum *P. Auguſtinum*, ſi Angeli & Protoparentes noſtri caruiſſent auxilio dante ipſis *poſſe*, ſine culpa ſua cecidiſſent. Ergo & qui caret potentiâ ſuperandi ignorantiam, qua laborat, ſine culpa cadit. 4tò. Quia alioquin infantes, amentes, & rationis impotes, in omnibus actibus indeliberatis circa objecta de ſe turpia, poſſent dici damnabiliter peccare, id quod adeò falſum eſt, *ut*, dicente *S. Auguſtino*, *nulla Doctorum paucitas*, *nulla indoctorum turba diſſentiat.* 5tò. Quia ſi juſtus laborans ignorantiâ invincibili alicujus præcepti divini, nihilominus peccaret; Ergo *Aliquod præceptum homini juſto volenti & conanti*, *ſecundùm præſentes*, *quas habet vires*, *eſt impoſſibile: deeſt quoque gratia*, *qua poſſibile fiat.* Quæ propoſitio prima inter quinque illas famoſas, damnata fuit ab *Urbano VIII.* 1641. & *Alexandro VII.* 1658. *Idib. Novemb.*

Poſſet quis ſic in contrarium arguere: cui malitia eſt voluntaria in cauſa, non excuſatur à culpa; ſed operanti ex ignorantia invincibili, malitia eſt voluntaria in in cauſa, peccato ſcilicet originali. Ergo. ſed ℞. *Diſt. maj.* cui malitia eſt voluntaria in cauſa *voluntareitate perſonæ*, non excuſatur &c. C. *Voluntareitate capitis tantùm.* N. & *diſtinctâ min. conſeq.* Reſponſio patet ex propoſitione ab *Alexandro VIII.* 7. *Decemb.* 1690. confixa, quæ ſic ſonat: *In ſtatu naturæ lapſæ*, *ad peccatum mortale & demeritum*, *ſufficit illa libertas*, *qua voluntarium & liberum fuit in cauſa ſua*, *peccato ſcilicet originali*, *& voluntate Adami peccantis.* Sanè, morbi, mors, aliæque pænalitates hujus vitæ, ſunt nobis voluntariæ voluntate capitis, nec tamen nobis in culpam imputari poſſunt. Quando igitur Divus Auguſtinus *de Geſtis Pelagii. cap.* 13. contra *Cœleſtium*, ignorantiam vocat *peccatum*, nihil aliud intendit, quàm quòd ignorantia, puta *invincibilis*, ſit pœna peccati originalis: & hoc docebat Magnus Doctor contra Pelagianos, qui ut exiſtentiam peccati originalis negarent; ignorantiam & concupiſcentiam ajebant eſſe naturalem.

30. Sed quid; ſi opus ex ſe malum, fiat ex ignorantia invincibili? *Reſp.* Tale opus non poſſe eſſe aut fieri moraliter bonum & honeſtum, ſed tantùm fore *non malum moraliter*. Invincibilis enim ignorantia, nequit operi in ſe & eſſentialiter malo, tribuere, quod ipſi repugnat: bonitas autem moralis repugnat operi in ſe & eſſentialiter malo: tanta ſiquidem neceſſitate, opus in ſe malum, menti divinæ diſſonum eſt, quanta neceſſitate, Deus eſt moraliter rectus: Adeóque opus in ſe malum, ſi fiat ex ignorantia invincibili, non efficitur moraliter bonum & honeſtum. Sanè, ſi error invincibilis, quo creditur opus intrinſecè malum, eſſe bonum, efficeret, ut eſſet reverà moraliter bonum; pari ratione, error, quo crederetur, bonum, eſſe malum; faceret illud eſſe moraliter malum; quinimò error invincibilis, quo crederetur aliquid eſſe bonum & malum ſimul, faceret illud reipſa ita eſſe, quod utique Theologis chymæricum videri debet. Ignorantia igitur invincibilis nequit efficere, ut opus ex ſe malum, ſit moraliter bonum & honeſtum. *Ratio à priori* eſt, quòd actus juxta Philoſophos, ſpecificetur ab objecto, adeóque nequeat dari actus moraliter bonus, ubi objectum eſt in ſe malum. ſicut enim nequit dari veritas (ùt ajunt) *formalis* ubi adeſt falſitas *objectiva*; ita non poteſt dari bonitas *formalis*, ubi repugnat *objectiva*. Hoc ergò ſolùm admittendum & ſtatuendum eſt, quòd actus in objectum per ſe malum tendens, propter ignorantiæ invincibilitatem, à culpa Theologica excuſetur

Digitized by Google

tur & ſit duntaxat *non malus* (prout hanc quæſtionem reſolvit ex profeſſo Doctor Angelicus 1. 2. *q.* 19. *in* ⊙. *& ad* 1.) non verò *formaliter* bonus & honeſtus. Si igitur

31. Dicas. Quòd talis actus ſit conformis appetitui recto, adeòque cenſeri debeat *Ethicè* bonus. ℟. Nequaquam vocari poſſe appetitum rectum, qui eſt conformis rationi erranti; planè, ſicut repugnat, lineam eſſe rectam, quæ eſt conformis regulæ curvæ. Jam autem ratio, licet invincibiliter erret, nihilominus errat; eſto ex fine operantis extrinſeco, poſſit habere quandam rectitudinem; verùm, ſub tali reſpectu, actus non procedit ex ignorantia invincibili. V. G. Jacob intendebat affectu maritali accedere ad ſuam, ſed ex ignorantia, ùt ſupponitur, invincibili, acceſſit ad aliam. En! acceſſus hic, quatenus erat appetitus accedendi ad *ſuam*, bonus erat & honeſtus ex fine, verùm; quatenus procedebat ex errore ad *non ſuam*, erat tantùm *non malus formaliter*, non verò bonus *moraliter*.

Inquies. Objecti malitia non cognita, actum non inficit: malitia autem invincibiliter ignorata non eſt cognita. Ergo non inficit actum, proinde erit moraliter honeſtus. ℟. Malitiam ignoratam non inficere quidem actum, aſt non ideo actum evadere moraliter honeſtum. Aliud enim eſt actum carere culpâ *formali* ob defectum deliberationis & cognitionis; aliud eſt, eſſe honeſtum. Actus ſtultorum carent culpâ, aſt non ideo ſunt boni moraliter.

Replicabis. Accedens ex errore invincibili ad *non ſuam*, eſt eodem planè modo diſpoſitus in intellectu & voluntate, ſicut accedens *ad ſuam*: ſed hic operatur honeſtè. Ergò & ille. ℟. *Neg. maj.* in unius enim intellectu eſt error, non in alterius.

Obsistes. Acceſſus ille eſt prudens. Ergo honeſtus. ℟. Eſt prudens ex fine *Tranſeat*. Ex Objecto *Nego Ant. & conſeq.*

Urgebis. Actus conformis ſuæ regulæ proximæ optimo modo poſſibili conſtitutæ, eſt moraliter bonus: ſed actus conformis conſcientiæ erranti invincibiliter, eſt conformis ſuæ regulæ proximæ optimo modo poſſibili conſtitutæ. Ergo eſt moraliter bonus. ℟. *Neg. maj.* Quod enim non poteſt eſſe rectum, non ideo eſt rectum: ſicut claudus non ideo rectè incedit, quia graditur meliori modo quo poteſt.

Neque *inferas* tali caſu defecturam eſſe Divinam Providentiam. Quia homini lapſo præſertim, non debetur immunitas ab omni errore & ignorantia invincibili.

32. De Principio cognoſcendi Juris Naturalis, ſeu actuum moralium, ſatìs actum, ſed cùm hoc principium ſit actibus extrinſecum, meritò adhuc inquiritur, undenam actus deſumant intrinſecam ſuam moralitatem? Theologi, quibus incumbit hac de re tractare, unanimiter concludunt, bonitatem & malitiam *ſpecificam* & *eſſentialem* deſumi ab *Objecto*, ſeu potiùs ex modo tendendi in illud: à *fine* verò *extrinſeco operantis*, hauriri bonitatem & malitiam *accidentalem*. Idem ſtatuunt de circumſtantiis, quæ majorem vel minorem de-vel indecentiam moralem inducunt. *Ratio* 1*mæ. partis* eſt; quia ſicut habitus *phyſici* ſpecificantur ab actibus, & actus ab objecto phyſicè & in *eſſe naturæ* ſpectato; ita habitus & actus *morales*, ab Objecto *in eſſe moris*; id eſt, ut ſubjecto regulis morum, quibus eſt con-vel difforme. Nam bonitas & malitia ſunt relationes, quæ immediatè reſpiciunt Objectum velut proximum ſuum terminum: relatio autem ſpecificatur à ſuo termino; ergo & actus moralis ſpecificatur à ſuo Objecto, non quidem *ſecundum ſe* & *in eſſe entis*, ſed *in eſſe Objecti*, & prout ſubſtat huic modo tendendi. Sic idem Deus v. g. in ſe ſummè bonus, eſt Objectum actûs boni v. g. amoris, & actûs mali v. g. odii ipſius: diſcrimen autem provenit ex ſolo modo tendendi diverſo in Deum; adeóque ex eo ſolo de-

Digitized by Google

ſumitur bonitas vel malitia moralis. Eò tendit dictum magni Patris *Auguſtini lib.* 12. *de Civit. Dei. cap.* 8. *Deficitur non ad mala, ſed malè, id eſt, non ad malas naturas, ſed ideo malè, quia contra ordinem naturarum ab eo, quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt.* & *cap.* 22. *Omnis creatura cum bona ſit, & bene poteſt amari & malè. Bene, ſcilicet, ordine cuſtodito, malè autem, ordine perturbato.* Quando autem, S. Doctor 4. *contra Julian. cap.* 3. inquit: *Non officiis* (id eſt Objectis) *ſed finibus diſcernendas eſſe virtutes*; ſolùm vult, non ab Objecto *ſecundùm ſe* deſumi virtutum differentiam, ſed ab Objecto *formaliter* ſpectato, ſeu, prout eſt finis intrinſecus *operis* & ſubſtat modo tendendi, regulis morum con- vel difformi.

33. Cæterùm; bonitas debet intendi *formaliter* & *directè*, malitiam verò ſufficit intendi *indirectè*. *Ratio prioris* eſt, quia bonitas Objecti non influit in actum, niſi ùt apprehenſa & volita directè, niſi enim directè ſit intenta; habet ſe, ſicut bonitas, quæ negligitur & non curatur: bonitas autem, quæ negligitur & non curatur, non influit in actum. Ergo bonitas ut influat, debet eſſe directè intenta & volita. Sic, abſtinens à cibo, ex hoc præſcisè, quòd abſtineat, non eſt laude dignus, niſi directè intendat honeſtatem temperantiæ. *Ratio poſterioris* eſt; quia operans eſt culpabilis, cùm poteſt & debet advertere malitiam & non advertit; non obſtante autem iſtâ inadvertentiâ, eligit objectum; hoc ipsô enim ſpernit legiſlatorem, ejúſque authoritatem contemnit, adeóque operans, malitiam indirectè & interpretativè intendit Neque eſt paritas de bonitate; *quia* bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu, & plus requiritur, ut actus ſit *poſitivè* bonus, quàm ut ſit malus.

34. *Ratio 2dæ. partis* eſt; quia finis influit ſuam moralitatem in actum, quatenus actus ab illo dependet: à fine autem *extrinſeco operantis* non dependet actus *per ſe* & *eſſentialiter*, cùm ſine illo poſſit fieri; ſed *accidentaliter tantùm* velut ab extrinſeco, quod abeſſe vel adeſſe poteſt, adeóque finis extrinſecus *operantis* influit bonitatem & malitiam tantùm accidentalem. Idem eſt de circumſtantiis, quæ utpote accidentia, qualificant quidem actum, ſed ipſi ſpeciem principaliter non tribuunt. De his vide *Magiſtrum Gircken loc. cit. q.* 3. *dub.* 3. §. 3.

35. Dices. Juxta D. *Thomam*, bonitas finis eſt bonitas *formalis*, bonitas autem formalis non eſt accidentalis. Ergo bonitas finis eſt principalis. ℞. Finem *operis* eſſe principalem bonitatis formam, non verò finem *operantis*, qui tamen vocari poteſt forma accidentalis.

Inquies. Mendacium ex ſola diverſitate finis extrinſeci, habet diverſas ſpecie malitias. V. G. prolatum fine relaxationis, eſt *jocoſum*, fine ſerviendi proximo, eſt *officioſum* &c. Ergo ſpecifica malitia deſumitur à fine extrinſeco. ℞. *Diſt. Ant.* Mendacium ex ſola diverſitate finis *operis* habet diverſas ſpecie malitias *Nego*. Idem eſt enim omnis mendacii finis intrinſecus, ſcil. intentio fallendi. Ex diverſitate *operantis*. *Subdiſtinguo*. Habet diverſas *accidentaliter* ſeu *ſpecie accidentali* diſtinctas malitias *C. ſpecie eſſentiali* diſtinctas *N.* Hîc ſedulò.

36. *Obſervandum*, quòd Objectum quantumcúnque bonum, vitiet *ſimpliciter* actum, ſi ametur ùt medium, ad finem malum; écontra, ſi Objectum bonum non ametur, ùt purum medium ad finem malum, ſed tantùm per accidens & ſecundariò concomitetur finis aliquis aut exceſſus venialis, tunc non vitiet actum *ſimpliciter*, ſed *ſecundùm quid* tantùm. *Ratio prioris* eſt; quia tunc Objectum *in eſſe Objecti*, definit eſſe bonum, & prout ſubſtat tali modo tendendi, ineſt ei malitia, quæ influit & actum ſimpliciter inficit: nec mirum; quia pal-

palpabilis & gravis eſt inordinatio, & veluti quoddam Sacrilegii genus, objectum ex ſe bonum, amplecti, propter finem perverſum. *Ratio poſterioris* eſt; quia ſi quilibet exceſſus venialiter malus, deſtrueret omnem actûs bonitatem; ferè omnium virtutum actus forent impoſſibiles; ſiquidem ita attingere virtutis medium, ut nulla terrenæ ſordis labecula, vel juſtæ diſcretionis exceſſus aut defectus adhæreſcat, ſupra hominem & non niſi pauciſſimorum ac ſanctiſſimorum eſt; quia, ùt veridicè ſcripſit Doctorum Aquila de hominibus in communione viventibus: *Vix quæritur Jeſus propter Jeſum. Tract.* 27. *in Epiſt. Joan.* Id eſt: ſine ullo ſequioris motivi illicio. Id quod exemplo ſuo ingenuè declarat *lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 3. *Hoc me* [inquit] *docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam, & cùm ſalus, ſit cauſa edendi & bibendi; adjungit ſe tanquàm pediſſequa, periculoſa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus cauſâ fiat, quod ſalutis cauſâ me facere, vel dico vel volo.* Igitur levis exceſſus vel defectus, aut vanitas interdum vix perceptibilis, non reddit opera noſtra aliunde bona, penitus ſterilia, aut ex aſſe mala, neque omnem aufert mercedem. *Nec* CONTRA facit, quòd bonitas & malitia ſint differentiæ ſpecificæ actuum moralium, ut proinde idem actus nequeat habere differentiam utrámque, ſicut idem animal nequit eſſe rationale & irrationale. *Nam* differentiæ quæ à fine *operantis* deſumuntur, ſunt *accidentales*; illæ verò, quæ deſumuntur ab *Objecto formali*, ſunt *eſſentiales*. Unde idem actus ſimpliciter ex Objecto bonus, poteſt per accidens, reſpectu finis mali, eſſe extrinſecè malus.

37. DICES. Qui dat eleemoſynam propter vanam gloriam, nihil meretur, ſed tantùm peccat. Ergo malitia finis, ſimpliciter vitiat totum actum. ℞. Hîc conſiderari debere, num vana gloria ſit primariò & principaliter intenta, bonitas verò eleëmoſynæ ametur, ùt purum medium ad vanam gloriam; num verò bonitas eleëmoſynæ ametur *per ſe* & per modum *Objecti*, quam bonitatem per accidens, comitetur quædam vanæ gloriæ titillatio, quæ non ſit principale motivum volendi, & ſine qua equidem daretur eleemoſyna; ſi primum; actus erit ſimpliciter & adæquatè malus; ſi ſecundum; actus erit quidem bonus, ſed imperfectus accidentaliter.

REPLICABIS. Actus per ſe malus ob bonum finem factus, non poteſt eſſe ſecundùm quid bonus. Ergo nec écontra. ℞. Licet talis actus nequeat eſſe *poſitivè* bonus, quatenus malitia Objecti impedit, ne bonitas intentionis poſſit influere, erit tamen minus malus propter intentionem bonam.

URGEB. Bonum ex integra cauſa & malum ex quolibet defectu: ſed, ubi intenditur finis malus etiam per accidens, non eſt integra cauſa, ſed aliquis defectus. Ergo. ℞. Bonum omnimodum fore ex integra cauſa, non verò, id quod ex majori & ſubſtantiali tantùm parte bonum eſt. Sicut autem in artificialibus V. G. picturâ, ſtructurâ domûs &c. Leviuſculus defectus non officit, nec facit opus dici malum, licet adferat quandam imperfectionem; ita in moralibus, venialis aliquis defectus non inficit opus principale, licet meritum ejus diminuat.

38. De Quidditate Juris Naturalis, atque iis omnibus, quæ ad definitionem tum *nominis* tum *rei* ſpectant, ſat, ùt arbitror, prolixè actum. Diſpiciamus nunc, quot modis accipi poſſit Jus Naturale? Jus Naturale (ſumendo Jus Naturale pro eo quod naturaliter juſtum eſt) in ſe indiviſum, ob varios reſpectus, variè diſ-

peſci poteſt. *Primò* enim per ordinem ad intellectum cognoſcentem, dividitur in *per ſe notum omnibus:* In *per ſe notum ferè omnibus*; & in *ignotum pluribus*. Ad primum ſpectant prima & univerſaliſſima dictata hæc: *Bonum eſt faciendum, malum vitandum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Ad quæ reduci poſſunt quædam Decalogi præcepta, ùt: quòd Deus ſit colendus, parentes honorandi. Illa enim ita ſunt perſpicua, ut omni habenti uſum rationis, confeſtim pateant; & ideo à nemine ignorari poſſunt. Ad ſecundum ſpectant: Non eſſe mentiendum, non occidendum, non Mœchandum. Illa quippe deducuntur ex primis illis dictatis ſine ullo labore, & abſque ullo ferè diſcurſu, proinde ab omnibus ferè cognoſcuntur, nec perpetuò (niſi affectatè) ignorari queunt. Ad tertium pertinent: Non eſſe aliquid accipiendum ultra ſortem, præciſè vi mutui. Spirituale non commutandum cum re temporali &c. Quæ, cùm difficulter ex primis dictatis eruantur, à multis ignorari poſſunt. Per ordinem ad perſonas circa quas verſatur, dividitur 2dò. in illud quod reſpicit Deum. Cujus juris ſunt præcepta Decalogi *primæ tabulæ*. In illud, quod reſpicit proximum, cujus juris ſunt præcepta *ſecundæ tabulæ*: & in illud, quod reſpicit noſmetipſos. Sic juris naturæ eſt, quod vita propria ſit conſervanda. Totum hoc ſuccinctè complexus eſt Apoſtolus *ad Tit.* 2. ỳ. 12. inquiens: *Sobriè, juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo. Sobriè* quò ad nos, *juſtè* quò ad proximum, & *piè* quò ad Deum. Licet autem pietas quoque reſpiciat parentes & patriam; equidem, cùm Deus ſit natura *naturans* [ùt loquuntur Theologi] & per conſequens Pater noſter principalis; ideo ipſum primariò reſpicit. 3tiò. Dividitur Jus Naturæ in illud, quod reſpicit naturam, ſecundùm ſuum ſtatum *merè naturalem*, conſideratam: & in illud, quod eandem reſpicit, prout elevatam ad ſtatum ſupernaturalem & fidei lumine illuſtratam, Sic ſuppoſitâ naturæ rationalis elevatione & Sacramentorum inſtitutione, Jus Naturæ dictat, Sacramenta non eſſe irreverenter tractanda. 4tò Dividitur in *præceptivum* & *permiſſivum*. De qua Diviſione pluribus infra. Si

39. Roges. Num Jus Naturæ diſtinguatur à jure Gentium? Adnotandum prævie eſt, quòd, ùt ſæpe diximus, jus Gentium aliud ſit *primævum*, *primarium* ſeu *antiquum* àc *neceſſarium*, aliud verò *ſecundarium* ſeu *voluntarium*. Quidquid ratio *ſimplex* abſque ullo, vel non ita difficili diſcurſu judicat, & cui quis abſque hæſitatione aſſentitur, illud eſt juris Gentium *primævi*: ùt cultus Dei, & reverentia Parentum. Quodcunque verò ratio *compoſita*, ſive ratiocinatio & diſcurſus introduxit ex cauſa aliqua externa, neceſſitate ſcilicet, vel utilitate humana, illud eſt juris Gentium *ſecundarii*. Ex quibus fluit *Reſponſio*, videlicet: quòd jus Naturale & jus Gentium *primævum* non diſtinguantur; diſcrepent tamen jus Naturale & Gentium *ſecundarium*, non quidem velut duæ ſpecies *oppoſitæ* ſed *ſubordinatæ*. Confer *Hoppium* & *Schambogen ad Tit. Inſtit. de J. N. G. & Civ. Ex dictis*

40. Deducitur 1mò. Diſcrimen eſſe inter legem æternam ſeu jus Naturæ, Syndereſin & conſcientiam. *Lex* enim *æterna* ſeu *naturalis*, eſt ipſa Divinæ voluntatis ordinatio, nobis per dictamen rationis veluti promulgata. *Synderesis* eſt habitus primorum principiorum moralium, ſeu ipſummet dictamen rationis, ordinationem illam univerſaliter & abſque diſcurſu manifeſtans. *Conſcientia* verò eſt dictamen ex ſynderesi deductum, reſpiciens particulare hîc & nunc faciendum vel omittendum.

41.

41. Deducitur 2dò. An aliquid ſit Juris naturalis, probari poſſe tum *à priori*, tum *à poſteriori*, quarum probationum *illa* ſubtilior, *hæc* popularior eſt. *A priori* fit probatio, ſi oſtendatur rei alicujus convenientia aut diſconvenientia *neceſſaria* cum natura rationali ac ſociali. Veluti: cùm oſtenditur, injuſtum fore, occidere innoxium hominem, eò quòd natura appetat conſervationem ſuî & omnium, qui ſunt ejuſdem ſocietatis. *A poſteriori* verò, ſi non certiſſima fide, certè probabiliter admodùm, juris naturalis eſſe colligitur id, quod apud omnes gentes, aut ſaltem *moratiores*, tale eſſe creditur. Nam univerſalis effectus, univerſalem requirit cauſam: talis autem exiſtimationis cauſa, vix alia videtur eſſe, præter ſenſum hominum communem, id eſt, rationem naturalem. Unde bene dixit Cicero 1. *Tuſc. cap.* 13. *in re conſenſio omnium gentium, jus naturæ putanda eſt.* & Seneca *Epiſt.* 117. *Argumentum veritatis eſt, aliquid omnibus videri.* Dixi: *Gentes moratiores.* Nam quædam nationes efferatæ ſunt & factæ inhumanæ, quales Florus depinxit Thraces, qui planè matrum conjugiis uſi, quique decrepitos parentes, ne alerent, occiderunt, imò cadaveribus ſuorum, pro cibo uſi. Ab hujuſmodi autem hominibus, non debet argumentum duci, neque humanæ naturæ convitium inferri. *Naturâ* enim (ait Plutarchus *in vita* Pompeii) *nullus hominum aut eſt aut fuit ferum atque inſociabile animal, ſed efferatur, ubi extra naturæ modum peccare aſſueſcit, rursùmque aliâ conſuetudine, vitæque & locorum mutatione, redit ad manſuetudinem.* Hinc *Ariſtoteles* deſcripturus hominem, ad id attendit, quod ipſi proprium eſt, dicens: *homo animal eſt ſuapte naturâ manſuetum. Top.* 5. 2. & 1. *polit.* dixit: *Quid naturale ſit, ſpectandum in his, quæ bene ſecundùm naturam ſe habent, non in depravatis.*

42. De Objecto ſeu materia *circa quam* juris naturalis, acturi, primò & præcisè conſiderandum eſt, quid jubeat, quídve vetet, ſeu quid lumen naturæ oſtendat, eſſe neceſſariò faciendum vel omittendum ſecluſa qualibet cujuſlibet legiſlatoris ordinatione poſitiva? Hac in re, inter omnes convenit, jus naturale id omne prohibere, quod *ex ſe*, naturæ rationali diſconvenit; id omne verò præcipere, quod eidem ex *natura rei* neceſſariò convenit. Quamobrèm ſuprà diximus, præcipuum diſcrimen inter jus poſitivum & naturale in eo conſiſtere, quòd illud tantùm ſit de neceſſariis *ex voluntate legiſlatoris*; hoc autem ex neceſſariis de ſe ad honeſtatem & finem creaturæ rationalis. Diſceptatur autem, quid in particulari jubeat aut vetet jus naturale.

43. Theologi resolvunt 1mò Omnia quæ in Decalogi præceptis continentur [ſi tertium quò ad determinationem temporis excipias] fore materiam juris naturalis. *Ratio* eſt: Quia hæc omnia, ſecluſa quacunque lege poſitivâ, neceſſariò conveniunt aut diſconveniunt naturæ rationali, ùt patet eunti per ſingula; & ſigillatiùs per diſtincta capita examinabimus. Quis enim mentis compos non ſentiat, creaturam rationalem non debere Deum Creatorem ſuum colere, parentes honorare, abſtinere a perjurio, blaſphemia, furto, homicidio, adulterio &c.? Unde, quando *l. bona fides ff. Depoſiti.* dicitur: quòd multa quæ pertinent ad præcepta Decalogi, ſint materia juris gentium; ſermo eſt de jure gentium *primævo*, quod cum jure naturæ planè coincidit; ùt oſtenſum ſupra *Num.* 39. Dixi: *Si tertium &c.* Tametſi enim jus naturale præſcribat præcipiátque, Deum tanquam principium rerum omnium fore colendum, non tamen dictitat, id potiùs

Digitized by Google

die *Sabbathi*, quàm quovis alio die eſſe faciendum. Proinde, quantùm ad determinationem *Sabbathi*, eſt juris Divini poſitivi, quod abrogata lege veteri, antiquatum eſt per legem Evangelicam, in qua Eccleſia tranſtulit obligationem illam à die *Sabbathi* in *Dominicam* confer c. 7. n. 2.

44. Resolvunt 2dò. Multa, non tamen omnia virtutum opera, eſſe materiam juris naturalis *præceptivi*. *Ratio* 1. *partis* eſt: Quia jus naturæ præcipit, ſuo ſcilicet tempore debito, actus charitatis, juſtitiæ, religionis, temperantiæ, pietatis &c. Ex ſolo quippe lumine naturali cognoſcimus, proximo extremè indigenti ſubveniendum; cuique, quod ſuum eſt, tribuendum; Deo & parentibus honorem exhibendum; temperatè vivendum &c. *Ratio* 2 *partis* eſt. Quia multa virtutum opera non ſunt de *præcepto*, ſed duntaxat de *conſilio*. Lex enim naturæ non præcipit virginitatem colere, nudis pedibus incedere, nunquam carnes comedere &c. Quæ tamen eſſe virtutum opera, nemo ibit inficias. Cæterùm; licet hæc opera ſecundùm ſe, non ſint materia juris naturalis *præceptivi*, ſunt tamen juris naturalis *permiſſivi*, quia hæc opera non reprobat; quinimò modus, quo fieri debent, reſultat ex præcepto juris naturalis. Eſto enim opera conſilii non debeant *abſolutè* fieri, *ſuppoſitò* tamen quòd optato conſilio fiant, fieri debent juxta rectæ rationis dictamen.

45. Sigillatiùs loquendo, aſſerendum quoque eſt, tam Matrimonium in ratione ſcilicet *contractûs*, quàm cœlibatum (humano genere jam ſatis propagato) ex jure naturæ deſcendere. *Ratiò prioris* eſt, quia; ſicut homo naturaliter inclinatur ad conſervationem ſuî ipſius, ita etiam & multò magis ad conſervationem propriæ ſpeciei; Matrimonium autem eſt medium neceſſarium ad conſervationem ſpeciei in eſſe *rationali*. Nam licet per fornicationem & vagum concubitum poſſit ſpecies multiplicari & conſervari in eſſe *naturali*, non tamen in eſſe *rationali*, eò quòd ex fornicatione & vaga libidine, regulariter & ùt plurimùm ſequatur derelictio aut mala prolis educatio. Quod verò cœlibatus ſub ſpontanea libertate & abſque coactione, jure naturæ permiſſus ſit, inde evincitur; quia cœlibatus eſt bonum longè excellentius bono conjugii; tum quia præter mentis ſingularem tranquillitatem, expeditiorem cœleſtium rerum contemplationem affert; tum etiam, quia majorem ſimilitudinem mortalibus cum Deo, qui totus eſt ſpiritus, adſciſcit. Quando igitur nonnulli carne magìs, quàm ſpiritu animanti contendunt, Matrimonium eſſe ſub præcepto inſtitutum, utpote ſine quo genus humanum creſcere & multiplicari haud potuiſſet: *Reſpondendum* eſt; præceptum illud fore *affirmativum*, *indefinitum* & *indeterminatum*, non obligans ſingulos & quovis tempore, videlicet, quo genus humanum ſat multiplicatum exiſtit. Porrò præceptum hoc reducitur ad præceptum dilectionis proximi, quatenus conſervatio & multiplicatio ſpeciei, pertinet ad bonum proximi. Alii volunt illud reduci ad præceptum *de non occidendo*, quatenus, qui nollet in neceſſitate Matrimonium contrahere, cenſeretur quaſi occidere genus humanum.

46. Quæri hìc poſſet, an *Polygamia* ſit contra jus naturæ? *Vitriarius in Inſtit. jur. nat. cap.* 5. *n.* 16. & ex eo *Schmier l.* 1. *Tract.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 2. §. 4. *n.* 120. cum variis Theologis id indiſtinctè affirmat, tam de polygamia *virili* quàm *fœminina*. Econtra *Grotius l.* 2. *cap.* 5. §. 9. *n.* 3. putat nequidem polygamiam fuiſſe in veteri lege, jure Divino prohibitam. Etſi enim (inquit) ex prima illa conditione, qua

uni

uni mari fœminam non niſi unam, Deus attribuit; ſatìs appareat, quid optimum ſit & Deo gratiſſimum, atque hinc ſequatur ſemper id fuiſſe egregium & laudabile, non tamen lex ulla, ea de re exſtabat aut data fuit. Unde (pergit *Grotius*) cùm Deus ſive per *Adamum* ſive per *Moyſen* dixit, tantum eſſe fœdus Matrimonii, ut vir parentis familiam relinquere debeat, quò novam cum uxore familiam conſtituat, idem fermè dixit, quod Pharaonis filiæ dicitur. *Pſal.* 45. ℣. 11. *Obliviſcere populi tui, & domûs patris tui.* Tametſi autem ex hac tam arctæ amicitiæ inſtitutione ſatìs appareat, Deo gratiſſimum eſſe, ut perpetua ſit ea conjunctio, non tamen eo evincitur, à Deo jam tum imperatum, ne qua de cauſa fœdus illud ſolveretur. At *Chriſtus*, quod Deus inſtitutione conjunxerat, id ab homine ſeparari vetuit, ex eo, quod optimum, Deóque acceptiſſimum eſt, digniſſimam lege nova deſumens materiam. Ita *Grotius loc. cit.* Pro reſolutione autem hujus quæſtionis.

Obſervandum eſt cum *D. Thoma* 3. *p. q.* 65. *art.* 1. *in corp.* Duplicem eſſe Matrimonii finem; unum *principalem*, ſcilicet prolis procreationem & educationem, qui quidem finis convenit homini, ùt animal eſt, proinde cæteris animantibus communis: alterum *ſecundarium*, qui conſiſtit in mutuo obſequio, inque communicatione bonorum & operum inter conjuges, & hic ſolis hominibus proprius eſt.

47. Hoc obſervatô, abſque hæſitatione aſſeri poteſt, quòd polygamia ſeu pluralitas uxorum ſub uno viro, non ſit *directè* contra jus naturæ, licet fini ſecundario Matrimonii aliquatenus adverſetur. Ita docet *Doctor Angelicus loc. cit. in corp.* his verbis: *pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem, cùm unus vir ſufficiat pluribus uxoribus fœcundandis & educandis filiis inde natis: ſed ſecundarium finem, etſi non totaliter tollat, multùm tamen impedit, eò quòd non facilè poteſt eſſe pax in familia ubi uni viro plures uxores junguntur.* Cùm zelotypiâ laboret fragilis fœminarum ſexus, & fieri nequeat, quin viri affectus magìs feratur in unam quàm alteram. Tum etiam; quia finis ſecundarius Matrimonii (poſt peccatum *Adami*) eſt remedium contra concupiſcentiam, quo non ſemper ad votum uti poteſt uxor, cujus vir plures habet thori ſocias.

48. Concludimus autem cum tota tum *Thomiſtarum* tum *Schotiſtarum* ſchola, Polygamiam omni tempore fuiſſe jure divino prohibitam, & proinde, non niſi Deo diſpenſante, permiſſam fuiſſe in veteri lege. Ratio *primi* eſt. Quia Deus verè præceptum dedit, dum dixit *Geneſ.* 2. ℣. 24. *Relinquet homo patrem ſuum & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Neque hoc præceptum unquam Deus ſuſtulit. Ratio *ſecundi* eſt; quia viri ſancti, ùt *Abraham*, *Iſaac*, *Jacob*, *David* &c. plures habuerunt uxores, nec eam ob cauſam, ullibi reprehenduntur in S. Scriptura. Ergo dicendum, quòd Deo diſpenſante id fecerint. Atque ita expreſsè docet *Innocentius III.* in *cap. gaudemus. De divortiis.* Diſpenſatio autem ſupponit legem in ſuo vigore permanere, licet ſopiatur ejus obligatio pro tempore diſpenſationis, reſpectu illorum, cum quibus diſpenſatur. Nec

Obest 1mò. Quòd nullibi legatur diſpenſatum eſſe à Deo. ℞. enim cum *D. Thoma* 3. *p. q.* 65. *art.* 2. diſpenſationem illam factam eſſe *per internam inſpirationem principalioribus ex populo Iſraelitico, & per ipſos aliis*; cùm non ſit credibile, tot viros in ſacra hiſtoria laudatos, totâ vitâ in adulterio vixiſſe. Quanquàm au-

tem

Digitized by Google

tem poſteriores, poſt primam uxorem, in S. Scriptura interdum vocentur concubinæ, inde tamen non ſequitur, quòd non fuerint veræ uxores. Dicebantur enim concubinæ; quia tantùm ad prolium generationem, non verò ad domûs gubernationem aſſumebantur. Gubernium enim domûs uni ſolitum erat committi: præterquàm, quòd hæc nomina ſæpe confundantur, ùt patet *Judic.* 19. ℣ 10. ubi uxor *Levitæ*, vocatur ejus concubina. Nec

Obest 2dò Quòd *Salomon* 3. *Reg. cap.* 11. de multitudine uxorum reprehendatur. Non enim reprehenditur de multitudine præciſè, ſed de nimia multitudine contra præceptum factum Regibus. *Deuteron.* 17. ℣ 17. non aſſumendi uxores ſinè numero; tum, ne amor fœminarum ipſos retraheret à debito Regni regimine; tum, ne nimiùm diffuſæ libidini incumberent, tum denique, ut aliis quoque occaſionem relinquerent conſequendi uxores.

50. Loquendo de *Polyviratu* ſeu *pluralitate virorum* ſub una muliere, certum eſt hujuſmodi Polygamiam directè repugnare juri naturæ, cùm ſit contra utrumque Matrimonii finem. Contra *primarium* quidem; quia diverſorum virorum heterogenea ſeminum mixtio vel prorſus impedit generationem prolis, vel eandem incertam reddit ex parte patris, cui potiſſima educandæ prolis cura incumbere debet. Contra *ſecundarium* verò, qui eſt pacifica familiæ gubernatio, communicatio bonorum & operum inter conjuges, mutuum obſequium, remedium incontinentiæ &c. Quia pax & tranquillitas familiæ ſub gubernantium pluralitate ſervari nequit: neque plures viri bona, tum inter ſe, tum cum uxore una, & liberis, volent eſſe communia. Mutuum quoque reddi non poterit obſequium, nec pluribus viris intuitu ejus fœminæ, promptum præſtabitur incontinentiæ remedium, ùt patet. Unde licet diſpenſaverit Deus antiquitus in polygamia, non tamen in polyviratu.

51. Quanquam autem Polygamia, Deo diſpenſante, partibus veteris Teſtamenti permiſſa fuerit; equidem in lege Evangelica, jure Divino, omnino prohibita eſt, ita ut diſpenſatio aliquando facta, nullatenus perſeveret, etiam reſpectu infidelium. Atque ita docent omnes Orthodoxi contra ſpurciſſimos *Mahumetanos*. Concilium *Trident. ſeſſ.* 24. *can.* 2. loquitur quidem de ſolis Chriſtianis, dum ait: *Si quis dixerit: licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege Divinâ eſſe prohibitum, Anathema ſit:* Aſt Concilium ita definivit, non quòd crediderit Polygamiam licitam eſſe jam infidelibus, cùm Chriſtus dicens *Matth.* 19. *erunt duo in carne una.* Suſtulerit omnem diſpenſationem, reduxeritque Matrimonium ad eum ſtatum in quo erat ab initio, cùm Deus dixit *Geneſ.* 2. ℣ 24. *Relinquet homo* &c. Sed quia agebat contra hæreticos, qui id etiam permittebant Chriſtianis. In conſequentiam hujus Doctrinæ Chriſtianæ, Eccleſia infidelem Polygamum cum omnibus uxoribus converſum, permittit manere cum ſola prima, datâ cæteris facultate nubendi quibuſlibet; adeóque ſupponit non valuiſſe conjugium cum poſterioribus. Ex dictis

52. Colligitur imò. Probabiliùs permiſſam fuiſſe Polygamiam populo Judaico, *immediatè* quidem iis, quibuſcum ordinariè loquebatur Deus, ùt *Abrahamo, Iſaac, Jacob, Davidi* &c. *mediatè* verò reliquis, in quantum Patriarchæ illi & populi Principes divinam diſpenſationem aliis verbo, exemplo, aut conſuetudine intimabant. *Ratio* eſt; Quia eadem videtur fuiſſe ratio diſpenſationis pro inferiori populo, ac pro aliis, videlicet prolium mul-

Digitized by Google

multiplicatio, quatenus augeretur numerus fidelium & Dei cultorum in populo Judaïco ſatis modico.

53. Diſputatur autem, an Polygamia ſolis Judæis fuerit permiſſa, num etiam Gentilibus? Quidam hoc poſterius negant, eò quòd reſpectu illorum ceſſaverit ratio, ob quam conceſſa fuit Judæis, nempe veri Dei cultorum multiplicatio. Alii id ipſum affirmant, freti authoritate Divi *P. Auguſtini*, qui *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 44. docet, in locis, in quibus *Jacob* quatuor aſſumpſit uxores, licitam fuiſſe Polygamiam: ibi autem viguiſſe gentilitatem, patet exemplo *Laban* idola colentis. Eò facit, quòd *Eſther* Regina Sanctiſſima, nupta fuerit *Aſſuero* Gentili jam plures uxores habenti. Prætereà, ex hiſtoriis liquet; pleráſque gentes olim, ùt divortiorum libertate (licitum enim erat conjugibus ſolvere Matrimonii vinculum) ita plurium fœminarum conjugio uſas; quanquàm ſolos Germanos ſingulis uxoribus contentos ſuo tempore fuiſſe *Tacitus* memoret. *De morib. Germ. cap.* 18. & apud Ægyptios, ſoli Sacerdotes unius fæminæ connubio uſi dicantur. Quod & apud Græcos *Cecrops* primùm, teſte *Athenæo* conſtituit, licet id ne Athenis quidem diu obſervatum fuerit, prout tum aliorum, tum exemplo docemur *Socratis*, qui duas ſimultaneè uxores habuit *Xantippen* & *Myrtonem Ariſtidis* filiam. Ut tradit *Diogenes Laërt. lib.* 11. §. 26. Ii ergo populi, qui continentiùs egerunt, ùt Romani, qui uxorum pluralitate, divortiis item, diu (uſque ad annum ſcilicet urbis conditæ 522. quo primus *Sp. Carvilius Ruga* uxori ſterili nuntium remiſit, teſte *Gellio lib.* 4. *c.* 3. & *lib.* 17. *c.* 21.) abſtinuerunt, laudandi utique ſunt, quia ad id quod perfectius, acceſſerunt. Semper enim in Polygamia & divortiis aliqua reluxit imperfectio. Unde

54. Colligitur 2dò *Monogamiam* juri ſeu rationi naturali multò eſſe conformiorem. Sana enim ratio exigere videtur, ut ſicut mulier totum corpus ſuum tradit viro uni; ita vir totum corpus ſuum tradat uni mulieri, ut ſervetur in contractu nuptiali æqualitas. Unde D. Thomas 3. *p. q.* 65. *art.* 2. *in corpore* ait: *Lex autem de unitate uxoris non humanitus, ſed divinitus inſtituta, nec unquam verbis aut litteris tradita* [nempe expreſsè & explicitè] *ſed cordi impreſſa, ſicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercunque pertinent.*

55. Perquirendo ulteriùs Materiam juris naturalis; fatendum quoque eſt, quòd error, vis, impotentia & alia quæcunque impedimenta Matrimonii, quæ defectum ſubſtantialem ſive ex parte corporis, ſive ex parte animi, puta: ratione voluntatis aut intellectûs inducunt, ex jure naturali deſcendant. Mens enim rationalis ratificare non poteſt nuptias, quibus ſubſtantialia deſunt.

56. Sed quid de origine Patriæ poteſtatis? ℞. Quatenus hæc importat jus regendi, educandi, corrigendíque liberos, meritò juri naturali adſcribitur. Quid enim prodeſſet liberos procreâſſe, niſi adeſſet jus atque obligatio illos alendi, & ritè imbuendi, caſtigandíque pro merito. Quod, ſi jus naturale *permiſſivum* conſideremus; idem jus Matri, perinde ac Patri competit, ob æqualem, ſi non majorem illius, quàm hujus in liberos amorem & laborem: quanquàm, ſi convenire non poſſint; viro utique potiùs & præſtantius imperium, quàm fæminæ conceſſum videatur. Rectiùs dixeris; jus matris eſſe æquale patriæ poteſtati comparatè ad liberos; infirmius verò & inferius, ſi tam ad patrem, quam ad liberos comparetur. Nam, ùt bene notat Hoppius ad *Tit. Inſtit. de patria poteſt.* Jure naturæ, poteſtas Matris, poteſtati Patris

eſt

eſt ſubordinata, ob maritale imperium, quod viro competit in uxorem. Quòd verò jure Romano, Pater nactus fuerit poteſtatem in liberos, non Mater, ideo eſt; quia maluit hoc jus reſpicere ad caput, quàm ad coſtam, & ideo peculiares effectus & vim majorem attribuere Patri, quàm Matri. Quamobrèm & jus Patriæ poteſtatis peculiare, inventum eſt juris civilis. *Hop. loc. cit.*

57. Rerum diviſio, ſuppoſitâ humani generis multitudine & multiplicatione, juri naturali natales ſuos debet. Tametſi enim prima mundi ætate, res aliquamdiu communes fuerint; nihilo tamen minùs iſta communio non erat juris naturalis: *Præceptivi*, ſed *permiſſivi* & *conditionati*, eò uſque videlicet reſtricta, donec pax & tranquillitas humanæ ſocietatis, receſſum à communione ac diviſionem proprietatémque rerum exigeret.

58. Non minùs etiam obligatio ſervandi fidem in pactionibus & contractibus mutuò datam, ex jure naturæ pullulat. Eſto enim liberum & arbitrarium cuivis ſit, velítne paciſci & contrahere; attamen contractus & pacta ſincerè & ſanctè inita eludere aut contemnere, ſine injuria & offenſa boni publici, ac abſque tranſgreſſione legis naturalis, non licet; alioquin quis alteri juratam etiam fidem interponenti fideret aut crederet? Certè nemo. Adeóque neceſsùm foret intercidere commercia, diſſolvi ſocietates, perire Reſpublicas, fide, utpote unico commerciorum, ſocietatum & Rerumpublicarum vinculo, deficiente. Confer *Schmier. loc. cit.* § 4. Qua ratione & ipſe Princeps tenetur ſervare contractus & pacta cum ſuis etiam ſubditis inita, quia grave nimis fidem fallere *l. Quod Principi* 1. *De conſtit. Principum.* Quæ etiam hoſti ſervanda. *Can. Noli.* 3. *cauſ.* 23. *q.* 1 Quinimò nec Princeps revocare poteſt privilegium ſubditis conceſſum ex cauſa *onerosa* vel *in remunerationem*, aut per abſolutam donationem, per quam tranſeat in dominium ſubditorum. *Zoëſius ad ff. de LL. SCtis &c. n.* 37. *& ſeq.* Vide quæ ſcripſi ad Regul. *Juris in* 6. *Decet conceſſum &c.*

59. Porrò, Teſtamenti factio, prout eſt poſtrema mentis teſtatio præcisè, non verò prout ſolemnitatibus Juris Civilis fulciri debet, ex præjactis naturalium legum regulis, quàm optimè probatur. Quid enim æquius eſt, quàm ut quæ quiſque labore & ſudore vivus ſibi parturiit bona, tum inter vivos, tum etiam in caſum ſecuturæ mortis, in alios erogare, officia demereri, & beneficia compenſare queat.

60. Huc ſpectat examinare, num jus naturale actus, quos prohibet, eo ipsô etiam irritet? circa quod ſit.

Resolutio 1ma. Quando actus naturali jure prohibitus eſt ob defectum poteſtatis vel materiæ incapacitatem, ſimul etiam eſt irritus. *Ratio* in aprico eſt. Quia tunc deeſt aliquod principium & requiſitum ſubſtantiale, quo ſine, actus nec licere nec valere poteſt. Quamobrèm, quia vis, dolus & error *circa ſubſtantiam*, tollunt aliquod principium eſſentiale, videlicet conſenſum; ideo reddunt Matrimonium & quemcunque contractum, invalidum. Hoc pacto etiam impotentia perpetua, quia inducit incapacitatem in materia, corpore ſcil. conjugis; Matrimonii licitatem & valorem ſufflaminat. Et tandem, quia re unâ, uni venditâ & traditâ, amittitur dominium ex parte venditoris; ideo etiam amittitur poteſtas rem illam alteri vendendi & tradendi, adeóque ſecunda venditio & traditio *nulla eſt*.

Resolutio 2da. Quando actus eſt prohibitus ob indecentiam in materia repertam,

Digitized by Google

tam, eáque cauſam habet perpetuam, non tantùm illicitus, ſed & invalidus eſt. *Covarruvias in* 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 6. *n.* 7. ubi & alios citat. *Ratio* eſt; quia quando actus prohibetur ob indecentiam & turpitudinem in materia inventam, eáque cauſam habet perpetuam; tunc actûs valor juri naturæ inimicus eſt, & quidem in perpetuum. Quocirca, Matrimonium in primo conſanguinitatis gradu *lineæ rectæ*, æquè invalidum ac illicitum jure naturæ reputatur. Turpitudo enim, quæ tale commercium Patris v. g. cum filia conſtituit illicitum, cauſam habet perpetuam.

Resolutio 3tia. Quando actus jure naturæ prohibitus eſt ex alio motivo; tunc ſolùm illicitè non verò invalidè ponitur. *Ratio*: Quia ſuppoſita poteſtate agentis & capacitate materiæ, remotâ aliunde turpitudine & indecentiâ; concurrunt omnia requiſita ad ſubſtantiam actûs, ex alio licet capite prohibiti; adeóque talis actus, ùt ùt prohibitus & ideo illicitus, non tamen illico eſt invalidus. Hinc Matrimonium validè contrahitur cum voto caſtitatis ſimplici: hoc enim non aufert poteſtatem in corpus proprium, potéſtque in Matrimonio poſt votum contracto, honeſtus eſſe uſus, reddendo, non petendo, debitum. Ob eandem rationem, ſecunda venditio, poſt primam, ſine traditione, factam, unà cum traditione interpoſita valet, quia penes venditorem, ante traditionem manſit dominium, adeóque abſoluta poteſtas iterum vendendi & transferendi. *Text. in cap.* 1. *de Sponſ. duor.* & *in l.* 15. *Cod. De rei vind.* Unde non omnia, quæ juri naturæ repugnant, eô ipsô, jure naturæ quoque irrita ſunt, ùt exemplo prodigæ donationis apparet: ſed ea demum, in quibus deeſt principium dans validitatem actui, aut in quibus vitium perpetuò durat in effectu, ita ut in ſingulis actibus peccatum iteretur. Principium autem hîc & in aliis actibus humanis unde jus oritur, nihil aliud eſt, quàm facultas moralis ſimul cum facultate ſufficiente ad jus producendum.

61. Occaſione hujus facultatis moralis, oritur quæſtio de voluntate ſeu conſenſu parentum, quem ad validitatem conjugii, quaſi naturaliter quidam requirunt. Aſt Theologorum & Canoniſtarum ſententia, quam aſſecutus eſt *Grotius lib.* 2. *de J. B & P. cap.* 2 §. 10. fert, jure naturæ ad valorem Matrimonii non requiri parentum conſenſum. Unde Concilium *Tridentinum ſeſſ.* 24. *cap.* 1. damnat eos qui *falsò affirmant, Matrimonia à filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe.* Veritas hujus ſententiæ colligitur ex S. Scriptura, quæ varia refert Matrimonia ſine parentum conſenſu contracta, abſque hoc, quòd illa reprehendat, quin potiùs laudet. ùt Matrimonium *Tobiæ* junioris. *Tob.* 7. Matrimonium *Jacob* cum *Lia. Geneſ.* 28. *Ratio* eſt; quia filius legitimæ ætatis & ſufficientis rationis, habet dominium plenum & integrum in corpus proprium, quò ad uſum à Deo & natura conceſſum, neque quò ad hoc à parentibus dependet. Ergo ſine illorum conſenſu, poteſt Matrimonium contrahere & novam familiam ordiri. Nec

62. Obest 1. Quod *Evariſtus* Papa *can. aliter* 30. *q.* 5. hujuſmodi Matrimonium vocet adulterium, ſtuprum, aut fornicationem. *Nam* ſic etiam vocat Matrimonia *clandeſtina*, quæ tamen *Tridentinum* docet fuiſſe rata & vera. Unde, ſicut in uno, ita altero caſu, *exaggerativè* loquitur Pontifex, inſinuando, rem eſſe regulariter illicitam Nec

Obest 2dò. *Lex* 2. *ff. de ritu nupt.* ubi, ſicut & alibi paſſim, in jure civili, re-

requiritur conſenſus parentum ad valorem Matrimonii, ſine quo, defacto in Gallia, Matrimonia filiorum ante certam ætatem contracta, irrita cenſentur. *Nam* vel jus civile correctum eſt per jus Canonicum. *Can. ſufficiat. 27. q. 2. cap. virum. de Regularib.* aut aliud non vult, quàm quòd filius ſpreto conſenſu parentum contrahens nuptias, peccet, & ideo puniri poſſit. Ad hæc; eſto in foro fori ſeu civili. (ſicut in Gallia) hujuſmodi Matrimonia, irrita reputentur; nemo tamen dixerit; illa perinde *nulla* fore in foro conſcientiæ, aut jure naturæ. Præterquàm, quòd nec Jure Romano, mater, cui tamen naturaliter liberi reverentiam debent, ſuo diſſenſu Matrimonium irritum faciat; quinimò ne pater quidem, reſpectu filii emancipati. *L. 25. ff. de rit. nupt.* In Sacris Litteris reperimus quidem pios viros multóque magis mulieres (quarum verecundiæ maximè convenit, hac in re alieno arbitrio ſtare, ut inſinuat Divus *Paulus* ad *Corinth. cap.* 7. ỳ. 36. loquens de elocanda Virgine) in contrahendis nuptiis ſecutos authoritatem parentum: nihilotamen magìs irritum pronuntiatur conjugium *Eſau*, nec liberi ejus declarantur illegitimi, eò quòd ſine tali authoritate nuptias contraxerit.

Dices. Poſſunt parentes irritare vota filiorum: ergo & illorum Matrimonia. ℞. *Diſt. Ant.* Poſſunt irritare vota filiorum ante pubertatem emiſſa *C.* Poſt pubertatem. *Subdiſtinguo.* Vota *realia. Tranſeat.* & ideo inquam *Tranſeat.* Quia de bonis *Caſtrenſibus* aut *quaſi Caſtrenſibus*, non ſunt irritabilia. Vota *perſonalia*, ſaltem illa, quæ reſpiciunt vocationem & ſtatum vitæ perpetuum. *N.* Unde, ſicut poſſunt ſine conſenſu parentum validè Religionem profiteri; ita & validè nuptias contrahere.

63. Quanquam autem jure naturali, abſque parentum conſenſu, validè contrahantur nuptiæ; equidem ordinariè filii debent parentes conſulere & ſub gravi peccato illorum conſenſum poſtulare ac obtinere, niſi ſint irrationabiliter inviti. *Ratio* eſt; quia honor & reverentia parentibus debita poſtulat, ut rem tam arduam, tantúmque onus non ſubeant liberi, niſi ipſis conſultis & conſentientibus.

Dixi: *Niſi ſint irrationabiliter inviti.* Veluti: ſi nimiùm differant, ſi aut nullam, aut futilem allegent rationem: ſi ideò impediant, ne cogantur dotem aut donationem propter nuptias, dare, ne liberorum operis, ſine quibus vivere poſſunt, carere cogantur. Erunt tamen *rationabiliter inviti*, ſi ex hujuſmodi Matrimonio juſtè apprehendantur diſcordiæ graves, ſcandala, odia, domûs ruina, ignominia, dedecus. Ex his

64. Deducitur 1mò. Filium invitum non teneri obedire parentibus præcipientibus nuptias cum tali præcisè perſona aliunde honeſta & ſtatui ſuo proportionata. Quia in eligendo tanto onere, debet potiſſimùm amor & propenſio propria, ſtimulum addere. Nihilominus

65. Deducitur 2dò. Non eſſe injuſtas leges civiles permittentes parentibus exhæredare liberos contra eorum voluntatem nuptias contrahentes. Supponunt enim leges, juſtum & rationabilem eſſe parentum diſſenſum. Hujuſmodi autem leges refrœnant ſtultas, imprudentes & præcoces atque præcipitatas adoleſcentum cupiditates, ex quibus cum magno reipublicæ detrimento, tot infelicia, ſcandaloſa, imò & cruenta perſæpè ſequuntur connubia. Neque attendi meretur, quòd iſtiuſmodi leges videantur nocere libertati: nocent enim libertati effrœnatæ & proſunt libertati honeſtæ & per prudentiæ dictamina moderatæ. Quòd ſi enim probaretur injuſtus parentum diſſenſus, ta-

Digitized by Google

taliſque à judice declararetur, *nulla* foret exhæredatio, quia non cenſentur leges tali caſu illam permiſiſſe.

66. Deducitur 3tiò. Ob Matrimonii libertatem, meritò ſtatutum eſſe à Concilio *Tridentino ſeſſ.* 24. *cap.* 9. *de reform.* ut Magiſtratus & domini temporales *injuſtè* ad Matrimonium cogentes, incurrant ipsô factô excommunicationem. Dictum. *Injuſtè cogentes.* Si enim coactio ſit juſta, qualis poteſt eſſe reſpectu defloratoris virginis; non incurritur illa pœna, cùm tunc nulla ſupponatur culpa. Quinimò illam non incurrunt, injuſtè Matrimonium impedientes, aut prohibentes; cùm aliud ſit Matrimonium impedire, aliud ad id cogere; verba autem præſertim pœnam infligentia non ſint ultra proprietatem extendenda, niſi aliud conſtet. Tametſi etiam Parentes peccent, dum liberos ad Matrimonia cogunt, Excommunicationem tamen non incurrunt, quia Concilium ſolùm loquitur de Magiſtratibus & dominis temporalibus, cujuſcunque gradûs & dignitatis, ùt legenti evidenter patebit. Si ob materiæ connexinoem.

Quæras: Quódnam debeat eſſe objectum conſensûs Matrimonialis? ℟. Conſenſus Matrimonialis neceſſariò ferri debet in tria; Scilicet 1. In traditionem irrevocabilem poteſtatis mutuæ in corpus. 2. In obligationem debiti reddendi, ubi compars rationabiliter id poſtulaverit. 3. In vinculum Matrimonii perpetuum. *Ratio* eſt; Quia illa omnia vel pertinent ad ſubſtantiam Matrimonii, vel eam neceſſariò concomitantur aut ſubſequuntur. Ut patet conſideranti. Neque de hoc eſt eſt difficultas; diſputatur tamen inter Theologos: num conſenſus ille neceſſariò ferri debeat in commercium carnale ſeu copulam? Quidam id abſolutè requirunt, aliis negantibus. Aliqui ſaltem implicitum conſenſum de neceſſitate poſtulant.

68. Probabilior ſententia eſt, non requiri ad valorem Matrimonii ullum conſenſum in copulam carnalem. Nam inter Deiparam Virginem & S. Joſephum, fuit verum Matrimonium, abſque hoc quòd Sacratiſſima Virgo conſenſerit aut conſentire potuerit in copulam carnalem, ob votum Virginitatis. Veritas iſtius Matrimonii probatur tum ex S. Scriptura quæ ſexies *Mariam* vocat conjugem, & *Joſeph* virum ejus. Tum ex Divo *P. Auguſtino lib.* 23. *Contrà Fauſtum cap.* 8. ubi docet, fuiſſe inter ipſos verum conjugium *non concubitu, ſed affectu; non commixtione corporum, ſed copulatione* (*quod charius eſt*) *animorum.* Tum ex *Doctore Angelico*; 3. *p. q.* 29. *art.* 2. ubi ait: *Omninò verum fuiſſe Matrimonium Virginis Matris Dei & Joſeph.* His adjungi poteſt *Doctor ſubtilis in* 4. *Diſt.* 30. *q.* 2. ubi id prolixè probat; ac quomodo id fieri potuerit ſine præjudicio Virginitatis, tribus exemplis declarat *ibid. n.* 6.

69. Quando autem S. *Hieronymus*, *Baſilius* & alii Patres inſinuant S. Joſephum fuiſſe quidem Sponſum Mariæ, ſed non Virum. Nihil aliud juxta S. Scripturæ tenorem intendunt, quàm quòd inter Divam Virginem & S. Joſephum non fuerit Matrimonium *conſummatum*, ſed duntaxat *ratum*; unde meritò vocantur Sponſi, quod & moribus hodiernis receptum, ut ſcil. nubentes, ante Matrimonii conſummationem vocentur *Sponſi*.

Ratio autem ſuprapoſitæ ſententiæ eſt; Quia aliud eſt jus in copulam, & aliud uſus copulæ, & poteſt quis tradere primum, non intendendo ſecundum. Proinde, ſicut poteſt quis vendere dominium agri directum, ſeu quò ad proprietatem, retento dominio utili; ita & tradere poſſunt conjuges dominium in mutua corpo-

ra, non tradito dominio utili, ſeu uſu in actum carnalem, dum uſus eſt ipſis prohibitus ob promiſſionem Deo factam.

Dices. Transferens dominium equi, ejus quoque uſum transferre cenſetur. Ergo qui transfert dominium corporis ad uſum conjugii, cenſetur utique conſentire in copulam. ℞. *Diſt. conſeq.* Ergo qui transfert &c. cenſetur conſentire *ordinariè loquendo*. C. Si pactum contrarium intervenerit. N. Diſparitas autem inter unam & alteram tranſlationem dominii eſt: Quod tranſlatio dominii in equum abſque ejus uſu, foret omnino inutilis, nugatoria, imò accipienti oneroſa & nociva, quod ſecus eſt in tranſlatione dominii in corpus, ſine actuali ejus uſu; habet enim hujuſmodi tranſlatio alios effectus aliáſque utilitates. Siquidem taliter conjuncti non poſſunt vivente comparte, alias nuptias contrahere; & ſi carnaliter commiſcerentur inter ſe, non eſſent rei fornicationis, ſed tantùm ſacrilegii, ob violatum (ut ſupponitur) continentiæ votum. Adhæc, taliter conjuncti, mutuò ſe juvare deberent in regimine familiæ, & ſervata individua vitæ ſocietate, invicem ſibi auxilio & ſolatio eſſe deberent in adverſis.

Replicabis. Poteſtas ſeu jus in uſum corporis cum obligatione non utendi, non eſt vera poteſtas. Ergo. ℞. *Diſt. Ant.* Non eſt vera poteſtas proxima & expedita C. radicalis & remota, quæ ad Matrimonium ſufficit, *Nego*.

Urgebis. Matrimonium ex natura ſua ordinatur ad generationem: ſed qui non intendit copulam carnalem, non intendit generationem. Ergo nec intendit Matrimonium. ℞. *Diſt. maj.* Ordinatur ad generationem *tantùm* N. Alioquin non ſubſiſteret conjugium in ſenibus: prout argumentatur *S. P. Auguſtinus lib. de bono conjug. c.* 1. Ordinatur ad generationem vel individuam vitæ ſocietatem, vel ad utrumque ſimul. C. Nolim autem inde *inferas*; poſſe tali pacto duos maſculos Matrimonio conjugi: ſiquidem, licet poſſent conjungi ſocietate & animo, non tamen cum jure radicali ad copulam carnalem, ſine qua non conſiſtit Matrimonium.

Obsistes. Juxta *D. Thomam in* 4. *diſt.* 3 *q.* 2. *art.* 2. *Quæſtiunc.* 2. *ad* 3. requiritur conſenſus ſaltem implicitus in copulam. Ait enim: *Dicendum: quòd copula carnalis cecidit implicitè ſub conſenſum B. Virginis.* ℞. Requiri conſenſum implicitum *ex parte contractûs*, non autem *ex parte contrahentium*. Certè, qui vult contractum, qui ex natura ſua ordinatur ad poteſtatem in copulam, utique ex vi contractûs vult, ſeu intendit copulam *in potentia*, ſeu copulam *ùt poſſibilem*, non verò neceſſariò ex parte *actûs* intendit copulam ùt perficiendam. Quando igitur *S. Thomas* aſſerit, Deiparam Virginem implicitè conſenſiſſe in copulam, nil aliud indigitare vult, quàm quòd conſenſerit in contractum ordinatum ad copulam conjugalem *ùt poſſibilem*.

Insurges adhuc. Traditio poteſtatis in copulam ſine obligatione ad illam, obeſt bono prolis. Ergo. ℞. *Diſt. Ant.* Obeſt *poſitivè* N. Obeſt *negativè* ſeu nihil confert ad bonum prolis. C. Verùm ad hoc nihil tenentur conferre nubentes. Si enim contracto Matrimonio, ex mutuo conſeſſu, poſſint continentiam ſervare, prout fecit *S. Elzearius* cum *B. Delphina*, quidni idem poſſint nubentes promittere Deo, ſalvo Matrimonio? Igitur potuit Diva Virgo non obſtante voto caſtitatis, licitè Matrimonium contrahere cum *B. Joſepho*, vel quia convenerant de mutua continentia, vel quia Deo revelante noverat, virginitatem ſuam nullatenus à Sponſo ſuo violandam.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

DE
Univerſalitate & immutabilitate Juris Naturalis.

SUMMARIUM.

1 *JUs Naturale*, divinum *quoque eſt omnes obligans.*
2 *Vetuſtiſſima & primordialis lex eſt.*
3 *Jus naturale nec Regni causâ violandum.*
4 *Naturæ lex derogat cunctis legibus poſterioribus ſibi adverſantibus, & omnis diſpoſitio debet eſſe conformis juri naturali.*
5 *Jus naturale latiùs patet legibus civitatum.*
6 *Solum jus naturale ſufficit ad honeſtè vivendum.*
7 *Lex naturæ univerſalis eſt, ſummos infimóſque peræquè obligans.*
8 *Nec diſpar hominum conditio nec locorum intercapedo mutat jus naturale.*
9 *Jus naturale penitus immutabile, & quare?*
10 *Pleniùs exponitur ſtatus quæſtionis.*
11 *Lex dupliciter mutari poteſt.*
12 *Lex nat.* impropriè *mutari poteſt.*
13 *Aſt* propriè, *etiam à Deo mutari nequit.*
14 *Diſſolvuntur objectiones, & ſignanter refutatur ſententia* Patris Henno.
15 *Quid ſit Epikeia, interpretatio, abrogatio, derogatio & diſpenſatio?*
16 *Papa nequit diſpenſare in jure naturæ.*
17 *Imò ne Deus quidem.*
18 *Quâ ratione olim Deus permiſerit Polygamiam & divortia?*
19 *Matrimonium* ratum, *quo pacto diſſolubile?*
20 *Profeſſio religioſa, quatenus dirimat Matrimonium?*
21 *Converſio ex infidelitate, qualiter rumpat Matrimonium?*
22 *Manens infidelis, non poteſt ante converſum, ad alias nuptias tranſvolare.*
23 *Infidelis porrò converſus, non poteſt ad* compartem *jam novo Matrimonio junctam, reverti.*
24 *Fidelis non poteſt conjugem infidelem volentem pacificè cohabitare, repellere etiam quò ad thorum.*
25 *Paganiſmus ſuperveniens, non facit rumpi Matrimonium cum fideli contractum.*

26 Ali-

26 *An converſus non monitâ* comparte *longiſſimè diſtante, poſſit ad alias nuptias tranſire?*
27 *Epikeia quatenus habeat locum in jure* nat.?
28 *Cur non æquè in jus* nat. *quàm* poſitivum *cadat?*
29 *Lex* nat. *obligat etiam Angelos & beatos.*
30 *Refutatur* David Mevius.
31 *Mutari poſſunt quæ libertatis naturalis ſunt.*
32 *Jus* Nat. *aliud* abſolutum *aliud* hypotheticum.
33 *Una lex* nat. *fortior vincit debiliorem.*
34 *Jus* nat. *non limitatur per utilitatem hominum.*
35 *Tranſgreſſio juris* nat. *illud non mutat.*
36. 37. 38. & 39. *in quo conſiſtat finis juris* nat.?
40 *Jus* nat. *non conſequitur vim ſuam à legibus civilibus.*
41 *Jus naturale duo habet tribunalia.*
42 *Deus acerrimè punit juris naturalis violatores.*

1. N*Aturæ rationem*, ſeu jus naturale, *legem eſſe Divinam*, agnovit *Cicero de Offic.* 3. Eſt enim jus illud à Deo inſculptum mentibus hominum, quod parem vim & authoritatem habet ac illud, quod Deus libera voluntate ſanxit & verbo ſuo publicavit. Non enim quod Deus per naturam injunxit, minus lex eſt, quàm quod verbo revelavit. Unde Gentes, quæ nullam S. Scripturæ notitiam habebant, non leviùs in Deum peccârunt, teſte Divo *Paulo*; *ad Rom. cap.* 1. & 2. quàm Judæi aut cæteri, qui promulgatas à Deo leges violârunt.

2. Jus naturale antiquiſſima lex eſt, quia cum ipſo homine cœpit, & quaſcumque alias leges anteceſſit; ita, ut teſte *Tertulliano*: *De interdicto arboris ſcientiæ boni & mali. Adverſus Judæos. cap.* 2. rectè vocetur *lex primordialis* & quaſi *matrix* omnium præceptorum. *Ante legem Moſi ſcriptam* (inquit *Tertull.* ibid.) *in tabulis lapideis, legem fuiſſe contendo non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur & à patribus cuſtodiebatur. Nam, unde Noë juſtus inventus, ſi non illum naturalis legis juſtitia præcedebat? Unde Abraham amicus Dei deputatus, ſi non de æquitate & juſtitia legis naturalis?* Similiter vim ejus omni lege antiquiorem, oſtendit Divus *Hieronymus in Epiſt. ad Galat. cap.* 3. inquiens: *Per hanc naturalem legem & Cain cognovit peccatum ſuum dicens: major eſt cauſa mea, quàm ut dimittar! & Adam & Eva agnoverunt peccatum ſuum & propterea abſconditi ſunt ſub ligno vitæ. Pharao quoque, antequàm lex daretur per Moſen, ſtimulatus lege naturæ, ſua crimina confitetur & dicit: Dominus juſtus eſt, ego autem & populus meus impii.* Et ad illud *Iſaiæ*: *Quia tranſgreſſi ſunt legem, mutaverunt jus, diſſipaverunt fœdus ſempiternum. Audiant* [inquit *S. Hieronymus*] *Judæi, qui ſe ſolos legem accepiſſe Domini, gloriantur, quòd univerſæ primum gentes, totiúſque orbis, Naturalem acceperit legem, ac idcirco poſtea lex data ſit per Moſen, quia prima lex diſſipata eſt.* Ex iſta naturali lege tanquàm fonte & ſcaturigine, profluxit, quidquid in aliis legibus juſtum eſt, quia hæ omnes ad inſtar fluminum ex iſto mari fluunt & in illud refluunt: &, ut una quæque res naturalis, ad ſua principia reducitur: ſic & ad primam humanitatis regulam, cuncta

cta, quæ ad juſtitiam pertinent, eò rediguntur.

3. Sicut autem lex naturalis, prima & ſumma eſt, ita ad illam, ab omnibus provocatur, cùm aut accuſant vel excuſant facta. Summam quidem legem, *Cicero* dixit, eſſe *ſalutem populi*; aſt, ſicut populi omnes, naturæ ſubditi ſunt; ita ſalus populi, cedere debet legi naturali. Proinde, ſicut in illam, nulla populi poteſtas diſpenſandi; ita nec populi cauſâ, negligenda, nedum violanda. Impiè enim conſulitur Reipublicæ, ubi læditur pietas & honeſtas. Quod igitur à Cæſare dictum refertur: *Si jus violandum, Regni causâ violari debere*; ſi ad naturale jus referas; impiè & turpiter dictum erit. Illius ſiquidem neceſſitas, peræquè ſummis incumbit poteſtatibus, neque credendum eſt aliquid Reipublicæ ſalutare, niſi quod pietati & juſtitiæ conſonum.

4. Inter leges mundi voluntarias poſterior derogat priori, quia in poteſtate conſtituentium eſt, leges, quas voluerint, ſancire; At naturæ lex antiquior, cunctis poſterioribus eidem adverſantibus vim demit, dum, quod jubet vetátve, in contrarios mores deduci non ſinit. Cùm enim omnem poteſtatem ſuperet; ei in definitè obtemperandum. Quocirca; ubi naturæ & Civitatum leges colliduntur, aut *hæ* ita accipiendæ & interpretandæ, ne quid *illis* contrarium fiat; aut, ſi id tenor non admittit; pro nullis & invalidis habendæ erunt Ex eadem vi juris naturalis oritur, quòd cætera jura & imperia limitata ſint, & nihil permittere queant, niſi quatenus per illud licet. Sicut etiam in aliis, pro impoſſibilibus habemus ea, quæ rerum naturæ repugnant; ita & eo loco cenſemus ea, quæ juri naturali adverſantur. Unde profluxit JCtorum diſtinctio: quòd alia ſint *naturâ*, alia *jure* impoſſibilia. Quò ſpectat *Papiniani* præclara ſententia *l. 15. ff. de condit. Inſtit. Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, &, ut generaliter dixerim; contra bonos mores ſunt; ea nec facere nos poſſe credendum eſt.* Sicut ergo omni legi, juſſui, diſpoſitioni aut conventioni; tacita ineſt conditio: *ſi ſit poſſibile*; ita & hæc ſubintelligitur; *ſi juri naturali non ſit adverſum.* Nam naturâ prohibitum, pro impoſſibili habetur. Unde, quia nullus vir bonus præſumitur voluiſſe, quod naturâ reprobatum; ideo, quæ diſpoſuit vel tractavit, juxta juris naturalis tramitem feciſſe cenſetur. Quinimò, ex eodem jure, omnium non modò legum, ſed & actuum dubitatio, veluti clavi regiâ, reſeranda eſt. Ab iſto quippe minimum deſciviſſe creduntur, dum non debuerunt, adeòque quidquid dictum, ſcriptum, actúmve; ea mente profectum videtur, ſicut rationi ſeu juri naturali convenit. Et cùm inter eos, qui eundem non agnoſcunt ſuperiorem, ex alio jure, nulla ſit obligatio; hinc ipſorum fœdera, cautiones, pacta, dicta, facta, quoties in diſceptationem veniunt, ex jure naturali & ſociali, interpretationem & definitionem accipere debent, nempe; ut honeſtas, pietas & juſtitia non lædantur.

5. Naturæ jus, omni alio jure, latius pleniúſque eſt. Quæ Civitatum Gentiúmque jure conſtituta ſunt, ultra conſtitutionis caſum, certam regulam aut argumentum infallibile non efficiunt. Imò non omnia, quæ non jubentur, ideo ſtatim injuſta, nec quæ non vetantur, juſta ſunt In legibus enim humanis, argumentum *negativum*, non procedit. Quinimò, legibus civitatum, cunctos complecti caſus, tam eſt impoſſibile, quàm comprehendere cuncta, cogitatione, quæ circa humana in infinitum accidunt. Oportuit igitur, quæ conſtitutionem non habent, aliam habere regulam, illam nempe, quam

natura,

natura, quæ omnibus ineſt, dedit. Dum itaque deficit civitatum conſtitutio, ſpectatur naturæ ductus, qui latioribus terminis res humanas regit. *Quàm anguſta* [ait *Seneca lib. 2. de ira. cap. 27.*] *innocentia eſt, ad legem bonum eſſe? Quantò latiùs officiorum patet, quàm juris regula? quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt? Quæ omnia extra publicas tabulas ſunt.* Idem *lib. 5. de Benefic. cap. 21. Multa* (inquit) *legem non habent nec actionem, ad quæ conſuetudo vitæ humanæ, omni lege valentior, dat aditum. Nulla lex jubet amicorum ſecreta non eloqui, nulla lex, fidem etiam inimico præſtare... querar tamen cum eo, qui arcanum ſermonem non continuerit, & fidem datam, nec ſervatam, indignabor.* E'contra & evenit, plura ex his, quæ lege permittuntur, humanitatis jure improba cenſeri: quod obſervavit olim *Cicero lib. 3. de Offic.* ſic perorans. *Plurima, etſi propter depravationem conſuetudinis, neque more, turpia habeantur, neque aut lege ſanciantur aut jure civili, naturæ tamen lege, ſancita ſunt.* Rectè igitur Jus naturale, cujuſcunque alterius juris, ſupplementum dicitur; quia, ubi alia non ſuppetit agendi vivendíque regula; ex illo norma deduci debet, ut non ineptè aſſeratur, vim & perfectionem juris *voluntarii*, à *naturali*, eſſe; & in civitate, leges naturales juri civili ſuccenturiari; licet etiam juri naturali, leges civiles, ſive imperantium authoritas, neceſſitatem parendi adjungant; ipſam tamen æquitatem, conciliat ratio naturalis. Cæterum; ſicut rivulus, per multas ambages & circuitus, aliquando longiùs à fonte excurrens, ex illo tamen multa trahit & retinet; ita jura civilia, per cauſarum, negotiorum & circumſtantiarum anfractus, ſæpe ab origine ſua recedunt, diverſiſque modis diſtenduntur in civitates diverſas; robur tamen vim & actionem obtinent, ducúntque potiſſimùm ex naturali jure, veluti ſuo primævo fonte, à quo approbantur, defenduntur, explicantur & ſuſtinentur.

6. Non abſque fundamento à veteribus creditum, jus naturale eſſe normam ſufficientem ad bene vivendum moraliter. Dixit enim *Cicero lib. 1. de Offic. Naturam ducem ſi ſequimur, nunquam aberrabimus.* Quin & *Gentium Doctor ad Rom. cap. 2.* damnans gentes peccantes contra legem cordibus inſcriptam ſine ulla alia lege, docet, illam plenam atque ſufficientem continere vivendi normam. Idque demonſtratum faciunt vetuſtiſſimi mortalium, qui ſine aliis legibus, iſtâ naturali ſcilicet duce & luce, ſanctiùs honeſtiúſque vixerunt, quàm alii, poſterioribus ſæculis, ſub conſtitutionum farragine. Certè legum cumulus, corrupti ſtatûs argumentum eſt. Nam, ùt *Tacitus* ait *lib. 3. Annal. Corruptiſſimâ Republicâ, plurimæ leges. Niſi enim peſſimis effuſiſſimiſque moribus viveretur.* (Inquit *Macrobius 3. Saturnal. cap. 17.*) *profectò opus ferundis legibus non fuiſſet. Vetus verbum eſt: leges bonæ ex malis moribus procreantur.* Igitur, quod ultra jus naturæ, plures ſint latæ leges, profectum, ob hominum vitia, qui nudâ ratione ſe refrenari non patiebantur, quóſque potentiore metu contineri oportuit.

7. Lex naturalis hominum animis indita, univerſalis eſt, omnes ſub ſole populos obligans. Unde *Juſtinianus §. 2. Inſt. de Jure nat. Gent. & Civ.* illam dicit eſſe, *jus humano generi commune.* Quivis enim ratione præditus, juxta rationem vivere debet, illámque naturalem legem ab authore ſuo Divinam, agnoſcere cogitur; ita, ut ab illa non magis diſcedere poſſit, quàm exuere humanitatem. Neque ex eo, quòd ea, quæ naturalis juris ſunt, à multis non ſerventur, inferendum eſt; jus naturale

Digitized by Google

naturale non eſſe univerſale, neque omnes peræquè ſtringere. Sicut enim in cæteris legibus pro univerſa civitate conditis, inter conſtitutionem vímque obligandi, ac obſervantiam ſeu praxin & uſum, multùm intereſt; licet inquam lex non ſervetur ab omnibus, ideo tamen non minùs univerſalis eſt; ſic & lex naturalis nihil de ſua univerſalitate amittit, quòd non cuſtodiatur ab omnibus. Siquidem, teſte *Senecâ Epiſt.* 86. *Æquum jus eſt, non quo omnes uſi ſunt, ſed quod omnibus latum eſt.* Nihil ergo de lege naturali mutat tranſgreſſio populorum, quin & in tranſgreſſores, ipſi vis ſua, quam conſcientia ſæpe exequitur. Ab hoc jure, neminem humana poteſtas eximere valet, quia omnis humana potentia infra naturam eſt. Sicut igitur ſub Deo, omnis etiam ſumma orbis authoritas, poſita; ita naturali juri, velut divinæ cordibus inſcriptæ legi, omnes, ſummi infimíque ſubſtrati ſunt. Ut impia non minùs, quàm ſtolida ſit ipſorum perſuaſio, qui potentiam, ab omni jure abſolvunt, jactitantes: *in ſumma fortuna, id æquius, quod validius: Regni causâ, jus violandum: Imperii gratiâ, injuriam, in jus migrare, Decalogum, legem privatorum eſſe; latiorem licentiam datam potentibus.* Hæc faſtuoſa potentiæ imaginatio non omnino recens eſt, ſiquidem prima mundi ætate, ſtatim eminuit, ubi homines viribus & poteſtate diſpares eſſe cœperunt. Quinimò Sacer Codex inter diluvii cauſas *Geneſ. 6. ℣. 4.* refert tyrannorum ortum & extuberantem atque giganteum ipſorum faſtum. Graviſſimè ergo aberrant, qui leges ad hoc inventas credunt, ut ſaltem ii, qui in parendi conditione exiſtunt, coërceantur, collocatis verò in ſumma fortuna, jus omne ex voluntate, voluntatem verò ex utilitate metiendam eſſe. Profectò hoc ſentire & docere, eſt homines, *Diabolos* efficere, atque illos ſupra Deum evectos velle. Cùm certum ſit, naturæ leges, à Deo omni humanæ creaturæ inditas eſſe, quâ fronte ſe præſumunt ab iis eximere, qui ſe homines agnoſcunt? & cùm non omne, ſed *juſtum* imperium, à Deo ſit, ipſíque placeat; quî ſummam juſtitiæ regulam naturæ divinitus incluſam ſpernere non verentur? Dei de hoc voluntas & juſſus, inter ſacra dogmata, multifariàm apparet, tum ex mandatis ad Reges, de cuſtodienda & obſervanda lege ſua, tum in comminationibus, ipſis factis, ſi neglexerint; tum ex ſeveriſſimis judiciis, quæ per bella & calamitates, Deus olim variè in Reges exercuit. Quod ſummæ etiam poteſtates naturæ legibus ſubjectæ ſint, vel inde probatur, quòd maximi Reges, earum vincula, obligationem & exiſtimationem revereri cogantur. Siquidem his, inviti vinciuntur, qui vincunt viribus, nec evitare poſſunt, quin manifeſta ipſorum facinora, conſentiente bonorum judicio condemnentur, & ſui ipſorum animi ſententiâ, immunes non habeantur. Certè ipſe ordo ſuperioritatis, quem in cœlo ſuſpiciunt, terræ (ùt ùt ſupremi domini ſint) monet & devincit rerum potentes, quòd in naturæ leges non plus ipſis liceat, quàm plebi adverſus decreta Magiſtratuum, Decurionibus contra Præſidum Edicta, Præſidibus, in Regum ſanctiones: adeò, ut hac in re, nullum inter imperantem & parentem, Regem & ruſticum, ſit diſcrimen. Etſi ergo, qui poteſtate pollent in ſervos, eorúmque bona; magnam jure Romanorum, habeant facultatem; equidem pietas & naturalis ratio, limitat & temperat imperium quoque herile; & quæ licere videntur, *velut in ſervos*, moderanda ſunt, *velut in homines* vitæ communis participes & æternæ gloriæ futuros cohæredes.

8. Sicut diſpar hominum conditio iſtius uni-

univerſalis legis indolem non mutat; ita idem jus illud, per locorum diſtantiam non alteratur. Siquidem ex eo in exteros obligatio, & ab iis, naturalium debitorum exactio proficiſcitur: & naturalis ratio, pro communi ſalute generis humani, evexit jus illud ſupra privatas utilitates, ut fœdum ſit communi ſenſatorum judicio, ob privata commoda, in hominem quantumvis peregrinum, eſſe injurium, Quanquàm etiam patriæ aut communitatis emolumenta, in omnibus actibus præprimìs conſiderare deceat; ob illa tamen nihil turpe aut inhoneſtum perpetrari debet. Non immeritò igitur illi culpandi ſunt, qui arbitrantur, jura ſua finibus civitatum aut imperii, circumſcribi: ideóque ſat eſſe, in cives juſtitiam exercere, in cæteros verò id licere, quod utile, placitúmve fuerit. Hunc *Lacedæmoniorum* quondam errorem, refert *Plutarchus* in *Ageſilao*: *Lacedæmonii* (inquit) *primam honeſti partem ponentes in patriæ ſuæ utilitate, jus aliud nec nôrunt, nec diſcunt, quàm, unde ſpartam putent poſſe augeri.* Minimè ob eandem rationem, juri naturali conveniebat mos quorundam veterum, qui pro hoſtibus habebant, quicunque concives non eſſent, ínque eos cenſebant licere prædam, captivitates, cædem áliáque hoſtilia.

9. Quod ex natura profectum jus, perinde ac natura ipſa, eſt immutabile, conſtans & perpetuum, ac proinde perpetuam invehens obligationem, id quod egregiè expreſſit *Juſtinianus* §. *pen. Inſt. de jur. nat. Gent. & Civ.* inquiens: *Naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes peræquè obſervantur, divinâ quadam providentiâ conſtituta ſemper firma atque immutabilia permanent: ea verò quæ ipſa ſibi quæque civitas conſtituit, ſæpe mutari ſolent, vel tacito conſenſu populi, vel aliâ poſteà lege latâ.* Duplici autem ex cauſa, hujus juris oritur immobilis conſtantia, videlicet ex immobili authoritate & voluntate conſtituentis, & ex immutabili fundamento conſtituti. Siquidem author ejus eſt Deus, cujus ſapientiſſima neſcit mutari voluntas. Quæ verò jure iſto præcepta vel prohibita ſunt, ſuapte indole, bona ſunt aut mala. Ut autem ſigillatiùs diſpiciamus, num & quatenus in jus naturæ cadere poſſit quoddam mutationis ſimulachrum, Hinc

10. Præprimis obſervandum, cardinem præſentis quæſtionis, non verti in eo, an jus naturale *permiſſivum*, aliquam poſſit recipere mutationem? hoc enim fieri poſſe, indubium eſt, & multis exemplis infra demonſtrabitur. Nam jus naturæ in hoc ſenſu, nihil aliud eſt, quàm *libertas naturalis* agendi hoc vel oppoſitum, abſque hoc, quòd honeſtas lædatur, adeóque nihil præcipit aut determinat abſolutè, ſed *conditionatè* ſe habet, donec à poteſtate publica & legiſlativa, aliter diſponatur. Atque inde provenit, quòd jure humano, potuerit introduci ſervitus, minui, augeri, vel planè adimi *legitima*; determinari ſucceſſio ab inteſtato &c. hujuſmodi enim ſancita, non ſunt materia juris naturalis *præceptivi*, ſed *permiſſivi* & *negativi*. Quæſtionis ergo ſumma, circa jus naturæ præceptivum verſatur. Ante reſolutionem

11. Obſervandum adhuc; quòd lex dupliciter mutari poſſit, videlicet propriè & impropriè. *Propriè* mutatur, quando lex deſinit obligare, quæ ante obligabat. *Impropriè* verò mutatur, quando ei aliquid additur de novo, ſeu quando extenditur ad aliud lege non expreſſum. Hoc obſervatô, ſit

12. Resolutio 1ma. Lex naturalis *improprie* mutari poteſt *Ratio*: Quia, cùm præcepta naturalia, ſæpe ſint generalia, jure nedum divino, ſed & humana po-

poteſtate, multæ leges, legi naturali ſunt ſuperadditæ, quæ certis temporibus & perſonis ſunt accommodatæ. Sic præceptum naturale, *de Deo colendo*, quò ad modum, in lege veteri determinabatur per Sacrificia *Moſaïca*, in lege nova verò, per Sacrificium incruentum, præcipuè determinatum eſt.

13. Resolutio 2da. Lex naturalis *propriè* mutari nequit: adeóque ejus obligatio tolli non poteſt vel *ab intrinſeco* (quod contingeret, ſi lex per ſe ipſam deficeret, veluti: ſi ex utili & honeſta, redderetur inutilis & turpis (vel *ab extrinſeco*) puta: per abrogationem, aut diſpenſationem ipſius legiſlatoris. Ita *Auguſtiniani* & *Thomiſtæ* omnes, contra quoſdam *Scotiſtarum*, qui cum *P. Franciſco Henno. Tract. de conſcientia Diſp* 1. *q.* 5. *art.* 2. *concl.* 1. ſuſtinent, poſſe Deum propriè diſpenſare in omnibus præceptis ſecundæ tabulæ, ſi excipiatur præceptum prohibens falſum teſtimonium. Stabilitur autem Reſolutio noſtra his rationibus conglobatis: 1. Lex naturalis nihil aliud eſt, quàm lex æterna, illuceſcens nobis per dictamina rectæ rationis, verſatúrque circa principia aut per ſe nota, aut circa concluſiones, quæ ex illis neceſſaria connexione conſequuntur: atqui illa principia mutari non poſſunt, ſicut nec concluſiones iſtæ; nam quidquid ſequitur ex principiis neceſſariis & immutabilibus, hoc ipſum quoque neceſſarium eſt & immutabile. 2. Obligatio legis naturæ oritur ex ipſa rerum natura: hæc autem eſt immutabilis, ex ſuppoſito quòd Deus velit creaturas rationales exiſtere. Ergo & illa. 3. Rectæ rationis dictamen eſt immutabile. Ergo & lex naturalis, quæ per illam quadantenus promulgatur. 4. *Fidelis eſt Deus, ſeipſum negare non poteſt.* 2. *ad Timoth.* 2. ℣. 13. Atqui, ſi Deus formaliter & propriè immutaret legem naturæ, ſeipſum negaret; negaret enim ſibi deberi cultum, amorem, venerationem, obſequium, quin & affirmaret, ſe odio, averſione & injuria dignum eſſe hoc ipſò, quòd præcepta primæ tabulæ Decalogi, utpote primordialia naturæ dictata, tolleret, ſicut ergo ignis hîc & apud Antipodes pariter urit; ita lex naturæ nunc & ſemper, immutabilis eſt. Confer *Zoëſium ad ff. lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 50 *& ſeq.*

14. Habe jam Objectiones conglomeratas. 1. *Non occides.* Eſt præceptum legis naturæ, ſed hoc fuit immutatum, dum præcepit Deus *Abrahamo*, ut occideret filium ſuum unigenitum. Ergo. 2. Lex naturæ præcipit, ut furtum aut fornicationem non committamus; hæc autem lex fuit immutata, dum Deus filiis Iſraël præcepit, ut auferrent mutuata Ægyptiorum vaſa, & dum *Oſeæ* præcepit, ut acciperet uxorem fornicariam. 3. Lex naturæ præcipit aliena reſtituere, ſed hæc immutatur per legem humanam, qua ſtatutum, ut qui certo tempore rem alienam bonâ fide poſſedit; titulo præſcriptionis tutus ſit etiam in conſcientia. 4. Matrimonium clandeſtinum jure naturæ erat validum, quod tamen mutatum eſt per Concilium *Tridentinum* decernens, illud eſſe *nullum*. 5. Jure naturæ, omnes homines ſunt liberi, & tamen jure Gentium, ſervitus eſt introducta.

Ad 1. ℞deo in facto *Abrahæ*, legem naturæ nequaquam fuiſſe mutatam. Nam illa tantùm prohibet occiſionem alterius, authoritate *privatâ* faciendam. *Abraham* verò, authoritate Dei, vitæ necíſque poteſtatem habentis, filium ſuum immolare volebat in ſalutaris obedientiæ meritum. Igitur variata circumſtantiâ *authoritatis privatæ*, deſiit eſſe materia hujus præcepti: *non occides*. *Ad* 2. ℞. Nec in facto Iſraëlitarum rapientium vaſa Ægyptiorum,

Digitized by Google

rum, neque in facto *Oſeæ*, legem naturæ fuiſſe immutatam; ſiquidem lex naturalis tantùm prohibet, rem alienam auferri *invito domino*; Iſraëlitæ verò acceperunt res Ægyptiorum, Deo, rerum omnium abſoluto Domino volente, proinde ablata circumſtantiâ *inviti Domini*; ablatio illa deſiit eſſe materia hujus legis: *Non ſurtum facies.* Idem cum proportione dicendum ad factum *Oſeæ*. Lex quippe naturalis prohibet duntaxat, accedere *ad non ſuam*, jam verò Deus, mulierem alioquin fornicariam, mandato ſuo, fecit uxorem propriam *Oſeæ*: adeóque ſublatâ circumſtantiâ *non ſuæ*, deſiit fornicaria illa eſſe objectum fornicationis, & per conſequens eſſe materia hujus legis: *Non mæchaberis.* Si Reponas cum *P. Henno*, quòd tali modo, fuiſſet contractus Matrimonialis ſine conſenſu, quod implicat, eò quòd conſenſus ſit de ſubſtantia illius contractûs. ℞. *Diſtinguendo.* Fuiſſet contractus Matrimonialis ſine omni conſenſu *N*, ſine conſenſu ipſius *Oſeæ Tranſeat.* Dico: *Tranſeat.* Quia valde probabile eſt, quòd *Oſeas* voluntatem Dei intelligens, ſubitò conſenſerit in conjugium. Nec Obest, quòd Deus Prophetæ dixerit *Oſe.* 1. *fac tibi filios fornicationum*, quod verum non fuiſſet, ſi ex legitima conjuge liberos procreâſſet. Nam, ut bene obſervat *D. Thomas* 2. 2. *q* 154. *art.* 2. *ad* 2. Actus *Oſeæ* vocatur fornicatio, *conſiderato curſu communi*, quo ſcil. ſine mandato Dei, talis concubitus, cenſeretur fornicarius. Ad hæc; mirum eſt, quòd *Pater Henno* ad ſuſtinendum, quòd Deus diſpenſare poſſit in jure naturæ, neget, potuiſſe ſubſiſtere conjugium *Oſeæ* cum muliere illa fornicaria, ſine conſenſu *Oſeæ*, licet Deus ipſi mandaverit acceſſum ad illam. Mirum inquam id videri debet, cùm in *Tractatu de Matrimonio diſp.* 3. § 1. *concl.* 2. Veroſimiliùs eſſe contendat, quòd Deus poſſit inducere vinculum matrimoniale inter virum & fœminam, abſque illorum conſenſu. ídque ex ratione, quia, cùm Deus majus habeat dominium in corpora conjugum, quàm ipſimet conjuges, quidni poſſet Deus independenter à conjugum voluntate, tradere viro poteſtatem in corpus mulieris & écontra. Licet autem vinculum Matrimoniale, à diſſentientibus aut non conſentientibus contractum, natum ſit habere infelices exitus, non tamen quando inducitur à Deo, qui poteſt eos, quos ſine conſenſu copulavit carnaliter, amore ſincero, copulare cordialiter. Si Dicas: Non poſſe Deum facere, ut quis ſit Pater ſine generatione, ergo nec, ut quis ſit maritus ſine Matrimonio, quod non efficitur abſque conſenſu. ℞. *Diſt. conſeq.* Ergo nec, ut quis ſit maritus ſine Matrimonio *formali* aut *æquivalenti C.* Sine formali tantum *N.* Quia facit Deus per ſuam juſſionem, quod facerent conjuges per ſuam mutuam traditionem. Porrò, ſupra data noſtra reſponſio valde illuſtratur per verba *S. Thomæ*, quæ *loco cit.* habet & ſi ſonant: " Fornicatio dicitur
„ peccatum, in quantum eſt contra ratio-
„ nem rectam. Ratio autem hominis re-
„ cta eſt, ſecundùm quod regulatur vo-
„ luntate divinâ, quæ eſt prima & ſumma
„ regula, & ideo quod homo facit ex
„ voluntate Dei, ejus præcepto obe-
„ diens, non eſt contra rationem rectam,
„ quamvis videatur eſſe contra commu-
„ nem ordinem rationis. . . . & ideo ſicut
„ *Abraham* non peccavit, filium inno-
„ centem volendo occidere propter hoc,
„ quod obedivit Deo; quamvis hoc ſe-
„ cundùm ſe conſideratum, ſit commu-
„ niter contra rectitudinem rationis hu-
„ manæ: ita etiam *Oſee* non peccavit
„ fornicando ex præcepto divino. Male
autem ex hoc textu colligeres cum *Pa-*

tre

tre Henno, quòd Deus diſpenſando, ſuſtulerit malitiam à fornicatione, & quaſi fornicatio *quà talis*, ex mandato Dei, deſierit eſſe mala. Si enim fornicatio de ſe & intrinſecè mala eſt; *quà talis*, nunquam & nulla ratione poteſt reddi *non mala* & permiſſa. Rectiùs igitur dicimus cum Divo *P. Auguſtino lib.* 22. *contra Fauſtum. cap.* 80. inter *Oſeam* & mulierem iſtam, verum fuiſſe conjugium. Id quod & docuit S. *Thomas* 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. dicens: quid *Oſee* acceſſerit *ad ſuam*, intellige vel *formaliter* vel *æquivalenter* talem.

Ad 3tiam. Objectionem ſupra poſitam ℞. In præſcriptionibus, legem naturalem minimè variari, cum lex naturalis tantùm præcipiat, ſuum cuique reſtitui, quamdiu manet *ſuum*. Jam verò lex poſitiva, juſtis de cauſis, facit ex *non ſuo*, *ſuum*. Proinde ſublatâ circumſtantiâ *ſuitatis*, deſinit eſſe materia reſtitutionis & legis naturalis. Vide quæ alias ſcripſi ad *Regul.* 48. *juris. in* 6. *Locupletari non debet &c. n.* 5. & 6.

Ad 4. ℞. Jus naturæ *præceptivum* eſſe immutabile, non etiam jus naturæ *permiſſivum*, quorſum ſpectat valor Matrimonii *Clandeſtini*; quia videlicet lex naturalis illi non contradicit, nec prohibet illud. Quamobrèm & omnes contractus mutuo conſenſu initi, eſto jure naturali *permiſſivo*, ſint validi, equidem jus *poſitivum*, ob juſtas cauſas v. g. ob defectum ſolemnitatis requiſitæ, valuit aliquos invalidare. *Ad* 5. patet ℞*ſio.* ex dictis *ſupra n.* 10. Ex his

Resultat: quòd ſi materia juris naturalis, talis ſit, ut in omni circumſtantia ſuam retineat difformitatem & turpitudinem; quòd tunc [inquam] jus naturale, omnem quoque individuum caſum comprehendat. Qua ratione odium Dei, blaſphemia, mendacium & hujuſmodi actus, in nulla prorſus hypotheſi, licere poſſunt.

15. Conſequenter hîc indagatur, utrum Diſpenſatio vel Epikeïa cadere poſſit in jus naturale? Qua in re, ne de terminorum intellectu, diſputatio ſit; *Suppono*, aliud eſſe Epikeïam (ſeu ùt alii aiunt Epikiam) interpretationem, abrogationem, derogationem & diſpenſationem. *Epikeïa* ſiquidem eſt declaratio, quòd lex ſuperioris univerſaliter lata, non obliget in aliquo caſu particulari, quatenus prudenter præſumitur, quòd legiſlator, ſi præſtò eſſet, tali caſu legem non ferret, aut diceret; talem caſum non eſſe lege comprehenſum. *Interpretatio* eſt alicujus verbi aut ſententiæ obſcuræ circa legem, per aliud manifeſtatio; ita, ut interpretatio *verba*, Epikeïa verò mentem legiſlatoris reſpiciat. *Abrogatio* eſt totius legis abolitio. *Derogatio* tantùm alicujus partis: *Diſpenſatio* autem, eſt relaxatio obligationis legis in particulari caſu aut perſona, permanente eadem materiâ & iiſdem circumſtantiis objectivis, cum quibus ſeclusâ illa relaxatione, lex ſubditos ad unum omnes obligaret. De diſpenſatione taliter accepta, prima hîc procedit quæſtio: nam, ſi circumſtantiæ mutentur; non eſt propriè diſpenſatio, ùt liquet ex dictis.

16. Papam non poſſe diſpenſare in iis, quæ ſunt juris naturæ, in confeſſo eſt apud omnes, & ratio peremptoria eſt: quia inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, niſi id ſit ei ſpecialiter conceſſum; nullibi autem legitur, nec concludenter probari poteſt, Papæ hanc a Deo conceſſam eſſe facultatem. Ergo. Nec

Contra facit; quòd *Matth.* 16. ℣. 19. Apoſtolorum Vertici dictum fuerit: *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Nam, ſicut inde non evincitur, poſſe Divi *Petri* ſucceſſores, dil-

diſpenſare in mendacio, perjurio, blaſphemia &c. tametſi ſacramentabiliter ab hujuſmodi delictis abſolvere queant; ita nec conſequenter inde recte intuleris, diſpenſare poſſe in jure naturæ.

Nunquid (Ais) ſummus Pontifex quotidie diſpenſat in votis, reſidentia Epiſcoporum, Matrimonio rato &c. quæ omnia jure naturæ obligant? Ut miſſis ambagibus ſolidè procedamus:

Observandum: Duplicia eſſe præcepta legis naturæ; aliqua ſcilicet, quæ ſuam habent originem ab humana voluntate, quorum proinde obligatio ſupponit humanum conſenſum; & hujuſmodi ſunt, quæ verſantur circa pacta, conventiones, contractus; item circa vota, juramenta: & hæc, cùm pro materia proxima, imò, & pro forma, ſub diverſo reſpectu, habeant conſenſum humanum; utique hoc ſublatô, deſinunt eſſe materia juris naturæ. Omnis enim obligatio orta ex pacto vel contractu, habet annexam hanc tacitam conditionem; niſi is, in cujus favorem inducta eſt obligatio, eandem remittat: hac ſiquidem remiſsâ, illico evaneſcit omne debitum inde exortum, eſto etiam promiſſio foret juramento firmata. ſicut enim is, in cujus favorem promiſſio facta, illam poteſt condonare, cedendo juri ſuo, ita quoque ejus ſuperior, cui ille vel pleno jure ſubeſt, velut Religioſus ſuo Prælato; vel ſaltem, cui materia promiſſa ſubjacet.

Unde facilè colligitur, quomodo à ſummo Pontifice tollatur obligatio juramenti & voti. Quemadmodùm enim Chriſtus Dominus tanquam Caput morale omnium mortalium, poteſt talem obligationem condonare, ita quoque ejus Vicarius Generalis ſuper terram, dum nimirum juſta ſubeſt cauſa. Sine hac enim relaxandi facultate, in hoc proceolloſo mari, Eccleſiæ navem congruè moderari non poſſet.

Alia verò ſunt præcepta juris naturæ, quæ immediatè obligant in ſuis materiis, independenter ab omni conſenſu humano, cujuſmodi ſunt: *Deus eſt colendus*, *Parentes honorandi* &c. ubi vides, quòd licet in utraquè ſpecie præceptorum eadem ſit immutabilitas ſecundùm ſe, non tamen ſemper ſit eadem ex parte materiæ, ùt dictum.

Cæterum, in Matrimonio *rato*, diſpenſârunt aliquando Pontifices, quia ſecuti ſunt probabiliorem illorum ſententiam, qui ſuſtinent Deum propter bonum Eccleſiæ, conceſſiſſe Vicario ſuo poteſtatem in eo diſpenſandi, maximè, quia indiſſolubilitas Matrimonii *rati*, in lege nova, vel non eſt niſi juris *Eccleſiaſtici*, ùt volunt aliqui, vel, ſi ſit juris Divini *poſitivi*, ut eſt probabiliùs; equidem, quia caſus emergere poſſunt, in quibus Pontifex ſponſis diſſolutionem petentibus conſulere debeat; non videtur ipſi denegranda eſſe hæc poteſtas diſpenſandi. Ex quo tamen nihil ſequitur contra aſſertionem noſtram, quia Matrimonium *ratum*, non eſt indiſſolubile *jure naturæ*. ſpectato enim jure naturæ, non videtur magis indiſſolubilis contractus Matrimonii *rati*, quàm contractus alii, qui mutuo diſſenſu diſſolvi poſſunt. Aliud eſt de Matrimonio *conſummato*, quod jure naturæ eſt indiſſolubile, & in quo arctiſſimum intercedit vinculum nedum animorum ſed & corporum: præterquàm, quòd ſolutio Matrimonii conſummati plurima poſt ſe traheret mala, ſcilicet derelictionem prolium, vagam libidinem, confuſionem familiarum &c. unde in Matrimonio conſummato nunquam diſpenſavit Pontifex, neque ulla poteſtas humana illud diſſolvere poteſt.

Porrò, licet Pontifex cum Epiſcopis circa reſidentiam, diſpenſet; non tamen diſpenſat, quando hæc abſolutè neceſſaria eſt

Digitized by Google

eſt jure divino naturali, propter inſtructionem, Sacramentorum adminiſtrationem, peccatorum correctionem &c. ſed tantùm, quando ad reſidendum obligantur, jure tantùm Eccleſiaſtico, & dum, illis per aliquod tempus abſentibus; æquè utiliter poteſt per alios, ovibus provideri. Vide circà hoc Concilium *Tridentinum ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* ubi, licet Paſtoribus inculcet; quòd jure divino naturali, teneantur *perſonaliter* reſidere, non tamen dicit, quòd ſic teneantur, omni tempore & caſu.

Dices: Per votum & juramentum, homo obligatur Deo. Ergo Pontifex non poteſt Deo auferre jus quæſitum. ℞. *Diſt. Ant.* Homo obligatur Deo *abſolutè* & in omni circumſtantia *N. reſpectivè* & dependenter à ſuo conſenſu ſublimiori poteſtati ſubdito. *C.* Itaque, cùm difficultates circa votorum adimpletionem ſint valde frequentes, & homines ad vovendum ſint proni; utique pacificum Eccleſiæ regimen, in Pontifice exigit poteſtatem irritandi vota & relaxandi ipſorum obligationem.

17. Tanta autem eſt firmitas & immutabilitas juris naturalis, ut nequidem Deus in illo queat diſpenſare. Ita reſolvimus contra *Scotiſtas* è quorum numero eſt *P. Franciſcus Henno*, qui in *Tract. de legib. diſp.* 1. *q.* 5. *art.* 2. *concl.* 1. contendit; Deum poſſe propriè diſpenſare in omnibus præceptis ſecundæ tabulæ. *Ratio* aſſerti noſtri eſt; quòd diſpenſare, nil aliud ſit, quàm concedere alicui, ut agat contra legem vigentem & obligantem, ſeu in illis circumſtantiis, in quibus lex obligat: jam verò Deus nequit alicui concedere, ut agat contra legem naturæ, permanentibus iiſdem circumſtantiis, quibus illa obligat; tum quia quidquid fit contra legem naturæ quatenus talem, eſt intrinſecè malum, quod proinde nullo caſu, poteſt eſſe licitum. Tum, quia lex naturalis, eſt ipſa lex æterna Dei per lumen rationis propalata. Tum denique, quia præcepta *negativa* obligant ſemper, vel *ſimpliciter* & in cunctis circumſtantiis, ùt: *non mentiri*, *non pejerare* &c. vel ſaltem in certis circumſtantiis. Ut: *non occides.* Præcepta etiam *affirmativa*, licet non obligent *pro ſemper*, obligant tamen *ſemper*; ergo pro illo tempore & in iſtis circumſtantiis, quibus obligant, obligant ad id, quod eſt intrinſecè malum & diſconveniens regulis morum, vel quod eſt intrinſecè bonum & concordans principiis moralitatis: proinde hæc præcepta nullam patiuntur diſpenſationem, niſi contendas Deum & naturam deficere poſſe.

18. Nec Obest: quòd Deus cum Patriarchis diſpenſaverit in Polygamia. Negatur enim *ſuppoſitum*, quòd polygamia, perinde ac polyviratus, rigorosè ſit contra jus naturæ. Licet enim, ùt dictum ſupra, pluralitas virorum ſub una muliere directè repugnet fini primario Matrimonii, non tamen pluralitas mulierum ſub uno viro.

Dices: Lex naturæ prohibet viro dimittere uxorem & aliam ducere, in qua lege Deus diſpenſavit, concedendo Judæis facultatem repudiandi uxores. Hic variè Reſpondent Doctores, ùt videre eſt apud noſtrum *Auguſtinum Gibbon* & *P. Gonet. in Tract. de Matrimonio*: ſed expeditiùs dico: Deum non diſpensâſſe cum Judæis, *quò ad reatum culpæ*, ſed permiſiſſe Divortia, ad majus malum evitandum, prout expreſsè docet *D. Thomas* 3. *p. q.* 67. *art.* 3. ubi enumeratis tribus modis, quibus aliquid permitti dicitur; ſubdit: *Quartus eſt per privationem punitionis; & ſic libellus repudii in lege permiſſus fuit, non quidem propter aliquod majus bonum conſequendum, ſed propter majus malum cohibendum, ſcilicet uxoricidium &c.* Atque

que hæc ſententia magis conformis eſt Evangelio *Matth.* enim 19. expreſsè Chriſtus dicit, permiſſum fuiſſe Judæis libellum repudii: *propter duritiam cordis eorum, ab initio autem ſic non* fuiſſe, duntaxat in lege naturæ. Quòd ſi autem *contendas*: repudiantibus uxores, dimiſſam fuiſſe culpam, quod etiam aſſerit idem S. Doctor *in cap. 19. Matth.* inquiens: *Licet repudium inordinatum quid eſſet, noluit tamen Deus, quod Judæis imputaretur ad culpam.* & *cit. q. 67. art. 3. ad 4. Quamvis duritia cordis non excuſaret à peccato, tamen permiſſio ex duritie facta excuſabat. Quædam enim prohibentur infirmis corporaliter, nec tamen infirmi peccant permiſſione ſibi facta utentes.* ℞deo Aliud eſſe, quòd reatus culpæ Judæis ex cauſa repudii jam facti, condonatus fuerit [quòd probabiliter docet *S. Thomas*; aliud verò, quòd repudium ipſum, non fuerit culpoſum pœnáque dignum.

Nónne [AIS] Deo aut Chriſto diſpenſante diſſolvitur Matrimonium etiam *conſummatum*, ſi unus conjugum infidelium convertatur ad fidem, altero nolente converti nec habitare cum converſo, niſi cum injuria Creatoris & contumelia Salvatoris, vel ſcandalo Chriſtianorum? Quod maniſeſtè colligitur ex 1. *ad Corinth.* 7. ℣. 15. & *ex cap. Quanto.* & *ex cap. Gaudemus. De divortiis.* ℞deo. Hoc privilegium per Chriſtum recens ex infidelitate converſo datum quidem eſſe in favorem fidei, non tamen diſſolvi Matrimonium infidelium, niſi converſus reapſe & de facto tranſierit ad ſecundas nuptias, altero nolente converti aut pacificè cohabitare. Sed quid inde ſequitur? *Sequitur* (inquis) relaxari vinculum naturale conjugii, ac à Chriſto diſpenſatum fuiſſe in jure naturæ. ℞deo. Nequaquam id ſequi. Siquidem Chriſtus per Apoſtolum *loc. cit.* ſolùm declaravit, concurrentibus duobus naturæ præceptis, quorum alterum in concurſu ſervari nequeat, illud præponderare, quod eſt fortius, & pro tunc non obligare, ſed evaneſcere aliud minùs forte; Atqui ſuppoſitâ fide in Gentili aut Hebræo converſo, Juris naturalis eſt, Chriſtum non eſſe contumeliis aut conviтiis afficiendum, Sacramenta non aſpernanda, nec ſe ſe oportere conjicere in novum perverſionis periculum; Neque hoc præceptum fortiùs & potentiùs obligans, ſervari poteſt, ſtante conjugio & obligatione cohabitandi conjugi infideli Salvatorem blaſphemanti &c. Ceſſat ergo ſua ſponte, lex conjugii prioris, ſi converſus ad novas nuptias tranſierit.

19. Porrò, de Matrimonio *rato*, convenit inter Catholicos, quòd illius vinculum rumpatur per ſolemnem profeſſionem in Religione approbata; ut conſtat *ex cap. Ex parte tua. De converſ. conjug.* ubi legitur: *Ex Sacri Eloquii interpretatione, & divina revelatione in Eccleſia Chriſti, ſemper fuit cuſtoditum, ut ratum Matrimonium per profeſſionem ſolemnem rumperetur.* Id quod disertè definivit *Concilium Tridentinum ſeſſ. 24 can. 6. ibi: Si quis dixerit Matrimonia rata, non conſummata, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum, non dirimi, Anathema ſit.* Non habetur quidem textus in S. Scriptura vim illam concedens profeſſioni ſolemni: verùm; ſicut multa alia habemus ex traditione, etiam de Sacramentis, quæ non habentur explicitè in S. Scriptura; ita & hoc de diſſolutione Matrimonii *rati. Nunquam* enim ait *Scotus in 4. Diſt. 31. quæſt. unic. n. 7. Eccleſia attentâſſet poſt Matrimonium ratum, unum licentiare ad Religionem, altero manente in ſæculo, niſi Chriſtus hoc inſtituiſſet, aut Deus revelâſſet.* Unde Matrimonii rati diſſolutio, non contingit tali caſu, ex poteſtate purè Eccleſiaſtica, ſed Divinâ potiùs authori-

thoritate. Quinimò non erraverit, qui dixerit diſſolutionem illam proficiſci ex natura rei, non quidem ideo præcisè, quòd Religio ſit ſtatus perfectior Matrimonio; alias etiam diſſolveretur per ſuſceptionem Ordinis Sacri, aut dignitatis Epiſcopalis, cujus tamen oppoſitum reſolvitur in *Extrav. Antiquæ concertationi. De Voto & Vot. redempt.* Imò, ſi ratio iſta valeret; etiam per Religioſam profeſſionem rumperetur Matrimonium conſummatum, cùm & illo ſit perfectior. Sed ideo, quia Profeſſio Religioſa eſt *mors civilis* [qualis non inducitur per Ordinis Sacri vel Epiſcopatûs ſuſceptionem) quo contractus civilis, cujuſmodi eſt Matrimonium *ratum*, diſſolvitur. Non rumpit tamen Matrimonium *conſummatum*; quia, cùm hoc non ſit tantùm contractus civilis, ſed civilis ſimul & carnalis, etiam ad ejus diſſolutionem, requiritur mors civilis & carnalis ſimul.

Dictum ſupra: *per Profeſſionem.* Siquidem per ſolum ingreſſum, non diſſolvitur Matrimonium ratum; adeò, ut conjunx manens in ſæculo, non poſſit durante novitiatu ſuæ compartis, ad alias nuptias tranſvolare, ſed exſpectare debeat, ejus actualem Profeſſionem, qua non ſecutâ, redire deberet ad egredientem.

Dictum quoque: *Per ſolemnem.* Siquidem neque diſſolvitur per vota *ſimplicia* in ſocietate Jeſu poſt biennium emiſſa, ſicut nec per vota *oblatorum*, quæ non niſi ſimplicia cenſentur.

20 Cæterùm; Profeſſio ſolemnis ſemper diſſolvit Matrimonium *ratum*, quia, jure ſive novo, ſive antiquo, nullum tempus eſt determinatum, & ideo, ſi poſt 20. annos à contractu, Matrimonium necdum eſſet conſummatum; adhuc eſſet per Profeſſionem ſolemnem diſſolubile. Poſſet tamen compars Religionem meditans, poſt bimeſtre à contracto Matrimonio compelli ad conſummationem; quia jure Canonico, *cap. ex publico. De converſ. conjug.* ſponſis non conceditur, niſi bimeſtre ad deliberandum; ita, ut per illud ſolùm tempus, uterque liberè reddere aut denegare poſſit debitum; adeò, ut ſi mulier intra illud bimeſtre opprimeretur à conjuge; poſſet ipsô invitô, Religionem profiteri, & opprimens manere deberet innuptus, uſque ad mortem Profeſſæ, quia Matrimonium (licet, per vim) conſummatum, per Profeſſionem non diſſolvitur, ùt conſtat ex *can. Si quis conjugatus.* 27. *q.* 2. quod & obtinet, ſi uterque ex mutuo conſenſu, Profeſſionem emiſiſſet. Ex dictis

21. Inferunt Theologi 1*mò*. Nullatenus diſſolvi poſſe Matrimonium, ſi uterque conjunx ab infidelitate convertatur; quia privilegium illud conceſſum eſt à Chriſto in favorem fidei, quinimò, ſi manens infidelis, ob aliam cauſam, v. g. ob adulterium converſi, ante, aut poſt Baptiſmum, patratum, nolit habitare cum converſo; non verò præcisè in odium fidei; non poterit quoque rumpi Matrimonium. Certum enim eſt, quòd ſi conjunx nolens converti, velit pacificè habitare cum converſo ſine injuria Creatoris, aut ſcandalo, vel perverſionis periculo; non rumpi prius Matrimonium, prout evidenter inſinuatur, in cit. *cap. Gaudemus.* Quòd ſi converſus nolit manere cum infideli volente pacificè cohabitare, neuter poterit ad alias nuptias tranſvolare.

22. Inferunt 2*dò*. Non diſſolvi Matrimonium per hoc, quòd infidelis tranſeat ad alias nuptias; quia, cùm hoc privilegium conceſſum ſit fideli, non infideli; hujus *nullæ* ſunt ſecundæ nuptiæ. Cæterùm; ſi fidelis ad alias nuptias tranſierit; poterit ſimiliter infidelis ad alias validè tranſire, quia ruptum eſt vinculum prioris Matrimonii, & Matrimonium ex

uno ſolùm latere, ſubſiſtere nequit. Dictum *ſi fidelis tranſierit*. Quia, licet ob negationem converſionis & pacificæ cohabitationis in comparte, Matrimonium ſit diſſolubile; non tamen ipſo factô diſſolvitur, niſi fidelis actu contraxerit ſecundas nuptias; quia ſecundæ nuptiæ, ſunt *concomitanter* diſſolutio priorum.

23. Inferunt 3tiò. Si infidelis convertatur, poſtquàm fidelis alteri nupſit; non poſſe ad fidelem reverti etiam defunctâ ſecunda ejus comparte, niſi de novo contrahant, ex ratione; quòd prius Matrimonium fuerit omnino diſſolutum.

24. Inferunt 4tò. Converſum non poſſe conjugem nolentem converti, ſed volentem pacificè cohabitare, dimittere, nequidem quò ad thorum. Siquidem Apoſtolus 1. *ad Corinth*. 7. inquit: *Si quis uxorem habet infidelem & hæc conſentit habitare cum illo* (ſcilicet pacificè & ſine contumelia creatoris & ſine ſubverſionis periculo) *non dimittat illam*.

25. Sed quid, ſi unus conjugum fidelium deflectat ad *Paganiſmum* aut *Judaïſmum*? reddetúrne per infidelitatem ſupervenientem, Matrimoninm diſſolubile? ℞. *Negativè*. Quia Matrimonium fidelium, utpote Sacramentum, magìs eſt firmum, ob ſignificationem indiſſolubilis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. Unde malè ab aliquibus reſolvebatur: potuiſſe uxorem Comitis *de Bonneval*, qui ad *Turciſmum* deflexit, & ſe circumcidi curavit; alteri nubere.

26. Quid dicendum de iis, qui in his Regionibus, è *Paganiſmo* vel *Judaïſmo* convertuntur, & uxores habent in locis remotiſſimis? *Noſter Baſilius Pontius. lib. 9. cap*. 4. *de Matrim*. reſolvit, converſum poſſe ad aliud conjugium tranſire, ſi compars infidelis monita [ſemper enim, dum fieri poteſt, moneri debet, ut ſciatur, an infidelis nolit converti vel ſaltem pacificè cohabitare] intra tempus in monitione præfixum non reſpondeat. Imò id etiam poſſe, ſi ob loci diſtantiam, non poſſit compartis voluntatem explorare & ita teſte *Pontio*, declaravit Gregorius XIII. quia ordinariè præſumitur; quòd infidelis nolit converti, nec cohabitare velit, ſine contumelia creatoris. Requiritur tamen illo caſu, diſpenſatio Papalis, ut inſinuat ipſemet Gregorius: ſed hoc ad *licitè*, non ad *validè* contrahendum, quia in tali Matrimonio, nihil [quò ad valorem] poteſt authoritas Papalis.

27. Reſtat, ut diſpiciamus, an *Epikeïa* habeat locum in jure naturæ? Tametſi ſupra declinare voluerimus diſputationem de ſignificatu iſtius nominis; in illam tamen inviti trahimur; quidam enim, ùt *D. Neeſen tract*. 17. *de Legib. dub*. 5. *Suarez de LL. lib*. 2. *cap*. 16. *n*. 6. & alii, *Epikeiam* dicunt eſſe correctionem legis in caſu aliquo particulari, in quo lex, ob ſuam generalem expreſſionem, deficit à recto. Nos verò *Epikeiam* accipimus, pro nuda legis declaratione, & mentis legislatoris expoſitione. Et in hoc ſignificatu non eſt dubium, quin admittenda ſit in jure naturæ; Tum, quia naturalia præcepta quandoque diſcurſu indigent, ut ritè percipiantur & applicentur. Tum, quia non omnia obligant ſemper abſolutè, ſed non rarò conditionatè, poſitis nempe certis circumſtantiis. Tum denique; quia præcepta v. g. de non occidendo, de voto exſolvendo, depoſito reddendo, &c. ſuam recipiunt limitationem: ſi homicidium publicâ authoritate vel in neceſſariam & inculpatam ſuî defenſionem fiat; ſi votum ſervatu non ſit poſſibile: ſi depoſitnm à furioſo repetatur. *Covarruv*. in 4. *Decretal p*. 2. *cap*. 6. §. 9. & Doctores communiter. Quod ſi verò *Epikeiam* capiamus pro emendatione legis; ex benigna interpretatione, ex-

excipiendo caſum lege comprehenſum; veriùs eſt, hanc jus naturæ non admittere, quidquid dicant *Felinus. in cap. Quæ in Eccleſiarum. De Conſtit. n.* 26. *Cajetanus*, *Soto* & alii. *Ratio*: Quia jus naturæ, cùm in recta ratione fundatum, atque à lege Dei æterna diſtinctum non ſit; non poteſt in ullo caſu particulari deficere; adeóque nec in ullo caſu per *Epikeiam* emendari. Quò facit; quòd Deus & natura non deficiant in ſua providentia, proinde nec jus naturæ deficere poſſit. utpote ex Dei, nrturæ *naturantis* infallibili providentia conſtitutum. Dein; jus naturæ præcipit & prohibet, quæ intrinſecam & connatam habent decentiam vel indecentiam: atqui, fieri nequit; ut, quæ ex connata indole, ſunt decentia, evadant indecentia, aut viciſſim. Ergo nec fieri poteſt, ut jus naturæ, in aliquo caſu, deficiat, aut per *Epikeiam* queat emendari.

28. Non apparet (Ais) cur lex naturalis perinde non poſſit recipere *Epikeiam*, ac lex poſitiva humana? Sicut enim in hac occurrere poſſunt circumſtantiæ, in quibus prudenter præſumi poteſt, legiſlatorem hunc in individuo, vel in hoc caſu ſpecifico, non voluiſſe obligare; ita quoque in lege naturali, ſimiles emergere queunt circumſtantiæ. Sic mutilatio proprii corporis, non cenſetur cadere ſub prohibitionem legis naturalis, in illa circumſtantia, qua ſupponitur eſſe neceſſaria ad conſervationem totius individui. ℞. *deo. Negando Aſſumpt.* Nam jus naturæ, cùm unum & idem atque univerſale ſit in omnibus ad unum hominibus, unam eandémque perpetuò obligationem parit, non ex nudo beneplacito legiſlatoris, ſed quaſi ex neceſſitate naturæ & exigentia materiæ; adeóque in nullo caſu, prudenter præſumi poteſt, quòd non obliget. Jam verò lex poſitiva humana, ex ſola voluntate legiſlatoris vim & energiam ſuam nanciſcitur, & cùm homo omnes omnino caſus, circumſtantiáſque prævidere nequeat; quid mirum eſt, quòd deficiente legiſlatoris intentione, lex vigorem ſuum amittat? Porrò, in exemplo allato, *ſuppoſitum* eſt falſum; ſiquidem mutilatio membrorum, ſolùm jure naturæ prohibita eſt, dum proprio nocet corpori, quod non contingit, dum ad individui incolumitatem ordinatur, quin potiùs recta ratio dictat, ſatiùs eſſe pedem, quàm vitam amittere. Si

29. Petas: Quóſnam obliget lex naturalis? Quòd quivis homo viator rationis uſum habens, teneatur legi naturali obſecundare, Bruta verò eidem non obſtringantur; patet ex affatim dictis ſupra *cap.* 1. *n.* 3. & 8. Inſuper ℞. 1*mò*. Deum non obligari lege naturali, ex ratione; quòd lex tantùm reſpiciat illos, qui poſſunt à recto tramite ad ultimum finem tendente, deflectere, quod de Deo eſſentialiter bono & indefectibili, dici nequit. ℞. 2*dò*. Angelos [idem eſt de hominibus beatis] ſubditos eſſe legi naturali. *Ratio* eſt; quia licet *moraliter* loquendo, non poſſint peccare, propter ſpecialem aſſiſtentiam gratiæ conſummatæ & claram viſionem ſummi boni; poſſunt tamen *phyſicè* loquendo, cùm ſint *ex nihilo*, adeóque ab intrinſeco, & ex natura ſua peccabiles, utpote habentes eandem naturam jam beati, quam habebant, dum erant viatores. Unde *Rupertus lib.* 5. *in cap.* 5. *Joan.* ℣. 19. loquens de Angelis, ait: *Hoc in remunerationem acceperunt, ut deinceps malum facere non poſſint; quia; cùm poſſent facere, noluerunt; verùm hoc non eſt per ipſorum naturæ potentiam, ſed per divinæ voluntatis remunerantem gratiam.*

30. Ex præmiſſa doctrina Resultat, falſum eſſe quod tradit *David Mevius* in ſuo *nucleo Juris Naturalis & Gentium.*

Digitized by Google

Inſpectione 2. §. 38. *n.* 5. Scilicet; Deum diſpenſando poſſe indulgere, quæ alias naturaliter ſunt improba, imò & talia injungere. Si homo (inquit Author ille *acatholicus*) ex ſe faceret, *mala*, cùm Deus voluit, *bona* ſunt: quia hic ſemper bonus, ille, niſi ùt hic voluit, bonus eſſe nequit. Quod quis malè ageret contra Dei voluntatem & legem, bene facere poteſt ex illius voluntate, quia legis gratiam facere poteſt, lege ſalvâ. Rectiùs ſenſit hac in parte *Grotius lib.* 1. *de J. B. & P. cap.* 1. §. 10. *n.* 5. ubi nobiſcum fatetur, quòd jus naturale adeò ſit immutabile, ut ne à Deo quidem mutari poſſit. Etſi enim [inquit] immenſa eſt Dei potentia, dici tamen quædam poſſunt, ad quæ illa ſe non extendit. Sic Deus non poteſt *practicè* concipere chymæram, aut efficere, ut contradictoria ſimul ſint vera, ſicut ergo, ut bis duo, non ſint quatuor, ne à Deo quidem poteſt effici; ita nec hoc; ut quod intrinſeca ratione malum eſt, malum non ſit. Etſi igitur Deus in legibus ſuis merè poſitivis & merè voluntariis, diſpenſare poſſit, nequaquam tamen id poteſt, intuitu legum naturalium, ùt liquet ex dictis. Fit quidem interdum, ut in his actibus, de quibus jus naturæ aliquid conſtituit, imago quædam mutationis fallat incautos; cùm reverà non jus naturæ mutetur, quod immutabile eſt, ſed res, de qua jus naturæ quid conſtituit, quæque mutationem recipit. V. G. ſi creditor, quod ei debeo, acceptum ferat, id eſt; ſe accepiſſe ſcribat, aut teſtatum faciat; (quod in jure Romano, vocatur *Acceptilatio*) jam ſolvere non teneor; non, quia jus naturæ deſierit præcipere ſolvendum, quod debeo; ſed, quia, quod debebam, deberi deſiit. Ita, ſi Deus quempiam occidi præcipiat, ſi res alicujus auferri mandet; nequaquam licitum erit homicidium aut furtum, quæ voces vitium involvunt; ſed non erit homicidium aut furtum, quod vitæ & rerum Supremo Domino authore fit, non magis; quàm, ſi Deus morbo, naufragio, aut alio caſu, homini vitam aut bona auferat.

Ex iiſdem principiis, *Petrus Gregorius Tholoſanus. lib.* 10. *cap.* 1. §. 8. mutabilitatem juris naturalis incautè adſtruens, meritò reprehenſus fuit à *Seldeno. de J. N. & G.* 1. 8. *pag.* 105. *Edit. Londin.* Summatim ergo dicimus; quòd à legibus naturæ ac Præceptis Decalogi, nemo poſſit eximi, vel ab ipſo Deo licentiam contrafaciendi impetrare queat; quia, ne Deus ipſe, iſtis in legibus diſpenſare poteſt. Hoc eſt; manente eodem objecto, & iiſdem circumſtantiis, non poteſt fieri, nec authoritate divinâ concedi, ut id ab homine, citra crimen, aliter, vel contra tractetur, quàm lex naturæ exigat. Cæterùm; ſicut objectum & circumſtantias Deus mutare poteſt; ita actio poterit eſſe non contraria legi naturali, quæ alioquin contraria foret. Sic rem alienam invito Domino, nemo poteſt auferre; nec, ut auferat, cuiquam à Deo vel præcipi vel permitti poteſt, quamdiu manet aliena. Hinc quando Iſraëlitis præcepit auferre Ægyptiorum aurea & argentea vaſa, authoritate ſuâ supremâ, Iſraëlitis hæc ipſa, in mercedem laborum, quos urbes Ægyptiis ædificando, exantlaverant, adjudicavit, atque adeò, ut quæ prius aliena, jam propria eſſent, effecit. Proinde Iſraëlitæ ex Ægypto, res non alienas, ſed ſuas aſportârunt. Confer *Noſtrum* Eximium P. *Aurelium Piette. in Elucidatione Difficiliorum Theologiæ Quæſtionum. part.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 1. *per tot.*

31. Ut nihil, quod ad plenum hujus materiæ intellectum conferre poteſt, oſcitanter prætereamus; obſervandum eſt; quòd ad hoc thema minimè pertineant illa, quæ naturaliter permiſſa ſunt, & ex ſolo

ſola naturali libertate proficiſcuntur; non enim in illis, lex naturæ, quæ obſequendi neceſſitatem importat, ſed arbitrium naturale, primas tenet. Quocirca, poſtquàm libertas ſubmiſſa ſocietati & imperio civili; Magiſtratibus conceſſa eſt poteſtas mandandi aut prohibendi, quæ alias in libero conſiſtebant ſingulorum arbitrio. Et quanquàm lex civilis nihil præcipere poſſit, quod naturæ jus prohibet; aut prohibere; quod præcipit; circumſcribere tamen, limitare, imò tollere poteſt, quod libertatis eſt, quodque nec præcepto nec interdicto naturali continetur. Quinimò ſingulis, (ſi civilis non refragetur conſtitutio) licet pacto factôve renuntiare, & derogare libertati ſuæ. Atque hæc obſervatio, uno ictu, dirimit omnes JCtorum. altercationes, de venationibus, aucupiis, occupatione maris, littorum, rerumque *nullius* inventione, & hujuſmodi. Porrò cùm jus Romanorum civile, multa ex his reliquerit in primævo ſtatu (indeque juris naturalis, vulgò dicantur) aliæ interim gentes, aliud conſtituiſſent; dubitari cœpit, num id fieri potuiſſet; eò quòd jus naturale ſit immutabile. Verùm dubitatio exinde ſuborta; quia non penetrabatur, quam *abuſivè* & *impropriè*, juris vox, naturali libertati, tribuatur; & quòd iſta, jure naturali aut gentium, non aliter, nec diutiùs libera ſint; ac, quamdiu lex civilis aut voluntas eorum, quibus ſuæ libertati renuntiare licet, non intercedit. Alia ratio eſt juris naturalis *propriè* dicti, quod neceſſitatem obſervantiæ importans, non eſt in hominum arbitrio poſitum.

32. Huc quoque facit diſtinctio juris naturalis; quòd ſcilicet aliud ſit *ſimplex* & *abſolutum*; aliud pro certo tantùm rerum ſtatu, & velut *Hypotheticum*. Multùm enim refert, an juris naturalis quid ſit *ſimpliciter*; an pro certo tantùm rerum ſtatu? hoc enim mutato, & jus alteratur; quia tantùm certo modo vel fine, jus fuit. Sic, ut *Grotianis* exemplis *loc. cit.* utar; ante introducta dominia, jus naturale fuit communionis, ſed ab hac diſcedere nefas non fuit. Eâ itaque ſublatâ, & dominiis diſtinctis, alia effecta eſt juris naturalis ratio. Et ſicut olìm ſine furto, communia eripi non poterant; ita nunc propria, abſque eodem crimine non invaduntur. Similiter ante judiciorum ſeu tribunalium conſtitutionem, quiſque per potentiam, & factô ſuô, jus ſuum quærebat & tuebatur; poſtea verò id vetitum & juris conſecutio, judiciis addicta fuit. Plurimis aliis in caſibus, fit mutatio quædam juris non *abſoluti*, *ſed hypothetici* duntaxat, quòd videlicet ab initio certis limitibus & circumſtantiis adſtrictum dignoſcitur; quibus circumſtantiis deſinentibus, non potuit non naturaliter deſinere.

33. Ad hæc; circa quæſtionem de mutatione juris naturalis, plurimùm refert obſervâſſe, legum naturalium ſubordinationem. Non enim omnes ejuſdem ſunt potentiæ, ſeu non ita pares, ut nulla cedat alteri; ſed, ſicut ipſamet natura, multa diverſa fecit in homine & circa humana, in quibus jus illud verſatur, eáque invicem certo modo ſubordinavit; ut alterum alteri, auxilio vel obſequio eſſet; ita etiam jura inde nata, certo ordine conſtituta ſunt, & ſibi invicem ſubalternata. Unde legibus naturalibus non minus, quàm aliis, proprium eſt, ut major cedat minori, & quod in iis præſtantius, ſuperet id, quod minoris eſt momenti. Sanè, multa contingunt, in quibus duæ leges naturæ colliduntur, alterúmque alteri cedere neceſsè eſt, quia utrúmque ſimul ſervari aut fieri nequit. Hoc cùm fit; dubium incidit; an hoc ſit juris naturalis, quod in *Theſi* eſt immutabile? Verùm, nulla tunc contingit juris naturalis

ralis mutatio, ſed tantùm legis inferioris *ſepoſitio*, quatenus ſuperiori neceſſariò obtemperandum eſt. Nam & ab ipſa natura, legi *inferiori*, tacita ineſt exceptio *ſuperioris*. Id quod ad doctrinam de gradibus obligationum & comparatione officiorum, pertinet. Sic exſtat lex naturæ, de amore parentum erga liberos, & liberorum erga parentes obſequio: at lex superior eſt, quæ jubet Deum colere. Si ergo accidat, ut Deum aut prolem negligere, Deo aut parenti obſequi neceſsè ſit; Numinis multò ſanctior eſt reverentia: Dum autem id, quod potentioris legis eſt, præfertur; lex inferior non mutatur; ſed, quia ob ſuperiorem & validiorem ſervari nequit, *ſeponitur* tantùm, manétque de cætero fixum, quod de officiis parentum & liberorum, naturaliter eſt ſancitum. Non abſimili modo, jus naturale nedum facultatem dat ſemetipſum conſervandi, ſed & neceſſitatem injungit; Equidem naturæ lex de honeſtè vivendo, & nemine lædendo; multò ſuperior & fortior eſt. Proinde, ſi homo ad eum ſtatum redigeretur, ut neceſsè foret, vel perire, vel turpia facere; ſimiliter vel gravia damna inferre vel pati; potior erit ratio honeſtatis, & ſatiùs erit mori, quàm illam violare; & vitæ turpi, honeſta mors anteferenda erit. Porrò, lex naturæ jubet fidem alteri datam ſervare; aſt & hæc lex inferior eſt, intuitu divini Numinis, aut habitâ ratione turpitudinis, vel injuriæ in alterum alioquin committendæ. Quocirca, ſi promiſſa præſtari non poſſunt, ſine divini Numinis offenſione, turpitudinis admiſſione, vel proximi læſione; videtur quidem aliquid mutari de lege iſta; aſt reverà nihil mutatur, ſed propter legem ſuperiorem, incidit in illum caſum, in quo obſervari nequit; ita, ut promiſſum pro impoſſibili habeatur.

34. Graviſſimè autem aberrant, qui exceptionem aut limitationem juris naturalis metiri volunt ab utilitate, tum ſocietatis humanæ, tum ſuî ipſius privatâ, & eatenus jus naturale, utilitati ſubmittunt, atque ejus vim authoritatémque inde conſtituunt. Cùm enim jus naturale verſetur circa honeſta facienda, & turpia evitanda; clarum eſt, utilitatem, nec eſſe ejus objectum, neque finem *per ſe* intentum. Quinimò non conſtarent diu, ſed dudum interiiſſent naturæ præcepta, ſi ab utilitate dependerent, cùm enim huic renuntiari poſſit; integrum quoque foret, tollere naturalia præcepta, quod cogitare nefandum, & aſſerere abſurdiſſimum. Illud quoque falſum eſt *ſuppoſitum*, quòd ideo proditum ſit jus naturale, ut illo, in ſocietate utamur; ſiquidem, jus illud quoque obtinet extra ſocietatem, & multa dictat, etiam in ſolitudine, obſervanda.

35. Huc quoque ſpectat, obſervare diſcrimen inter legem & effectum legis. Lex ſæpe vivit & valet; ſed, ut effectum ſortiatur, ſæpe impeditur; ex quo tamen non magis fit juris naturalis mutatio, quàm verum foret: legem civilem ideo tolli, quòd illa, vi majore exerceri non poſſit. Virtus legis duplex eſt; una & præcipua, in neceſſitate obſequii; altera in hujus neglecti pœna conſiſtit. Interdum ex æqua aut probabili ratione, in foro *fori*, lex naturalis, obligationis vim non ſortitur, licet in foro *conſcientiæ*, obligationis vinculum importet. Sic ex Juris-prudentia Romana ſcimus; legem illam naturalem, de promiſſis fideliter ſervandis, in foro *fori*, eatenus vi ſuâ non potiri; ſiquidem ex nudo pacto, agere non licet. Et quanquàm promiſſum honeſtè præſtetur, & *exceptione*, acceptum ſervetur; Petitor tamen de jure civili, actionem non habet. Sic & obligatio ex gratitudine, ſine dubio naturalis eſt. Equidem hujuſmodi debitum, in foro, actione non

Digitized by Google

non petitur; non, quod inane & inefficax ſit; ſed, quia non cenſetur materia litibus congrua, prout pluribus demonſtratum à *Seneca. in libris. de beneficiis.* Porrò, contingit pluribus ex cauſis, alterum legis effectum deficere; dum nempe, non ſervatæ legis impunitas conceditur. In hanc rem, apud quaſdam nationes, furta, ſtupra & alia delicta, manſerunt impunita. Ex quo tamen nemo intulerit; facta iſta fuiſſe honeſta, aut ſublatum fuiſſe jus naturale, illa prohibens.

36. Huic proximum eſt, diſcernere inter juris naturalis tranſgreſſionem & mutationem. Sanè, ſi tranſgreſſio legum variaret, aut deſinere faceret leges; nulla amplius in mundo daretur. Non ſolùm ſinguli hominum, ſed & gentes & populi, ſæpe perruperunt legum naturalium repagula, & ad peſſimos mores deflexerunt; atque quaſi naturam exuti, ſecundùm ſenſum viventes, ferarum indolem induerunt. Sic quibuſdam Græciæ populis, fas viſum, exponere & deſerere liberos: *Perſis* licitum videbatur, Matrimonium parentes inter & liberos; & ex hiſtoria ſcimus; quaſdam gentes, humanas voràſſe carnes. Unde *Orpheus* antiquus ille Philoſophus, dicitur feras, amœnitate cantûs demulſiſſe & congregâſſe; id eſt: barbaros homines, in unam Rempublicam, doctrinæ ſuæ ſuavitate, vocâſſe; prout de illo cecinit Horatius *lib. de arte Poët. paulò ante finem.*

Sylveſtres homines ſacer interpréſque Deorum, Cædibus & victu fœdo, deterruit Orpheus: *dictus ob hoc, lenire tigros, rapidóſque Leones.* Cæterum; hominibus iſtis efferatis non defuit naturæ lex, neque hi peccantes in jus naturale, illud obliterârunt. *Natura enim*, ùt ait *Cicero lib. 1. de legib. eſt perpetua; corruptela autem eſt, à mala conſuetudine.* Et *Plutarchus* in vita *Pompeii* aſſerit: *Naturâ neminem aut eſſe aut fuiſſe ferum, ſed efferari, ubi extra naturæ modum, peccare aſſueſcit, rurſúſque aliâ conſuetudine, redire in manſuetudinem.* Idipſum pulchro ſimili expoſuit *Andronicus Rhodius* in Ariſtotelis *Ethic. Ad Nicomach. lib. 5. c. 7.* inquiens: *Apud homines, recta ſanáque mente præditos, immutabile eſt jus illud* NATURÆ, *quod dicitur. Quòd, ſi his, qui morbibo diſtortóque ſunt animo, aliter videtur; nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur, qui mel dulce eſſe dicit, ideo, quòd ægrotis aliter videatur.*

37. De *fine* juris naturalis acturi, ſciendum eſt; quòd quidam illum poſuerint in uſu humanæ ſocietatis; ſed perperàm. Quanquam enim Divina Providentia, humano generi inſeverit ſocietatis appetitum, & multa, ad illam excolendam, naturaliter ordinata ſint: equidem; quia jus naturale, primo homini congenitum fuit, ante omnem ſocietatem, & multa reperiuntur juris naturalis præcepta, quæ ab homine, etiam extra ſocietatem, obſervari debent; ut illa; quæ cultum Dei, vitæ ſobrietatem, amorem erga parentes, attinent; utique multò latiùs, honeſtatis debita ſe extendunt, quàm ſocialia officia. Ut proinde ineptè & male, in cultu ac uſu ſocietatis, conſtituatur finis juris naturalis. Sequeretur enim alioquin, extra ſocietatem, jus non fore. An *Adam* jure caruit, cùm alii hominum nondum exiſtebant? An homines à ſocietate remoti, ut Eremitæ, vel, qui in ſolitudine degunt, nullo jure adſtringuntur? aliter ſenſit *Ariſtoteles* 1. *Rhetoric. cap.* 13. inquiens: *Eſt quoddam, quod augurantur omnes. Naturâ commune*; JUSTUM ET INJUSTUM, ETIAMSI NULLA SOCIETAS INVICEM SIT, NULLÁQUE PACTIO.

38. Multò magìs devia eſt opinio illorum, qui jus naturale ordinant ad ſolam hominum utilitatem, prout *Epicuréi* facie-

cie-

ciebant. Etſi enim ex cultu ſincero & ſerio naturalium præceptorum, magna in vitam atque converſationem hominum, commoda redundent; haud tamen cum duntaxat in finem, jus naturale proditum, ut homines ſuis fruerentur utilitatibus. Solius enim probitatis & honeſtatis gratiâ, jus valet & placet. Nam, ùt ſcripſit *Cicero lib. 2. de finib. Honeſtum intelligimus, quod tale eſt, ut detractâ omni utilitate, ſine ullis præmiis fructibúſque, per ſe ipſum laudari poſſit.* Et *Honeſtum*, ùt *Seneca* ait: *De benefic. cap. 70. propter ſe expetitur.*

39. Igitur, rectitudo animi & actionum noſtrarum honeſtas, eſt proprius & proximus finis juris naturalis, quem Deus intendit, dum hominem, ad imaginem *ſui* condidit. Huc ſpectat, quod Divus *Ambroſius* ſcripſit *in Epiſtolam ad Rom. cap. 5.* " Lex naturalis [inquit] tres habet partes, cujus prima hæc eſt; ut agnitus honoretur creator, nec ejus claritas & majeſtas, alicui de creaturis, deputetur. Secunda autem pars eſt *moralis*; hoc eſt: ut bene vivatur modeſtiâ gubernante. Congruit enim homini habenti notitiam creatoris, vitam ſuam *lege* frœnare, ne fruſtretur agnitio. Tertia pars eſt docibilis, ut notitia creatoris Dei, & exemplum morum, cæteris tradatur; ut diſcant, quemadmodùm apud creatorem, meritum collocetur. Si *ad utilitatem voluptatémque ſuam*, reverentiam ejus deſtinat; jam à vero fine deſcivit, imò & à natura, ùt primùm integrè bona, fuit condita. " Unde, qui ſtolidum arbitrantur: pro fine juris naturalis, ſtatuere ipſam honeſtatem actionum noſtrarum; illi ſuam ſtultitiam ſimul cum craſſa ignorantia divinæ voluntatis & humanæ integritatis, produnt; & quid inter primam integritatem, & ex lapſu ortam in mentibus pravitatem, interſit; non penetrant. Id, quod ductu naturæ, intellexerunt Philoſophi multi & Gentiles ſcriptores, qui virtutem, *ſui mercedem* ſtatuerunt.

40. Jus naturale, ex ſe, vim poteſtatémque inſignem habet, neque illam à legibus civilibus mutuari, neceſsùm habet. Divina enim lex eſt, & tantò arctiorem importat obſequii neceſſitatem, quo altior eſt legiſlator, & quò ſanctior ejus conſtitutio. Quantùm poteſtatis illi Deus indiderit, tradit Doctor Gentium *ad Rom. cap.* 1. *&* 2. Quin & *Epictetus lib.* 2. Naturam, in omnibus, agnoſcit efficaciſſimam; adeò, ut ad ſua decreta, etiam nolentem & ſuſpirantem trahat. *ô nimium potens* (ait *Theſeus* apud *Senecam*) *quando parentes, ſanguinis vinculo, tenes natura! quàm te colimus inviti quoque?* Craſſus igitur & pernicioſus error eſt, aſſerere; quòd jus naturæ ſimplex & primævum, Vi coërcitionis careat, & illam demum, ex civitatum conſtitutione, atque imperio humano, acceperit. *Rabbini Judæorum*, eam putant fuiſſe altercationis materiam inter *Cain* & *Abel* ita enim legunt in ſua Pentateuchi *Conſtantinopolitana* editione, ante ſæculum facta: " Et dixit *Cain*, *Abeli* fratri ſuo: Neque judicium eſt neque judex, neque ſæculum alterum, neque præmium bonum juſtis, neque vindicta ſeu pœna impiis. Reſpondit autem *Abel* & dixit *Caïno* fratri ſuo: etiam eſt judicium & judex, atque ſæculum alterum. Eſt inſuper præmium bonum juſtis atque vindicta ſeu pœna impiis. Atque evenit, ut dum erant ſimul in agro, involaret *Cain* in *Abelem* fratrem ſuum & occideret eum. " Tametſi vulgatæ noſtræ Catholicorum editioni, nihil additum velimus, non deſunt tamen viri docti, qui eo loco quendam ſuſpicantur

tur textûs defectum, quem colligunt ex verbis *Geneſ. cap.* 4. ℣. 8. ubi poſt verba: *& locutus eſt* Abel *ad Fratrem ſuum.* Non exprimitur: quid dixerit. Neque cohærent ſequentia: *Egrediamur foras.* Quod non poteſt commodè intelligi de iis, qui jam in campo erant. Quidquid ſit; ſi ea fuerit *Caïno* mens; ſaltem poſt fratricidium, per conſcientiam ſuam & metum aliorum hominum convictus fuit, jus naturale non carere vi & poteſtate ſua.

41. Atque ex hoc loco & facto *Caïni*, colligitur; quòd Author naturæ, duo conſtituerit tribunalia ad excitandam juris connati obſervantiam, & caſtigandam ejus violationem. Unum & præcipuum conſtituit *in homine*, quod eſt conſcientia cuivis propria; alterum *extra hominem*, quod eſt exiſtimatio ſeu judicium aliorum. A neutro, potentiſſimis aut feliciſſimis mortalium, datur exemptio: damnantur enim omnes, qui naturalia perrumpunt jura, conſentiente bonorum judicio, nec ſuî ipſius animi ſententiâ abſolvuntur. Patent ea judicia omnibus, etiam queîs alia præcluduntur: vim habent contra omnes; eos etiam, qui aliud tribunal non reverentur. Naturalem ipſorum ortum, exiſtentiam & vim ſpectare licet in primis humani generis parentibus, poſt peccatum, à facie Dei fugientibus, metuentibus, ſe tegentibus & occultantibus. Numen, quod non videbant, & homines, qui nondum erant, reformidabant. Simile ingeniti utriuſque judicii exemplum *Caïn* edidit. Præprimis itaque conſcientia cujuſque, occultâ & admirandâ vi, ante peccatum, *freni*, poſt noxam, *flagri* inſtar eſt. Unde ab *Origine* appellatur *Corrector affectuum* & *animæ Pædagogus. Magna* (inquit *Cicero pro Milone*) *vis ejus eſt in utramque partem, ut neque timeant ii, qui nihil admiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverunt.* Eſt ea cordibus inſita & ſic infixa; ut nec ejurari nec ejici queat. *Conſcientiam enim* (inquit *Cicero pro Cluentio*) *à Diis immortalibus accepimus, quæ divelli à nobis non poteſt.* Addi meretur, præclara, de conſcientiæ judicio, *Senecæ* ſententia *Epiſt.* 97. *Prima* (inquit) *& maxima peccantium pœna eſt,* PECCÂSSE: *nec ullum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, impunitum eſt; quoniam ſceleris, in ſcelere, ſupplicium eſt ... Multos, fortuna, liberat pœnâ; metu neminem. Quare? quia infixa nobis ejus rei averſatio eſt, quam natura damnavit.*

Non leve quoque eſt, ex hominum exiſtimatione, de actibus mortalium, adverſus omnes judicium. cùm enim bonæ famæ, inæſtimabile ſit pretium; malæ famæ, magna debet eſſe formido; adeò, ut dicente *Plinio. lib.* 3. *Epiſt. multi famam, pauci conſcientiam vereantur.* Nam, quò eminentiùs exurgit poteſtas, eò plus, ex fama ſperare aut metuere quiſque ſolet. Unde *Tacitus. lib.* 4. *Annal. Cæteris mortalium* (inquit) *in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere arbitrentur; Principum diverſam eſſe ſortem; quibus præcipua rerum, ad famam dirigenda.* Poſtea ſubjungit. *Cætera Principibus ſtatim adeſſe: unum inſatiabiliter parandum, proſperatam ſui memoriam. Nam contemptu famæ, contemni virtutes. Quin &* [inquit *ibid Seneca*] *Socordiam eorum irridere libet, qui præſenti potentiâ freti, credunt; extingui poſſe etiam ſequentis Ævi memoriam.*

42. Duobus iſtis tribunalibus à natura conſtitutis, non deeſt vis *executiva.* Vindex enim & ultor ſupremus eſt Deus, qui maleficiorum ultionem exercet, pravis ſucceſſum negando & juxta criminum menſuram, ſupplicium inferendo. Etſi verò non ſecus, ùt ſementem tardè fructus ſequitur, & inter iſtam & hunc, multa accidunt, alia, ac quæ ſperantur

aut metuuntur; ſic peccatores, criminum ſuorum pœnam mox non ſentiant; ſed ſæpius etiam poſt & per ſcelera, felices atque impunes videantur; reverà tamen nec ſunt, nec manent. Inconſtans enim flagitiorum proſperitas, velut radicibus deſtituta, tandem inopinatò collabitur, quin & plerumque natura ipſa armatur adverſus naturæ violatores. Quàm tarda verò & occulta eſt divina animadverſio, tam illa eſt inevitabilis & rigoroſa. Sæpe videmus, & ego ipſe expertus ſum, quod ſub iniquo arbitro vel judice ſæpe triumphet ſcelus, calumnia & infamia inſonti irrogetur, Patriâ exulare cogantur, qui Patriæ & communi bono utiliſſimi ſunt. Sed quid dicam, niſi illud Sacroſanctum Gentilis Poëtæ:

Victrix cauſa Diis placuit,
ſed victa Catoni.

CAPUT III.

Unde haurienda ſit Juris Naturalis Notitia?

Ubi, à Num. 16. *prolixè & fundamentaliter refutatur & reprobatur PROBALISMUS, utpote peſtifera Origo Corruptelæ morum & Doctrinæ moralis.*

SUMMARIUM.

1 M*Ultùm diligentiæ adhibendum, ut vera noſcantur principia Juris Naturalis; quia in re, in varias itum opiniones.*

2 *Juris Civilis ignorantia interdum excuſat, aſt inſcitia juris naturalis, non præbet excuſationem.*

3 *Saltem in iis, quæ per ſe primò nota ſunt, aut ex primò notis facilè eruuntur.*

4 *In aliis ſublimiore & operoſiore diſcurſu addiſcendis, in quibuſdam hominibus, admitti poſſe ignorantiam invincibilem, paſſim docent Theologi & Juriſperiti;* Noſter *tamen* Egregius P. Piette *cum Lovanienſium Schola Auguſtiniano-Thomiſtica, nullatenus admittit, in homine rationis compote, ignorantiam* practicè *invincibilem circa remotiora etiam juris naturæ derivata.*

5 *Quid ſit juris naturalis? non poteſt præcisè deſumi ex appetitu ſocietatis, neque ex utilitate, in quam feruntur ſinguli.*

6 *Ex legibus & præceptis moralibus populo Hebræo primitus datis, poſtea ad omnes Gentes extenſis, rectiùs argumentamur ad eruendum jus naturale.*

7.

Digitized by Google

7 *Non omnia tamen præcepta Divina, juris ſunt naturalis.*

8 *Con- vel diſ-convenientia cum ratione naturali;* primitiva & *certa eſt regula diſcernendi, quid jure naturali præceptum vetitúmve ſit.*

9 *Statuuntur quædam Theoremata ſeu Axiomata, ex quibus multæ concluſiones practicæ prudenter deduci poſſunt.*

10 *Juris naturalis prudentia, quænam habeat principia* conſtitutiva, *tum* intrinſeca, *tum* extrinſeca?

11 *Quomodo juris naturalis prudentia diſcrepet à* Theologia morali & Ethica?

12 *Quomodò itidem differat à* juris-prudentia univerſali, *à* Politica & Ratione ſtatûs.

13 *Quid intelligatur per* Rationem ſtatûs?

14 *Quænam officia* erga Deum, ſeipſum & proximum, *pullulent ex jure naturali?*

15 *Statuitur primum & fundamentale principium totius juris naturalis.*

16 Probabiliſmus, *ars eſt animas decipiendi & in Gehennam præcipitandi.*

17 *Quid ſit* Opinio?

18 *Quid dicatur* probabile?

19 *Quotupliciter quid ſit, & dicatur* probabile?

20 *Aliud eſt* probabile *in foro* tantùm fori, *aliud in foro* poli *ſeu* conſcientiæ.

21 Probabiliſmi *fabricatores & defenſores, torquent ingenia ſua, in advenienda definitione* opinionis PRACTICÈ & *in foro* POLI probabilis.

22 Joannes Ferrier Theologus Tholoſanus, S. J. *præcipuus* Probabiliſmi *Apologiſta, exoticam &* definito *minimè convenientem, adducit deſcriptionem* Opinionis probabilis.

23 *Priuſquàm* anathomicè *examinetur & refellatur Authoris citati deſcriptio* opinionis probabilis; *præmittitur* notabile, bene obſervandum.

24 *Opinionum probabilitas oritur ex humanæ mentis imbecillitate, & ignorantia veritatis.*

25 *Interdum ſententia, quæ uni apparet certa, alteri videtur ſolùm* probabilis; *tertio verò magìs illuminato*, falſa *habetur.*

26 *Quævis opinio probabilis, oppoſitam habet aliam etiam probabilem.*

27 *Opinionum probabilium* ſemiſſis, *falſis nititur rationibus.*

28 *Quò Author eſt verſutior & callidior, eò Sophiſmata ejus ſunt captu & reſolutu difficiliora, ùt patet in Hæreſiarchis* Luthero & Calvino, *quorum primus conſuluit Dæmonem; alter operam dedit corruptiſſimæ eruditionis Profeſſoribus.*

29 *Media opinionum probalium pars, falſa eſt in ſe, adeoque non niſi Sophiſmatis nititur.*

30 *Obviatur* Replicæ.

31 *Refutatur articulatim deſcriptio* opinionis probabilis, *quam conflavit ſupra citatus* Ferrier; *& oſtenditur; falſum eſſe, quòd opinio probabilis importare debeat* firmum fixúmque judicium.

32 *In opinione merè probabili, non invenitur rationis ſoliditas.*

33 *Quis juxta Adverſarios, vir doctus audiat?*

34 *Refellitur poſtrema conditio, quam* Ferrier *requirit ad opinionem probabilem.*

35 *Opinio falſa, quatenus* evidenter *repugnet S. Scripturæ teſtimonio?*

36 *Quod in ſe falſum eſt, uni poteſt videri* evidenter *repugnare S. Scripturæ; alteri verò non ita.*

37 *Evidentia veritatis vel falſitatis, alia eſt* abſoluta, *alia* relata. *Graviter reprehenſibiles ſunt* Sanchez, Diana, Eſcobar & *alii Probaliſtæ.*

38 *Proponitur Theſis* Probabiliſtarum.

39 *Refutatur* Theſis *iſta.*
40 *Plenè evertitur Adverſariorum* exceptio.
41 *Quando liceat, relictâ propriâ opinione, ſequi ſententiam alterius?*
42 *Num Confeſſarius, contra propriam opinionem, poſſit abſolvere Pœnitentem?*
43 & 44 *Iterum refellitur Theologus* Tholoſanus.
45 Eſcobarii, Tamburini & Caramuelis *Aſſertiones, quàm ſint erroneæ & ſcandaloſæ?*
46 *Proteſtatio Authoris.*
47 *Conſectaria quædam, ex dictis, adducuntur.*
48 49 & 50 *Abominabiles Probabiliſtarum ſententiæ referuntur & enervantur.*
51 *Poſtremum Probabiliſtarum effugium expugnatur.*
52 *Adducitur propoſitio damnata ab* Alexandro VII.
53 *Ratio condemnationis redditur.*
54 *Judex ſtante opinionum probabilium æquilibrio, debet ſequi, quod tutiùs eſt.*
55 *Cur* Reo *in opinionum probabilium conflictu, potiùs, quàm* Actori *favendum?*
56 *Occurritur inſtantiæ.*
57 & 58 *Quandónam Aſſertio procedat vel non?*
59 *Incidenter agitur de* Interdictis retinendæ poſſeſſionis.
60 *Alia propoſitio,* de Probabiliſmo, *damnata ab* Innocentio XI. *ubi redditur ratio Cenſuræ.*
61 & 62 *Expenditur Cenſura aliarum propoſitionum in hac materia proſcriptarum.*
63 & 64 *In caſu neceſſitatis, quatenus licitum ſit, uti opinione probabili de valore Sacramenti Baptiſmi vel Pœnitentiæ?*
65 66 & 67 *Juſtificatur cenſura reliquarum propoſitionum in hac materia damnatarum.*
68 *Cur hic ſubſequenter agatur de regulis obſervandis, in actionibus moralibus?*
69 *Lex æterna Dei, eſt prima & univerſalis Regula morum.*
70 *Propria hominis conſcientia, eſt Regula particularis & proxima.*
71 *Conſcientia, unde ſit recta?*
72 *Conſcientia potiùs dicitur vera aut falſa, quàm bona vel mala.*
73 *Qualiter Conſcientia differat à Synderesi?*
74 *Synderesis, eſt Regula infallibilis, conſcientia verò fallibilis.*
75 *An teneamur ſequi conſcientiam?*
76 *Ad rectitudinem conſcientiæ, ſufficit certitudo* moralis?
77 *Quale judicium importet ſcientia, & quale opinio?*
78 *Probatur; quòd ad honeſtatem actionis, ſufficiat moralis certitudo de bonitate illius.*
79 & 80 *Solvuntur objectiones.*
81 & 82 *Reſolvitur quæſtio propoſita* ſupra. n. 75.
83 84 & 85 *Diluuntur contrariæ inſtantiæ.*
86 *Conſcientia invincibiliter errans, excuſat ab omni peccato.*
87 & 88 *Occurritur Objectiunculis.*
89 *Solvitur principale argumentum oppoſitum.*
90 *An & quatenus teneamur ſequi conſcientiam etiam vincibiliter errantem?*
91 *Satisfit objectioni.*
92 *Conſcientia dubia, quid?*
93 *Quotuplex ſit dubium?*
94 *Nequaquam licet operari cum conſcientia* practicè dubia.
95 *Reſpondetur ad* Replicam.
96 *Qualiter peccet operans ex conſcientia* practicè dubia?
97 *In dubio poſitivo peccati, quid agendum?*
98 *Quomodo tutius ſequendum?*
99 *Regula de ſequendo tutiore, non eſt meri conſilii, ſed præcepti.*

100

100 *Regula iſta eſt univerſalis in omni dubio conſcientiæ.*
101 102 & 103 *Probatur hoc ab inductione.*
104 *An dubium conſcientiæ, rectè reſolvatur, allegando poſſeſſionem libertatis.*
105 *Probatur reſolutio* negans.
106 *Evertitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ.*
107 *Corollaria ex præcedenti doctrina.*
108 *Utrum, & quænam* conſcientia probabilis, *poſſit eſſe ſufficiens Regula morum.*
109 *Certitudo conſcientiæ, debet eſſe* ſubjectiva, *ut poſſit dici Regula.*
110 *Quid, ſi cum ſententia probabili moraliter certa, concurrat alia probabilior?*
111 112 113 & 114 *Enervantur oppoſitæ rationes.*
115 *Multi reſipiſcentes, Probabiliſmum tandem rejecerunt; Galliæ verò Epiſcopi, velut moralis doctrinæ corruptelam, averſati ſunt.*

---

1 QUoniam maximoperè intereſt ſcire, quid verè ſit juris naturalis; ideo Deus ad id perſcrutandum, exhortatus eſt olim populum ſuum: *Jeremiæ. cap. 6. ℣. 16. State ſuper vias & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ via ſit bona?* Multò feliciùs olim *Patres* juris naturalis veritates aſſecuti ſunt, quia illas, in ſimplicitate cordis & ſpiritûs humilitate quæſierunt, quàm multi hoc etiam tempore, qui vanâ ſcientiâ tumidi, diſputationis pruritu, certa, quæ ſunt, conantur reddere dubia; & falſa pro veris venditant. Hujus rei teſtes, ſunt varia opuſcula, quæ hoc ævo, de jure naturali, in Academiis à-catholicorum fabricata, multos in graviſſimos errores abduxerunt. Reperi ſanè, non abſque ſtupore, à quibuſdam pro principiis iſtius juris, vaga quædam & à rectæ rationis fonte longiſſimè diſtantia *axiomata* protrudi, ex quo aliud evenire non potuit, quàm fluctuans, de certiſſimis alioquin veritatibus, judicium & morum corruptela. Facilem naturalis juris cognitionem, exinde multi ſibi perſuadent; *quia* natura omnibus communis, & omnibus ratio indita. Verùm; ſi, ùt ratio mortalibus communis, tam & rationis dexter uſus, omnibus ineſſet; non poſſet id jus, quod in dictamine rectæ rationis conſiſtit, non unicuique eſſe perſpectum: ſunt autem & hoc tempore, prô dolor! nimis multi, qui ſenſu tantùm vivunt, & ſuis cupiditatibus jus naturale attemperare conantur, & ideo enormiter aberrant. Quinimò; cùm ratio corrupta ſit in pluribus, & pauciores ſint, qui ductum conſcientiæ ſuæ ſequantur & in veritatis ſtudium incumbant; hinc plurimi hominum, ſanâ ratione non utuntur, & plerique abutuntur. Atque exinde effectum, ut non raro, in aulis præſertim, vitia pro virtutibus, virtutes verò pro vitiis habeantur. Nam, ut ait *Juvenalis. ſat.* 14 *Fallit enim vitium, ſpecie virtutis ad umbrâ* Idem ille fons, protrudit ingentem, de jure, opinionum diverſitatem, & ipſius juſti incertitudinem, ut meritò *Paulus JCtus. in l. 91. §. 3. ff de V. O.* obſervaverit: *in quæſtione, de bono & æquo, plerumque ſub authoritate juris ſcientiæ, periculosè errari.*

2. Cæterum; quia, quid naturalis juris ſit? homo explorando ſcire poteſt & inveſtigare tenetur; ideo ejus ignorantia, in crimine eſt; & apud JCtos. æquè ac Theo-

Theologos, receptum; quòd juſtam prætexere nequeat excuſationem, nec culpâ vacet, qui jus naturale ignoraverit. Cùm enim quæritur; an in delictis excuſet vel exculpet juris ignorantia; vulgò diſtingui ſolet, inter *naturalis* & *civilis juris* ignorantiam. Multi, ùt: impuberes, milites, ruſtici, mulieres & alii, in quos non cadit juris civilis peritia; ejus ignorantiâ ſublevantur, & in damnis amittendæ rei ſuæ, non nocet, in pænalibus, etiam à dolo purgat. Confer, quæ ſcripſi ad *Reg.* 13. *jur. in* 6. *Ignorantia facti, non juris excuſat. Ibid. n.* 6. 7. *&* 8. Aſt ignorantia juris naturalis, vix aliquam meretur excuſationem. Quò ſpectat illud *Gordiani* Imperatoris *in l.* 2. *C. de in jus vocand. Jus certiſſimum eſt, nec in ea re, ruſticitati, venia præbetur, cùm naturali ratione, honor hujuſmodi perſonis debetur.* Huc facit diſtinctio, quam circa inceſtum adhibet *Papinianus in l.* 38 §. 2. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter. Mulier* (inquit) *tunc demum eam pænam, quam mares, ſuſtinebit, cùm inceſtum, jure gentium* [id eſt jure naturæ] *probibitum, admiſerit: nam, ſi ſola juris noſtri* [id eſt civilis] *obſervatio interveniet; mulier ab inceſti crimine, erit excuſata.*

3. Equidem accipienda hæc ſunt, de primis principiis generalibus omni homini exploratis, qualia ſunt: *honeſtè vivendum, Deum colendum, parentes amandos, neminem lædendum eſſe &c.* nec non de iis, quæ his proxima ſunt, & ſimul adeò manifeſta, ut omni homini, ex ſolo rationis lumine, ſtatim ſint obvia, & nemini dubia eſſe queant. qualia ſunt: *Superioribus obtemperandum, ſuum nemini eripiendum, promiſſa ſervanda.* Fieri ſiquidem non poteſt, ut vel leviter attentos hæc lateant, utpote obvia & manifeſta. Unde S. Chryſoſtomus *homil.* 54. *in Geneſ. Nullus* [inquit] *prætexat, quòd ignorans, virtutem negligat; vel, quòd non habeat aliquem vitæ ducem & demonſtratorem: ſufficientem enim Magiſtrum habemus,* CONSCIENTIAM, *& fieri non poteſt, ut quis illo adjumento privetur.* Nam ſimul cum formatione hominis, implantata eſt ſcientia faciendorum & non faciendorum.

4. Illa verò, quæ non niſi ratiocinationis dexteritate, ex primis principiis difficulter colliguntur, & ſtudium non vulgare deſiderant, à multis [*ſpeculativè* ſaltem,] inculpabiliter & invincibiliter ignorari poſſunt. Et ideo, ſicut talium inſcitia, non niſi eruditis indecóra, ſic nec aliis inexcuſabilis. Cæteris enim ob ſimplicitatem, ruſticitatem, pravam educationem, aut inſtructionis defectum, non ſatis penetrantibus, quæ doctiores explorata habent, non adeò probroſa eſt ignorantia, nec magis vitio vertenda, quàm cauſa, ex qua oritur. Sicut igitur inſcitia, tales excuſat, in iis, quæ juris civilis ſunt; ita non minus ad exculpationem proficere debet, circa incognita juris naturalis, dummodò iſtius ſint generis, quæ non niſi diligenti & attentâ ratiocinatione, detegi poſſunt. Confer egregium noſtrum *Patrem Piette* part 2. Elucidationis difficiliorum Theologiæ Quæſtionum. *Quæſt.* 5. §. 2 *pag. mihi* 137. ubi piè & nervosè contendit: in jure naturæ non dari ignorantiam *practicè* invincibilem.

5. Quantò gravioris authoritatis eſt, quidquid natura præcipit aut vetat, quantóque graviùs eſt crimen, quod contra illam patratur; tantò magis decet, ſumma cum ſolicitudine curare; ut de naturalibus præceptis, certi ſimus, & veritatem genuinam, è tenebris, quibus poſt depravationem, mens humana circumdata eſt, eruamus. Huic rei multi inſudârunt, qui moralem Philoſophiam tradiderunt, ſed non omnes pari felicitate. Multi temerè, à natura juſſis aut vetitis, an-

annumerant ea, quæ reverà talia non ſunt; & ſic varié exorbitant. Pro explorandis juris naturæ præceptis, plurimi decurrunt ad humanam ſocietatem, dicentes: illa omnia & ſola, eſſe juris naturæ, quæ humanæ ſocietati propria ſunt aut neceſſaria. Verùm, etſi homo, naturâ ſit animal ſocietatis amans, ejúſque curæ & cuſtodiæ deditum; ac proinde jus naturale multa dictet, quæ huic conciliandæ, ſuſtinendæ atque conſervandæ idonea ſunt; aſt, quòd ea ſola, ſint iſtius juris, nec præter ea, ſint alia; falſum eſſe, ſupra *cap.* 2, *n.* 37. & alibi oſtendimus. Societate enim, jus naturale antiquius eſt, & latiùs extenditur. Licet ergo ſocietas humana, ex jure naturali, incitamentum & normam capiat; non tamen viceverſâ, jus naturale, ſocietate, menſurari debet.

Non minus aberrant, qui ex utilitate ſingulorum, vel totius generis humani, juris naturalis characterem, indiciúmque infallibile deſumunt; hi enim, utilitati, jus ſubmittunt, quod utique præpoſterum, & à ſana ratione alienum, prout ſupra *n.* 38. inſinuatum.

6. Propiùs ad veritatem accedunt, qui regulam judicandi de jure naturali, hauriunt ex legibus & præceptis Genti Hebrææ publicatis, poſteà, ad omnes gentes, Evangelicâ prædicatione, tranſlatis. Exinde & veteres Philoſophos meliora hauſiſſe ſapientiæ principia, creditum à pluribus. Audi *Tertullianum*. *Quis* (inquit *Apologet. cap.* 47.) *Poëiarum*, *quis Sophiſtarum*; *qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? Inde Philoſophi ſitim ingenii ſui irrigârunt*. Quinimò *Clemens Alexandrinus. In ſtromat*. 1. 5. & 6. Græcorum Philoſophos, *Fures* compellat, eò quòd à *Moyſe* & Prophetis, præcipua ſua dogmata, ſatis ingrati & beneficii immemores, acceperant. Et *Megaſtenes* Scriptor vetuſtiſſimus, apud S. *Euſebium. Præparat. Evangel. lib.* 9. *cap.* 6. dixiſſe refertur: " Quidquid ab antiquis, de natura, „ dictum eſt, etiam docetur ab eis, qui „ extra Græciam philoſophantur, velut „ apud *Indos*, à *Brachmannis*, atque in „ *Syria*, à *Judæis*. Quia autem Judæis „ primùm revelata Dei lex; inde in ejus „ velut proprietatis poſſeſſionem pervenerunt, ipſis ùt propriam; & inde ſi„ mul præ cæteris, Philoſophiæ gloriam „ tribuerunt veteres, ſicut eos faciunt „ Philoſophorum primos." Recenſet etiam *ibidem Euſebius* quoddam *Apollinis* Oraculum, quo habetur: *Solos Chaldæos atque Ebræos, ſapientiam ſortitos eſſe, æternum numen venerantes*. Reperimus porrò, in veterum ſcriptis, non pauca veſtigia, hauſtæ per præſtantiſſimos Philoſophorum, ab Hebræis ſapientiæ. De *Pythagora*, *Flavius Joſephus, contra Apion. lib.* 1. ſcribit: *Planè non ſolùm novit diſciplinam noſtram, ſed & ejuſdem cupidè multa eſt amplexus, multa eorum quæ Judæis recepta ſunt, in ſuam tranſtulit Philoſophiam*. Quin & *Numenius* Pythagoricus perſtrinxit *Platonem*, quòd ea, quæ de Deo & mundo tradidit; ex *Moyſis* libris, velut *Plagio* ſurripuerit. *Quid* (inquit) *aliud eſt* Plato, *quàm* Moyſes *Atticâ linguâ loquens*? Unde divus Divus *Ambroſius in Pſal.* 118. ſcribit: *Platonem* eruditionis gratiâ, in *Ægyptum* fuiſſe profectum, ut *Moſis* geſta, legis oracula & Prophetarum dicta, cognoſceret. & *Theodoretus lib.* 2. & 6. *Platonem* ex Hebraïcis fluentis, pleraque hauſiſſe aſſerit, quæ piè de Deo ejúſque cultu dixit. Similia de *Ariſtotele* Peripatheticæ Philoſophiæ authore, legimus. De *Seneca* quoque refertur, quòd, cum Apoſtolo *Paulo* converſatus fuerit, & ex eo multa Divinitus revelata. didicerit. Epiſtolæ tamen *Senecæ* ad D. *Paulum* ſcriptæ, pro *Apocryphis* habentur. Quidquid ſit, certum ſaltem

tem eſt, quòd Divus P. *Auguſtinus* magni fecerit *Platonem*, quem Philoſophum dixit *propè divinum*. & *Otto Friſingenſis* dixit: *L Senecam*, non tam Philoſophum, quàm Chriſtianum fuiſſe. Accedens ſacris eloquiis, ſapientûm etiam Gentilium conſenſus, non parum corroborat opinionem: nihil, naturali jure, iſtis eſſe convenientius, & nullibi propiùs & tutiùs ejus juris intellectum peti poſſe.

7. Etſi verò non ſit negandum, quòd præcepta divina, juri naturali cordibus humanis inſcripto, non adverſentur; collectio tamen generalis, haud rectè ſit, dicendo; *Quidquid ſacro Verbo præcipitur aut vetatur, juris eſſe naturalis.* Concluſio quippe ex tenore ſacrorum Eloquiorum, ad jus naturale, nec *univerſalis* nec *neceſſaria*. Conſtat enim, multa, jure divino contineri, quæ ex naturæ neceſſitate non deſcendunt, ſed ex Dei libera voluntate profecta ſunt. Sunt prætereà, in Sacris Libris, multa, quæ non univerſo humano generi, ſed ſoli populo *Hebræo*, præſcripta, vel ad Reipublicæ iſtius ſtatum & regimen politicum, vel ad formandas Sacrorum cęremonias, vel ad forenſium negotiorum ordinem ſpectabant. Unde, non adeò in proclivi eſt, diſcernere & definire; quid in jure iſto divinitus condito, ſit *legis naturalis*, quid *voluntariæ* poſt conditam naturam, *conſtitutionis?* Ut non inutile fuerit vetus monitum, quod inter conſtituta Apoſtolica *lib.* 1. *cap.* 6. refertur de veteris fœderis lectione: *Sit tibi ante oculos poſitum, ut cognoſcas, quid ſit lex naturalis, & quid Deuteroſis?* quo vocabulo ſignificantur, quæ Hebræis fuerunt in *choro* & *foro* ſingularia, aliis populis haud communia. Aſt, cùm Sacer Codex nullibi exprimat, quid ſit præciſè juris naturalis, quid poſitivi? neque oſtendat manifeſtum aliquod diſcrimen, nec ad diſcernendum unum ab altero, regulam tradat; utique ex ſolo Sacro codice, norma id dijudicandi, deſumi nequit. Remittunt nos multi ad tempora *antediluviana*, dicentes: omnia temporibus iſtis, homini imperata aut interdicta, juris eſſe naturalis; ſed quàm infundatè id aſſeratur, vel ex eo patet; quòd pro certo non conſtet de alia lege, ante diluvium, quàm illa; quæ primo homini in paradiſo fuit data, *de non comedendo ex arbore ſcientiæ boni & mali*, quam naturalem, nemo dixerit; licet ſub ea, *implicitè* multa naturalia præcepta contineantur, ut ſupra in *Prolegomenis n.* 10. adnotavimus. Hoc certius eſt: quòd Deus Rempublicam Hæbræorum, legibus formare & fundare meditatus, præcipuè & ſeverè populo iſti cultum & obſervantiam juris naturalis mandaverit: & ne ignoraret; naturalia præcepta *Decalogô* expreſſerit, ita, ut Decalogus meritò dici poſſit & verè ſit, totius juris naturalis *ſynopſis* & *compendium*. Unde, cùm ex illo certò arguere & colligere poſſimus, quid ſit juris naturalis; ideo illius explanationem ex profeſſo ſuſcipiemus, & ſingula mandata Dei, illorúmque *conſectaria*, plenè ad populorum omnium inſtructionem, rubinabimur.

8. Cæterùm, ſummatim obſervandum, quòd jus naturale, ex *con-*vel *diſ conveniencia* cum ratione naturali, velut ex primo fonte hauriendum ſit, adeóque con-vel diſ-convenientia iſta, primus & ſolus index, ac certa regula ſit, diſcernendi: quid ſit, vel non ſit juris naturalis? Etſi enim bene diſtinguant Theologi Præcepta veteris legis, in *merè judicialia* ſeu *forenſia*, *cæremonialia* & *moralia*, & poſtremi generis leges, dicant eſſe *naturales*, perpetuam obſervantiam poſtulantes. Etſi, inquam, verum ſit; quòd illa præcepta, quæ non ſoli populo *Hebræo* data, ſed ad omnes gentes porrigebantur; ex jure pullulent

lulent naturali; dici tamen nequit, quòd hujuſmodi præcepta, ſint *proxima* principia iſtius juris; reducuntur enim omnia, & probantur per con-vel diſ-convenientiam cum recta ratione Unde S. *Hieronymus. ad Demetriad.*: *Eſt in animis noſtris, naturalis quædam* (*ut ita dixerim*) *Sanctitas, quæ velut in arce animi præſidens, exercet boni malique judicium. Non* enim, etiam poſt peccatum protoparentis (inquit *Divus P. Auguſtinus. lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 24.) *eſt in homine penitus extincta ſcintilla rationis, in qua factus eſt ad Imaginem Dei.* Cæterùm

Sicut in ſcientiis Philoſophicis, præter prima principia, ſtatuuntur certæ concluſiones, quæ veluti regulæ immotæ, obſervandæ ſunt ad bene judicandum de particularibus quæſtionibus; ita & in ſcientia *Morali*, ſeu *Ethica noſtra*, non inutiliter ſtatuuntur quædam *Axiomata*; quæ planam veritatem continentia, viam ſternant ad ſingularia quæſita ſolidè reſolvenda.

9. *Primum* juris naturalis *Azioma* hoc ſtatui poteſt: *Prout unumquodque natura condidit & mundo conceſſit; ita habeatur & ſervetur.* Deus enim naturam & quidquid ejus eſt, creavit ſummâ & incomprehenſibili ſapientiâ, fecitque naturam, firmam, immotam & conſtantem; ex qua cuncta in orbe, eſſentiam & ſtabilitatem haberent. Ineſt quoque ſingulis rebus creatis, juxta conditionem ipſarum, Spiritus Dei, quem Philoſophi gentiles, *mundi animam* dixêre & ideo ipſum mundum crediderunt *animatum*. Tametſi autem in hoc erraverint; certè tamen in hoc non errârunt; quòd cum Stoicis crediderint: in rebus omnibus naturalibus, multum latere divinæ rationis; non quidem, quòd ipſæ præter hominem, ſint rationales, & ſuîmet intelligentes, ſed; quòd ratione supernâ conſtent, regantur & valeant. Sicut ergo cuncta, quæ Deus fecit, valde bona ſunt; ſic nemini in res creatas, arbitrium eſſe debet, & naturalis ordo ſequendus. Hinc *Cicero* in *Catone*. *In hoc* [inquit] *ſumus ſapientes; quod naturam, optimam ducem, tanquam Deum ſequimur, eique paremus.* & *S. P. Auguſtinus. lib.* 2. *de Civit. Dei. cap.* 22. *Divina* (inquit) *Providentia nos admonet, non res inſipienter vituperare, ſed utilitatem rerum diligenter inquirere, & ubi noſtrum ingenium vel infirmitas deficit, ibi credere occulta: ſicut alia, quæ vix potuimus invenire. Atque hæc ipſa, aut humilitatis exercitatio eſt, aut elationis attritio.* Igitur *naturaliter juſtum* dicas, quidquid ſecundùm naturam, neceſſarium perſpexeris, *injuſtum* verò, quidquid naturâ invitâ & reluctante fieri deprehenderis. Sic conjunctio maris & fœminæ, quam Matrimonium vocamus, juxta aptitudinem, quam natura hominibus indidit, naturalis juris eſt, ei verò contrarius coïtus, planè & naturaliter, abominabilis eſt; veluti commixtio maris cum mare, fœminæ cum fœmina, hominis cum beſtia.

Secundum juris naturalis *Axioma* eſſe poteſt: *Quod natura cuique, ùt* SUUM & PROPRIUM *dedit, relinquendum eſt integrum & inviolatum.* Item: SUUM *cuique relinquendum aut reddendum.* Hinc jus naturale violat, qui alteri naturalem facultatem cohibet; ſua alteri, clam vel vi, aufert: alterum cogit, ad diſtrahendam rem ſuam. Adeóque naturaliter injuſta ſunt: furta, rapinæ, extorſiones, violentiæ, concuſſiones &c. Ex iſta radice profluunt illa ſumma juris præcepta: *Suum cuique tribuere, neminem lædere.* Quorum *illud* vult: ut unicuique, quod debetur, cedat. *Hoc*: ut nihil ei decedat. *Illud* jubet: juſta unicuique attribui & relinqui *Hoc* injuriam & damnum non fieri. In quo utroque, ferè abſolvitur totius ope-

operatio juſtitiæ, cujus duplicem ſpeciem facit *Ariſtoteles*, ſcilicet *Diſtributivam* & *commutativam*, ſeu, ut alii cum *Grotio* loquuntur: *Attributricem* & *Expletricem.*

Tertium Axioma eſt: *Quæ natura humano generi communia fecit, vel communiter conceſſit, illorum uſus non eſt impediendus.* Sic uſus elementorum, quatenus ad vitam conſervandam neceſſaria ſunt, nemini eſt præcludendus.

Quartum Axioma ſit: *Naturalibus utendum, juxta conditionem naturæ.* Quò ſpectat inter Sacras Leges, vetita heterogeniorum commixtio, velut naturæ ordinem ſubvertens. *Levit.* 19. 29. de qua ſic *Philo. in lib. de Creation. Quæ ſub eandem cadunt ſpeciem, in conſociationem nata ſunt, nec commixtione conjuncta; quæ, ſi quis conjunctione nefariâ commiſceat; is ſanè naturæ jus, contra juſtitiam (quantum in ſe eſt) è medio tollit.*

Huic Axiomati proximum eſt, quòd cuſtodiendus & obſervandus ſit ordo naturalis, quem Author naturæ, in rebus conditis ſapientiſſimè conſtituit. Non enim Deus uſum rerum inſtituit promiſcuum & arbitrarium; ſed cuncta, in *numero, pondere* & *ordine*, providiſſimè diſpoſuit, & ad certos fines adaptavit. Quidquid autem naturæ conditor, pro certo uſu ac fine, præordinavit; id utique habere debet rationem legis naturalis.

Quintum Axioma eſto: *Non abutendum iis, quæ natura ad uſum conceſſit.* Unde naturali jure; luxus, prodigalitas, crapula, luxuria, ebrietas & ſimilia, improbantur. Ut bene dixerit & chriſtiane locutus fuerit paganus *Cicero. lib. 2. de Offic. Nihil eſt tam inhumanum, quàm à natura, ad ſalutem hominum data, ad bonorum peſtem perniciémque convertere.*

Axioma ſextum. Quæ natura condidit & dedit, conſervanda ſunt. Audiamus iterum *Tullium. lib. 1. de Offic. Principiò* (inquit) *generi animantium omni, hoc à natura tributum eſt, ut ſe, vitam, corpúſque tueatur, declinétque ea, quæ nocitura videantur, omniáque, quæcunque ad vivendum ſint neceſſaria, inquirat* & *paret; ùt: paſtum, ùt latibula, & alia ejuſdem generis.* Sicut hanc indolem animantibus natura indidit, ſic jus conceſſit ad tuenda & conſervanda illa omnia, ſine quibus, ipſa animantia ſubſiſtere & perdurare non poſſent. Ex hoc Axiomate profluit damni & injuriæ prohibitio, utpote contraria conſervationi ejus, quod quis à natura conſecutus eſt. Profluit & licentia propulſandi mala, quibus naturaliter conceſſa, perdi aut deſtrui contingeret. Proinde naturaliter juſtum; vim vi; fraudem fraude; convitia retorſione, repellere. Atque ex eo, naturale jus habent omnia ſecuritatis remedia & munimenta, quibus nos adverſus pericula, tutos reddimus; écontra in crimen naturæ contrarium incidunt; ſuî aut alterius cædes; membrorum amputationes & corruptiones; ſanguinis humani nimis vilis æſtimatio; in homines, imò & pecudes ſævitia crudelis; creaturarum ſine neceſſitate peſſumdatio, temeraria periculi ſuſceptio &c.

Poſtremum & naturæ integritati maximè correſpondens *Axioma* ſit: *Congenito pudori actiones noſtræ conveniant.* Quemadmodùm enim ad honeſtatem & decus quoddam rationi congruum, omnia à Deo ordinata & compoſita ſunt, ita veluti pro cynoſura actionum noſtrarum, indidit nobis Author naturæ, pudorem naturalem, quo à turpibus deterreamur & ad honeſta inſtigemur Hujus idcirco commendatio, in ſcriptis J C torum. non modò; ſed & Civilibus Canonicíſque Legibus, frequens legitur; ut intelligeremus: quòd in actionibus noſtris bene moraliter inſtituendis, præcipuè animum in-

Digitized by Google

intendere debeamus in pudorem nobis congenitum. Hanc ob cauſam JCti. primum ſummúmque juris præceptum ſtatuerunt: *Honeſtè vivere*. Et pro regula receptum illud effuſæ libertatis repagulum: *Non omne*, *quod licet*, *honeſtum eſt*. Cui conſonat illud *Senecæ* dictum: *Quod non vetat lex*, *vetat pudor*. Tametſi itaque per naturam, multa ſint libera; equidem, juxta hoc Axioma, ſic attemperanda ſunt, & in uſum deducenda; ſi videlicet *honeſtè*, *& ſalvo pudore*, *fieri poſſint*. Eſt libertas Matrimoniorum, aſt, cùm ex connato pudore, natura abhorreat à denudatione proximè conſanguineorum; hinc concubitus cum hujuſmodi perſonis, naturaliter prohibitus cenſetur.

10. Egimus ſupra *cap.* 1. *n.* 20. de principiis *eſſendi* & *cognoſcendi* juris naturalis; hîc ſuperaddendum: quòd ipſa juris naturalis prudentia, ſua quoque habeat principia conſtitutiva & diſtinctiva. Principia *conſtitutiva* & quidem *intrinſeca* & *propriè talia*, ſunt illa præcognita & dictata, quæ dirigunt hominem non ſolùm ad ſe ipſum & proximum, ſeu ſocietatem humanam; ſed vel maximè ad Deum, ùt Authorem naturæ, in ordine ad felicitatem vitæ rationali propriam & completam. Principia *extrinſeca* ſeu *adjumenta* juris-prudentiæ naturalis, ſunt: quæ licet eandem immediatè quidem non conſtituant, mediatè tamen multùm conferunt ad hauriendam faciliorem & perfectiorem notitiam juris naturæ: qualia ſunt: *jus poſitivum* & *Theologia moralis* quæ de virtutibus & vitiis tractat. Certum enim eſt, quòd pleraque legibus tum Divinis tum humanis definita, fundentur in recta ratione ſeu æquitate naturali; & quòd Theologia moralis exponat illa, quæ legi æternæ Dei & conſcientiæ rectæ dictamini conſentanea ſunt. Adeóque jus poſitivum & Theologia moralis, non parum conferunt ad genuinam juris naturalis prudentiam aſſequendam.

11. Differt autem Juris-prudentia naturalis 1*mò*. à *Theologia morali*; quòd illa verſetur circa actiones humanas tanquam bonas vel malas *moraliter*, eáſque dirigat *ùt pias*. 2*dò*. ab *Ethica*; quòd illa actiones humanas conſideret *ùt honeſtas*. Juris-prudentia verò circa illas verſetur, *ùt juſtas*. Sicut enim juſtitia *in genere* differt à virtutibus cæteris per hoc, quòd agat ex motivo juris, quod alteri, cui aliquid tribuit, competit; ita ex eadem ratione, Diſciplina juris naturæ, differt à Theologia & Ethica. Itaque, licet juris naturalis prudentia verſetur circa actiones ſeu officia hominis erga Deum, ſeipſum & proximum, quæ legi Dei æternæ, & conſcientiæ dictamini ſunt conformia; attamen juris-prudentia iſthæc non ſiſtit in nuda iſta conformitate ſeu bonitate morali officiorum hujuſmodi; ſed conſiderat conformitatem illam, ùt fundatam in debito naturæ neceſſario, & obligatione indiſpenſabili, ſub reatu pœnæ, explenda. Verbo: Juriſprudentia noſtra non verſatur circa iſthæc officia, præciſè *ùt bona*, *pia* vel *honeſta*; ſed, ùt *formaliter juſta & exerceri debita*.

12. Juris naturalis prudentia, differt à juris-prudentia *publica* & *univerſali*: quòd *hæc* ſit habitus per ſe dirigens actiones publicas omnium vel ſaltem plurium civitatum, ad juſtitiam & ſalutem publicam, in ſuo genere, conſummatam; *illa* verò ſit habitus moralis dirigens actiones ſeu officia hominis erga Deum, ſeipſum & proximum, in ordine ad felicitatem creaturæ rationali propriam & completam.

Differt quoque juris naturalis prudentia *à Politica*; tum, quia juris-prudentia noſtra procedit *demonſtrativè* ex principiis neceſſariis, Politica verò ſolùm probabiliter, ex dictaminibus experientiæ & ſaga-

gacitatis humanæ. Tum quia *illa* dirigit leges ferendas; *hæc* autem leges latas exponit & interpretatur. Tum denique; quia *illa* conſiderat, quid utile & proficuum ſit civitati; *hæc* verò; quid quivis mortalium, *ex juſtitia*, debeat Deo, ſibi & proximo.

Differt porrò juris naturalis prudentia à *Ratione ſtatûs*, quæ eſt pars politicæ, & in ſeligendis mediis, ad conſervationem & utilitatem Reipublicæ deſtinatis, ſæpe eſt ſingularis, arcana ac mutabilis, atque diverſa pro diverſitate Nationum, formarum regiminis, & diſcrimine Religionis, proinde à dictamine rectæ conſcientiæ ſeu regulis juſti, ſæpe deviat. Si

13. Petas: Quid per *Rationem ſtatûs* propriè intelligamus? *Reſp.* Nos per rationem ſtatûs, non intelligere Rationem, effrœni hominum cupiditati quomodolibet ſubnixam, & omni juſtitiâ & æquitate naturali deſtitutam (quæ *Pſeudo politica*, ſæpe in aulis, nimium prô dolor! uſitata eſt) ſed *Cynoſuram conſiliorum & actionum, ad præſentem Reipublicæ ſtatum adminiſtrandum; ut certiùs & feliciùs Reipublicæ ſalus obtineatur & conſervetur, ſine injuria alterius.* Ita ut *Ratio ſtatûs*, ſit: ſtudioſa & æqua via, boni publici procurandi & conſervandi, ac mali avertendi, cum derogatione quidem juris civilis; aſt non juris naturalis, quod perpetuum & immutabile eſt. Ex dictis *n.* 11.

14. Deduces. Officia qualiacunque erga Deum, ſeipſum & proximum, in mera virtute fundata; eſſe extra ſphæram juris naturalis; ea verò ſola & omnia, quæ fundantur in neceſſario naturæ debito atque obligatione indiſpenſabili; propriè ſpectare ad juris naturalis prudentiam. Quia illa participant rationem *juſtitiæ* & objecti *formalis*, hujus diſciplinæ. Quænam autem officia fundentur in neceſſario naturæ debito; deſumendum eſt ex fine, ſeu felicitate, naturæ rationali præfixa & propria. Quæ enim officia, adeò neceſſariò exiguntur à natura; ut iis prætermiſſis, detrimentum pateretur ejus felicitas; illa ſunt abſolutè debita.

15. Igitur, primum & fundamentale principium totius juris naturalis, eſt hoc: *Fac vel omitte omnia, quæ ex juſtitia,* Deo, Tibi & Proximo, *neceſſariò debita, facienda vel omittenda ſunt.*

16. *Supra n.* 10. Dixi: principium *extrinſecum* & ſingulare adjumentum Juris-prudentiæ naturalis, fore *Theologiam moralem*; ſed intellige *illam*, quæ Sacræ Scripturæ incorruptis textibus, Conciliorum legitimorum ſancitis & decretis, ac ſanctorum Patrum concordantibus teſtimoniis ſubnixa eſt; non verò *iſtam*, quæ prô dolor! infinitis laxitatibus, & periculoſiſſimis erroribus, jam à centum & quinquaginta annis, nedum ab apertis Romano-Catholicæ Eccleſiæ hoſtibus, verùm etiam ab aliis Catholico nomine gloriantibus, adeò depravata deprehenditur; ut potiùs ars animas decipiendi, & in Gehennam præcipitandi; quàm Sacra, rerum ad mores pertinentium & ad æternam ſalutem conducentium, ſcientia, dici mereatur. Tantæ depravationis origo, eſt *probabiliſmus*, ſeu effrœnis licentia vivendi & actiones ſuas exercendi, juxta opinionem probabilem libertati faventem, relictâ opinione probabiliore, tutâ vel tutiore in contrarium militante. Peſtiferum iſtud Neotericorum inventum, tantas invexit in moralem Theologiam, luxuriantium ingeniorum novitates; ut, niſi Apoſtolicæ Sedis infallibili judicio, penitus è Schola Catholicorum proſcribatur; metuendum ſit; ne ſub larva opinionum probabilium, ſúbque prætextu licentiæ ſequendi opinionum probabilium apparentiam; omnis è dicaſteriis & Tribunalibus eliminetur juſtitiæ norma, om-

níſque

niſque ex animis mortalium proſcribatur moralitatis regula. Ut hac in re, methodicè agamus; & quivis capiat, quanta peſtis, in Doctrina *morali*, ſit *Probabiliſmus*, & quanta mala inde in orbem univerſum derivari nata ſint; ideo.

17. PRÆMITTENDUM 1*mò*. Quòd *opinio* generatim & ſecundùm ſe, ſit: *aſſenſio unius partis cum formidine alterius*, ubi per *ly* ASSENSIO, excluditur *dubium*: per *tò* FORMIDINE. Removetur *ſcientia* & *fides divina*. Scientia enim nititur motivo evidenti, fides autem divina, nititur authoritate infallibili *Dei revelantis*, quæ omnem formidinem expellit ab aſſenſu.

18. PRÆMITTENDUM 2*dò*. *Probabile* ex etymo nominis, idem eſſe: quod *approbabile*. Verùm; cùm quid tam à voluntate, quàm intellectu approbari queat; aliud vocitatur *probabile intellectûs*, aliud *voluntatis*. Primum, idem eſt: quod *affirmabile* ſeu *veriſimile*, ſiquidem intellectûs *approbatio*, eſt aſſenſus *affirmativus*. Secundum eſt id, quod voluntas conſentiendo, ceu rectum & bonum approbat, ratúmve habet.

19. PRÆMITTENDUM 3*tiò*. Probabile *intellectûs*, aliud à Theologis dici *ſpeculativum*, aliud *practicum*, & primum quidem vocari *ſimpliciter ſpeculativum*; ſi videlicet ſit de re merè ſpeculabili; ſi verò ſit de re in praxin redigibili [etſi præſcindat à quibuſdam, vel cunctis circumſtantiis] nuncupari *ſpeculativo: practicum*; ſi porrò ſit de re individualiter, cum ſuis circumſtantiis, hîc & nunc ponenda; appellari *ſimpliciter practicum*, ſeu, ùt dici in ſcholis amat; *practicè practicum*. Ubi

20. Ex Egregio *P. Nicolao Gircken*. quondam Magiſtro meo, *tract.* 2. *quæſt.* 6. *dub.* 1. obſervâſſe juvabit; quòd utrumque probabile, ſpeculativum ſcilicet & practicum, ſubdividatur in id, quod eſt *fori* tantùm *exterioris* & *ſcholaſticè defenſibile*; ac in id; quod eſt *fori interioris*, ſeu applicabile ad dirigendam conſcientiam. Probabile in foro *fori*, ſeu ſcholaſticè defenſibile, eſt; quod vel *poſitivè* in Academiis & Cathedris, à legitimo ſuperiore doceri & defendi permittitur, vel *negativè*; hoc eſt: abſque ſpeciali prohibitione, doceri toleratur. Quò pertinent omnes opiniones, quæ reperiuntur in libris, ſive doctorum calculo approbatis, ſive aliis non reprobatis; quæque in Catholicorum ſcholis, ſcientibus & non contradicentibus ſuperioribus, palàm docentur & exponuntur. Profectò, haud aliam probabilitatem, ordinarii librorum Cenſores, Doctorúmve approbationes, Authoris concluſionibus, dictis & deductis, impertiri poſſunt, donec videlicet à ſummo Pontifice vel Deputatis ab eo Cenſoribus, aliter judicatum fuerit.

21. Ad exponendum ſeu veriùs implicandum, quid in foro *poli* ſeu *conſcientiæ*, reapſe ſit probabile; mirum, quantum cervices ſuas torſerunt tum laxiores Caſuiſtæ, tum *Probabiliſmi* fabricatores, Apologiſtæ & Academici declamatores. *Caramuel* deſcribit *Probabile* iſthoc *conſcientiæ*; quod ſit id; *quod gravi fulcitur motivo*. Tantundem vult *Honoratus Fabri*, qui pro *tò: gravi*, ponit *ly: rationali*. Idipſum vult *Rhodes*, qui pro *tò: gravi* ſubſtituit: *ly*: *bono*. Ejuſdem halitûs ſunt *Eſparza* & *Platelius*. PRIMUS vult id eſſe *probabile conſcientiæ*; quod nititur motivo *magni momenti*; ALTER, quod pro ſe habet motivum *prudenti æſtimatione dignum*. Verùm, definitiones iſtæ, licet non ſint falſæ, impingunt tamen in regulam *Dialecticorum*, eò quòd non ſint clariores *definito*. Non enim eſt notius, quid ſit *grave*, *rationale*, *magni momenti &c.* quam, quid ſit *probabile*. Dimittunt quoque deſcriptiones iſtæ, rem in medio inexplicatam; quia non exponunt; an

Digitized by Google

an motivum iſtud debeat eſſe *in ſe*, *ſimpliciter* & *reipſa*, grave, rationabile, & magni momenti; an verò ſufficiat: ut ſit tale *apparenter tantùm & exiſtimatè*, item: an ſufficiat, motivum appareat *grave* ipſi opinanti operaturo; an verò ſufficiat, motivum videatur aliis viris doctrinâ famoſis, *grave*, id quod aliqui, ùt infra videbimus, inſaniſſimè contendunt.

22. Cæterùm, cùm *Probabiliſmi* ebuccinatores, novam doctrinam ſuam, multis probis & doctis viris minimè probatam cernerent; in id maximè incubuerunt, ut illius virus fuco oblitum, ſimpliciorum oculis ſubtraherent, & peſtilentiſſimæ corruptelæ, formam affingerent ſuperficialiter honeſtam. Id ſe plenè & tutò confeciſſe rati ſunt; dum varias conditiones requiſiverunt ad hoc, ut opinio habeatur *probabilis*. Fruſtra (aiunt) circa probabilitatis doctrinam, tot clamores & tragœdiæ excitantur, & immeritò innocentiſſima opinio, quaſi omnium corruptelarum fons, apud indoctos exagitatur, cùm nihil tale ex ea ſequi poſſit; quale, tam invidioſè jactatur. *Non enim* (inquit *Joannes* Ferrier *Theologus Tholoſanus S. J. pag.* 31.) *opinio probabilis eſt, quæ Sophiſmatis tantùm nititur; alioquin omnia Hæreticorum commenta*, PROBABILIA, *dicenda forent. Quid ergo opinio probabilis ex Caſuiſtarum mente? Nimirum*, FIRMUM FIXÚMQUE JUDICIUM, *ex gravibus rationibus ortum, quod nec evidenti rationi, nec verbis Scripturæ Sanctæ, nec Conciliorum ſcitis, nec ſummorum Pontificum Decretis, nec unanimi Patrum conſenſui adverſatur.* Itaque, ex Caſuiſtis, nulla opinio tanquam probabilis, in Theologiam Moralem admittenda eſt, niſi duas illas habeat dotes annexas: *prima*; ut gravibus innixa ſit rationibus, id eſt: tam propè ad veritatem accedentibus; ut, licet non cogant, tamen animo ſapientis & intelligentis viri ſatisfaciant, & ita ſolidæ ſint; ut *apertè* falſæ demonſtrari nequeant. *Altera* dos eſt: ne vel rationi evidenti, vel Catholicis dogmatibus in Scriptura revelatis, vel Conciliorum, ſummorúmque Pontificum Decretis, vel unanimi Patrum, Doctorúmque conſenſui, ſit oppoſita; cùm fieri non poſſit, ut cuiquam probabilis ea videatur opinio, quàm certò falſam eſſe cognovit; falſam autem eam videri neceſsè ſit; quæ cum evidenti ratione, vel Catholica veritate pugnare perſpicitur. Ita *Tholoſanus* ille Hercules, nedum contra duos, ſed ſexcentos alios pugnans, imò ſemetipſum proprio mucrone jugulans.

23. Ad rhumbum! *Anathomicè* exenterata ponderemus Authoris iſtius viſcera, totius corporis contagionem indigitantia. Opinio (inquit) *probabilis* non eſt ea, quæ *Sophismatis tantùm* nititur, alioquin omnia Hæreticorum commenta, *probabilia*, dicenda forent.

Ignoſce mihi Lector Catholice! quòd hîc id te moneam, quod te præmonitum volebam, & calamum præterivit.

Noveris (inquam) quamlibet de moribus ſententiam, aut generatim, ſeu *per ſe*, & *abſolutè*, ſpectari poſſe; aut intuitu intellectûs noſtri ſæpe vacillantis, & genuinam veritatem *Objecti* reperire non valentis. Confer Præclariſſimum noſtrum *P. Aurelium* Piette *in Elucidatione difficiliorum Theol. quæſt. part.* 2. *de Actib. humanis. quæſt.* 8. §. 1. *pag. mihi* 190.

Id profectò in *Theſi* extra aleam diſceptationis, & perpetuæ veritatis eſt, quòd ſententiæ morales *in ſe* & *abſolutè* ſpectatæ, vel *veræ* ſint vel *falſæ*, nulla verò ſit *probabilis*. Nam *falſum* non eſt probabile, ſed improbabile, *verum* autem pluſquàm probabile eſt, utpote *certum*. Sic Deo, qui res, quales *in ſe* ſunt: videt; nihil probabile eſt, quemadmodùm

dùm *ſoli* nihil eſt tenebroſum. Aſt, ſi eædem ſententiæ cum intellectu noſtro comparentur; tunc addendum eſt prorſus apud genus, ***probabilium*** ſcilicet ***ſententiarum:*** cujuſmodi, ſi quis ullas eſſe, inficiatus fuerit: nedum arrogantiùs ſentiet; ſed planè deſipiet. Siquidem, ùt quædam ſententiæ ſunt, quarum certa veritas cognoſcitur, quædam; quarum certa percipitur falſitas; ſic aliæ ſunt: quarum nec veritas nec falſitas, certò à quibuſdam detegi poteſt, & hæ ideo ipſis videntur *dubiæ* aut *probabiles*.

24. Proinde, cùm illæ ſententiæ, quarum veritas vel falſitas certò hîc & nunc non cognoſcitur, reapſe tamen & coram Deo, veræ ſint vel falſæ; hinc patet, probabilitatem opinionum, ex humanæ mentis tenebris, ortum ducere. Hinc enim fit, ut quædam opiniones *falſæ*, videantur probabiles, & ècontra; ut quædam opiniones *veræ*, & ideo *per ſe* certiſſimæ; dubiæ nobis & incertæ videantur. Verùm; ſive mens humana *falſo* probabilitatem tribuat, ſive perſpicuitatem ***veritati*** detrahat; utrobique probat, ſe inſcitiâ & imbecillitate laborare. Non enim aliam ob cauſam, mens arbitratur probabile, quod falſum eſt; niſi, quia neſcit, ***an falſum ſit?*** nec rurſus ob aliud quod verum eſt, cenſet probabile; niſi, quia ***num verum ſit?*** ignorat. Unde rectè dixit ***Tertullianus***, *lib. 2. de Nat.* ***Varietas opinionum, venit ex ignorantia veritatis.*** Adeóque, quò major fuerit ignorantia mentis, eò plura ipſi videbuntur probabilia; & ècontra; quò mens fuerit purgatior; eò pauciora judicabit probabilia. Ex quo fit; ut, quæ probabilia uni; alteri, certa & explorata videantur. Equidem & hæc etiam in contrarium militare poſſunt. Multi enim præ inſcitia, fallacibus rationibus dementati, certum aliquando putant, quod falſum eſt. Atque hinc eſt; quòd perſpicacibus, bonis, timoratis, doctis & ſanctis, multa videantur incerta, quæ tardis, indoctis, præſumptuoſis & impiis, certa apparent. Verbô: id verum manet: ***Probabile*** ſcilicet ſemper ideo quid judicari; ***quia veritas ignoratur.***

25. Adverte igitur; quàm enormiter quidem hallucinentur Caſuiſtæ, qui, ſi quam reperiant ſententiam, viris aliquot non indoctis placuiſſe; continuò illam ipſis fuiſſe probabilem, talémque cunctis videri debere, decernunt. Nam illi ipſimet authores, qui primi aliquam ſententiam invexêre, ſæpe illi tam firmo & tenaci aſſenſu adhæſerunt, ut non ipſam duntaxat probabilem, ſed planè certam exiſtimaverint, & quà talem aliis venditaverint. Sed eſto; etiam ſententia ipſis ſolùm viſa fuerit probabilis; ánne ideo cæteris lex poſita ſit, ut probabile reputare debeant, quidquid tale, hujuſmodi authoribus viſum fuerit? Id certè nemo prudens dixerit. Quia nihil pervulgatiùs, quàm errare homines, & errantium nævos, ab aliis, in ea parte doctioribus, emendari; vel ab aliquo evidenter percipi, quod ab alio obſcurè dubitantérque perceptum eſt. ***Alius judicat diem inter diem*** [inquit Apoſtolus] ***alius judicat omnem diem.*** Id eſt Interprete ***S. Gregorio Magno***; Alius alio eſt ſcientiâ veritatis inſtructior. Adeóque, ſicut dantur varii ſcientiæ gradus; ita & ignorantiæ; ut proinde nil inſipidiùs ſit, quàm ex unius Scriptoris ignorantia, ex qua factum eſt, ut de aliqua ſententia dubitaverit; reliquos omnes ejuſdem ignorantiæ damnare, quaſi jam iſtius ſententiæ certam ſcientiam firmúmque judicium aſſequi nequeant; quod non modo in homines injurium, ſed etiam contumelioſum eſt in ipſum Deum, qui lumen illud, quo bona maláque ſecernuntur; uni, quàm alteri, ple-

pleniùs uberiúſque, pro ſumma ſua poteſtate, liberè largitur.

26. Adverte etiam, quòd in moralibus, multæ reperiantur opiniones *relatè* probabiles, id eſt *infirmo aſſenſu*, à paucis vel multis probatæ, nullæ verò ſint, reſpectu bene vel malè ſentientium ingeniorum, *abſolutè* & *univerſim*; quia nullæ ſunt Theſes, de quibus omnes æquè debile ac infirmum ferant judicium. Quinimò, cùm opinio probabilis, ſuapte indole, importet *infirmum*, & haud procul à dubitatione diſtans & fluctuans arbitrium, conſequens eſt; ex permultorum Caſuiſtarum ſententia, nullam eſſe opinionem probabilem, cujus oppoſita non ſit pariter probabilis. Nam, cui de oppoſitæ opinionis veritate aut falſitate, liquidô conſtat; is eo ipſo, certum ac firmum de altera contradictoria judicium ferre poteſt. Sic : ſi certum mihi eſt, v. g. veram eſſe ſententiam, quæ negat, licitum eſſe: pro conſequendo beneficio Eccleſiaſtico, pecuniam dare; eo ipſo, mihi certum eſt, falſam eſſe ſententiam, quæ id licitum eſſe affirmat. Probabiles igitur opiniones, nunquam *ſingulares* ſunt, ſed ſemper *geminæ* ac *bijugæ*, quarum una alteri contradictoriè opponitur. Jam verò unam contradictoriarum ſemper veram, alteram falſam eſſe, conſtat ex *Dialectica*. Proindè conſequens eſt, *mediam* probabilium opinionum *partem*, falſam eſſe, totidémque præcisè & accuratè loquendo, *falſas* eſſe, quot *veras*.

27. Cùm autem ea ſit falſi conditio, ut nonniſi fucatis rationibus colorata, veriſimilitudinis umbram inducere poſſit; nil populariter notiùs eſſe poteſt, quàm, quòd opinionum probabilium *ſemiſſis*, reapſe falſis motivis niti debeat. Quid autem motiva *in ſe* falſa, à *Sophiſmatis* diſcrepent? id exponat, qui novam in *peripato*, ambulatoriam fabricaverit Dialecticam. Ego cum tota ſchola *Thomiſtico-Scotico-Auguſtiniana*, Sophiſticum voco argumentum, quod vel *formâ* vel *materia* vitioſum eſt, proin nec ſolidam veritatis vim, ſed duntaxat fallacem ejus præſefert imaginem.

28. Quo autem æquivocatio eſt myſterioſior, materia à ſenſibus remotior, luxuriantium ingeniorum calliditas eſt impenetrabilior; eò Sophiſmata à verſutis hominibus, aut vanam gloriam, aut ſummum in orbe chriſtiano imperium animarum, quæritantibus compoſita, cocta & recocta, captu & reſolutu ſunt difficiliora. Si de Hæreſiarchis, tum in *Germania*, tum in *Gallia*, ſub infauſto ſidere natis, hîc verbum interjicere licet; quis neſcit *Martinum Lutherum*, *anno* 1517. cum Diabolo diſputâſſe, & eo præceptore atque magiſtro uſum fuiſſe, ſicut ipſe (ô Eccleſiaſten!) fatetur: *Tom. III.* impreſſo *Jenæ fol.* 155. & *tom. VI. fol.* 86. Ubi per Nefarii Spiritûs argutias devictus, ſuos diſcipulos & ſequaces ita imbuit: **Wir ſeynd deß Teuffels gefangene / als unſeres Furſtens und Gottes / das wir thun müſſen / was er wilt / und uns ingibt.** Id eſt : omnes ſumus captivi, ſeu mancipia Diaboli, tanquam Principis & Dei noſtri, ut facere debeamus, quidquid ille vult & nobis ſuggerit. Gallicè : *Nous ſommes des Priſonniers du Diable, comme de nôtre Souverain & Dieu; de ſorte, que nous devons faire, ce qu'il veut & nous ſuggere.*

Quid *Joannes Calvinus* factitaverit, quibus Profeſſoribus operam dederit; qualiter ex *OEcolampadio*, *Philippo Melanthone*, aliſque *Sectariis* conflaverit ſuos, ita nuncupatos, *quatuor Inſtitutionum Chiſtianæ Religionis, libros*; exactè deſcribit *R. P. Franciſcus van Ranſt*, Ordinis FF. Prædicatorum, in libro ſingulari, cui *Lux fidei.* Titulus eſt, *pag mihi* 426.

Iti

Iſti & cæteri omnes Hæreſiarchæ, elaboratiſſimis technis, fallaciis ſeu Sophiſmatis uſi ſunt, ut opiniones ſuas *in ſe falſiſſimas*, probabiles redderent, & incautis imponerent. His præmiſſis

29 Sub incudem revocemus ſupra citati Theologi *Tholoſani* deſcriptionem opinionis probabilis. *Opinio* inquit *probabilis*, *non eſt ea*, *quæ ſophiſmatis tantùm nititur*; *alioquin omnia hæreticorum commenta*, PROBABILIA, *dicenda forent*. En! jam ſupra *n.* 26. demonſtravi, mediam opinionum probabilium partem, falſam eſſe, adeóque, non niſi fucatis rationibus adſtrui poſſe. Hoc autem demonſtratô, quis negare poterit, opinionem probabilem, quæ de claſſe falſarum eſt, *tantùm niti ſophiſmatis*? Verum quidem eſt, quòd opinio non ſit *illi* probabilis, *qui* illam ſophiſmatis, id eſt falſis rationibus innixam deprehendit. Aſt, quid, ſi quis ſophiſmata & falſitatem rationum non agnoſcat, non detegat, non advertat? En! tali caſu, cum Theologo illo *Tholoſano*, cæteri, ejuſdem commatis, Moraliſtæ, fatentur; opinionem ejuſmodi, ipſi eſſe probabilem, & ſic ſæpe accidere, ajunt; ut quæ opiniones, non intellectò rationum, quibus nitebantur, vitio, à multis ſcriptoribus probabiles habitæ ſunt; poſtea, detectâ fallaciâ, tanquam improbabiles rejectæ ſint & prorſus repudiatæ.

30. Si REPONAS: rudes craſsáſque fallacias, à nemine rationabiliter probabiles judicari; adeóque non ſufficere ad conciliandam opinionibus probabilitatem. *Reſp.* Neminem ita rudem craſsíque cerebri fore, ut aſſerat: fallaciam, aut falſum, *cognitum quà tale*, pro probabili habendum, ſed hoc quæritur; an in ſenſu adverſariorum, opinio non ſit pro probabili habenda, quæ ſophiſmatis *haud detectis* ſuperſtructa eſt? Id quod ipſi ultro fatentur, docent & deprædicant. Nobis utique Judæorum, infidelium, aut Hæreticorum argumenta & ratiocinia, probabilia non ſunt; quia eorum falſitatem agnoſcimus & reprobamus; aſt, quin ipſis Judæis, Paganis & Hæreticis, probabilia ſint; ipſemet Theologus *Tholoſanus*, ſi ſuæ ſortis Caſuiſtas imitari vult, inficiari nequibit.

31. Quid ergo (proſequitur Theologus iſte) *opinio probabilis ex Caſuiſtarum mente*? NIMIRUM FIRMUM FIXÚMQUE JUDICIUM *ex gravibus rationibus ortum*. Belle! egregie! Opinio juxta omnes, eſt aſſenſio unius partis cum formidine alterius. Ita Doctor *Seraphicus* in 3. *Diſt.* 24. *art.* 2. *q.* 2. Probabile vero ex *Ariſtotele* & *D. Thoma*, eſt: *quod plerumque contingit*, *nec apparet*, *cur ita modò non contingat*. Adeóque opinio probabilis eſt illa; quæ nititur motivo *veriſimili*, intrinſeco ſcilicet vel extrinſeco, quod tale appareat opinanti, citra præventionem, poſt ſufficiens veritatis examen. Ubi vides: quòd opinio probabilis, tam ex generico, quàm ſpecifico ſeu differentiali ſignificatu, importet aſſenſum *formidoloſum*. Qua fronte igitur *Tholoſanus* iſte, ad extenuandam ſententiæ ſuæ abſurditatem, alienam ab omni ſchola, effingere, & doctis æquè, ac indoctis, obtrudere audet hujuſmodi opinionis probabilis definitionem. Quis inquam Philoſophorum, de *ſcientia*, *opinione*, *fide*, *ſcrupulo &c.* differentium, dixit unquam, quòd opinio probabilis importare debeat *firmum fixúmque judicium*? & cùm utraque *opinabilium* propoſitionum *contradictoriarum*, probabilis ſit; quo pacto opinans, *firmum fixúmque judicium*, de una contradictoriarum, quam pro lubitu elegerit & amplecti voluerit, ferre poterit? Igitur, in probabiliter opinante, nullum aliud excogitari poteſt firmum fixúmque judicium,

cium, quàm illud, quo *firmiter* judicetur, quid eſſe probabile,id eſt: *incertum*, ſeu: quod aliter, à parte rei, ſe habere poſſit. Confer noſtrum *Gircken tract.* 2. *q.* 4. *dub.* 1. *pag. mihi* 129. Adde Prælaudatum P. *Aurelium Piette* loc. cit. Itaque *Tholoſani* minus ſani, *judicii firmitas*, mera eſt infirmitas; quin imò, non niſi certa & firma ignorantia, certa & firma judicii inconſtantia, certa & firma animi formidoloſi trepidatio. Qui enim ſcit certò, ſibi quidpiam eſſe probabile; hoc ipsô, certò novit; illud eſſe illiquidum & incertum, adeóque patentem ejus veritatem ſibi ignotam eſſe.

32. *Ex gravibus* [inquit *Tholoſanus*] *rationibus ortum debet eſſe judicium.* Per graves rationes, *vir gravis* primo obtutu, intelligere poſſet, *veram* & *ſolidam rationem*; Aſt Antagoniſtæ, non niſi *apparentem tantùm veriſimilitudinem* intelligunt. Et qua quæsò ratione, in illo probabilium opinionum *ſemiſſe*, quem falſum eſſe diximus; quæpiam rationum ſoliditas inveniri poterit? Profectò, quemadmodum iis tantùm, *falſum in ſe*, RELATÈ poteſt videri veriſimile, qui veritatem ignorant, ſic itidem ſolidum videri nequit, niſi quibus argumenti inanitas, fallacia & captioſitas, explorata non ſit. Atque inde eſt, quòd ejuſmodi imaginaria ſoliditas, *relatè*, etiam in enormiſſimis erroribus reperiatur. Ut ùt enim ſanè & orthodoxè ſentientibus, Heterodoxorum commenta execranda videantur; ipſis tamen errantibus, ſolida, & ſolidis rationibus fulta, apparent Sic *Mahumetanis* inſulſiſſima & ſpurciſſima *Alcorani* ſui deliria; ſic *Gentilibus* ſuæ fabulæ; ſic *Ægyptiis* ſua ſuperſtitionum portenta; ſic porrò cunctis Hæreſiarchis & Sectariis (de quibus à primo ſæculo Æræ Chriſtianæ, ad hæc uſque tempora, videri meretur Prælaudatus *Pater Franciſcus van Ranſt*) ſui *Enthuſiaſmi*, veri, ſolidi, imo in ſacra pagina fundati, viſi ſunt; ut proin nil adeò ſit abſurdum, ineptum & inſipidum, quod *cerebrinam* illam reſpuat ſoliditatem, quæ, non illuſtratæ rationis librâ, ponderatur; ſed obcæcatæ & ſæpe depravatæ mentis bilance, libratur.

33. Hem! INQUIES: Ut opinio ſit probabilis, oportet, ut à viro docto, profecta ſit; vir autem doctus eſt, *cui nunquam ſub probabilitatis ſpecie, error obrepat, aut dubia pro veris approbentur.* Audiſti viri docti deſcriptionem, quæ in eodem *Peripato* fabricata, & ejuſdem furfuris eſt, cujus illa, probabilis opinionis, definitio, de qua ſupra. Cedò! ubinam Gentium, eſt ille vir, cui nunquam, ſub probabilitatis ſpecie, error obrepat? qui nunquam erret? Hunc ſub utroque Hemiſphærio non invenies. Qua fronte igitur in viro docto, eam requiris mentis perſpicacitatem & perfectionem, quæ in nullo mortalium reperta fuit unquam, nec reperietur uſque ad finem ſæculi? Adhæc; ſi fingas etiam hujuſmodi naturæ prodigium, talem inquam probabilitatis judicem; nónne, dum quidpiam probabile tantùm judicat, eô ipsô convincitur, quòd certò non ſciat, verúmne ſit illud *in ſe*, nec ne? Quod, ſi autem in aliqua re indoctum eſſe, nihil aliud eſt, quàm ejus rei veritatem certò & ſcientificè non tenere; Vir ille, *per te* doctus, in ea materia, de qua tantùm probabilem opinionem habet, certiſſimè indoctus eſt, quacunque tandem aliarum rerum peritiâ ſit præditus. Quare, dum *Tholoſanus* ille Theologus *pag.* 32. negat, in virum doctum cadere poſſe; ut *falſis*, tanquam *probabilibus* aſſentiatur; non ſolùm nimium tribuit eruditis, ſed illam in viro docto exigit qualitatem, quæ nec in *S. P. Auguſtino*, aut alio illuminatiſſimo

Ec-

Eccleſiæ Doctore, reperta fuit unquam. An verò hanc prærogativam repererit in *Leſſio*, *Vaſquezio*, *Suarezio*, *Molina*, *Reginaldo*, *Filiucio*, *Badello*, *Eſcobario*, vel quopiam alio probabilium opinionum Patrono? doctis & prudentibus judicandum relinquo.

34. Poſtrema conditio, quam, ad probabilitatem opinionum, requirit ſæpe dictus *Tholoſanus*, hæc eſt; *ut nec evidenti rationi, nec verbis Scripturæ Sanctæ, nec Conciliorum Scitis, nec ſummorum Pontificum Decretis, nec unanimi Patrum conſenſui adverſentur.*

Ad refutandum hoc ſpecioſum effugium, recolere oportet 1*mò*. Quòd, ùt ſupra dictum; *verum* vel *veritas* ſpectari poſſit, vel *abſolutè* & *ſecundùm ſe*, vel *relatè* ad hominum mentes. 2*dò*. Quòd, cùm omnis probabilitas *relatè* tantùm dicatur; tam *falſo*, quàm *vero* adaptari poſſit. 3*tiò*. Quòd, licet omnis veritas *per ſe* & *abſolutè* ſpectata, ſit evidens; non tamen ſemper *relatè* ad hominum mentes. Infirma enim animorum acies, in multarum rerum licet per ſe veriſſimarum cognitione, ita cæcutit, ut vel in contrarium nonnunquam errorem abeat: vel certè ex ſuperficiali veritatis intuitu, non firmam perſuaſionem, ſed formidoloſam & fluctuantem opinationem hauriat. Atque id, in omni quidem veritate, locum habet, ſed omnium maximè, in morum præceptis, ex quibus vita noſtra in æternam ſalutem dirigenda eſt. Sanè, ſi hæc ſeorſim, qualia in ſe ſunt, ſpectes; nihil illis evidentiùs; cùm nihil aliud ſint, quàm ſumma illa & æterna lex, ſumma & æterna veritas & juſtitia, juxta quam, hominum actiones componendæ ſunt. In hac lege æterna, quæ nobis *naturalis* audit; tenebras fingere; nihil aliud eſt; quàm in *ſole* caliginem excogitare. Hinc Regius Propheta exclamat: *Præceptum Domini lucidum eſſe, illuminans oculos.* & S. Joannes: *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cæterùm; tametſi lex illa *per ſe* ſit evidens; non tamen ſemper talis hominibus apparet, adeóque nullum ferè illius caput eſt, quod non modò à multis, in dubium revocatum; ſed à totis ſæpe gentibus, contrarii erroris approbatione, rejectum non ſit. Ecquod enim tam dirum nefas, quod non alicubi gentium, innoxium juſtúmque ſit habitum? Has tenebras utique removet S. Scriptura & Evangelii lumen, quibus lex illa naturalis tota continetur & exponitur; attamen non ita clarè & perſpicuè, ut nullam hîc etiam caliginem fingere, aut mentis infirmitas aut cordis pravitas, poſſit. Conſtat enim ex omnium temporum Hæreſibus, vix ullum in Sacris Litteris proditum eſſe præceptum, quod quorundam temeritas labefactare non attentârit. Ut ùt igitur lex æterna, & ejuſdem legis interpres, S. Scriptura, *in ſe* lucidiſſima ſit; non tamen omnibus æquè pervia; ſed, quò quis magis illuminatos habuerit oculos mentis, eò plura ipſi in Sacris Scripturis & naturali lege perſpicua ſunt. Profectò, duo hæc præcepta, quibus Deum ſuper omnia & *pluſquàm nos*, proximum verò *tanquam nos*, diligere jubemur; totam legem naturalem ita complectuntur; ut, ſi quis illa, quàm latè patent in ſuo ambitu, penitus divino lumine penetraret; nihil illi, in doctrina morali, dubium eſſet. *Quid enim verius* (inquit Magnus Pater Auguſtinus) *lib. de Spiritu & lit. cap. ult quàm his impletis, impleri omnem juſtitiam?* Verùm; quia lucet aliis, quàm aliis lux plenior, nulli tamen plena atque perfecta, in hac vita, conceditur; hinc fit, ut propter ſuperſtites tenebras, ſemper aliqua, piis etiam & doctis viris in lege naturali & morum præceptis, ob-

ſcura & incerta videantur, adeóque cum timore & tremore ambulent, neſcientes, an amore vel odio digni ſint?

35. Si igitur Sciſciteris; num quælibet opinio reapſe *falſa*; ſit evidenter rationi, ſacríſque paginis contraria? Ex duplicis evidentiæ ſupra explicatæ diſtinctione, quid reſpondendum ſit? facilè capies Nam, ſi *abſolutam* evidentiam ſpectes; prorſus omne falſum in moribus, cum veritate, evidenti ratione, & cum perſpicuo *per ſe* S. Scripturæ teſtimonio, pugnat: adeoque, cui illa ratio, vel ille S. Scripturæ locus, eâ qua *in ſe* ſplendet veritatis luce, innotuerit; nullum amplius ſuborietur dubium de oppoſiti aſſerti falſitate. At vero, ſi ad *relativam*, meréque cerebrinam illam evidentiam *Paganis* & cunctis Hæreticis communem, retrogrediamur; jam non omne falſum, S. Scripturæ, hominúmque in ſuo ſenſu abundantium luxurianti rationi, evidenter repugnat; ſed eorum tantùm purgatiori menti, quibus genuinam veritatem manifeſtè cognoſcere datum eſt.

36. Si limatiùs rem ponderemus; vix ullum occurret falſum, quod ad variè affectos, & in vario, reſpectivè lucis aut tenebrarum gradu, poſitos animos, relatum, evidenter ſimul & non evidenter, S. Scripturæ & rationi adverſum dici nequeat. Siquidem, quibus evidenter veritas, de qua agitur, explorata eſt; his utique contraria falſitas exoſa erit; quibus autem veritas non innotuerit; iis falſitas nec S. Scripturæ, nec rationi evidenter obluctari videbitur.

37. Resultat quoque: quo pretio habenda ſit, iſthæc magno cum ſtrepitu jactitata probabilium opinionum [ſi diis placet] juſtificatoria conditio: *ne ſcilicet evidenti rationi, Sacræ Scripturæ, vel traditionis authoritati, manifeſtè adverſentur.* Si enim Probabiliſmi conditores, de illa, quam ſupra expoſuimus *abſoluta* loquantur evidentia; nulla prorſus erit in moralibus, opinio probabilis, *falſa*, cùm omne falſum evidenti *per ſe* rationi repugnet, & à Sacra Scriptura reipsâ diſſideat. Si autem de *relata* evidentia diſcurrant; in aprico eſt; quòd hæc, pro vario hominum lumine, variet; cùm eadem res, his ſit evidens, aliis obſcura. Quod igitur ad ſpeciem, quaſi ſcrupuloſiùs, ad opinionum probabilitatem, *Laxiſtæ* requirunt; alium habere non poteſt ſenſum; quàm, quòd his demum opinio aliqua ſit probabilis, quibus illa manifeſtè à Sacra Scriptura vel ratione, diſſidere non videtur. Quis enim (clamat *Tholoſanus*) pro probabili habeat, quod certo falſum eſſe cognoſcit? aut quis Chriſtianus certò falſum non eſſe exiſtimet, quod evidenter à S. Scriptura diſſidere perſpiciat? En juxta *Tholoſanum*, confœderatorum ſuorum conſonante linguâ, differentem; ad opinionis probabilitatem, haud requiritur; ut *in ſe*, & *reipſa*, S. Scripturæ vel rationi non repugnet; ſed ſolùm requiritur; ut, cui opinio aliqua probabilis eſt; is eam, a S. Scriptura *evidenter* diſſidere non putet. Quaſi verò, non omnibus ferè Hæreticis perſuaſum fuerit; errores ſuos, nec à ratione, nec à S. Scriptura alienos fore? licet reverà & ſanæ rationi & ſacris litteris, quàm maximè repugnâ-rint. Cunctos ergo Hæreticorum errores, *Tholoſanus*, catalogo opinionum probabilium, inſerere debet. *Tholoſano* inſaniores ſunt quidam alii Caſuiſtæ, qui aſſerere non erubuerunt; illum, qui univerſæ Scripturæ vel Evangelii authoritatem non admittit; tanquam probabilem tenere & ſequi poſſe opinionem, etiam *apertè* S. Scripturæ vel Evangelio repugnantem. Ex hoc perverſo principio, *Thomas Sanchez*, *Diana* & alii affirmant apud *Eſcobarium*, *Theol. Moral. tom.* 1. *p.* 39. infidelem,

delem, cui proponitur noſtra fides, ùt magìs credibilis; ſi ejus *Secta*, probabiliter adhuc credibilis, ipſi appareat; non teneri ad recipiendam noſtram fidem extra mortis articulum. Fallor! ſi quid in ſchola moralitatis, impudentiùs & imprudentiùs proferri unqnam poſſit. Sequetur enim ex illo aſſerto; omnium infidelium & Sectariorum errores etiam abſurdiſſimos, iis adhuc velut probabiliter credibiles eſſe, & ita credibiles, ut Catholicam non teneantur amplecti fidem; non modò, dum ea non proponitur, ſed etiam cùm proponitur: nec ſolùm, ſi tanquam minus probabilis proponatur; ſed etiam, ſi tanquam magìs probabilis propoſita ſit. Si hæc doctrina vera eſt, quis *Turcas*, *Alcorani* ſequaces; quis damnatos ab Eccleſia Hæreticos accuſare vel erroris arguere audebit? cùm ipſis opiniones ſuæ, ſaltem probabiliter credibiles videantur, ùt ùt Sacræ Scripturæ & ſanæ rationi adverſentur.

38. Caſuiſtæ iſtius farinæ, ut ſubtili calliditate, *Probabiliſmi* praxin propagarent, & homines, alienâ ſapientiâ, doctos & in operando ſecuros redderent; dixerunt: quemque poſſe ſequi aliorum doctorum ſenſum & opinionem. Quinimò *Tholoſanus* ille Declamator, vult: unius etiam Scriptoris authoritatem ſufficere ad conciliandam opinioni probabilitatem. Sed

39. Contra eſt 1*mò*. Quia ſic quis fieret alienâ prudentiâ *formaliter* prudens, contra quàm docet *Divus P. Auguſtinus lib. 2. de libero arbit. cap. 19. Neque prudentiâ cujuſquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantiâ, aut juſtus juſtitiâ hominis alterius, quiſquam efficitur; ſed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibúſque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipſa veritate ſapientiâque communi.* Contra eſt 2*dò*. Quia tali pacto, ſi quis ſe reflecteret ſupra diverſorum ſcriptorum claſſicorum oppoſita docentium, ſententias; poſſet judicare alterutrum contradictoriorum, licere pro libitu. Quinimò, ſi ſingulæ contradictionis partes ſint licitæ; poterit quis reflectendo ſe ſimul & ſemel ſuper utriúſque partis probabilitatem *extrinſecam* ab authoritate virorum Doctorum petitam; prudenter judicare, utrámque contradictionis partem eſſe licitam & illicitam quod non minus abſurdum in *moralibus*, quàm falſum in *Logicis* eſt, eundem *realiter* actum, poſſe ſimul & ſemel, eſſe verum & falſum. Contra eſt 3*tiò*. Quia, ſi beneficio reflexionis, quis certam tutámque honeſtè operandi cynoſuram ſibi præfigere poſſit; ſupervacaneum, imò noxium erit, de *directa* opinionum, quæ jam ſaltem *extrinſecè* probabiles evaſerunt, veritate diſputare in ſcholis; ſiquidem, jam *certò* eſſent licitæ, eâſque oppugnare, erit impugnare veritatem *moralem*, eas verò impugnando improbabiles reddere; erit viam cœli coarctare, & hominum conſcientias innumeris anxietatibus torquere. Si

40. Regeras: Volentem uti beneficio reflexionum, debere excludere & ſuſpendere judicium de *dirtcta* objecti inhoneſtate.

Contra eſt 1*mò*. Quia hoc eſſet ſeipſum excæcare & dicere: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* 2*dò*. Quia hoc eſſet habere *duo corda*, ùt ratiocinatur Magnus Pater *Auguſtinus tract. 7. in Joan.* Unum, *quo videt veritatem*; Alterum; *quo concipit mendacium.* Id quod ex profeſſo idem extaticus Eccleſiæ Doctor oppugnat *in Pſal. 35. poſt init.* 3*tiò*. Quia iſta excluſio & judicii ſuſpenſio, eſt ignorantia voluntaria & affectata. 4*tò*. Quia judicium *directum* ſuſpendere, non eſt *oculo ſimplici* & *corde non ficto*, ſed potiùs doloſo, veritatem indagare; imò, cum

cum propoſito non inveniendi veritatem, temerè operari; id, quod prudens conſcientiæ dictamen, ſynderesíſve parumper illuminatæ mentis, non permittit. 5tò Demum; quia populari etiam hominum ſenſu, imprudens habetur, qui contra *directum* judicium de actionis ſuæ bonitate, reflectendo ſe duntaxat ad alios aliter arbitrantes, agit. Nónne imprudenter ageret miles, qui non attentâ ſuâ directâ imbecillitate & dimicandi imperitiâ, reflectendo ſe ad alios viribus & arte valentiores, certamini ſe committeret? Nonne imprudens foret mercator, qui merces ſuas exponeret periculo à ſe *directè* cognito, licet alii dicerent, periculum abeſſe?

41. Replicabis fortè. Prudenter ſequor prudentes, & irreprehenſibiliter judico, mihi licere, quod tot viri docti, licitum eſſe, plenis buccis deprædicant. Jam verò plurimi viri docti ajunt: licitum eſſe, alterutram, opinionum probabilium oppoſitarum, partem, ſequi. Ergo. *Reſp.* Propoſitionem *majorem* admitti poſſe, ſi opinionis objectum, eundem habeat ſtatum in intellectu meo, qualem habuit in mente iſtorum virorum doctorum, qui penſatis penſandis, prudenter judicârunt, unam contradictionis partem eſſe *unicè* veram; abſolutè verò rejiciendam eſſe eandem propoſitionem; ſi opinio ejúſve objectum, non habeat eundem ſtatum in intellectu meo. Verbô: ſi authoritas docentium & ſuadentium; licitum eſſe ſequi hanc partem, ſit tanta, ut *directè* vel *indirectè* elidat & prorſus enervet probabilitatem & veriſimilitudinem, quam priùs animo, de oppoſita parte conceperam: Veluti: ſi Cardinales S. Concilii Tridentini Interpretes, aut Hæreticæ pravitatis Inquiſitores, *Romæ* opinionem meam, velut improbabilem & in praxi haud tutam, judicaverint, licitè & inculpatè amplector oppoſitam partem, quæ nedum probabilis, ſed & moraliter certa mihi apparere, quin & accedente Summi Pontificis è Cathedra definientis authoritate, fidei firmitatem mihi ingenerare debet. Si cum quibuſdam Caſuiſtis

42. Urgeas dicáſque: Confeſſarium debere Pœnitentem ritè diſpoſitum abſolvere, contra opinionem propriam; proinde licitum eſſe, operari ex virorum doctorum arbitrio. *Reſp.* 1mò. Pœnitentem haud ritè diſpoſitum eſſe, niſi ſe ſubmittere velit judici, quem in Sacro Tribunali elegit. *Reſp.* 2dò. Planè præpoſterum videri debere; quòd Confeſſarius Dei vices gerens, deberet ſe ſubmittere & quidem contra propriam conſcientiam, judicio *Rei* ſe accuſantis. Profectò, ùt ùt Confeſſarius poſſit abſolvere pœnitentem, contra propriam opinionem *purè puta ſpeculativam*, quam fortè in ſcholis (abſtrahendo à particularibus, in quibus Pœnitens conſtitutus reperitur, circumſtantiis) didicit docuítve; nemo tamen, ſanæ rationis ſynderesi donatus, dixerit; Confeſſarium ſic agere poſſe contra opinionem propriam *practicam*, niſi velit; Confeſſarium poſſe aut debere agere, abſque omni conſcientia propria. Confer Præclariſſimum Patrem *Gircken loc. cit. dub.* 3. *pag. mihi* 137. *& ſeq.* Junge P. *Piette loc. cit. part.* 2. *q.* 8. §. 4. *pag.* 241.

43. Jam ad te, mi *Tholoſane* regredior, Quid *Tu* ex *Areopago* novarum moralitatis legum adfers, tum ad declinandam invidiam, tum ad aſſecurandas mortalium conſcientias? Non ſufficit [*inquis*] unius vel multorum Doctorum authoritas, ad conciliandam ſententiis probabilitatem, ſi videlicet ſententiæ hujuſmodi, à Traditione & Scriptura diſſident. Siquidem *quaſcunque rationes afferat Doctor* (*ais pag.* 17.) *tamen numquam ſuam opinionem probabilem efficiet, ſi locis Sacræ Scripturæ ac Sum-*

Summorum Pontificum Conciliorúmque Decretis adverſentur.

44. Si quis ita differentem audiat magni nominis Theologum, quis non putet, primo impetu, hanc ſaluberrimam eſſe doctrinam moralem? Verùm, quid per ly *adverſari* vel: *non adverſari S. Scripturæ*, intelligant iſtius claſſis Caſuiſtæ, jam ſupra expoſitum *n.* 37. Si autem *Tholoſano* fides adhibenda; hanc adoptare oportebit prudentiæ regulam; non eſſe ſcilicet credendum, probatum Scriptorem aliquid in vulgus editurum, aut doctum Caſuiſtam aliquid reſponſurum, quod à S. Scriptura diſſideat; *quia* (en verba ipſius) *doctus homo nunquam ſic fallitur, ut falſum ipſi quaſi probabile obrepat.*

45. Sed quid, ſi vir, quem doctum jactitas, mihi videatur deceptus, & manifeſtè à S. Scripturæ ſenſu diſceſſiſſe? Nunquid tunc ſaltem ejus opinionem velut prorſus improbabilem rejicere potero? *Ne ſic quidem* (aiunt) *quia debes tibi perſuadere, quod tu ſolvere non potes, ab alio ſolvi poſſe* Nil fingo, nil individiosè propono. Vulgatiſſima hæc eſt Caſuiſtarum, iſtius claſſis, doctrina, à *Thoma Sanctio* in *Decalog. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 6 à *Sayro*, *in Clavi.* Ab *Eſcobario*, *in præloquio Theologiæ Moralis*, his formalibus tradita. " Accidere aſſolet, ut tibi pro-
„ babiliter opinanti, ratio aliqua in con-
„ trarium vincens videatur; ſed non inde
„ opinio probabilitatem amittit; quia,
„ licet tu illam non valeas ſolvere ratio-
„ nem, alius ſolvere quibit; ídque tibi
„ debes perſuadere; cùm tibi ſæpe mul-
„ tæ rationes inſolubiles exponantur,
„ quæ ab aliis, facili negotio, ſolventur.
„ Quare, imprudenter te gereres; ſi ob
„ hanc cauſam, aliorum opiniones, quæ
„ ùt probabiles circumferuntur, impro-
„ babiles adjudicares. " *Eſcobario* conſonat *Tamburinus*, qui *lib.* 1. *cap.* 3. §. 4. ſic ſcribit: " Si rationes circa jus, pro-
„ bent æqualiter pro collitigantibus civi-
„ liter, judex non poteſt, *ùt ego certum*
„ *puto*, rem, cui maluerit, adjudicare;
„ ſed debet rem dividere. Dixi (*inquit*)
„ *ùt ego certum puto*: nam propter *extrin-*
„ *ſecam* bonorum Doctorum authorita-
„ tem, aſſerentium: in hoc caſu, poſſe
„ judicem *pro ſuo amico*, ſi maluerit,
„ ſententiam pronuntiare; " POTEST ID, UT PROBABILE, SI VELIT, AMPLECTI. Ubi vides *Tamburinum* de veritate unius partis certum, oppoſitam partem, equidem ùt probabilem ac proinde *tutò* ſequendam, aliis proponere. Prodeat hîc in ſcenam, *Caramuel* Probabiliſtarum primipilus " Quid eſt (inquit *loc. cit.*
„ *pag.* 138.) demonſtrare, rem eſſe illi-
„ citam? demonſtrare eam non eſſe pro-
„ babilem. Sic; qui rem dicit eſſe illici-
„ tam, ad multa tenetur. Primò debet
„ oſtendere: rationes, quæ malitiam pro-
„ bant, eſſe *demonſtrativas*; nempe;
„ quibus dari reſponſio probabilis non
„ poſſit. Secundo: debet oſtendere, ra-
„ tiones, quæ bonitatem probant, nequi-
„ dem eſſe probabiles. Oſtendet; ſi om-
„ nibus, ad unam, dederit ſolutionem,
„ quæ evidenter ſit vera. " Quid, ſi quis hæc omnia præſtiterit, ánne ſic porrò opinionem illam probabilitate ſpoliabit? Nequaquam. " Tertiò enim (inquit *Ca-*
„ *ramuel*) debet oſtendere; partem il-
„ lam, quæ bonitatem adſtruit, *non ha-*
„ *bere ſufficientes authoritates, ut dicatur*
„ *probabilis.* Hæc omnia ſimul oſtendere
„ debet, caſurus causâ, etſi duo ex illis
„ oſtendat, modò unum non oſtendat. "
Si hoc ita ſit; quo pacto, ſententia quantumlibet rationi, Scripturæ, Eccleſiæque definitionibus oppoſita, modò quoſdam habeat è Caſuiſtarum ſchola Patronos, tanquam improbabilis, à peritioribus & ſanioribus Theologis rejici poterit?

Digitized by Google

rit? Scimus, quòd *Dicaſtillus* docuerit: injuſti accuſatoris authoritatem, ſine crimine, per calumniam elidi poſſe. Notum eſt, *Caramuelem* cum aliis ſuæ farinæ, tradidiſſe; à Religioſo interfici poſſe Ordinis ſui obtrectatnres, ſi aliter refelli nequeant. Conſtat etiam *Tannerum* & alios cenſuiſſe; poſſe cum judice interfici teſtes capitalem accuſationem molientes, ut nil dicam de concilio procurandi abortûs à puella prægnante, quod conſilium refert *Diana, part. 6. tract. 8. reſolut.* 17. Hæc omnia & ſexcenta ſimilia, ſaniorum judicio, Sacræ Scripturæ, & concordantibus Sanctorum etiam Doctorum ſententiis manifeſtè adverſantur. Sed quid profuerit inſolubiles, adverſus illa flagitia, rationes protuliſſe, ſi ex nova moralitatis regula, *quiſque ſibi perſuadere debet*, *has rationes*, *quas ipſe inſolubiles exiſtimet*, *ab alio ſolvi poſſe*, ita ut nec ob illas (ùt loquitur *Eſcobarius*) aliorum opiniones *tanquam improbabiles* rejicere fas ſit. Audiamus iterum *Caramuelem*. qui effronter contendit: non poſſe, abſque temeritate, opinionem à viris doctis aſſertam, tanquam improbabilem rejici. Nam *propoſitio probabilis* inquit in ſua (ſi Diis placet) *Theolog. Fundamentali, pag.* 393. *illa eſt*, *quæ ab aliquibus magnis viris aſſerta*. Et *ibid.* " Qui opinioni à multis viris doctis „ aſſertæ neget probabilitatem, negat „ hîc lineæ longitudinem, ſuperficiei la„ titudinem, definitionem definito com„ petere " Quod ſuperiùs, *pag.* 89. iſthoc confirmat ratiocinio: *Finge* (inquit) quem„ cunque caſum, præter definitionem Ec„ cleſiæ: congregentur univerſi Euro„ pæi, docti, indocti, magni, parvi, non „ tamen poterunt facere, aut verè defi„ nire, viginti non eſſe viginti, ac proin„ de eam ſententiam improbabilem face„ re, cui viginti authores ſubſcribant. " Ubi vides, quòd ſimul atque ſententia quæpiam, Caſuiſtarum pro ſe habet authoritatem; quocunque tandem rationum adverſantiúmque Doctorum pro veritate reſpondentium pondere revincatur (dummodò deſit *Concilium OEcumenicum* & ei accedens Romani Pontificis, in decernendis fidei & morum articulis, infallibilitas) ſua ſemper illi probabilitas maneat; quia nihilominus verum [aiunt] manet; illam, à Caſuiſtis fuiſſe traditam, quod [ô temeritatem! ſufficit ad probabilitatem.

46. Rogo te, quiſque hæc legeris, ne ſcandalizeris. Ethica enim, quam pro modulo meo, concinno, non Philoſophica, non Ethnica, non Academica, non in utrámque partem, Oratorum more. declamatoria, ſed Chriſtiano-Catholica eſt. Atque ita, dum hæc ſcribo, comparatus ſum, ut diuturnos labores meos, potiùs Vulcano tradere vellem; quàm unum verbum ſcribere, quod orthodoxæ fidei noſtræ, morum integritati, œcumenicorúmve Conciliorum ſancitis, quomodo libet refragari poſſet.

47. Sed quid bone & candide Lector, ex his, quæ retuli, colligis? *Colliges* abs dubio, 1*mò*. nil *in ſe*, *abſolutè* & *coram Deo* probabile eſſe, ſed vel verum vel falſum, adeóque probabile quid dici, ſolùm *relatè*; ex eo nempè; quòd ſic alicui probatum appareat. Hæc collectio vera eſt. *Colliges* 2*dò*. E principiis adverſariorum, reſultare; quamvis ſententiam, illi probabilem eſſe, qui eam adoptaverit; adeóque *Hebræis* modernis, *Thalmudiana* deliria, *Mahometanis*, *Alcorani* commenta; *Paganis*, ſenſa ſua utcunque exorbitantia, *probabilia* eſſe. *Colliges* 3*tiò*. ex decreto *Probabiliſtarum*, apud Catholicos Theologos, non æquè latè patére æternæ ſalutis viam, quàm apud eos, qui S. Scripturæ, Patrúmque traditioni non credunt. Quia poſterioribus conceſſa opinandi licentia, prioribus indulta non eſt; utpote, qui-

quibus nihil probabile videri poteſt, quod certò putent Sacræ Scripturæ vel Patrum Traditioni adverſum eſſe. Næ ſint iſti orthodoxi moraliſtæ?

48. Sed, ne iſtis acquieſcunt; latiùs enim progrediuntur, decernentes: nedum probabile eſſe, quod vir doctus probaverit, ſed idipſum etiam aliis *tale* videri debere, licet de ejus opinionis falſitate certi ſint, & *rationes*, ùt loquitur *Eſcobarius: convincentes habere videantur.* ô inſignes conſcientiarum moderatores! Fallor autem, ſi quis populari ſenſu præditus, inſipidiùs quid proferre poſſit! Vide ſupra dictâ *n.* 38. & *ſeq.*

49. Tametſi Theſis iſta laſcivientibus ingeniis, ad omnem morum corruptelam, habenas laxet; peſtem tamen magis exitialem in Ethicam Chriſtianam invexerunt, qui docuerunt 1. omnem opinionem probabilem, etiam falſam, & naturali æternæque legi reipsâ adverſantem, nihilominus in praxi tutò & ſecurè ſequendam eſſe, ita, ut qui ex ea vitam ſuam dirigat, non modò ſecurus ſit, ſed etiam felicitatem æternam poſſit promereri, *rectâque* dicente *Eſcobario*: tendat ad ſuperos. 2. In opinionum delectu, non modò minus tutam, tutiori; minus probabilem, probabiliori; ſed etiam minus probabilem, ſimul & minus tutam, poſſe & tutiori & probabiliori, præferri. Quæ aſſerta nedum erronea & ſcandaloſiſſima, ſed & omnium errorum Hæreſûmque fœcundiſſima ac peſtilentiſſima ſemina ſunt.

50. Vix (*inquies*) eſt, ut credam; quempiam Theologorum Catholicorum in tantam inſaniam prolapſum; ut adeò abominabiles ſententias vulgò tradiderit. Si de facti veritate dubites; en ſiſto tibi inter alios *Tamburinum Siculum*, cujus opus *anno* 1700. *Lugduni* denuò typis evulgatum. En! Author ille, apud Probabiliſtas magni nominis Claſſicus, *lib.* 1. *cap.* 3. §. 3. à definitione opinionis probabilis, exordium faciens, ſic eam decretoriè depingit: eſt *aſſenſus intellectûs de aliqua re, qui nitatur ratione* vel *authoritate alicujus momenti, modò ex altera parte, nihil appareat convincens.* Ubi velim Observes 1*mò*. Quàm cautè requirat; ut *alternativè*, ſeu *diviſim*, intellectûs aſſenſum præbere poſſit, videlicet *aut* ob rationem, *vel* ob authoritatem. Non enim juxta Probabiliſtarum decreta, tanta in actionibus moralibus, requiritur ſcrupuloſitas, ut utrumque expendi debeat, ad hoc, ut opinio, ceu probabilis, in praxi ſequenda ſit Alterutrum enim per ipſos, ſufficit. Unde *Tamburinus* mox ſubjungit: " Quando ejuſmodi aſſenſus innititur ratione, dicitur probabilitas *intrinſeca*; *extrinſeca*, quando authoritate." 2*dò*. Quòd Author ille in ſuo definitionis decreto, non dicat: *modò nihil convincens* SIT; ſed: *modò nihil appareat.* Novit enim, probabile quid dici, duntaxat *relatè*; nil *abſolutè*. Quantam autem ſecuritatem, hominum conſcientia, ex opinionum probabilium ſequela practica, haurire queat; idem Author diſertè exponit dicens: *Qui aliquid operatur motus ex opinione probabili*, BENE *operatur*, & SINE PECCATO. Ne verò quis anxiè arbitretur, opinionem *probabiliorem* eſſe amplectendam; en! ſubjicit: *Etiam opinione probabiliore relictâ, etiam omiſsâ tutiore, etiam communi.* Imò, ne quis ullo ſcrupulo angatur; ita concludit. " Dum probabilitate *ſive intrinſeca ſive extrinſecâ quantumvis tenui*, „ confiſi, aliquid agimus; ſemper *prudenter* agimus." Id eſt: tutè atque ſecurè. Porrò, ne quis aliorum Doctorum opiniones velut improbabiles rejiciat; proprio judicio, propriæque conſcientiæ renuntiandum eſſe, cum aliis ſupra citatis, monet Ut ejuſmodi Caſuiſtarum & conſcientiarum moderatorum, linguam com-

compendioſè percipias; perpende; quid *Tamburinus* in fronte ſui libri, lectorem moneat. " Unum [inquit] quod te mo-
„ nitum velim, amice lector! hîc, brevi-
„ bus perlege. Cùm ſententiam aliquam
„ probabilem, ſeu: *quod idem eſt*, non
„ improbabilem, appello; illud dico: eam
„ te, *ſine peccati ſcrupulo*, amplecti, at-
„ que *in praxi*, ſequi poſſe. " Quid ultra requiris? clavem jam habes regni cœlorum, nec jam ullus ſaltem Hæreticorum Baptiſmi fonte rebaptizatorum, ob hæreſin quam probabilem putârit, ab illo arcebitur.

Eò uſque proceſſit Probabiliſtarum temeritas, ut in *Axioma* Moralis ſuæ OEconomiæ deduxerint: omnem opinionem etiam falſam & legi divinæ contrariam, à peccato excuſare. Nolim hîc congerere ſanctorum Patrum infinita argumenta; quibus iſtius Axiomatis perículoſiſſima falſitas evincatur; ſolummodò brevitatis causâ, ex Doctore *Angelico* & Magno Patre *Auguſtino*, in hanc rem, delibabo paucula verba: En primus *Quodlibeto* 3. *art.* 10. ſic concludit: *Reſpondeo dicendum, quòd diverſæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, ſiquidem non pertineant ad fidem & bonos mores, abſque periculo, auditores utrámque opinionem ſequi poſſunt. Tunc enim habet locum, quod Apoſtolus dicit: ad Rom.* 14. *unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. In his verò, quæ pertinent ad fidem & bonos mores*, nullus excuſatur; ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri, *in talibus enim ignorantia non excuſat.* Idipſum docet *S. Doctor. Quodlib.* 8. *art.* 13. & *Quodl.* 9. *art.* 15. Alter verò proteſtatur, nihil valere ſecuritatem à ſe datam, ſi à lege divina diſſentiat. Sic enim Moralizat *Homil.* 12. " Ecce do tibi ſecu-
„ ritatem Procurator! Quid tibi prodeſt,
„ ſi Pater-familias non acceptet? Pro-
„ curator ſum: ſervus ſum. Vis dicam
„ tibi: vive quomodo vis, Dominus te
„ non perdet? Securitatem tibi Procu-
„ rator dedit. Nihil valet ſecuritas Pro-
„ curatoris. Utinam Dominus tibi ſecu-
„ ritatem daret, & ego te ſolicitum fa-
„ cerem? Domini enim ſecuritas valet,
„ etiamſi nolim; mea verò nihil valet,
„ ſi ille noluerit. Quæ eſt autem ſecu-
„ ritas Fratres! vel mea vel veſtra, niſi
„ ut Domini juſſu, intentè diligentérque
„ audiamus & promiſſa fideliter exſpe-
„ ctemus? " Unde idem Chriſtianæ Ethices Profeſſor incomparabilis, *Serm.* 34. *de diverſis.* Illos meritò compellat *Diſpenſatores Serpentis, quicunque promittunt, quod non promiſit Deus.* Quo nomine profectò digni ſunt, qui falſarum opinionum ſectatoribus, falſam pollicentur ſecuritatem, quam nequaquam promiſit Deus, juſtus Judex & malorum Vindex. Dic mihi, undenam homo juſtus evadat? An fortaſſis ex ſua vel etiam aliorum probabili opinione legi etiam naturali & æternæ reapſe repugnante? Audi rurſus Magnum Eccleſiæ Lumen, Magnum (inquam) *Auguſtinum. Fit.* [inquit] *lib.* 2. *de liber. arbitrio. cap.* 19] *Homo juſtus, fortis, prudens, coaptando animum illis incommutabilibus regulis, luminibúſque virtutum.* & *in Pſal.* 61. *Cùm ſis injuſtus, eſſe non potes juſtus, niſi convertendo te ad quandam juſtitiam (id eſt Deum) à qua ſi recedis, injuſtus es; ad quam, ſi accedis, juſtus es.* & *ſerm.* 44. *de diverſ. cap.* 6. *Juſtitia præſtò eſt juſtè viventi: ſecundùm ejus regulam videt, quemadmodùm juſtè vivat; & ſicut juſti, bene vivendo eam vident; ita injuſti, malè vivendo, eam non vident. Nam & ille juſtè vivit, cùm eam videt, ut ſecundùm eam, actus ſuos dirigat. Quia, niſi ſecundùm juſtitiæ regulam direxerit actus ſuos, in errorem iniquitatis impingitur.* Prodeant nunc Probabiliſmi authores vel fautores, & edicant: num opinionem probabilem, legi

æ-

Digitized by Google

æternæ reapſe adverſantem ſequens, videat ſeu cognoſcat æternam illam juſtitiam, & juxta ejus cynoſuram actus ſuos dirigat? Hoc certò, niſi cum *Tholoſano* ſupra refutato, prorſus inſaniant; aſſerere erubeſcent. Adeoque, ſi reſipiſcere velint, erroris ſui enormitatem meritò damnabilem, ex illuſtribus illis *Auguſtini* colligent verbis: *Niſi ſecundùm juſtitiæ regulam direxerit actus ſuos, in errorem iniquitatis impingitur.* Ex quo Doctor *Angelicus* 1. 2. *q.* 19. *art.* 4 cunctis orthodoxis Theologis communem, deduxit concluſionem: quòd videlicet bonitas voluntatis, cunctarúmque moralium actionum noſtrarum, pendeat ex lege æterna.

51. Nec eſt, cur quis prætextu ignorantiæ *invincibilis*, ſectatores probabilium opinionum, exculpare contendat. Præterquàm enim, quòd in jure naturæ (ut aiunt) *primario*, ſeu primogeniis juris naturæ præceptis, nulla admittenda ſit in homine rationis compote, invincibilis ignorantia, teſte D. Patre *Auguſtino*, *Epiſt.* 154. (Vide dicta *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 4.) Inaniſſimè etiam hìc confugitur ad invincibilis ignorantiæ præſidium: ſiquidem, qui quid, quod reverà non liceat, licere tantùm probabiliter putat; is etiam probabile cenſet, idipſum non licere; adeóque ex hac opinionum diverſitate, meticuloſus & anceps redditur, utrum id, quod probabile putat; certò liceat? Hoc autem ſuppoſitô; quo pacto, dici poterit agere ex ignorantia invincibili? Quid ergo (*inquis*) aget, in conflictu opinionum, hæſitans? *Reſp.* Is, ut ſe expediat, ad præfinitas à Deo inveniendæ veritatis vias, maximè ad humiles preces, confugere debet. Id, ſi eâ, quà decet pietate & fiduciâ fecerit; procul dubio, quod quærit, inveniet: ſin autem facere neglexerit; jam potiùs vincibiliter & culpabiliter, quàm invincibiliter veritatem ignorare convincitur.

52. Ex hactenus dictis colligitur; quàm ſalubriter ad obviandum præſentiſſimis animarum periculis, & eradicanda Zizania, quæ inimicus homo, ſalutiferæ doctrinæ Chriſtianæ ſegeti ſuperſeminaverat, ſummi & pervigiles Eccleſiæ Paſtores, varias in hac materia propoſitiones damnaverint.

Alexander VII. die 24. *Septemb.* 1666. hanc proſcripſit: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.*

53. *Ratio condemnationis* eſt: quòd ſuppoſitâ æqualitate *ſubjectivâ* probabilitatis opinionum in mente judicis; judex ſit *formaliter dubius*, adeóque nequeat ſibi arrogare libertatem pro libitu judicandi; ſed debeat ſequi, ſi non tutius, ſaltem tutum. Unde, cùm poſitâ hac æqualitate, non habeat conſcientiam *moraliter certam* de honeſtate actionis; hinc in favorem unius præ alio, ſententiam ferendo, peccabit. Et ſanè, ſi nec in cauſa juſta, judici dare vel accipere pecuniam licitum eſt; quantò minus in cauſa utrimque tantùm æqualiter probabili. *Ratio rationis* eſt; quia munera ſolent dementare ſapientes. *Exod.* 23. poſſétque tali medio, facilè effici, ut minus falſa opinio, ex peculiari præventione appareret æquè probabilis, ac conſequenter juſta & recta.

54. Quid ergo, ſtante opinionum probabilium æquilibrio, faciet judex? *Reſp.* Debet ſequi tutius. Unde, ſi actio eſt merè perſonalis, puta: ex *ſtipulatu* vel *contractu*; Pro *Reo* pronuntiare debet. Huc facit *Regula* 11. *juris in* 6. *Cum partium jura ſunt obſcura, Reo favendum potiùs, quàm Actori.* & *l.* 125 *ff. de R. J.* Ibi: *Favorabiliores* Rei *potiùs, quàm* Actores *habentur.* Cui conſonat textus in *cap. inter dilectos.* 6. *de fide inſtrument.* Obſcura autem ſunt partium jura, quando ex conflictu

flictu probationum vel privilegiorum, non videt judex pro quo judicare determinatè debeat, nihílque occurrit, quod perſuadeat, pro quo ſententiam ferre debeat In tali inquam incertitudine, tam Pontifex, quàm Imperator vult, *Reo* potiùs, quàm *Actori* favendum. Sed cur? Nunquid à favore, judicem alienum eſſe oportet? & nunquid *in judiciis, non eſt acceptio perſonarum habenda?* ùt habet *Regula* 12. *juris in* 6. *Reſp.* Quòd *Reo*, in dubio, faveant jura; non ex perſona Rei fit, ſed ex natura *defenſionis*; quæ, ſi æqualis & par ſit probationi agentis; meritò prævalet: qui verò perſonam duntaxat conſiderat, nullam habet defenſionis rationem, ſed ſolùm ejus, qui litigat, perſonam reſpicit, etiamſi ſit *Actor.* Sic autem præruptis æquitatis præceptis, acceptionem perſonarum habere, Lex Divina & naturalis, adeóque & tam Civilia, quàm Canonica jura vetant.

55. Adhæc; in opinionum æquè probabilium aut probationum hinc inde æqualium conflictu, ideo favendum potiùs *Reo*, quàm *Actori*; Tum *quia* in poteſtate Actoris eſt, quando & coram quo judice, rebus ſecum perpenſis, *Reum* conveniat & ideo, ſicut miles alium provocans, paratus ad arenam judicii procedit; è contra verò *Reus*, ad Tribunal, in opinus imparatúſque trahitur; cui proinde potiùs, quàm *Actori* ſuccurrendum, qui ultrò, ſe in neceſſitatem conjecit. Tum *quia* deterior eſt, qui injuſtè aliquem aggreditur, quàm qui pari culpâ ſe defendit. Unde & in re *turpi*, melior cenſetur conditio retinentis. *l.* 2. *ff. de condict. ob turp cauſ.* Tum demum, *quia* in dubio, humanior interpretatio ſequenda, & melius eſt nocentem abſolvere, quàm innocentem condemnare, tutiúſque eſſe exiſtimatur; ſi erroris periculum ſubire oporteat; de iniqua miſericordia, quàm de injuſta crudelitate, Deo rationem reddere *Can. Pendente. Diſt.* 50. Adde: quòd pro cujuſque libertate, immunitate ac inculpabilitate, in dubio præſumatur.

56. Neque movet exemplum *Salomonis*, qui ortâ quæſtione de partu inter duas mulieres; in obſcuro, non adjudicavit *Reæ* partum, ſed eum divelli in partes juſſit. *Text. in cap. Afferte. de præſumptionib.* Quia id non tam judicando, quàm veritatis explorandæ causâ, fecit. Cui argumentô eſt: quòd *Salomon* non permiſerit infantem dividi, ſed ſummâ prudentiâ, illi adjudicaverit integrum; quæ maternâ pietate, dividi nolebat, & conſequenter ſe veram matrem comprobabat.

57. Sed neque premit, quòd interdum judex neutri litigantium faveat, ſed utrique partem rei controverſæ attribuat, ùt in *l.* 4. *ff. Communi dividundo.* Id enim fit, non quòd utriúſque partis jura obſcura ſint; ſed, ut ea, quæ alioquin certa ſunt, certo modo explicentur & dirimantur. Aſſertio autem noſtra, regulis juris ſubnixa, de caſu agit, ubi ob conflictum opinionum æquè probabilium, partium jura obſcura ſunt, quo caſu regulariter, Reus abſolvitur, ſi Actor in probatione defecerit, niſi pro hoc, *Actore*, ſcilicet, præſumptio militaret. *Sane, ſi Actor* (inquit Pontifex in *cap fin.* §. *fin. de jurejur.*) *Omnino in probatione defecerit*, Reus *debet*, (*etſi nihil præſtiterit*) *obtinere*; *præſumptione verò faciente pro illo*; Reo *deferri poteſt*, *ad oſtendendam ſuam innocentiam*, *juramentum*, *niſi judex inſpectis perſonarum & cauſæ circumſtantiis*) *illud* Actori *videat deferendum.* Exceptio quoque facienda, ſi de re favorabili, controverſia foret; qua ſpecie, Actori magìs favetur; puta: ſi agatur pro *libertate* oppoſita ſervituti; ſi pro *Teſtamenti* aut *Matrimonii* valore &c.

58. Quòd, ſi de cauſa *reali* agatur, inſpicien

Digitized by Google

ſpiciendum eſt, quis poſſideat, An Actor vel Reus, vel an uterque. Si Actor poſſidet, & agat INTERDICTO *retinendæ poſſeſſionis*; ut videlicet poſſeſſionem, quam habet, retineat; potior erit, ſi litis conteſtatæ tempore, ſine vitio poſſideat. §. *retinendæ. Inſtit. de Interdictis.* Sed hoc ut, procedat; oportet 1*mò*. Ut is, qui agit; dicat: ſe poſſidere. 2*dò*. Ut poſſeſſionem non ſit nactus ab adverſario, *Vi*, *clam*, vel *precariò*. 3*tiò*. Ut doceat; ſe à Reo, ſeu adverſario, turbari in poſſeſſione; ita, ut pro arbitrio ſuo, re poſſeſsâ uti non poſſit. *l. Vim facit.* 11. *ff. de vi & vi armata.*

59. De jure civili, INTERDICTA *retinendæ poſſeſſionis*, ab initialibus verbis appellata, duo ſunt: unum: UTI POSSIDETIS. Idque vel *directum* pro rebus immobilibus corporalibus competens; vel *utile*: competens pro juribus, ſeu rebus incorporalibus, puta: *Servitutibus*, *Decimis*, *Venatione &c.* Alterum UTROBI; competens pro rebus mobilibus. Utrumque aliud eſt *momentaneum*, *ſummarium*; vel; ùt alii aiunt; *ſummariiſſimum*; quod ſibi locum vindicat, quoties ſubeſt metus armorum vel ſcandali: aliud *ordinarium*, tum intentandum, quando hujuſmodi metus non ſubeſt. In *hoc* plenæ probationes requiruntur; in *illo* leviores ſufficiunt. In hoc autem poſſeſſorio, antiquior adeoque *apparenter* juſtior poſſeſſor, eſt manutenendus. Ubi tamen exceptio facienda: 1*mò*. Niſi antiquior; ſit *inſtrumentalis tantùm*, junior verò *realis*, cum reali fructuum perceptione. 2*do*. Si jus, antiquiori poſſeſſori reſiſtat, juniori verò aſſiſtat. 3*tio*. Denique; ſi pro juniore poſſeſſione, ſtent clara jura *petitorii*, hoc enim abſorbet *poſſeſſorium* ex claro textu *cap. 6. de cauſ. poſſeſſ. & proprietat.* Ex quo habes: qualiter judex reſpectivè, pro poſſeſſore judicare poſſit & debeat. Si de INTERDICTIS *adipiſcendæ & recuperandæ poſſeſſionis*, prolixiùs informari cupis; adi *Zoeſium redivivum*, ſtudio Clariſſimi Domini *Leonardi Carlier*, utriuſque juris Doctoris & Profeſſoris publici, denuò, *Herbipoli anno* 1742. luci redditum & additionibus illuſtratum. *Tit. de Interdictis.*

60. Jam ad propoſitiones damnatas, circa Probabiliſmum, regredientes; occurrit illa, quam *Innocentius XI. Anno* 1679. 6*tâ Martii*, è Schola Orthodoxa eliminavit, hæc ſcilicet: *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. Ratio cenſuræ* eſt; quia, qui judicat juxta opinionem minus probabilem *ſubjectivè* ſcilicet; non habet conſilium ſtabile. Non habet (inquam) conſcientiam *moraliter certam*, nec judicium prudens, adeoque illicitè agit. Scio quoſdam ad extenuandam, vel potiùs eludendam dictæ propoſitionis condemnationem, effutire; quòd judex teneatur judicare juxta opinionem probabiliorem, non, quòd probabilem ſequi non poſſit; ſed præcisè: ex conventione inita cum Republica, vigore cujus, ad tantam exactitudinem, ſe obſtrinxerit. Verùm, cùm tenor hujuſmodi conventionis nullibi reperiatur, ſed ſana æquitatis ratio, eam præſcribat judicandi normam; cùm etiam dentur judices ſupremi, ſuam immediatè à Deo poteſtatem dependere aſſeverantes; quinimò, ſi quibuſdam Publiciſtis creditur, ne valentes, quidem (jure ſummæ Majeſtatis obſtante) cum ſubditis contrahere; quis non intelligat; homines ita cavillantes eſſe de claſſe luxuriantium ingeniorum, per quæ, ùt lamentatur *Alexander VII.* in præfatione Decreti ſui, *in rebus ad conſcientiam pertinentibus, modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorúmque Patrum doctrina, & quem, ſi pro recta regula, fideles in praxi ſequerentur*

tur

tur; ingens irruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela.

61. Idem immortalis gloriæ *Pontifex maximus*, qui eradicandis noxiis novitatibus, & reformandæ Theologiæ morali, primam adhibuit manum, hanc ordine *27mam* damnavit propoſitionem: *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni; debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe à Sede Apoſtolica, tanquam improbabilem. Ratio condemnationis* eſt; quia per hoc, quòd liber ſit alicujus junioris & moderni; vel quod opinio non ſit rejecta velut improbabilis à Sede Apoſtolica; non tribuitur opinioni, ea probabilitas, quæ ad prudens conſcientiæ dictamen ſufficiat. *Ratio rationis* eſt; Tum, quia conſtat juniorum naſutulorum, & modernorum ſciolorum temeritatem magìs indies excreſcere, & non raròin eorum libris, quaſdam defendi Theſes, magìs ad ingenii oſtentationem; quàm, quòd ipſi eas habeant, aut haberi velint, pro tutis & licitè practicandis. Tum, quia ſcimus, permulta, tolerari à Sede Apoſtolica; quæ, ſi in judicium deducerentur, meritò improbarentur. Et ſanè; ſi ex ſola non rejectione Pontificis, toti alicui libro & cunctis in eo contentis propoſitionibus, accederet probabilitas & ſecuritas conſcientiæ; aut nullius junioris liber, ſine ſpeciali Pontificis approbatione, evulgari deberet; aut rejiciendis, ubivis locorum, copioſè prodeuntibus libris, continuò intentum eſſe oporteret ſummum univerſalis Eccleſiæ Paſtorem, millenis aliunde curis diſtractum.

62. *Innocentius XI.* Sanctiſſimis *Alexandri* Veſtigiis inſiſtens, *Anno 1679. die 2. Martii*, ſexaginta quinque propoſitiones in eadem materia morali, velut conſectaria ex illo effrœni opinandi modo, proſcripſit. Harum prima, ſic ſonat: *Non eſt illicitum, in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni inferendi. Hinc ſententiâ* probabili tantùm, *utendum non eſt, in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis. Ratio condemnationis* ſemper eſt eadem: quia utens materia probabili, relictâ tutiore; tenet incertum & dimittit certum, adeóque exponit ſe periculo peccandi; Sacramentum, periculo nullitatis; & proximum, periculo non percipiendi effectum Sacramenti. Non enim Sacramentorum valor, à noſtrarum opinionum probabilitate; ſed, à ſola Chriſti inſtituentis voluntate dependet: adeóque in eorum adminiſtratione, non ad id, quod nos quomodolibet probabiliter dicimus; ſed, quod Chriſtum voluiſſe, moraliter certum eſt, attendere oportet. Confer P. *Aurel. Piette part. 2. q.* 8. §. 2.

63. Nec Obstat, quòd in caſu neceſſitatis, liceat uti materia probabili, relictâ tutiore; veluti: ſi v. g. infans moribundus baptizandus eſt, & non adſit, niſi materia *dubia* v. g. aqua roſacea, vel alia artificialis; vel baptizans non ſciat, niſi formam *dubiam*. Tali enim caſu, præſtat adhibere matetiam vel formam *dubiam*, quàm *nullam*. *Reſp*. Nil inde ſequi contra noſtram veram ſententiam; ſiquidem, tunc non relinquitur tutior, ubi ſcilicet in caſu neceſſitatis, materia vel forma tutior haberi non poteſt. Dic ergo, quòd ſæpe *neceſſitas*, quæ legem non habet, *faciat licitum, quod non eſt licitum in lege. cap. Quod non eſt*. 4. *de R. J.*

64. Cæterùm, in caſu neceſſitatis, ubi materia vel forma tutior haberi non poteſt, licitum eſſe, uti opinione probabili, de valore Sacramenti Baptiſmi & Pœnitentiæ; cum univerſa Thomiſtarum & Scotiſtarum ſchola, unanimiter docemus, ex ratione; quòd ex duobus malis, minus ſit

ſit eligendum. *can. non ſolùm. cauſ.* 22. *q.* 4. minus autem ſit malum, Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ, in caſu neceſſitatis exponere periculo nullitatis, quàm ſinere, certò perire animam, pro cujus ſalute, inſtituta ſunt iſthæc Sacramenta, necdum renatis, aut poſt Baptiſmum relapſis, reſpectivè neceſſaria. Ergo

65. Prælaudatus *Innocentius XI.* hanc ordine *tertiam* damnavit quoque propoſitionem: *Generatim, dum probabilitate ſive intrinſecâ ſive extrinſecâ quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi, aliquid agimus; ſemper prudenter agimus*: Ratio, *condemnatoriæ cenſuræ* evidens eſt. Quia prudenter agere, eſt agere cum certitudine morali honeſtatis: jam verò *generatim*, dum probabilitate *quantumvis tenui*, confiſi agimus; non agimus cum certitudine morali honeſtatis; quia cum iſta tenui probabilitate, ſtare poteſt, & frequenter ſtat formido *poſitiva* de actionis honeſtate. Igitur, *generatim*, dum probabilitate quantumvis tenui, confiſi, aliquid agimus: non ſemper prudenter agimus. Vide omnino noſtrum Egregium Patrem *Aurelium Piette. part.* 2. *q.* 8. §. 3. *pag.* 200. *& ſeqq.*

66. A fortiori, idemmet Pontifex hanc ordine *4tam.* proſcripſit propoſitionem: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Ratio *proſcriptionis* eſt: quia non obſtante, quòd infidelis habeat opinionem minus probabilem contra fidem veram, poteſt tamen ea ipſi videri probabilior, imò moraliter certa: ſed, qui non credit id, quod probabiliùs, imò moraliter certò judicat eſſe credendum, peccat ſaltem contra conſcientiam, & non excuſatur. Ergo.

67. Propter oppoſitum exceſſum, *Alexander VIII. Anno* 1690 *die* 8. *Decembris* inter alias, hanc ordine *tertiam*, confixit propoſitionem: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*, quæ propoſitio ideo falſa eſt; quia opinio probabiliſſima, poteſt eſſe moraliter certa; adeóque licet ſequi aliquam opinionem probabiliſſimam. Sicut ergo nimiæ laxitatis eſt; omne probabile probare, ùt practicè licitum; ita nimii rigoris eſt; omnem prorſus reprobare probabilitatem, eámque penitus relegare à vita humana, in qua (niſi fidei ſubſit infallibilitas) vix quidquam aliter accidit, quàm, quod poſſit ſecus eſſe. Cæterùm; tametſi non repugnet, nec impoſſibile ſit, opinionem probabiliſſimam, etiamſi ad moralem certitudinem aſſurgat, reipſa falſam & erroneam eſſe; ea tamen non repugnantia, conſcientiam, humanitus loquendo, rectam non coïnquinabit. Confer *Aurel. Piette loc. cit.* §. 4. *pag* 221.

68. Dum heri, alicui viro æque illuſtri ac piè docto, ſuperiùs ſcripta, dabam legenda; is lectione finitâ, me rogabat; ut ad aſſequendum *Ethices* hujus *Chriſtianæ* ſcopum; facili & obvio ſtylo, ex Theologorum in orbe Catholico receptorum concordante ſententia, exponerem; quam viam, quámque doctrinam quiſque Chriſtianus, ne in errorem inducatur; ſequi debeat, in actionum ſuarum moralium exercitio. Ut amici deſiderio obſecundem, & Lector, qui fortè non niſi obiter Theologiæ ſtuduit, fundamentaliter inſtruatur; ab ovo quaſi incipiendum & ex alibi dictis

69. Recolendum imò. quòd lex æterna Dei, ſit prima & univerſalis regula morum. Quia docente Divo P. *Auguſtino, lib.* 3. *confeſſ. cap.* 7. *&* 9. Item *lib.* 1. *de libero arbitr. cap.* 6. ab ea, *formantur mores Regionum*, & ei *omnes piæ mentes, in operando, ſe conformare nituntur*, atque ab ea derivatur, *quidquid juſtum atque legitimum eſt in hac temporali vita.*

idem

Digitized by Google

idem docet *D. Thomas* 1. 2. *Q.* 19. *art.* 4. Confer noſtrum Eximium P. *Aurelium Piette. part.* 2. *quæſt.* 7. *per tot.*

70. RECOLENDUM 2*dò*. Quòd *conſcientia*, ſit particularis & proxima morum Regula. *Ratio*: quia regula univerſalis, per propriam uniuſcujuſque conſcientiam, conferentem objectum particulare cum lege æterna Dei, judicando; an ei conſonet, vel diſſonet; applicatur objecto particulari, tanquam menſurato: Propria quoque uniuſcujuſque conſcientia, proxime & immediatè dirigit & influit in actum; ita, ut actus ſit moraliter bonus vel malus, *prout ipſa eſt recta vel erronea*.

Dictum 1mò. *Conſcientia*, ſcilicet *Theologicè* ſumpta, quæ definitur: " Judicium „ practicum de moralitate ſpecifica operis „ faciendi vel omittendi. " Dictum 2*dò*. *Prout ipſa eſt recta vel erronea*. Adæquatè enim dividitur conſcientia in *rectam*, ſeu *practicè veram*: & *erroneam*, ſeu *practicè falſam*. Quodlibet enim eſt vel non eſt, adeóque conſcientia, quæ eſt judicium & dictamen ultimum morale, vel eſt conformis primæ & univerſali regulæ, ſcilicet legi æternæ Dei, vel non: ſi eſt; eſt *recta*; ſi non eſt; eſt *erronea*. Quia non datur medium. Solent quidem Aſcetæ conſcientiam dividere. 1. In *bonam* & *malam*. 2. In *Cauteriatam*, id eſt obcæcatam; & *perturbatam*, ſeu *deſperatam*. 3. In *laxam*; quæ tantùm mortalia curat, & *Phariſaïcam*; quæ excolat culicem & glutit camelum *&c.* Verùm, ut vides, ea non ſunt membra dividentia conſcientiæ *Theologicè* ſumptæ, ſed variæ diſpoſitionis hominum.

71. RECOLENDUM 3*tiò*. Conſcientiam eſſe formaliter rectam, ex eo, quòd ſit conformis appetitui recto; appetitum autem eſſe formaliter rectum, ex eo; quòd ſit de objecto conformi regulis morum. *Ratio*: quia conſcientia eſt concluſio practica, cujus rectitudo formalis, eſt bonitas moralis, jam autem bonitas moralis concluſionis practicæ, ſeu judicii practici, utpote actûs intellectûs, deſumi debet à rectitudine appetitûs ſeu voluntatis, cui tantùm, competit bonitas moralis; voluntas verò demum eſt recta, quando proſequitur objectum conforme regulis morum. Si OGGERAS 1*mò*. Conſcientia invincibiliter errans, eſt recta; ſed illa non eſt conformis appetitui recto: ergo 2*dò*. Conſcientia de proſequendo objecto de ſe *adiaphoro*, eſt recta; ſed non ab appetitu recto. Ergo. *Reſp.* Ad 1*mum Neg. maj.* Etſi enim conſcientia in quantum eſt invincibiliter errans, ſit inculpabilis, non tamen poteſt dici *recta*. Ad 2*dum*. *Reſp. Neg. min.* Eſto enim objectum de ſe & ſecundùm ſpeciem, ſit adiaphorum ſeu indifferens; in individuo tamen, prout judicatur eſſe proſequendum, veſtitur aliquâ circumſtantiâ, quæ illud regulis morum con-vel difforme reddit.

72. RECOLENDUM 4*tò*. Conſcientiam cùm ſit actus intellectûs *practici*, dictantis licita eſſe vel illicita, quæ hîc & nunc agenda ſunt vel omittenda; in rigore loquendo, dici veram, vel *formaliter* falſam; bonam verò vel malam, non dici propriè *formaliter*, ſed duntaxat *regulativè*, in quantum dirigit voluntatem bene vel malè agentem.

73. RECOLENDUM 5*tò*. Conſcientiam differre à *Syndereſi*. 1*mo*. Quòd hæc, non ſit actus, ſicut conſcientia; ſed habitus; quanquàm etiam ſumi poſſit, pro actu, à tali habitu procedente. 2*do*. Quòd *Syndereſis* verſetur quidem circa principia practica, ſed univerſalia & indeterminata, ut: quòd virtus ſit amplectenda, vitium fugiendum, Deus colendus, parentes honorandi, nemo lædendus; jus ſuum unicuique tribuendum *&c.* ita, ut *Synde-*

reſis

reſis non poſſit proximè & immediatè, actus noſtros regulare: *Conſcientia* verò applicet illa principia, ad materiam determinatam, mediante hoc vel ſimili diſcurſu: virtus eſt amplectenda; ſed caſtitas eſt virtus: ergo eſt amplectenda. Vitium eſt fugiendum; luxuria eſt vitium: Ergo luxuria eſt fugienda. Ubi *majorem* univerſalem ſuppeditat *Synderesis*, ſcientia verò *moralis* ſub directione virtutis *prudentiæ*, adjungit *minorem* particularem; cui porrò *conſcientia* adjungit concluſionem. imò. Conſcientia, eſt ipſa concluſio. *Dixi*: *ſub directione virtutis prudentiæ*. Nam, ùt bene obſervat Eximius noſter *Gircken tract.* 2. *q.* 3. *dub.* 1. *in fine*. Scientia moralis, ſine prudentia, eſt navis ſine gubernatore. Scientia quippe conſiderat objecta ſecundùm ſe, prudentia verò circumſtantias ponderat, ut proinde non ſit idem *ſcienter* ac prudenter agere. Multa profectò in ſcholis ſcienter docentur, quæ in aliis circumſtantiis, planè imprudenter in praxin redegeris. Unde miſerandi ſunt, qui ideo caſus pervolvunt; ut, ſi ipſis occurrat, in una alterâve circumſtantia, caſus ſimilis, juxta ejus reſolutionem operentur; non perpenſis aliis circumſtantiis, aliud judicium perſæpe poſtulantibus.

74. Hìc cum *Scoto in* 2. *Diſt.* 39. §. *Ad quæſtiones* Observa: *Synderesin* eſſe regulam *infallibilem*, quia nempe verſatur circa univerſaliſſima principia agendorum, quæ ſunt per ſe nota; *conſcientiam* verò eſſe regulam *fallibilem*, ùt patet in eo, qui credit, ſibi licitum eſſe *mentiri* ad ſalvandam vitam proximi. *Ratio* eſt: quòd potentia ratiocinans & conſcientia per erroneam informationem deluſa, aut ratiunculis veriſimilitudinem quandam præſeferentibus, præventa; malè applicent principia univerſalia. Ex quo factum, quòd *Pagani* quidam, referente Divo Patre *A Hochkirchen*, *Ethica Chriſt.* *Pars* 1. *Auguſtino*, *de Civitate Dei. lib.* 7. 8. 9. & 10. eò dementiæ devenerint, ut etiam *Jovem* adulterum, *Bacchum* ebrioſum, & *venerem* impudicam, pro Diis coluerint. Cujuſmodi nefandi errores, non ex *Synderesi*, cujus principia ſunt per ſe nota; ſed ex conſcientia, rationibus ſpecioſis carnalia opera foventibus, pullulârunt. Jam

75. Indagabis 1mo. Num ſemper teneamur ſequi conſcientiam, ſive veram & rectam; ſive falſam & erroneam? Ante *Reſponſionem*, Suppono: Conſcientiam etiam *rectam* nec neceſſariò eſſe, nec eſſe debere, imò nec ſæpe eſſe poſſe, omnino certam & evidentem. Id quod *Paulus* 1. *ad Corinth.* 4 ſat indicavit, *dum nihil ſibi conſcius*, non audebat ſe juſtificatum dicere. Quò etiam reſpexit *Job cap.* 9. conſcientiâ rectâ dicens: *Verebar omnia opera mea. Ratio* Divi Thomæ, *quæſt.* 17. *de verit. art* 2. eſt: quia *Conſcientia nihil aliud eſt, quàm applicatio ſcientiæ ad aliquem ſpecialem actum, in qua quidem applicatione, contingit errare dupliciter: uno modo, quia id quod applicatur, in ſe errorem habet; alio modo; quia non benè applicatur.* Jam verò applicatio, in qua contingit errare, illius rectitudo non eſt evidens; niſi quis plena luce cæcutire velit, ſed potiùs ab intrinſeco & ex natura ſua fallibilis, ex duplici capite, ab Angelico Doctore aſſignato; propter quæ, opus eſt virtute prudentiæ, cujus officium eſt, gnaviter circumſpicere, ne ex alterutro capite, contingat error & fallatur operaturus. Confer latiùs prælaudatum Magiſtrum *Gircken loc. cit. dub.* 2. *pag.* 96. & *ſeqq.*

76. Tametſi autem ad rectitudinem conſcientiæ non requiratur *Phyſica*, aut *Metaphyſica* evidentia vel certitudo; omnino tamen requiritur certitudo *moralis*. Vide textum *in cap. Quoniam. de Præſcrip-*

Digitized by Google

ſcriptionibus Ratio eſt: quia, ut ſit recta & inculpabilis, debet abſoluto judicio dictare, operationem hic & nunc eſſe honeſtam, ex motivis tam firmis, ut excludatur omnis formido *poſitiva rationabilis*; adeóque, ut conſcientia ſit recta; debet eſſe *moraliter* certa de honeſtate actionis. Quod, ùt clariùs percipias

77. Non obiter OBSERVABIS 1*mò*. Scientiam *actualem* conſiſtere in judicio certo & evidente, quo res ita judicetur eſſe, ut non poſſit, vel non eſſe, vel aliter eſſe. 2*dò*. De eſſentia quidem opinionis eſſe *formidinem negativam*, quæ eſt judicium abſolutum, quòd res ita ſit, quamvis poſſit eſſe aliter, non verò *formidinem poſitivam*, quæ eſt poſitiva intellectûs fluctuatio, propter motiva fortiter ipſum impellentia, quòd fortè de facto res aliter ſe habeat. Hæc enim poſitiva formido, facit conſcientiam *dubiam practicè*, de qua paulò infra. 3*tiò*. Opinionem tantis niti poſſe motivis, ut excluſâ omni formidine poſitivâ [quamvis adſit *negativa* opinioni eſſentialis] aſcendat ad moralem certitudinem, quæ eſt infra evidentiam & certitudinem *phyſicam* aut *metaphyſicam* quidem; ſupremum tamen gradum conſtituit opinionis: atque ad hunc gradum, eniti debere conſcientiam opinativam, ut ſit recta & inculpabilis; eſt noſtra, *Auguſtiniano-Thomiſtica*; item *Scotiſtica*, nedum in *Italia* & *Gallia*, ſed & ubivis terrarum, celebratiſſima & prudentiſſima ſententia. Vide rurſus Magiſtrum *Gircken loc. cit. dub.* 3. *pag.* 100. *& ſeqq.*

78. Porrò, quòd ſufficiat ad honeſtatem actionis, conſcientiam eſſe *moraliter* certam de bonitate illius; luculenter docet Doctor *Angelicus*. 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 1. *ad* 3. ibi: *Non eſt* (inquit) *eadem certitudo quærenda in omnibus, ùt* 1. *Ethic. dicitur. Unde in rebus contingentibus, ſicut ſunt naturalia & res humanæ;* " *ſufficit* „ *talis certitudo, ut aliquid ſit verum in* „ *pluribus, licet deficiat in paucioribus.*" Quæ autem certitudo illa, alia eſt; quàm *moralis*; quam ſcilicet quiſque ſollicitè & prudenter aſſequi poteſt? Quò reſpiciens *Alexander VIII.* hanc, ſupra quoque *n.* 67. refutatam, damnavit ſententiam: *Non licet ſequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabiliſſimam.* Ut proinde ejus contradictoria: *licet ſequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabiliſſimam*, ideo tuto ſuſtinenda ſit; non, quòd opinio probabilis tranſcendere debeat certitudinem *moralem* [alioquin enim non maneret opinio, ſed fieret *ſcientia.*] ſed quia humanitus, alia non exigitut certitudo, quàm *moralis*. Hanc enim, qui habet, prudenter agit, tum, *quia* certitudo *formalis* conſcientiæ, exigi non poteſt major, quàm ſit *objectiva*; honeſtas autem operis *contingenter recti*, non eſt certa *phyſicè*, ſed fallibiliter tantùm, tum, *quia*, ſi non ſufficeret certitudo, quæ communiter in rebus humanis habetur; obligaretur homo ad aliquid, quod eſt ſupra hominem; adeoque, ad *moraliter impoſſibile*. Ergo. Huc facit; quòd, niſi aſſertio noſtra, vera eſſet; nemo poſſet alioquin hunc numero virum honorare, ùt patrem ſuum naturalem; prout ratiocinatur Magnus P. *Auguſtinus cap.* 12. *de verit. cred* inquiens: *Si, quod neſcitur, credendum non eſt, quomodo ſervient parentibus filii?* Cùm nemo certò ſciat, hunc individualiter hominem, eſſe genitorem ſuum. Si

79. OPPONAS 1*mò*. Conſcientiam moraliter tantùm certam, non eſſe *ex fide*; adeóque moralem certitudinem, non ſufficere ad honeſtatem actionis. *Reſp Neg. anteced.* & certè, ſi conſcientia eſſet pluſquam *moraliter certa*; non eſſet ex fide, ſed *ex ſcientia.* Si

80.

80. Opponas 2*dò*. Moraliter tantùm certum, de honeſtate operationum, non implere præcepta *ex toto corde*, quod præcipitur *Deutern.* 26. *Reſp. Neg. Aſſumptum.* Quia is implet præcepta ex toto corde, qui implet tali certitudine, quæ hìc & nunc humanitus haberi poteſt, etſi non ſit ſupra hominem

Jam ad ſupra propoſitam quæſtionem: an ſemper teneamur ſequi conſcientiam ſive veram, ſive erroneam?

81. Respondeo 1*mo* Semper tenemur ſequi conſcientiam *veram* ſeu *rectam*, quando aliquid fieri præcipit aut prohidet.

Ratio eſt: Quia tenetur voluntas operans ſequi ſuam regulam: atqui conſcientia rectè præcipiens aut prohibens, eſt regula proxima voluntatis operantis, & moventis alias potentias ad executionem operis. Ergo. *Ratio rationis* eſt, quia Conſcientia eſt dictamen rationis intimans, aliquid in vim legis æternæ, & ex ejus præſcripto, quid eſſe faciendum vel omittendum; ſed hoc dictamen nos obligat, ſicut ipſa lex æterna, quam quadantenus inſtar præconis intimat & promulgat. Ergo. *Confirmatur* Quando voluntas agit contra dictamen rationis ſibi intimantis aliquid eſſe ex præſcripto legis æternæ faciendum aut omittendum; eô ipsô ſpernit & contemnit authoritatem legis & præcepti ſibi intimati: ſed abſque piaculo, nemo poteſt ſpernere authoritatem legis. *Ergo.* Unde conformiter verbis Apoſtoli, *ad Rom* 14. ℣. 14. dixit Pontifex in *cap. Litteras. de reſtit. ſpoliat. Quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad Gehennam.*

82. Respondeo 2*do.* Tenemur etiam ſequi Conſcientiam *invincibiliter* errantem, quando dictat hìc & nunc, aliquid eſſe, de præcepto, faciendum vel omittendum. *Ratio* eſt: quia tenemur ſequi ſemper conſcientiam *veram*, adeóque & eam, quam ob errorem invincibilem, nullatenus poſſumus diſtinguere à *vera.* Id quod indigitare voluit Doctor *Angelicus*, dum 1. 2. *q.* 91. *art.* 3. *ad* 3. inquit: *Non oportet, quod omnis menſura ſit omnino infallibilis & certa, ſed ſecundùm quod eſt poſſibile in genere ſuo.* Adeóque, ſi conſcientia præſertim invincibiliter erret; non deſinit eſſe actionum noſtrarum regula.

83. Dices 1. Conſcientia erronea non ſubordinatur legi æternæ; ergo nullam habet in ſe derivatam ab ea vim obligandi. *Reſp Diſt. Ant.* Non ſubordinatur *verè* legi æternæ *C. exiſtimatè N.* Lex enim falsò exiſtimata *tanquam vera*, in tantum obligat, ut ſperni non debeat, in *ſenſu compoſito* iſtius exiſtimationis.

84. Dices 2*do.* Lex inferior non obligat, ſi contrarietur ſuperiori: ſed conſcientia eſt lex inferior, & dum eſt erronea, contrariatur legi ſuperiori. Ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Non obligat, ſi contrarietur ſuperiori, & hoc cognoſcatur *C.* Si contrarietur & putetur concordare *N. M. & diſt. min. conſeq.* Facit enim falſa conformitatis exiſtimatio, ut tenear verâ lege non ſpernendi authoritatem ſuperioris.

85. Replicabis. Si conſcientia erronea obliget ad ſuî ſequelam; ergo poterit quis eſſe neceſſitatus ad peccandum. *Pone*: quòd quis judicet, ſibi eſſe mentiendum, ad conſervandam vitam; En! ſi mentiatur, peccabit contra legem *veracitatis*; ſi non mentiatur, peccabit contra *conſcientiam* dictantem ſibi eſſe mentiendum: ſed nemo debet poſſe neceſſitari ad peccandum: ergo conſcientia erronea non obligat. *Reſp.* 1. cum *D. Thoma* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *ad* 3. Poſſe quem neceſſitari ad peccandum *ex ſuppoſito*, quòd non deponat errorem, non verò *ſimpliciter* & *abſolutè*. *Reſp.* 2. *Diſt ſequel. maj.* Ergo poterit quis neceſſitari ad peccandum

Digitized by Google

dictum S. Patris intelligere de neceſſitate *morali* & magna difficultate vitandi omnia peccata, propter quam quotidie oramus *& ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.*

88. Quid! (Rogabis) an ergo opus ex ſe malum, ſi fiat ex ignorantia invincibili, reddetur moraliter bonum? *Reſp.* Non reddi quidem moraliter bonum & honeſtum, ſed tantùm *non malum moraliter. Ratio* eſt: Quia invincibilitas ignorantiæ, nequit operi in ſe & eſſentialiter malo, tribuere, quod ipſi repugnat: bonitas autem moralis repugnat operi in ſe & eſſentialiter malo: ſiquidem tanta neceſſitate, opus hoc in ſe malum & divinæ æternæque legi diſſonum eſt; quantâ neceſſitate, Deus eſt moraliter rectus imo rectitudo ipſa. Proinde opus in ſe malum, ſi fiat ex ignorantia invincibili, non redditur moraliter bonum, ſed ſolummodò actus, ex ignorantia invincibili, tendens in objectum per ſe malum, excuſatur & efficitur *non malus*, non verò *formaliter* honeſtus. Confer D. *Thomam* 1. 2. *Q.* 19. *in corpore. & ad.* 1. Ubi hanc quæſtionem ex profeſſo ſic reſolvit.

89. Oppones: Accedens ex errore invincibili ad uxorem non *ſuam*, eſt eodem planè modo diſpoſitus in intellectu & voluntate, ſicut accedens ad *ſuam*: ſed *hic* operatur honeſtè; ergo & *ille. Reſp. Neg. min.* In unius enim intellectu eſt error, non in alterius.

Instabis. Acceſſus ille eſt prudens: ergo honeſtus. *Reſp.* Eſt prudens ex fine *Tranſeat* ex objecto. *Neg.* ſed eſt *non imprudens* formaliter.

Obsistes: Objecti malitia non cognita, actum non inficit: atqui malitia invincibiliter ignorata, non eſt cognita: ergo non inficit actum, adeóque erit moraliter honeſtus. *Reſp. Neg. ultimum illatum.* Aliud enim eſt, actum carere culpâ formali, ob defectum deliberationis & cognitionis; aliud eſt, eſſe honeſtum. Actus ſtultorum carent culpâ, ſed non ideo ſunt boni moraliter.

Replicabis. Actus conformis ſuæ regulæ proximæ optimo modo poſſibili conſtitutæ, eſt moraliter bonus: ſed actus conformis conſcientiæ invincibiliter erranti, eſt conformis ſuæ regulæ proximæ optimo modo poſſibili conſtitutæ. Ergo *&c. Reſp. Neg maj.* Quod enim non poteſt eſſe rectum, non ideo eſt rectum; ſicut claudus non ideo rectè incedit, quia graditur meliori modo, quo poteſt.

Urgebis. Si ita eſt; ergo in tali caſu, deficit Providentia Divina. *Reſp. Neg. illatum.* Non enim debetur homini præſertim lapſo immunitas ab omni errore & ignorantia invincibili,

90. Ad ſupra motam quæſtionem Respondeo 3tiò. Tenemur etiam ſequi conſcientiam *vincibiliter errantem*, quamdiu error, quem deponere debemus, non deponitur. Ita communis Theologorum ſchola. Veritas hujus aſſertionis colligitur ex illo *Ad Rom.* 14. *Omne, quod non eſt ex fide*, id eſt ex credulitate, quòd ſit licitum (ut interpretantur SS. Patres) *peccatum eſt.* ſed qui non ſequitur conſcientiam (licet erroneè) aliquid præcipientem vel prohibentem; non habet fidem ſeu fiduciam, quòd actio vel omiſſio ſit licita, quin potiùs ſtante errore, habet fidem, quòd ſit illicita. Ergo. Itaque mens Apoſtoli ibidem eſt, oſtendere, neò converſos Judæos contra propriæ conſcientiæ dictamen peccaturos, ſi ederent de cibis Gentilium, putantes eſſe illicitos, *quia* immundos, etſi reverà forent liciti & mundi. *Ratio* in idem recidens, ſed paulò clarior eſt; quòd *non agere* ſecundùm conſcientiam aliquid præcipientem vel prohibentem, ſit agere

con-

Digitized by Google

contra, cùm non detur medium; nullo autem caſu, ſit licitum agere contra conſcientiam licet errantem, eò quòd taliter operans, velit interpretative malum, cùm vel id ponat, quod credit prohibitum, vel id omittat, quod credit præceptum, & ſic utrolibet eventu, ſemper malè agat. ſiquidem tunc non minus afficitur voluntas circa malitiam; quàm, ſi defacto mala eſſet actio aut omiſſio à parte rei, quia malitia, non ut in ſe eſt, ſed prout ſubeſt intellectui, voluntatem afficit.

91. Oppones. Ex poſita aſſertione reſultat; quòd, ùt ùt teneamur ſequi conſcientiam vincibiliter errantem; equidem illam ſequendo peccemus. Hoc autem videtur valde durum imò abſurdum. Ergo. *Reſp.* Nos non peccaturos, tam, *quia* præcisè dictamen conſcientiæ ſequimur; quàm, *quia* aliunde actio; quam ponimus, mala eſt, neque ejus malitia abſtergitur per errorem voluntarium. Quocircà vincibiliter errans, quadantenus obligatur ad peccandum, non tam ex abſoluta quadam neceſſitate, quàm ex voluntatis ſuæ perverſitate, eò quòd errorem, quem vincere poteſt & deponere debet; non vincat, nec deponat.

Sed quid (ais) ſi in perplexitate & operandi neceſſitate, non ſuppetat tempus peritiores conſulendi, vel rem limatiùs examinandi? *Reſp.* Tali caſu facilè fieri poſſe, ut ex errore vincibili, *pro tunc* fiat invincibilis; ſi quis videlicet ita ſit comparatus, ut, ſi tempus ſuppeteret; rem omnimodè eſſet diſcuſſurus. De conſcientia erronea, quantum propoſiti mei, & hujus libri ratio poſtulat, ſatìs me dixiſſe putem. Jam ſubit agere de conſcientia *dubia*, ut pedetendim ad conſcientiam (ùt ajunt *probabilem*) concludendo, deſcendamus.

92. Sicut conſcientia dicitur *vera* à veritate, *erronea*, ab errore; ita dicitur *dubia*, à dubio *Dubia* autem conſcientia, eſt hæſitatio ſeu ſuſpenſio intellectûs inter utrámque contradictionis partem, ita; ut neutri detur aſſenſus, aut diſſenſus. Ut proinde taliter fluctuans animus, non importet propriè, *con*-aut *ſecum-ſcientiam*, quæ eſſentialiter importare debet actum *reſolutivum*. Id, quod ex duplici capite, oriri poteſt, videlicet: aut, *quia* ex neutra parte, apparent rationes convincentes aut rationabiliter probabiles, [quo caſu dicitur conſcientia dubia *negativè*.] Aut, *quia* utrimque apparent rationes, conſideratis conſiderandis, æquales, quo caſu, dicitur conſcientia dubia *poſitivè*.

93. Theologi dubium dividunt 1*mò*. In ſpeculativum & practicum. *Speculativum eſt*; quod vel non reſpicit actionem humanam, & dicitur *purè ſpeculativum*, vel ſi eam reſpicit; non tamen, ùt hîc & nunc ponendam; & vocatur *ſpeculativo-practicum*. Exemplum *primi* eſt, ſi dubitetur, utrum Angeli moveant cœlos. *Secundi*, An liceat baptizare cum aqua roſacea, celebrare Miſſam, ante ſolis orrum *&c.* *Practicum*, quod vocari ſolet *practicè-practicum*, eſt, quod reſpicit actionem hîc & nunc individualiter ponendam. Veluti: ſi quis dubitet, num hodie poſſit comedere carnes, operari ſerviliter, *&c.* 2*dò*. Dividunt dubium in *negativum* & *poſitivum*. Primum eſt, quando pro utraque parte aut nullæ, aut admodùm leves ſunt authoritates vel rationes, quamvis, ùt rectè obſervat *Gonzales* in ſuo *Tractatu: de recto uſu opinionum probabilium.* Potiùs *neſcientia* vel *ignorantia*, hujus modi dubium dici mereatur. *Ego enim* (inquit Author ille) *non dubito, an aſtra ſint paria? nec; an Turca dormiat? quia pro neutra parte occurrit ratio, ſed penitus neſcio, & ignoro; ac interroganti, an*

Digitized by Google

an aſtra ſint paria? *reſpondere debeo*; neſcio. *Et ineptè reſponderem:* dubito. *Quia, ſi ita reſponderem; poſſet aliquis interrogare; quam habes rationem dubitandi? cui interrogationi nihil poſſem reſpondere.* Ita ille. Dubium *poſitivum* eſt; dum occurrunt intellectui rationes vel authoritates æquales aut ferè æquales, pro utraque parte, quæ ſeorſim ſufficerent ad inclinandum intellectum in unam partem. Dixi: *aut ferè æquales*. Sufficit enim ad verè dubium, æqualitas *moralis* motivorum, ita nempe; ut motiva unius partis, non excedant tam notabiliter motiva alterius partis; ut ea directè vel indirectè elidant & annullent. 3*tio*. Diſpeſcunt dubium *ratione materiæ*, in dubium *juris* & *facti*. *Primum* reſpicit jus, legem aut præceptum. Quando videlicet ambigitur: an exiſtat lex nec ne? & ſuppoſito, quòd exiſtat; an ſit debitè promulgata? vel etiam; an promulgata, comprehendat hanc perſonam, vel hunc caſum ſpecialem? *Secundum* eſt; dum quis certus de exiſtentia legis, dubitat, an fecerit, aut facere debeat hîc & nunc aliquem actum, ad quem obligat lex. V. G. novit pœnitens, adimplendam eſſe pœnitentiam ſacramentalem, & dubitat, an eam impleverit, & an iterum implere teneatur? Ubi vides, hoc dubium poſſe eſſe, vel facti *præteriti*. v. g. An pauperi data fuerit eleemoſyna? vel *præſentis*. v. g. An nunc Miſſa ſit audienda? vel *futuri*. v. g. An votum ſit implendum prima opportunitate; an prolibitu voventis? Cæterum, dubium *juris* eſt merè *mentale*; quia oritur ex conflictu rationum & motivorum: Dubium *facti* verò præſertim præteriti, eſt quaſi *corporale*, & oritur ex conflictu probationum externarum. Utriuſque tamen dubii idem eſt effectus, ſcilicet mentis fluctuatio. Porrò *Divus Thomas* 2. 2. *q*. 60. *art*. 4. *ad* 2. dubium dividit in dubium *de rebus*, & *de perſonis*. *Primum* ſolvitur inventione veritatis; *ſecundum*, præſumptione bonitatis. Omnis enim perſona, ex hoc quod ſit rationalis & libera; habet jus ad bonam famam; ita, ut citra injuriam ipſius, aliter de ea judicari non debeat, nec dici aut credi poſſit mala & culpabilis; niſi convicta. Jam.

94. Indagabis 2*do*. An liceat operari cum conſcientia *practicè* dubia? *Reſp.* Nequaquàm, ſed operans cum conſcientia practicè dubia, ſemper certò peccat. *Ratio* eſt 1*mò*. Quia *qui amat periculum, peribit in illo*: ſed qui agit practicè dubitans, an actio ſua (idem eſt de omiſſione) ſit licita nec ne; exponit ſe manifeſto peccandi periculo, cùm fortè ſit licita, fortè illicita Ergo. 2*do*. Quia taliter operans, cenſetur *interpretativè* velle malum, cùm velit abſolutè ponere opus, ſive bonum, ſive malum, cùm de utroque dubitet. 3*tio*. Lex amicitiæ poſtulat, ut caveatur id, quo rationabiliter creditur amicus poſſe offendi aut graviter lædi: Ergo, qui amicus Dei eſſe vult, non debet agere id, de quo dubitat, an per illud Deus offendatur. Quò facit; quòd ad licitè operandum, requiratur judicium moraliter certum de honeſtate ſeu bonitate actionis, dubitans autem, nequidem habeat judicium *probabile*.

95. Dices: Dubitans, an actio ſua ſit bona vel mala, non bene agit, licet fortè actio in ſe bona ſit: ergo nec agit malè, licet fortè in ſe ſit mala. *Reſp. Neg. conſeq. Diſparitas* eſt, quòd ad rectè operandum, debeat repræſentari objectum ex omni parte bonum, quia *bonum ex integra cauſa*: dubius autem conſideret objectum fortè bonum, fortè malum; ad malè verò operandum, ſufficiat; objecto, ùt intellectui repræſentato, ineſſe aliquam malitiam aut ejuſdem periculum, quia *malum ex quolibet defectu*. Ex dictis

96.

Digitized by Google

96. Resultat 1*mo*. Operantem ex conſcientia practicè dubia, peccare *mortaliter*, ſi dubitet, an id quod facit vel omittit, ſit *mortale*, venialiter autem, ſi dubitet, an ſit *veniale*. *Ratio* eſt; quia in tantum peccat, in quantum, peccatum, cujus periculo ſe exponit, grave eſt vel leve. 2*dò*. Operantem cum conſcientia practicè dubia, committere peccatum illius ſpeciei in confeſſione explicandum, de cujus malitia dubitat.

97. Quid ergo [inquis] agendum in dubio *poſitivo* peccati? *Reſp* in tali dubio, ſemper pars tutior eſt eligenda. Atqne hæc regula infallibilis actionum humanarum, traditur in jure canonico *cap. ad audientiam*. & *cap. Significaſti. de Homicidio. cap. Juvenis. de Sponſalib. &c.* ac alibi pluries. Hanc normam olim ſervavit & docuit Magnus Patriarcha noſter *Auguſtinus, lib.* 1. *de Baptis. cap.* 3. ibi: *In cauſa ſalutis, hoc ipſo quis peccat, quod certis incerta præponat*. & contra Donatiſtas, *cap*. 5. *Efficere id, quod incertum eſt, an ſit peccatum? certum peccatum eſt*. Adeóque in dubio, eligendum eſt tutius, id eſt: vel abſtinendum eſt ab amplexu utriuſque partis, vel eligenda eſt pars illa, quæ certò remota eſt à periculo peccandi. Vide omnino Noſtrum Patrem *Piette loc. cit. part.* 2. *quæſt.* 8. §. 3. & 4. *per tot.* Hîc autem

98. Obſervandum ſedulò, quòd *ly* Tutius hîc non capiatur *comparativè*, aſcendendo à *poſitivè tuto*, ad tutius, ſed *adverſativè*, pro omni eo, quod eſt tutum & remotum à poſitivo periculo peccandi. Quod, ſi utraque pars dubii foret tuta; ceſſaret quæſtio. Idem eſt; ſi dubium, tantùm foret *negativum*.

99. Falleris autem; ſi putes, præmiſſam Regulam continere duntaxat conſilium, non verò inducere neceſſitatem præcepti. *Falleris* inquam, ſiquidem eâ neceſſitate eligendum eſt tutius, qua vitandum eſt poſitivum peccandi periculum, & ipſummet formale peccatum: hoc autem vitandum eſt, non tantùm ex conſilio, ſed de neceſſitate præcepti. Ergo.

100. Non minus deciperis, ſi exiſtimes, Regulam iſtam non eſſe *univerſalem* pro omni dubio conſcientiæ; ſed tantùm pro particularibus illis caſibus, quibus applicatur à jure ſcripto. Non minus (inquam) *deciperis*; *quia* in omni dubio, circa actiones morales, generatim vitandum eſt peccati periculum; adeóque tutius eligendum. Et ſanè, jus ſcriptum, applicando hanc regulam caſibus particularibus, non ſuſtulit ipſi ſuam univerſalitatem & indefinitam veritatem; quin potiùs monſtravit; quomodo ea paſſim in dubiis applicanda & obſervanda ſit; maximè; cùm omnes aliæ regulæ & theoremata juris, de particularibus dubiis ritè reſolvendis, in *hac*, veluti univerſali principio fundentur, & ab *illa* æquitatem ſuam participent. Id quod exemplis demonſtro.

101. En! 1*mò*. In dubio *perſonæ*, particularis Regula ſic habet: *In dubio favendum eſt Reo*. Id quod non alia de cauſa, eſt verum; niſi; quia favere *Reo*, eſt tutius; & favor ille vacat periculo peccandi; cùm écontra condemnatio Rei in dubio, ſit intrinſecè mala, & aliquando damnum irreparabile inferat. Quò facit; quòd Deus *Geneſ.* 18. maluerit multos tolerare nocentes, quàm paucos innocentes cum ipſis, perdere. *Ratio* itaque hujus particularis regulæ eſt; quòd favor, Reum non abſolvat, aut immunem reddat; ſed velit, tolerandum eſſe Reum conventum, donec ejus delictum, vel ejus iniquitas liquidò probetur. Utique autem minus malum, æquius adeoque & tutius eſt, condemnationem Rei non convicti differre, quàm illum, in du-

dubio, condemnare. *Ergo* hæc regula particularis ideo eſt vera, quia derivatur ex illa univerſali: *in dubiis, tutius eſt eligendum.* Iterum

102. Hæc, de *dubio rei*, vera ideo eſt particularis regula: *melior eſt conditio poſſidentis*; quia, id tutius. Cùm enim poſſeſſione acquiratur rei dominium; judex, in dubio, rationabiliter & abſque peccandi vel errandi periculo, tam diu manutenet poſſidentem; donec alter, jus *petitorii*, clarè probaverit, confer ſupradicta *n.* 59.

103. Rurſus illud commune Theologorum & Aſcetarum effatum: *Dubia in meliorem partem ſunt interpretanda.* Ideo obtinet; quia id tutiùs Si enim interpretatio fiat in ſequiorem partem, & perſona judicetur nocens; periculum eſt, ne violetur juſtitia & lædatur jus, quod alter habet ad ſuam bonam famam. Si verò dubii interpretatio fiat in meliorem partem; abeſt periculum *formaliter* peccandi, & ſolùm ſubeſt periculum errandi *materialiter*, ſi is, de quo bene judicamus, reapse ſit nocens, facineroſus *&c.* Neque ſic, in dubio, judicando, ulli facimus injuriam, ut meritò *Doctor Angelicus* dixerit 2. 2. *q.* 6. *art.* 4. *ad* 1. *Meliùs eſſe, ut quis frequenter fallatur, habens bonam opinionem, de aliquo malo homine; quàm, ut rariùs fallatur, habens malam opinionem, de aliquo bono homine.*

104. Indagabis 3*tiò*. An dubium *conſcientiæ*, rectè reſolvatur; allegando poſſeſſionem libertatis? Satis inter Theologos & Juriſ-peritos convenit, poſſeſſionem in materia *juſtitiæ*, eſſe titulum ſufficientem; ut *ſpeculativè* dubitans, an res aliqua, ſit ſua vel aliena? poſſit formare conſcientiam moraliter certam: quòd poſſit illam retinere. Verùm; non ita expeditum eſt, an in materia aliarum virtutum, in dubio, ſub prætextu libertatis, quis ſe moraliter certum reddere poſſit, quòd hîc & nunc non teneatur ad legis dubiæ obſervantiam. Qui hoc ultimum ſuſtinent, ajunt; poſſeſſionem ſtare pro libertate, cùm dubitatur de eo, per quod *intrat legis obligatio*: ècontra, poſſeſſionem ſtare pro lege, adverſus libertatem; quando dubitatur de eo, per quod *tollitur legis obligatio.* Sicque volunt; dubitantem, an lex aliqua ſit promulgata? ad illam legem non teneri, quia promulgatio eſt id, per quod intrat legis obligatio: dubitantem verò, an lex ſit abrogata, modificata, reſtricta; teneri ad ejus obſervantiam; quia dubitat de eo, per quod tollitur legis obligatio. Licet hæc diſtinctio aliquid ſub receſſu habere videatur; nihilominus, ſi res limatiùs perpendatur; evidenter apparebit, extra materiam juſtitiæ, poſſeſſionem prætenſæ libertatis non eſſe titulum ſufficientem ad formandum prudens conſcientiæ dictamen, imò merè cerebrinam eſſe illam libertatis poſſeſſionem. Id quod

105. Probatur 1*mò*. Quia dubius de exiſtentia aut vigore legis, dubius eſt de legis obligatione: ſed dubius de legis obligatione, dubius quoque eſt de ſuæ libertatis poſſeſſione, cùm per legis obligationem adimatur illa poſſeſſio, ſeu libertas & licentia ad agendum vel non agendum id, quod lex jubet. *Ergo. Probatur Major.* Dubius de exiſtentia alicujus rei, dubius quoque eſt de ejus proprietate. Sic videns moveri aliquid, ſi dubitet, an ſit animal rationale, conſequenter quoque dubitare debet, an ſit *riſibile*, quia proprietas, *rei* inſeparabiliter cohæret. Obligatio autem eſt proprietas legis adeò ab ea inſeparabilis; ut lex non ſit, ſed conſilium, ſi non obliget. Ergo dubius de exiſtentia legis, dubius eſt de ejus obligatione, ac conſequenter de prætenſæ libertatis poſſeſſione 2*dò*. Quia in dubio nul-

Digitized by Google

nulla eſt poſſeſſio libertatis agendi, quodlibet; ſed determinatè agendi, quod tutius. Eſto igitur melior ſit conditio poſſidentis, quando præter rationes æquales pro jure proprietatis, poſſeſſio eſt certa; non tamen, quando æquè dubitatur de poſſeſſione ipſa, ac de jure proprietatis. Jam verò, cùm dubitatur, an lex prohibens vel præcipiens exiſtat? & an conſequenter aliquid liceat nec ne? dubitatur de poſſeſſione libertatis. Ergo ex dubia iſta poſſeſſione libertatis, non poteſt dubium certò reſolvi. En! licet, antequam erat lex præcipiens *Pragæ* celebrari in *choro* & *foro*, feſtum *S. Joannis Nepomuceni*, incola iſtius Metropolis, habuerit libertatem laborandi vel non laborandi ſerviliter; audiendi itidem Miſſam vel non audiendi; eo ipſo tamen, quo dubitat, an talis lex etiam obliget in *nova* v. g. urbe *Pragenſi*, quæ eſt trans *Moldavam*; etiam dubitare debet de ſuo jure, adeóque de ſuæ libertatis poſſeſſione. Aliud eſt in materia juſtitiæ, ubi dubium non eſt de poſſeſſione, cùm, ùt ſupponitur, ſit certa; ſed de rei poſſeſſæ proprietate & dominio

106. Dices: ſi dubius de exiſtentia legis non retineat poſſeſſionem certam libertatis; perinde ipſe tenebitur obſervare legem, ac ſi certus eſſet de illa, quod non videtur rationabiliter aſſerendum. *Reſp.* Perinde illum teneri, non vi legis dubiæ præcisè, ſed vi legis *naturæ*, non ſolùm præcipientis, ut obediamus juſtis Superiorum legibus, ſed etiam, ut non exponamus nos evidenti periculo illas transgrediendi, cui periculo ſe exponit dubius, ſi illam non ſervet. De quæſtione hac videri meretur Noſter ſæpe laudatus *P. Piette loc. cit* §. *6*. Ex his

107. Inferuntur plura ad praxin ſpectantia, videlicet 1. dubitantem, an inchoaverit annum vigeſimum ſecundum? non poſſe ſuſcipere ſacros ordines. 2. An comederit poſt mediam noctem? non poſſe ſubſequenti die, extra mortis periculum, Sacram Communionem ſumere. 3. An ſonuerit duodecima noctis; non poſſe comedere carnes, ſi dies præcedens aut ſubſequens, ſit dies abſtinentiæ. 4. An legerit horas canonicas? teneri recitare. 5. Dubium de cenſura, debere ſe gerere, ùt cenſuratum. 6. Dubium de voto aut ejus impletione; ad id teneri. 7. Dubium de impedimento dirimente Matrimonii; illicitè illud contrahere. 8. Dubium de valore Matrimonii; debitum petere non poſſe, etſi *non dubitanti* poſſit reddere; ne ob dubium, lædatur jus certum alterius. 9. Peccata *dubia*, neceſſariò eſſe confitenda. 10. Subditum in dubio teneri obedire ſuperiori mandanti; militem itidem de juſtitia belli dubitantem, debere militare &c. De quibus fuſiùs paſſim *Moraliſtæ*. Ratio iſtorum omnium eſt eadem, *quia* id eſt tutius.

108. Indagabis 4tò. An, & quæ conſcientia *probabilis*, ſit ſufficiens regula morum? *Reſp.* Conſcientia *ſubjectivè probabilis*, ſi ſit *moraliter certa* de honeſtate actionis, eſt ſufficiens regula morum. Sive: quod idem eſt: ut quis licitè & prudenter agat; debet habere conſcientiam practicè certam, non quidem *metàphyſicè*, ſed *moraliter*, ita ut operando, nullum rationabiliter timeat peccatum, *Ratio* eſt; quia omnis regula ad agendum propoſita, debet eſſe infallibilis ſaltem moraliter; alias, ſi fallibilis eſſet; non proponeretur tanquam regula imitanda. Jam autem ex dictis *ſupra n.* 70 conſcientia eſt regula proxima agendorum. Ergo *&c.*

109. Dixi: *Subjectivè probabilis*. Dicit enim Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 2. *Gloria noſtra hæc eſt*, *teſtimonium conſcientiæ* nostræ; non alienæ. Quantumcunque enim aliis videatur, non modò probabilis, ſed & certa & evidens honeſtas actionis; niſi & mihi talis ſit; non operor *ex*

Digitized by Google

fide; ſed, ſi ego judicem aut dubitem de operationis honeſtate, ſemper ago contra conſcientiam, quod eſt intrinſecè malum, quidquid aliis viſum fuerit, adeóque oportet conſcientiam eſſe *ſubjectivè* probabilem & inſimul *moraliter certam.*

110. Sed quid (Inquies) ſi ſententia probabilis concurrat cum probabiliore, quæ ſtet pro lege? Licebítne tali caſu, relictâ probabiliore, ſequi probabilem? *Reſp.* Aut probabilioritas illa impedit & abſorbet moralem certitudinem conſcientiæ probabilis de honeſtate actionis, aut non? Si primum; non licet ſequi probabilem, non *quia* probabilis eſt, ſed, *quia* non eſt, vel deſinit eſſe moraliter certa. Si ſecundùm; licet eam ſequi etiam in concurſu probabilioris ſtantis pro lege, quia eſt moraliter certa, & non tenemur ſequi tutius *comparativè*, ſed *adverſativè* proùt *ſupra* annotavimus *N.* 98. Quò facit; quòd ſtante *probabilis* certitudine morali; alterius opinionis probabilioritas, ſit tantum *objectiva*, *ſcholaſtica* & operaturo *extrinſeca*; ita, ut illius concurſus nihil tribuere poſſit ad conſcientiam operantis. Cæterum, ſi probabilioritas ſit *ſubjectiva* & invehat moralem certitudinem; non eſt dubium, quin teneamur ſequi partem probabiliorem militantem pro lege; tum quia *inſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt, vel quod plerumque fieri conſuevit. Reg. jur.* 45. *in* 6. Tum quia, tunc *ſola probabilior*, eſt tuta & immunis à peccandi periculo.

111. Oppones contra principalem reſolutionem *n.* 108. datam. Infiniti Doctores [ducentos citat Terillus, mille Sarasa] cum *S. Auguſtino*, relato in *can. Ego ſolis Diſt.* 9. ſuſtinent, licere ſequi opiniones probabiles, ſive minùs, ſive æquè, ſive magis probabiles ſint. Ergo id licet. *Reſp.* 1*mò.* Doctrinam de *Probabiliſmo*, primis ſexdecim ſæculis, Patribus & Doctoribus fuiſſe prorſus incognitam. Nam, ùt obſervat *P. Franciſcus Henno*, in ſua *Theologia Dogmatica. Tract. de conſcientia. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *art.* 2. Si exceperis *Academicos*, ſæculo quinto, florentes & probabiliſmum defendentes; aut potiùs *nihil certum eſſe*, contendentes; ne unum quidem reperies authorem, qui ante finem ſæculi decimi ſexti, Probabiliſmi novitatem tenuerit vel palàm docuerit. Academicorum autem, quos aliquanto tempore ſecutus fuerat & quorum poſtea expugnavit errores *Auguſtinus*; ùt patet ex libris, quos contra *Academicos* ſcripſit. In rem noſtram *lib.* 3 *contra Academicos cap.* 16. refutans illud Academicorum Axioma: *Cùm quiſque agit, quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat.* Sic arguit: *Illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erat, cùm probabile cuiquam viſum fuerit eſſe faciendum ... non ſolùm ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committatur* *Reſp.* 2*dò.* Junioris *Æræ* Doctores (niſi alioquin turpiter hallucinentur) id ſuſtinere; ſenſu à nobis explicato, videlicet; ſi opinio minus, æquè aut magis probabilis, in ſcholis, ſit operaturo *ſubjectivè* moraliter certa, non alias. Addo: quòd liceat ſequi quaſvis opiniones (v. g. in expoſitione S. Scripturæ) *probabiles ſpeculativè*, præſertim, ſi proditæ ſint ab aliquo Sancto Patre vel Aſceta bonæ famæ, & exinde nil inferri poſſit fidei aut moribus adverſum. Non dico autem; quòd hujuſmodi *ſpeculativè* probabiles interpretationes, cujuſcunque ſint etiam *Sancti* Eccleſiæ Doctoris, liceat ſequi in praxi; niſi aut nominatim ſint ab Eccleſia approbatæ, aut aliunde moralem nobis ingerant rectè agendi ſecuritatem. Aliud enim eſt opinionem aliquam eſſe *plauſibilem*, *ingenioſè deductam &c.* aliud; illam eſſe *conformem regulis morum.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE

Divinis Naturalibúſque Decalogi Præceptis, generatim.

SUMMARIUM.

1 *Decalogi Ethymologia.* 2 *Decalogus eſt epitome omnium legum moralium.* 3 *Prima & ſecunda tabula, quænam contineat præcepta?* 4 *Deus Decalogi Author. Quanta cum Majeſtate legem ſuam olim Iſraëlitis tradiderit?* 5 *Notantur Hæretici, & refutantur temerarii defenſores* Paſchaſii Queſnelli *contendentes; homini lapſo, mandata Dei, eſſe ſervatu impoſſibilia. Ubi oſtenditur, quòd per Bullam* Unigenitus, *cum reliquis propoſitionibus, meritò damnatæ fuerint:* 1*ma.* 4*ta.* & 5*ta.* 6 Negativa *Decalogi præcepta; alia* affirmativa *ſub ſe continent, & èontra.* 7 *Obſervatur diſcrimen, quod Theologi ſtatuunt inter præcepta* negativa & affirmativa. 8 *Decalogi præcepta, utpote naturalia: etiam ante* Moyſen, *omnes gentes obligabant.*

De-

1 DEcalogus Vox Græca, latinè, idem eſt, ac *decuplex verbum*, vel *ſermo*; eò quòd decem complectatur præcepta Divina, mentibus quidem hominum naturaliter indita, aſt pravis moribus & diuturnâ perverſitate, adeò obſcurata; ut Author naturæ, illa, miniſterio *Moyſis* innovare, & populo primùm Iſraëlitico tradere, ac deinceps toti humano generi patefacere neceſsùm duxerit. Hac de re fit mentio *Deuteron.* 4. *Locutus eſt Dominus ad vos de medio ignis, ut oſtendat vobis pactum, quod præcepit, ut faceretis, & Decem verba, quæ deſcripſit in tabulis lapideis* &c.

2. Decalogum, legum omnium moralium *ſummam* & epitomen eſſe; Divus Pater *Auguſtinus, quæſt.* 140. *ſupra Exod.* demonſtratum fecit; & ex eo *D. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. ac *Doctor ſubtilis in* 3. *Diſt.* 37. *quæſt. unic. à num.* 5. probavêre, quòd omnia præcepta *moralia* homini ad ſalutem neceſſaria, *actu* vel *virtute*, in Decalogo contineantur. Sicut autem multa, quæ locutus eſt Dominus, duabus lapideis tabulis *Moyſi* porrectis, comprehenduntur; ita rurſus decem illa præcepta, ad duo primordialia mandata, dilectionis, ſcilicet: *Dei* & *proximi*, ex quibus tota lex pendet & Prophetæ, reducuntur.

3. Decem Dei mandata, ſecundùm Divum Patrem *Auguſtinum, quæſt.* 71. *in Exod.* & receptam in Eccleſia doctrinam, ita in duas tabulas redacta intelliguntur; ut Præcepta *primæ tabulæ*, paſſim & meritò aſſignentur, priora *tria* hominem ad Deum, in ſanctitate ordinantia, videlicet: *Non habebis* &c. *Non aſſumes* &c. *Memento* &c. *Secundâ* verò *tabulâ* exprimantur reliqua *ſeptem*, hominem dirigentia ad juſtitiam ac æquitatem proximo exhibendam. Videlicet: *Honora patrem* &c.

4. Inter cætera, quæ animos hominum ad Decalogi obſervantiam impellere debent, illud maximam vim habet; quòd Deus ſit legis iſtius Author. Quamvis enim per Angelos data eſſe dicatur; nemo tamen dubitare poteſt, ipſum orbis & totius naturæ Conditorem, ejus eſſe Authorem. Unde ei non ideo parendum, quòd per *Moyſen* promulgata ſit; ſed, quia omnium animis ingenita, & per filium Dei incarnatum, confirmata atque expoſita fuit. In hujus rei argumentum, Deus, cùm per Prophetas jubebat legem ſuam obſervari, disertè dicebat; ſe eſſe ejus Authorem. Siquidem *Exod.* 20. in Decalogi exordio dicebat: *Ego ſum Dominus Deus tuus* &c. Et, ut totus retrò mundus ſciret, quanta cum veneratione, lex illa ſuſcipienda & explenda foret; ideo *Exodi* 19. Dei juſſu dictum eſt omnibus; ut triduò ante legis iſtius promulgationem, veſtimenta lavarent, uxores non attingerent; quò ſanctiores & paratiores eſſent, ad accipiendam, tertio die, legem. Quinimò, cùm jam populus ad montem *Synaï* eſſet adductus, unde Dominus legem *Moyſi* erat conſignaturus; ſoli *Moyſi* dictum eſt, ut in montem aſcenderet: quò Deus cum ſumma Majeſtate venit, & locum tonitruis, fulgoribus, igne, denſiſque nebulis circumfudit, & loqui cum *Moyſe* dignatus eſt; id quod divinâ ſapientiâ, nullam aliam ob cauſam, factum eſt, niſi, ut nos moneret, caſto, humilique animo, legem Domini accipiendam eſſe; &, ſi præcepta tranſgrederemur; paratas nobis à Divina juſtitia, imminere pœnas.

5.

Digitized by Google

5. Fuere hæretici & nunc ſub larva Catholicorum, dantur præſertim in confœderatis Hollandiæ Provinciis *tenebriones* & *hypocritæ* peſſimi, qui Decalogi mandata, aiunt eſſe ſervatu impoſſibilia. Hos ſacra *Tridentina Synodus*, *ſeſſ. 6. de juſtificat. cap.* 11. & *can.* 18. 19. & 20. damnavit, & etiamnum cum *Clemente XI. Pontifice Maximo*, in bulla, *unigenitus* (à verbo initiali, ſic nuncupatâ) univerſalis anathematizat Eccleſia.

Dicet fortè *Queſnelli* magìs, quàm *Cornelii Janſenii* ſectator: Nullus noſtrûm docet mandata Dei, homini lapſo & peccatori eſſe ſervatu impoſſibilia. Hoc nobis affingitur convitium, ſed aſſerti veritas, nullibi probata fuit.

Examinemus, ſi lubet, è centum & una propoſitionibus, vel ipſam ordine *primam*, ex damnatis, in memorata Bulla. En genuina verba: *Que reſte-il à une ame, qui a perdu Dieu & ſa grace, ſi non le peché & ſes ſuites, une orgueilleuſe pauvreté & une indigence pareſſeuſe, c'eſt à dire; une impuiſſance generale au travail, à la priere, & à tout bien?* Id eſt: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas & ſegnis indigentia, hoc eſt; generalis impotentia ad laborem, ad orationem & ad omne opus bonum.*

Adjungamus huic primæ propoſitioni inibi proſcriptæ, *quartam* & *quintam*. *Quarta* ſic ſonat: *Ouy Seigneur! tout eſt poſſible à celui, à qui vous rendez tout poſſible, en le faiſant en lui.* Id eſt: *Ita Domine! omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.* *Quinta* ſic habet: *Quand Dieu n'amollit pas le cœur, par l'onction interieure de ſa grace; les exhortations & les graces exterieures ne ſervent, qu'à l'endurcir d'avantage.* Id eſt: *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ; exhortationes & gratiæ exteriores non ſerviunt, niſi ad illud magìs obdurandum.*

Author *Exaplorum* nititur defendere primam propoſitionem damnatam, per prætenſam conformitatem cum verbis *S. Gregorii*, quem in hæc verba locutum aſſerit: *lib.* 1. *Homil.* 9. *in cap.* 2. *Ezechielis*, *n.* 2. *Nihil habemus ex nobis, niſi malum; Deus eſt, qui in nobis ponit bonum, illud nobis inſpirando.* Cum genuinus textus ibid. ſic ſonet: *Mala, ſolummodò noſtra ſunt: bona autem noſtra, & omnipotentis Dei ſunt, & noſtra; quia ipſe aſpirando nos prævenit, ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur, ne inaniter velimus.* Ubi vides *S. Gregorium* docuiſſe quidem; malum non niſi à nobis procedere, aſt falsò ipſi tribui, quòd ſenſerit: *Nos non habere ex nobis, niſi malum.* Sanè, multum inter ſe diſcrepant hæc duo: *Nos ſoli operamur malum, dum illud operamur. Nos ex nobis ipſis, nihil niſi malum operamur.* Primum eſt verum, ſecundum verò falſum, & adæquatè coïncidit cum propoſitione 35*ta.* in *Bajo* proſcripta, quæ hujus eſt tenoris: *Omne quod agit peccator vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Porrò *S. Gregorius*, *loc. cit.* nihil aliud docere intendit; quàm, quòd bona & à Deo omnipotente, & à nobis profluant: *omnipotentis Dei ſunt* (ait) *& noſtra*, ut oſtendat, liberum arbitrium, gratiæ divinæ cooperari. Cæterùm, falſa eſt illa propoſitio *Queſnelliana*; quia vult, quòd peccator omni careat poteſtate revertendi ad Deum, etiam per orationem, & ope illius, obtinendi auxilia ad recuperandam gratiam neceſſaria, quod erroneum eſſe liquet, ex illo *Lucæ* 18. ubi Publicanus per ſuam orationem: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* impetravit; ut juſtificatus deſcenderet. Fruſtra alioquin etiam Deus *Joëlis cap.* 1. hortatus fuiſſet

fuiſſet peccatores: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu & in planctu, & ſcindite corda veſtra & non veſtimenta noſtra. Convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ & præſtabilis ſuper malitia.* Unde *D. P. Auguſtinus, homil.* 43. *c.* 6. inquit: *Nolite deſperare peccatores ... Orate ... incumbite orationibus peccatores: confitemini peccata veſtra: orate, ut depellantur, orate, ut minuantur: orate, ut nobis proficientibus, ipſa deficiant.* Quæ prorſus inutiles eſſent exhortationes, ſi, ùt *Queſnellus* & ejus ſectatores blaterant; in peccarore nihil remaneret, præter generalem impotentiam ad omne opus bonum & conſequenter ad implenda mandata Dei. Tametſi enim *peccatum mortale tollat gratiam gratum facientem* (inquit *D. Thomas* 1. 2. *q.* 10. *art.* 4. *in Corpore*) *non tamen totaliter corrumpit bonum naturæ. Unde infideles ... bona opera* (ſcilicet *moraliter* talia) *ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt.* Quinimò *Deus* [inquit *S. Doctor*, 3. *p. q.* 89. *art.* 2. *ad* 3.] *recordatur bonorum, quæ quis facit in ſtatu peccati, non ut remuneret in vita æterna, quæ debetur vivis operibus, id eſt: ex charitate factis, ſed remuneret ea, temporali remuneratione.*

In eundem errorem labitur ſupra relata propoſitio *quarta*; quæ latentur vult, quòd mandatorum omnium obſervatio, ſit impoſſibilis, niſi Deus per gratiam *efficacem*, obſervantiam illam in nobis operetur. Quæ doctrina Deo benigniſſimo injurioſa eſt; & Deus injuſtitiæ argui poſſet, ſi puniret præceptorum ſuorum tranſgreſſores, licet illa, defectu auxilii, implere nequiviſſent. Firmiter itaque cum Eccleſia Catholica tenendum eſt; non ſolùm ei, in quo Deus mandatorum obſervantiam, per efficaciam gratiæ ſuæ, operatur; ſed cuicunque etiam rebelli, poſſibilem eſſe eorundem mandatorum expletionem.

Quintam ſupra poſitam propoſitionem damnatam, ut defenderet Author *Exaplorum*, *pag.* 152. adducit textum *S. Pauli ad Galat.* 3. ℣. 19. quem ſic gallicè falſificavit: *La loi a-été établie, pour faire des prevaricateurs, jusqu'à l'avenement de ce fils, que la promeſſe regardoit.* Quæ verba latinè ſic ſonant: *Lex poſita eſt ad faciendos prævaricatores, uſque ad adventum iſtius filii, quem promiſſio reſpiciebat.* Cùm *S. Paulus* non dixerit; legem poſitam fuiſſe *ad faciendos prævaricatores*; ſed, quòd *lex propter tranſgreſſiones poſita eſt.* Ubi nota pruritum & temeritatem profugorum è Gallia Gallorum, nunc in Hollandiæ Provinciis, Sedi Apoſtolicæ oblatrantium. Ut enim errorem ſuum ſcandaloſiſſimè defendant; in ipſos etiam Sacræ Scripturæ, multò frequentiùs verò, Sanctorum Patrum textus, ſacrilegas manus protendunt. Cæterùm; ideo meritò propoſitio ſupra relata, proſcripta fuit; tum, quia obdurationis calumniam impingit gratiis omnibus exterioribus, ſi videlicet interior gratiæ unctio, id eſt, gratia *efficax*, *victrix* & *prædominans*, ſociata non fuerit. Tum, quia; licet ſolæ gratiæ exteriores, peccatoris converſionem operari non valeant; ad aliud tamen, *quàm ad cor magìs obdurandum*, inſerviunt; juvant enim ad præjudiciorum falſorum diſpulſionem, officii commonent; conſcientiæ ſtimulos acuunt, ac prohibent; ne peccator vitiis obdormiſcat. Tantum igitur abeſt, ut gratiæ externæ, peccatorem de ſe obdurent; ut potiùs in illo pudoris & miſeriæ ſenſum excitent, eundémque ad eluctandum, cum divinæ gratiæ auxilio, diſponant ſaltem tanquam *removens prohibens*, ùt ſcholæ loquuntur. His incidenter dictis; redeamus ad propoſitum.

6.

6. Decalogi præcepta, tametſi juxta litteralem verborum ſonum, omnia ferè proponantur, ùt præcepta *negativa*, ſeu, ùt prohibentia, ſub negationibus: *Non habebis Deos alienos. Non aſſumes. Non occides.* &c. præter *tertium* & *quartum*; quæ, ùt *affirmativa* & præcipientia proponuntur: *Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices. Honora Patrem &c.* reipsâ tamen *affirmativa* & *negativa* ſunt; ita, ut quodvis *affirmativum*, involvat *negativum*, in eadem materia oppoſitum; & ſimiliter, quodvis *negativum*, includat *affirmativum*. Sic primum præceptum negativum: *Non habebis Deos alienos coram me.* Includit hoc affirmativum. *Me ſolum habebis verum Deum, méque ſolum, ùt Deum, adorabis.* Sic pariter ſecundum negativum: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui invanum:* importat hoc affirmativum: *Aſſumes nomen Domini Dei tui in reverentia, juſtitia & veritate.* Idem cum proportione de aliis. Econtra tertium præceptum affirmativè expreſſum: *Memento: ut diem Sabbathi ſanctifices.* Includit hoc negativum: *Ne diem Sabbathi profanè violes.* & ſic de aliis.

7. Juxta communem Theologorum doctrinam, Præceptorum *affirmativorum* ſeu præcipientium, ea indoles & conditio eſt, quòd obligent quidem *ſemper*, quia nunquam obligare ceſſabunt, ſed non *pro ſemper*, ſive omni temporis differentiâ. Idque ex ratione; quia ea Præcepta jubent agere bonum, non autem quodvis bonum, quovis tempore fieri debet aut poteſt, ſed ſolùm ſtatuto aut certo tempore, vel datâ occaſione. Non enim omni tempore ab operibus ceſſandum ſervilibus, ut Deus colatur, ſed tempore ſtatuto. Non ſemper ſeu continuò, ſed data occaſione, parentes honorandi. &c. Præcepta verò *Negativa* obligant & *ſemper* ſeu in perpetuum, & *pro ſemper*, ſeu pro omni temporis differentia. Siquidem ea præcepta prohibent fieri malum, quod nullo tempore facere licet, & à quo, quovis momento abſtinere poſſumus & debemus. Porrò; peccata, contra Præcepta affirmativa, vocantur peccata *Omiſſionis*: contra præcepta verò negativa; dicuntur peccata *commiſſionis*.

8. Ex dictis facilè intelligitur, quòd Decalogus omnium ætatum homines, ſeu omnes ſub ſole mortales obliget. Quamvis enim hæc lex Judæis in monte, à Domino fuerit data; tamen ejus vis ad omnes peræquè ſe extendit, ſicuti natura rationalis omnibus communis eſt. Unde impiè errant; qui noſtris etiam temporibus dicere non verentur; quòd lex ſive facilis ſive difficilis ſit, ad ſalutem tamen non ſit neceſſaria Horum nefaria ſententia refellitur per *Apoſtolum* dicentem 1. *Corinth.* 7. non præputium, non circumciſionem, *quidquam* eſſe; ſed obſervationem mandatorum Dei. Tametſi etiam juſtificari poſſit homo & ex impio fieri pius, antequàm ſingula legis præcepta externis actionibus impleverit; tamen fieri non poteſt, ut, qui per ætatem, rationis uſu pollet, ex impio fiat juſtus, niſi animum habeat paratum, ad ſervanda omnia mandata Dei.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE

Primo Decalogi Præcepto.

Quod his verbis exprimitur Exodi cap. 20.

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Egypti & de domo ſervitutis; non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem &c. Non adorabis ea; neque coles.

SUMMARIUM.

1 E*xponitur ſenſus Myſticus verborum:* qui eduxi te &c.

2 *Religio trifariàm capi poteſt*

3 *Actus Religionis, alii* eliciti, *alii* imperati.

4 *Sola creatura rationalis deprecari poteſt.*

5 *Oratio, quatenus effectum habeat infallibilem?*

6 *Oratio qualiter & quando adultis neceſſaria?*

7 *Pro quibus orare liceat?*

8 Purgatorium *non eſſe commentum* Papæ *aut* Monachorum, *ad hominem probatur.*

9 *Religioni, quædam per* exceſſum, *quædam per* defectum, *opponuntur vitia.*

10 *Quid & quotuplex ſit* Superſtitio?

11 Idololatria *quid?*

12 *Quotuplex ſit cultus?*

13 Magia *quotuplex?*

14 *De quibus criminibus* Sagæ & Magi *ſint interrogandi?*

15 *Maleficium quid, & quotuplex?*

16 *Quo pacto, Maleficium licitè tolli poſſit?*

17 Divinatio *quid? Quatenus Dæmon cognoſcat futura libera?*

18 *Variæ enumerantur ſpecies* Divinationis.

19 *Quantoperè* Auguria & ſuperſtitioſæ

Digitized by Google

ſtitioſæ Divinationes, *olim legibus etiam Imperatorum Ethnicorum, fuerint vetitæ?*

20 Divinationis *per pactum implicitum cum Dæmone, variæ recenſentur ſpecies.*

21 Sortilegium *deſcribitur.*

22 Divinatio *per Aſtra, An & quatenus licita?*

23 *Quid ſentiant Theologi de* Aſtrologia Judiciaria? *item de* Phyſiognomia?

24 *Quid de* obſervantia Somniorum?

25 *Quotuplices ſint* Sortes?

26 Sortes diviſoriæ, *quibus caſibus ſint licitæ?*

27 Sortes conſultatoriæ *quid, & quandònam permiſſæ?*

28 Sortes divinatoriæ *quid, & cur prohibitæ?*

29 Vana obſervantia *deſcribitur, ejúſque ſpecies adducuntur.*

30 Tentatio Dei *quid, & quotuplex?*

31 Sacrilegium *quid, & quotuplex?*

32 *Quinam non gaudeant Aſylo Eccleſiaſtico?*

33 *Sacrilegium* reale *variis gradibus & modis patratur.*

34 *Jure Canonum, Sacrilegium* locale *committitur, ſi res etiam non ſacra auferatur è loco ſacro.*

35 Simonia, Simone Mago *antiquior, ab illo tamen nomen retinuit.*

36 *Quid intelligatur per* munus à manu?

37 *Intuitu Conſanguinitatis, alteri conferens Beneficium Eccleſiaſticum, non committit ideo præcisè Simoniam.*

38 *Quid ad committendam Simoniam requiratur?*

39 *Exponitur ſenſus propoſitionis, in hac materia, damnatæ.*

40 *Quid veniat nomine* muneris ab Obſequio?

41 *Quid importet* munus à Lingua?

42 *Collator precibus inductus, An Simoniæ labem contrahat?*

43 *Uti potentis viri interventu, ad conſequendum Beneficium, num ſapiat Simoniam?*

44 *Simonia, ex genere ſuo, peccatum mortale eſt, non admittens materiæ parvitatem.*

45 *Simonia, alia prohibita,* quia mala; *alia mala,* quia prohibita.

46 *Solvitur Objectio.*

47 *Simonia* Mentalis, Conventionalis & realis *deſcribitur & oſtenditur* confidentialem *non conſtituere ſpeciem diſtinctam.*

48 *Quatenus tranſigi poſſit ſuper Beneficio litigoſo?*

49 *Epiſcopus poteſt ex cauſa tranſactionis, conſtituere penſionem ſolvendam ab eo, penes quem Beneficium manet.*

50 *Id tamen prævia partium conventione, fieri prohibitum.*

51 *Qua ratione, licitum ſit* ad redimendam vexam, *dare temporale, pro conſecutione rei ſpiritualis?*

52 *Vexatio injuſtè mota ſuper nuda poſſeſſione Beneficii, aut fructuum perceptione, abſque Simoniæ vitio, poteſt redimi.*

53 *Simoniaca eſt Præſentatio, facta*

ſub hac conditione: ut Præſentatus ſuis ſumptibus probet, jus præſentandi pertinere ad Præſentantem.

54 *Non minus Simoniaca eſt Reſignatio Beneficii magnis ſumptibus obtenti, ut* Reſignatarius *hujuſmodi impendia refundat.*

55 *Idem eſto de permutatione, ſub ea conditione, peractâ, ut alter ſolus ferat expenſas pro expeditione* Bullarum.

56 *Reſignatio Beneficii ſub annua penſione, aliter facta, quàm coram S. Pontifice, non vacat labe. Quo caſu, hujuſmodi Reſignatio fieri poſſit coram Epiſcopo?* ibid.

57 *Reſignatio in favorem* tertii, *an ſit licita, & quatenus expediri poſſit coram Epiſcopo?*

58 *Reſignationes* reciprocæ, *in favorem aliorum, haud rectè peraguntur coram Ordinario.*

59 *Quorum Beneficiorum permutationes, coram Ordinario fieri poſſint?*

60 *Penſionis legitimè conſtitutæ venditio aut redemptio, an vacet labe Simoniacâ?*

61 *Quid de penſionibus, quæ Laïcis vel Clericis, abſque titulo Beneficii, ex alia cauſa, conſtitutæ ſunt.*

62 *Abſque Simoniæ vitio, Penſio gratìs remitti poteſt.*

63 *Penſiones, intuitu functionum ſpiritualium peragendarum, conceſſæ, non poſſunt redimi abſque vitio.*

64 *Penſio, cum Beneficio permutari nequit.*

65 Papa, *quatenus poſſit Reſignanti aliunde locupleti, aſſignare penſionem?*

66 *In Beneficiorum, quò ad reditus, inæqualium, permutatione, non poteſt inæqualitas, pretio temporali compenſari.*

67 *Simonia* purè Mentalis *non ſubjacet pœnis Eccleſiaſticis fori externi.*

68 *Verius etiam eſt, Simoniam* purè Conventionalem *non plecti pœnis juris poſitivi.*

69 *Idem dicendum videtur, ſi conventio fuerit ex parte ſolius* ementis *ſeu* dantis *pretium, completa: diverſum verò, ſi ex parte* ſolius vendentis, *completa fuerit, nondum etiam accepto pretio.*

70 *Nedum Simonia jure divino, ſed etiam quæ jure duntaxat Eccleſiaſtico inducta eſt, ſubjacet pœnis Canonicis.*

71 *Quin & ante omnem judiciis ſententiam, dimittendum eſt Beneficium ſimoniacè obtentum, idque cum fructibus tam exſtantibus, quàm malâ fide conſumptis.*

72 *Non tamen reſtituenda ſunt ſtipendia Miſſarum aut laborum perſonalium, quibus accenſeri non poſſunt* diſtributiones quotidianæ *utpote fructus Beneficiales.*

73 *Pœnæ in Simoniacos decretæ, obtinent etiam in Simonia* occulta.

Digitized by Google

74 *Quod adeò verum, ut hujuſmodi pœnæ teneant etiam illos Beneficiatos, quibus ignorantibus, Simonia per alium fuit commiſſa. Quod tamen limitatur in caſu, quo per alterum malitioſè fuerit commiſſa, aut: quo Beneficiatus de Simoniâ per alterum commiſsâ certificatus, mox reclamaverit.*

75 *Approbans ex poſt Simoniom ab alio commiſſam, non privatur ipſo jure, ſed ſolùm per ſententiam, privandus eſt Beneficio.*

76 *Alioquin Simonia ſpontaneè commiſſa, ipſo jure inducit privationem Beneficii.*

77 *Qui per triennium bonâ fide poſſedit Beneficium, in quo alter Simoniam commiſit,* Regulâ de Triennali, *tutus eſt etiam in conſcientia.*

78 *Occurritur Objectioni.*

79 *Proviſionis irritatio, in pœnam Simoniæ invecta, ad quæ Beneficia ſeſe extendat?*

80 *Sola Beneficia ſimoniacè obtenta, non autem alia ſacra reſtituenda aut dimittenda ſunt: ubi ſolvitur* Inſtantia.

81 *Profeſſio Religioſa, quam inficit Simonia, non eſt ipſo jure* nulla: *& Monaſterium retinere poteſt ſimoniacè accepta pro ingreſſu.*

82 *Quænam geſta ſimoniacè proviſi ſint, ipſo jure* irrita?

83 *An & cui reſtituendum ſit pretium ſimoniacè acceptum?*

84 *Obligatio reſtituendi ſimoniacè accepta, unde oriatur?*

85 *Rejicitur ſententia* Suarezii *&* Zoëſii:

86 *Jure naturali, pretium ſimoniacè acceptum, danti reſtituendum.*

87 *Idem eſt de pretio per injuſtam vexationem extorto.*

88 *Item: de pretio per Simoniam* puré Mentalem *obtento.*

89 *Quid operetur* Papalis diſpenſatio *circa Simoniam?*

90 Noſter Chriſtianus Lupus *probat Beneficiorum nundinationem, ante conditos Canones fuiſſe vetitam.*

91 *S. Pontifex diſpenſare poteſt in Simonia juris purè Eccleſiaſtici.*

92 *Uſus* Annatarum *antiquus.*

93 Annatæ *quid ſint?*

94 *Jus exigendi* Annatas, *ubi & quatenus Pontifici reſervatum manſerit in* Germania *poſt pacem* Monaſterienſem?

95 Annatæ *qualiter præſtentur in* Germania. 96. Annatarum *exactio ab omni labe aliena eſt.* 97. *Quatenus conſuetudine queat honeſtari exactio temporalis pro ſpirituali.* 98. *Satisfit Objectionibus.* 99. *Super reſtitutione pretii ſimoniacè accepti. An & quatenus Pontifex diſpenſare queat?* 100. *Quis diſpenſet ſuper pœnis Simoniæ, & qualiter in praxi, petenda ſit diſpenſatio?*

101 *In* Gallia *non admittitur* compoſitio ſuper fructibus.

102 *Cauſæ Simoniacæ ſpectant ad forum Eccleſiaſticum.*

103 *Quis ad accuſandum in his cauſis admittatur?*
104 *Beneficia Simoniacorum tanquam Vacantia impetrari poſſunt.*
105 *Primo Decalogi Præcepto ſolus Deus* latreuticè *coli jubetur.*
106 *Non prohibetur tamen cultus* duliæ *Sanctis exhiberi.*
107 *Adorationis nomen bifariàm capitur in Sacris Litteris.*
108 *Adoratio largè ſumpta pluribus modis exercetur.*
109 *Qualis cultus prohibeatur exhiberi creaturæ? Ubi N.* 110. *prolixè refutantur Hæreticorum objectiones & Catholica veritas ſtabilitur.*
111 *Sanctorum invocatio à calumniis Hæreticorum vindicatur.*
112 *Definitio* Conc. Trid. *contra* Iconomachos *modernos.*
114 *Imago quarum rerum & quam ob cauſam, effigiari ſoleat? Item: qua ratione, quove reſpectu, à Catholicis colantur Imagines Sanctorum?*
114 *Refutatur præcipua Hæreticorum objectio.*
115 *Utrum Sanguis Chriſti, qui in ejus paſſione defluxit: Item: an Sanguis aut Caro, quæ in Sacramento Altaris miraculosè apparuit, abſolutè adorari poſſit?*
116 *Quo cultu venerandæ ſint Sanctorum Reliquiæ?*

---

1 Conditor totius naturæ, ut nobis legum ſuarum reverentiam & obſervantiam ingereret, ſic præfatus eſt: *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Licet autem ſequentia verba: *Qui eduxi te de Terra Ægypti, de domo ſervitutis.* Videantur tantùm convenire Judæis, Ægyptiorum dominatu libertatis; equidem, ſi interiorem ſalutis univerſæ rationem ſpectemus; multò magìs ad Chriſtianos pertinent, qui non è ſervitute Ægyptiaca, ſed è peccati regione & poteſtate tenebrarum, à Deo erepti, atque in filios & hæredes Regni Cœleſtis adoptati ſunt. Quò reſpiciens *Jeremias cap.* 16. ſic vaticinatus eſt: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de Terra Ægypti; ſed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de Terra Aquilonis & de univerſis Terris, ad quas ejeci eos, & reducam eos in Terram ſuam, quam dedi Patribus eorum. Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos &c.*

2. Primo hoc Decalogi præcepto, cùm æquivalenter ſit *affirmativum* & *negativum*, commendatur verus Dei cultus, & prohibetur falſus & falſorum Deorum; proinde pro illius expoſitione, primò tractabimus de *Religione* & actibus ejus; deinde perſcrutabimur illa vitia, quæ veræ Religioni opponuntur. Tripliciter quidem accipi poteſt Religio, videlicet 1*mò*. pro profeſſione Cultûs Divini omnibus communi, per quam homo, quantùm requirit ſalutis neceſſitas, Dei ſervitio

tio mancipatur, ut nunc Religio Chriſtiana, & olim Judaïca. *2dò.* Capitur pro ſtatu hominum, Deo ſpecialiter per tria vota ſolemnia: *Paupertatis*, *Obedientiæ*, & *Caſtitatis*, conſecratorum; ùt Religio *Auguſtiniana*, *Franciſcana* &c. *3tiò.* Pro virtute *morali*, inclinante hominem ad reddendum cultum Deo debitum, propter ſupremam ejus Excellentiam. Propter Excellentiam *inquam* ejus ſupremam. Nam cultus Sanctis exhibitus, propter excellentiam inferiorem & creatam; non eſt actus Religionis, ſed *Duliæ*; niſi cultus exhiberetur Sanctis, propter ipſam Dei excellentiam, in ipſis, tanquam in templis ejus, relucentem. Similiter; ſi Deo exhibetur cultus ex alio capite & motivo, non eſt actus Religionis, ſed vel pietatis, vel gratitudinis, proportionatè ad motivum. De Religione, tertio hoc modo ſumpta, hîc nobis agendum.

3. Actus ejus, alii ſunt *eliciti*, ùt: volitiones colendi Deum: alii *imperati*, ùt adoratio, votum, juramentum *&c.* Rurſus alii ſunt *interni*; ùt devotio, oratio mentalis: alii *externi*; ùt genuflexio, capitis inclinatio, ſacrificium, oblatio &c.

4. Per *devotionem* intelligitur fervor & promptitudo voluntatis ad colendum Deum. *Oratio* verò propriè, eſt mentis in Deum elevatio, ſeu actus Religionis, quo creatura intellectualis, decentia à Deo poſtulat. Ubi Nota *tò*: *creatura intellectualis*: Quia, ſicut illi ſoli competit ex cognitione ſuæ ſubjectionis & ſupremæ Dei excellentiæ, aliquid boni, ſibi, aut alteri exſpectare; ita & orare. Unde orant Angeli, Beati, Viatores, animæ purgatorii, imò & Chriſtus, *ùt homo*: juxta illud: *Joan.* 14. *Ego rogabo patrem* &c. licet ad vitandum ſcandalum, non ſoleamus dicere: *Ora pro nobis Chriſte.* Non tamen orat, *ùt Deus*; quia, quà talis, nullum agnoſcit ſuperiorem; & ideo, quando ad *Rom.* 3. dicitur Spiritus S. orare pro nobis; intelligitur in ſenſu *cauſali*, quatenus facit, ut poſtulemus. Porrò, damnati, licent poſſint petere; non tamen orare, defectu pii affectûs in Deum, quem ſemper oderunt.

Dices: Nónne Orationes noſtras etiam dirigimus ad Divam Virginem aut Sanctos? ℞. ad illos dirigi Orationes *tranſitivè* duntaxat, *terminativè* & *ultimatè* verò dirigi in Deum.

5. Oratio facta humiliter, devotè, inſtanter, & de rebus nobis ſalutaribus, efficaciam habet infallibilem, ùt patet ex promiſſione Chriſti *Matth.* 7. & *Luc.* 11. *Ego dico vobis*, *petite & dabitur vobis*, & *Marc.* 11. *Dico vobis*; *omnia quæcunque orantes petitis*, *credite*, *quia accipietis.* Unde, quòd quidam precantes non exaudiantur, ex eo proficiſcitur; quòd vel malè petant, juxta illud *Jacobi* 4. *Petitis & non accipitis*, *eò quòd malè petatis*, vel, quòd petant noxia ſaluti. *Novit enim Medicus* (ait *S. P. Auguſtinus tract.* 73. *in Joan.*) *quid pro ſua*, *quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus*, *& ideo contraria poſcentis non facit voluntatem*, *ut faciat ſanitatem.*

6. Oratio adultis neceſſaria eſt ad ſalutem, idque neceſſitate præcepti tum *poſitivi*, tum *naturalis*; imò & ſæpe, neceſſitate *medii*. Neceſſitatem præcepti, Sacra Scriptura variis locis inſinuat. Ut *Lucæ* 18. *Oportet ſemper orare. Ad Coloſſ.* 4. *Orationi inſtate.* 1. *ad Theſſ. cap. ult. Sine intermiſſione orate Ad Epheſ.* 6. *Orantes omni tempore.* Ubi tamen obſerva: quòd Sacra Scriptura, interprete *S. P. Auguſtino. Hæreſ* 57. per *ly*: SEMPER, SINE INTERMISSIONE, & OMNI TEMPORE, in textibus allegatis, indigitare velit: *frequenter* eſſe orandum; niſi malis, orationem impropriè accipere, proquo-

quolibet bono opere, ita; ut ſenſus ſit: oportere *ſemper* bene facere; ſeu, *nunquam* malè agere. Quo ſenſu dixit *D. Bonaventura, in 4. Diſt. 32. dub. 5. Non ceſſat orare, qui non ceſſat bene facere.* Cæterùm, *Neceſſitate præcepti naturalis* orandum eſſe, inde evincitur; quia jus naturæ poſtulat, ut Deum quandoque per actus Religionis honoremus: inter illos autem actus, frequentiſſimus debet eſſe oratio, quâ variis neceſſitatibus preſſi, aut bona à Deo petimus, aut mala deprecamur. Quòd & ſæpe, *neceſſitate medii*, orandum ſit, Probatur ex eo, quòd licet divinæ gratiæ *ſufficientis* auxilia, ad vincendas tentationes & ſervanda Dei præcepta, neceſſaria, quandoque dentur aut offerantur non petentibus; ordinariè tamen non tribuantur, niſi petentibus. Quò collimat illud *Jacobi* 4. *Non habetis? propter quod non poſtulatis?* Orationis obligationem & neceſſitatem, à ſimili, oſtendit *S. Chryſoſtom. lib. 2. de orando Deum. Si te ipſum* (inquit) *deſtitueris precatione, perinde feceris, ac ſi piſcem ex aqua extraxeris: ut enim piſci, vita, eſt aqua; ita tibi deprecatio.*

Licet autem nullum ſit tempus determinatum, quo præceptum orationis per ſe obliget; non infundatè tamen *Wiggers* & alii ſentiunt; eum, vi hujus præcepti, graviter peccaturum; qui octiduum tranſigeret abſque ulla prorſus oratione mentali aut vocali. Præterquàm enim, quòd Sabbathina, nunc Dominica dies, ſit per actum Religionis ſanctificanda; noſtra tamen à Deo dependentia, & divina excellentia poſtulant, ut Divinam Majeſtatem, ſaltem ſemel in hebdomade, adoremus præcipuè, cùm S. Scriptura adeò vehementer nobis orationem inculcet.

Prætereà, per accidens, obligamur ad orationem, quoties imminet grave periculum mortis, aut neceſſitas premit recuperandi gratiam amiſſam, aut obligatio nos tenet, proximum precibus adjuvandi vel tentationem, præſertim gravem, ſuperandi.

7. Porrò, preces noſtras effundere poſſumus pro omnibus, qui necdum ſunt *in termino*, adeóque non tantùm pro nobis, ut ſalvemur; ſed etiam pro aliis, ſive bonis & juſtis, ut in juſtitia proficiant & perſeverent; ſive peccatoribus & ſceleratis, puta: *Paganis*, *Turcis*, *Schiſmaticis*, *Hæreticis*, *Excommunicatis*, & generaliter pro omnibus etiam peſſimis, ut convertantur & ad ſaniorem mentem, meliorémque vitæ frugem revocentur. Si enim tenemur proximo indigenti, impertiri eleëmoſynam, & erranti impendere correctionis fraternæ beneficium, quidnî & orationis ſuffragium?

Dictum: *Qui necdum ſunt in termino.* Siquidem, non eſt orandum *pro Sanctis*, cùm ſint in Cœlo. Unde dixit *D. P. Auguſtinus*; *Injuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre.* Neque precandum *pro damnatis*, cùm ſint in inferno, ubi nulla redemptio. Unde fabulis accenſetur, quod de *Trajano*, precibus *S. Gregorii*, ex inferno, liberato, narratur. Orandum tamen eſt pro animabus *purgatorii*; quia, licet ſint in termino propriis actibus merendi vel demerendi; non tamen in termino *manſionis*, & participandi precum noſtrarum ſuffragia.

8. Novatores hæretici, blaterantes *Papam* & *Papiſtas* effinxiſſe purgatorium, ut Chriſti fideles, ad elargiendas in ſolatium animarum eleëmoſynas, propellerent, & Monachos præcipuè augerent, laïcos verò emungerent; rejecerunt è catalogo Sacrorum Librorum, illos, qui hiſtoriam complectuntur *Machabæorum*; quia *lib. 2. cap. 12. Machab.* diſertè recommendatur oratio pro animabus defunctorum, ut à peccatis, ſcil. *venialibus* & pæ-

Digitized by Google

pæna, pro culpis mortalibus remiſſis, adhuc debita, liberentur. Quàm impiè autem & falsò, hanc calumniam *Papæ* & *Papiſtis* affricent, vel inde patet; quòd tota Judæorum antiquitas, in hunc uſque diem, credat, exſtare *Purgatorium*, & preces Deo offerat in refrigerium animarum corporibus ſolutarum. Quo argumento aliquando inſigniter *Lipſiæ* confudi & refutavi, quendam juris-peritum, *Berman* nuncupatum. Dum enim mihi objiciebat, quod *Papa* in gratiam mendicantium Monachorum præcipuè, ſuſcitâſſet purgatorii commentum; accerſebam Judæorum quendam *Rabbinum*; quo aſſeverante, Judæos ſemper crediſſe purgatorii exiſtentiam; jam vade! regerebam, & impugna Judæorum antiquitatem; deſine verò, cum *Luthero* ac *Calvino*, debacchari in Summi Pontificis Sanctitatem, & ex voto paupertatis voluntariæ, Monachorum mendicantium humilitatem. Hoc levi, ad hominem, argumento, ita attonitum reddidi memoratum Juris-peritum, ut ne verbum, in contrarium eructare potuerit, ſed errorem ſuum, hac in parte, agnoſcere debuerit.

9. Religioni, utpote virtuti morali, adeóque in *medio* conſiſtenti, quædam vitia opponuntur *per defectum*, ut: *Irreligioſitas* cum ſuis ſpeciebus; quædam *per exceſſum*, ut: *Superſtitio* cum ſuis. Dicitur autem Superſtitio *per exceſſum* oppoſita Religioni; non quia exceſſivum Deo cultum exhibet; ſed, quia cultum *latreuticum* exhibet, vel ei, cui non debetur; vel: ſi ei, cui debetur, alio tamen modo, quàm debeatur. De Superſtitione, ejúſque ſpeciebus, quæ ſunt: *Idololatria*, *Divinatio*, *Vana Obſervantia*, *Magia* & *Maleficium*; per ordinem, paucis, prout inſtituti noſtri ratio poſtulat, agemus.

10. *Superſtitio* ſic dicta: quaſi aliquid ſuper, ſeu ultra convenientem Deo cultum ſtatuens, deſcribitur: quòd ſit: falſa Religio, ſeu cultus vitioſus, quo vel creatura colitur tanquam creator, vel creator ipſe, modo indebito. *S. Thomas* 2. 2. *q*. 92. *art*. 1. Ex hac deſcriptione colligitur, quòd Superſtitio ſit duplex, una *rei cultæ*, quæ eſt *Idololatria*, de qua poſtea; altera *cultûs indebiti*; quæ eſt cultus vitioſus, vero Numini exhibitus. Hic cultus, alius eſt *falſus*; alius *ſuperfluus*; alius *indecens*. Primus ex genere ſuo eſt peccatum mortale, propter gravem irreverentiam Deo illatam. Secundus & tertius, aliquando pro rei gravitate aut levitate, mortale, vel veniale peccatum important.

Falſi cultûs reus eſt; qui falſas Reliquias hominum venerationi exponit; qui falſa miracula prædicat; qui prætextu miraculi falſi, aut beneficii, per interceſſionem alicujus Sancti, à Deo accepti, Anathemata, tabellas aut donaria, imagini alicujus Sancti, appendit; item; qui Judaïcis aut Mahumetanis cęremoniis, verum Deum colit; quia talis, factô ſuô, declarat, ſectas illas, eſſe veras, cùm tamen ſint falſæ. *Superfluum* exhibet: qui in divinis officiis, præſertim Miſſæ Sacrificio, certas preces aut cęremonias, præter Eccleſiæ conſuetudinem, ex indiſcreta & cerebrina devotione, intermiſcet; aut præcisè, tanti ponderis, tantíque numeri, candelas, vult accendi; aut exotico corporis ſitu, preces vult fundi. Qua in re Epiſcopi & Parochi, vigiles eſſe debent, ne cum ſcandalo & irriſione Hæreticorum, novi ritus & extravagantes geſticulationes, in proceſſionibus aut ſupplicationibus introducantur vel obſerventur. Porrò, ad cultum indecentem pertinet; laſcivas in Eccleſia cantilenas; aut pias quidem, ſed tono laſcivo, decantare.

11. *Idololatria* dicitur à cultu *Idoli*. Idolum autem generali ſignificatu, importat ſimulacrum repræſentativum cujuſlibet rei, ſive exiſtentis, ſive fictæ. Ubi tamen receptum, ut ad ſolam effigiem falſi Numinis coarctetur. Quamobrèm, Imagines Dei, Divæ Virginis, Sanctorum & Angelorum; non vocitantur Idola.

Idololatria latiùs ſumpta, capi poteſt, pro quolibet lethali peccato, quo quis creaturam intenſiùs amat, quàm creatorem; & ita; creatori creaturam anteponit, & quadantenus Idoli loco habet. Id quod non raiò accidit in parentibus intuitu liberorum; juvenibus, proſpectu puellarum; maritis, reſpectu conjugum. Verùm, nobis hîc ſermo, de Idololatria ſtrictiùs ſumpta; qualis primâ mundi ætate, ob recentem creatoris mundi memoriam & veri Dei cognitionem, invecta non fuit, ſed alterâ ætate, infeliciter cœpta dignoſcitur à NEMROTH, qui[1], ùt fertur; omnes *ignem* adorare cogebat; vel certè à NINO; qui Patris ſui effigiem adorari juſſit. Unde hoc impiiſſimum ſcelus, nedum inter Gentiles, & Judæos olim; ſed & etiamnum, inter Barbaras nationes invaluit.

Idololatria rigidè ſumpta, eſt Superſtitio, quâ cultus *Latriæ*, tribuitur creaturæ; ſeu: eſt cultus vel ſervitus, quæ Deo debita, creaturæ tribuitur.

12. DICITUR 1mò. Cultus *Latriæ*. Cultus enim generatim, in tres dividitur ſpecies, ſcilicet: *Latriam*, *Duliam* & cultum *politicum*. *Latria*, eſt cultus; qui non niſi ſupremæ & increatæ Divinæ excellentiæ reddi poteſt & debet. *Dulia*, eſt cultus Beatis debitus, ob excellentiam creatam ſupernaturalem, Divinâ quidem infinitè minorem, humanâ tamen naturali, majorem. Itaque Cultus *Duliæ*, eſt, quo coluntur Sancti, ob eorum ordinariam excellentiam ſupernaturalem gratiæ & gloriæ; & hic à Theologis vocatur Dulia *ſimplex*, ad diſtinctionem *Hyperduliæ*; quæ eſt cultus, quo ſpecialiter colitur Creatura Sancta, ob extraordinariam quandam excellentiam ſupernaturalem. Et hic cultus defacto, non niſi ſuperbenedictæ Virgini *Mariæ* exhibetur, ob duplicem prærogativam ſupernaturalem, videlicet: gratiæ & gloriæ ſingularis ſuper omnes Angelos & Sanctos; item: Maternitatis Dei, & proximæ conſanguinitatis cum Chriſto Dei filio. Eodem cultu *Hyperduliæ*, coli poſſet Chriſti humanitas, ſeorſim conſiderata à VERBO, ùt habet communis ſententia Doctorum cum *D. Thoma*, 3. *p. q.* 25. *art.* 1. & *Scoto, in* 2. *Diſt.* 25. adeò, ut Chriſto duplex exhiberi poſſit cultus; *Latriæ*, tanquam Deo, ob excellentiam Divinitatis; & *Hyperduliæ*, ùt homini, ob excellentiam ſupernaturalem maximam, ſupremæ nempe gratiæ *Unionis Hypoſtaticæ* cum VERBO, & gloriæ ſupereminentis. Attamen ob periculum hæreſis, duas in Chriſto perſonas effingentis; practicè & abſolutè, ſolùm adoratur cultu *Latriæ*. Porrò Cultus *politicus*, eſt, qui exhibetur homini, ob excellentiam purè naturalem, conſiſtentem in humanis virtutibus, dignitatibus, poteſtatibus *&c.* & talis cultus exhibetur Regibus, ſuperioribus, majoribus & viris eruditione conſpicuis.

DICTUM 2dò. *Tribuitur creaturæ*. Sive *animatæ*, ùt ſunt: Dæmones, animæ ſeparatæ, homines mortales, bruta; ſive *inanimatæ*, ut ſunt: Sol, Luna. &c. Debet autem coli creatura tanquam Deus; quia, ſi Cultus Divinus exhibeatur creaturæ, *ùt creaturæ*; graviſſimè quidem peccaretur; Idololatria tamen in rigore non patraretur.

Idololatriam ex genere ſuo, eſſe peccatum enormiſſimum, conſtat ex S. Scriptura: *Exod.*

Exod. 20. *non adorabis ea*, ſcilicet *exterius*: *Neque coles*, ſcilicet *interius*, prout exponit ibid *Gloſſa*. Et *Ratio* eſt; quia, ſicut in Republica, graviſſimè delinquit, qui honorem Regium, ipſámque Regis Majeſtatem, alteri attribuit; ita a fortiori, enormiſſime peccat, qui honorem ſoli Deo debitum, ipſámque Divinam Majeſtatem, quantum in ſe eſt, creaturæ defert, & ſe reum, læſæ Majeſtatis divinæ, facit.

13. *Magia* Religioni oppoſita, non eſt illa, quæ *Naturalis* dicitur, quáque nullo interveniente pacto cum Dæmone, per vires rerum naturalium occultas, mira quædam producuntur, ſed ea; quæ eſt ſuperſtitioſa; quâ videlicet Magus exotica quædam, ope Dæmonis, & ex pacto cum ipſo inito, operatur. Ex pacto inquam; ſive expreſſo, ſive tacito & implicito. *Ex pacto expreſſo*, mira producit; qui invocato Dæmone, & eodem reſpondente, ac rem petitam præſtare ſpondente, agit & opus aggreditur. *Ex pacto implicito* agere cenſetur, qui tentat aliquid producere, mediantibus iis, quæ virtute naturali, talem effectum operari nequeunt. Veluti: ſi quis certis verbis aut characteribus utatur, ad ſanitatem recuperandam. Hæc Magia toties committitur; quoties quis occultorum notitiam, vel alium effectum conſequi nititur, per ſigna vel media omnino impertinentia & vana, quæ ſcilicet neque ex natura ſua, neque ex inſtitutione Dei vel Eccleſiæ, habent aliquam peculiarem vim vel virtutem ad cauſandum talem effectum: ſive deinde illa ſigna vel media, aliquando, defacto, à Diabolo inventa vel determinata fuerint, nec ne. Etiamſi ergo ejuſmodi ſignis vel mediis utens, explicitè non ſciat vel agnoſcat, ea eſſe inſtituta à Dæmone, aut Dæmonem per illa operari; dummodò intelligat, ſigna vel media hujuſmodi neque ex natura ſua, neque ex Inſtitutione Divina, neque ex ordinatione Eccleſiæ, habere ullam virtutem aut vim, ad talem effectum cauſandum; eô ipsô, quo ea adhibet, convincitur, implicitè invocare Dæmonem, ejúſque opem implorare. Neque obſtabit vel excuſabit proteſtatio, quòd nullum omnino pactum, cum Dæmone, intendat; neque illius ope, quidquam efficere vel conſequi velit; quia proteſtatio facto contraria, frivola & inefficax eſt.

14. Sagæ & Magi, graviſſima inſuper ſcelera patrare ſolent, adeóque de his, nedum in ſacro, ſed & profano tribunali, interrogandi ſunt. Veluti 1mò. An Dæmonem, loco Dei, habuerint, eíque Sacrificia aut preces obtulerint, ac per conſequens, *Idololatriam* commiſerint? 2dò. *De Hæreſi*; an videlicet, crediderint, Dæmonem non eſſe damnatum, eíque adhærentes, non eſſe damnandos? 3tiò. *De Apoſtaſia*. Num Deo, Divæ Virgini, Sanctis, Fidei, & Sacramentis renuntiaverint? 4to. *De Blaſphemia* in Deum, Chriſti humanitatem, Deiparam Virginem & Sanctos. 5to. *De Sacrilegio*. An Sacra; præſertim Euchariſtiam, profanaverint? aut iis indignè uſi ſint? 6to. *De Injuſtitia*. Num ſegetibus, hominibus, animalibus & præſertim infantibus, nocuerint per maleficia, incantationes &c.? 7mo. *De Luxuria*. An cum Dæmone ſuccubo vel incubo, aut in forma beſtiæ, apparenti, carnaliter ſe commiſcuerint?

15. *Maleficium*, à *malè* & *facio* deductum, generali ſignificatu, complectitur omne crimen; ſpecialiùs tamen hîc accipitur, pro arte ſeu poteſtate nocendi proximo, ope Dæmonis. Differt à *Magia*, quod per hanc, Magus quærat ſuî præſertim oſtentationem; per illud autem maleficus intendat proximo, ſive in perſona, ſive in bonis, nocere. Ma-

Maleficium duplex vulgò ſtatuitur. Unum *Veneficum*, alterum *Amatorium*. Primum committitur, dum Malefici reddunt homines infirmos, fœminas ſteriles, proles languidas, pecora morbida; arbores ſiccas, &c. Alterum perpetratur; dum in certis perſonis, mutuus excitatur amor venereus, per *philtra*, ſeu pocula amatoria, aliáſve res, v. g. *Cantharides*, *Gallicè*; *Mouches veneneuſes*. Simile crimen committitur, dum capitalia odia & inimicitiæ, præſertim inter conjuges, per philtrum aut ſigna poſita, ſuſcitantur. Atque hoc crimen nedum continet malitiam ſuperſtitionis, primo Decalogi præcepto vetitam. ſed etiam injuſtitiæ, ex qua oritur obligatio reparandi integrum damnum proximo illatum. Tametſi enim Dæmon illud cauſaverit *phyſicè*; Maleficus tamen, illud cauſavit *moraliter*; ad id movendo & inſtigando Dæmonem. Circa Maleficium *amatorium* Notandum; quòd etſi quidam lapides, item herbæ ac radices, dicantur, *naturaliter* amoris & concupiſcentiæ flammam accendere; id tamen efficere non poſſint, circa aut erga determinatam perſonam; proinde id neceſſariò fieri debeat à Diabolo, phantaſma & imaginationem immutante, ac ſpecies objecti amati, pulcriores & venuſtiores exhibente.

16. Qua ratione, Maleficium tolli poſſit; hîc non inutiliter indagari poteſt? Suppono autem tanquam certum, quòd ad diſſolvendum Maleficium, non ſit licitum, uti operâ malefici, *ùt malefici*. Siquidem hoc nihil aliud eſſet, quàm diſſolutionem maleficii, per novum Maleficium, petere aut efficere; quod, quia ſine novo ad Dæmonem recurſu, fieri nequit; utique intrinſecè malum eſt, & nunquam committendum. Idque verum eſt, licet maleficus ſeſe offerat non rogatus, ad maleficium, maleficiô tollendum; quia ſaltem hac ratione, conſentiendo; concurreret ad actum intrinſecè malum. Confer *Sylvium*, *in* 2. 2. *D.*Thomæ, *quæſt.* 96. *art.* 4. *concl.* 2. *pag. mihi* 666.

Dixi: *Malefici, ùt malefici*. Nam, ſi maleficus abſque maleficio, per artem ſibi cognitam, tollere poſſit maleficium; licitè poterit ab eo peti maleficii diſſolutio; quia, licet fortè artem illam à Dæmone didicerit, & ideo tunc peccaverit; uſus tamen illius ſcientiæ, non eſt ipſi illicitus. Et ſanè; ſi hoc illicitum foret, non liceret etiam, v. g. herbarum aut medicamentorum bonorum notitiam, vel etiam ſcientias alias addiſcere ab eo, qui has à Dæmone didiciſſet, quod nemo dixerit. Nec Obest, quòd maleficus, valens maleficium, ſine maleficio tollere, poſſit ad hunc effectum, adhibere, novum maleficium. Sicut enim poſſum ex juſta cauſa, mutuum petere ab eo, qui non tantùm præſumitur, ſed ſcitur non daturus ſine uſura; ita poteſt quis in noſtro caſu, à fortiori, petere maleficii diſſolutionem, ſi gravis ingruat neceſſitas avertendi à ſe, vel proximo, maleficium.

Pari modo; certò licitum eſt, tollere, vel *Sagam* cogere ad tollendum ſigna, figuras, ligaturas, characteres, philtra *&c.*, ex quibus maleficia, ex Dæmonis pacto vel operatione, dependent aut continuantur. Semper enim deſtrui poſſunt opera Dæmonis, dum id ſine peccato & nova Dæmonis ope, fieri poteſt. Confer *Franc. Sylvium loc. cit. concluſ.* 3. Ubi contrariam opinionem velut probabilem nititur defendere, ex hac ratione: quòd ſignum magicum tollens, v. g. ad recuperandam ſanitatem, videatur effectum exſpectare à Dæmone. Sed hæc ratio non ſubſiſtit, quia tollens ſignum, utitur jure ſuo, & ſe defendit contra maleficum, ac duntaxat nititur à ſe amoliri malum, in quo nihil mali, per ſe relucet.

ſed

Digitized by Google

Sed erítne licitum, ponere ſignum, quod ex pacto Diaboli cum *Saga* inito, ſit contrarium maleficio? v. g. Vulgò dici ſolet, quòd Diabolus ſub tali vel ſimili conditione, paciſcatur cum Mago vel Saga: inficiam; quem incantaveris, inſufflaveris, tetigeris, percuſſeris *&c.* niſi ille mox ſe cruce ſignet, aquâ lavet; vel te repercutiat, *&c.* Quæritur: num liceat poſito tali ſigno, ex conditionato pacto Dæmonis, contrario, obviare maleficio, aut illud tollere? Affirmant *Martinus Delrio. Diſquiſ. magic. lib. 6. cap. 2. ſect. 1. q. 2. Sanchez lib. 2. moral c.* 41. *n.* 5. *Leſſius, lib. 2. de juſtit. & jure c.* 44. *dub. 6. n.* 45. cum agmine Doctorum apud *Suarez, lib. 2. de Superſtit. cap.* 17. *n.* 16. Dummodo illud ſignum ſit de ſe licitum aut indifferens. *Ratio* eſt: quia & talis intentio, bona eſt; & medium ſeu ſignum, nihil mali involvit; aliunde etiam, Dæmon talia ſigna non inſtituit, *ùt operativa*, ſed veluti conditiones ſtatuit, quibus poſitis, non eſſet nociturus, aut maleficium operaturus. Hac ratione, judices, *Reos* torquendos, ne per maleficium, ad tormenta inſenſibiles ſint, aut planè muti, nihil fateri poſſint; curant exui, lavari, tonderi *&c.* non ſolùm, ùt detegant ſignum magicum, fortaſsè ſub veſtibus vel capillis latens; ſed etiam; quia potuit Reus, tale forſitan cum Diabolo iniviſſe pactum, ut ad nudationem vel lotionem corporis, aut abraſionem capillorum, ceſſaret effectus ille magicus. Confer *Tamburinum, lib. 2. in Decalog. c.* 6 §. 2. *n.* 13. Ubi *n* 17. hunc lepidum refert caſum. Quidam Senecio, theſaurum, noctu, terræ infodiens, hanc cum Dæmone conventonem fecit, ut nemini permitteret, illum auferre, præterquàm illi; qui ſtans ſupra locum, bona pulte ſe refecerit, & largiter biberit. Ruſticus non procul inde decumbens, inaudiit conventionem iſtam, & mane, ſtatim cum pulte & vino, in loco theſauri reconditi apparens, ſumpto hoc jentaculo, nemine impediente, theſaurum ſuſtulit. Reſolvit ibidem *Tamburinus*; potuiſſe id facere ruſticum, citra peccatum Superſtitionis (ſed utrum & ſine injuſtitia? alia eſt quæſtio) quia hoc ſolùm erat, ponere ſignum contrarium de ſe non turpe, maleficio; quô poſitô, Dæmon promiſerat, non amplius theſaurum cuſtodire. Hâc porrò ratione, explicari & excuſari poſſunt pleraque ſigna & ritus, quibus milites, vel alii, ſolvunt maleficia hoſtium magicè induratorum & invulnerabilium.

Casus. *Titius* arte magicâ, citra damnum vel nocumentum tertii, divitias acquiſivit, potéſtne illas, pœnitens factus, retinere? ℞. *Affirmativè.* Licet enim peccaverit, artem magicam addiſcendo, vel exercendo; acquirendo tamen divitias, nemini fecit injuriam vel injuſtitiam. ùt ſupponitur. Hinc & Divinator vel Magus, operam ſuam locans alteri; pactâ mercede; etſi peccet paciſcendo, & opus ſuperſtitioſum exequendo; non peccat tamen retinendo mercedem datam, nec ullo jure (ad inſtar meretricum) reſtituere tenetur, etiamſi effectus non fuerit ſecutus, dummodò artem ſciverit & diligentiam adhibuerit. ſi enim artem neſcit, vel diligentiam non adhibuit; utique reſtituere teneretur, quemadmodùm de medico reſponderi ſolet.

Jam de *Divinatione*. Hæc fieri poteſt; per *Dæmonia*, per *Aſtra*, per *Somnia*, per *Sortilegia*, & alia ſigna.

17. *Divinatio* ſecundùm ſe, eſt ſuperſtitioſa inquiſitio, vel prædictio alicujus occulti, per invocationem aut diſciplinam Dæmonis. Ubi Observa; quòd, licet Dæmon non poſſit per ſe occulta, ut cordis cogitationes, futura libera, quæ ſci-

ſcilicet pendent ex libero hominis arbitrio certitudinaliter cognoſcere; poſſit tamen plurima conjicere: tum, propter veterem in multis caſibus experientiam; tum, propter mentis perſpicacitatem, quâ vel ex effectibus in cauſarum virtute contentis & ſæpiſſimè ſubſecutis; vel ex aſtrorum influentiis, hominum complexionibus, diſpoſitionibus, propenſionibus &c.: vel, ex omnibus ſimul; ſæpe colligit; quid homo moliatur in corde, aut: quid in tali vel tali circumſtantia, facturus ſit?

Rigidiùs ſumpta *Divinatio*, eſt: quaſi divina notio & quadantenus Divinitatis æmulatio, quatenus homo, illa perveſtigare & nôſſe cupit, quæ ſolus Deus novit, juxta illud: *Iſaiæ* 41. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus; quia Dii eſtis vos.* Et hoc ſenſu definitur Divinatio à *S. Thoma*, 2. 2. *q.* 95. *art.* 3. *Prædictio inordinata eorum, quæ ad ſolum Deum ſpectant, ope Dæmonis.* Verùm; quia etiam prædictio & notitia eorum, quæ non ſpectant ad ſolum Deum, ſed quæ Dæmon naturaliter ſcit, ope ipſius perquiri poſſunt, & hujuſmodi indagatio verè ſuperſtitioſa eſt; ideo ſuperſtitionem generatim dicimus eſſe, inquiſitionem vel prædictionem rerum per ſe homini occultarum, ſive præteritarum, ſive præſentium, aut futurarum, ex pacto cum Dæmone ſive *Explicito* & expreſſa Dæmonis invocatione, ſive *implicito* ſeu tacito, adhibendo media ſcilicet inutilia & impertinentia, quæ nec ex natura ſua, vim habent ad manifeſtationem rerum occultarum, nec à Deo ad id inſtituta ſunt. Nam, quicunque res occultas, & hominum naturali cognitioni impervias, ſcire aut prodicere, ſeclusâ Dei revelatione, aut abſque mediis à Deo ád id ordinatis, pertentat; ope Dæmonis, humani generis hoſte, tacitè vel expreſsè, uti cenſetur, contra illud Apoſtoli 1. *ad Corinth.* 10. *Nolo vos fieri ſocios Dæmoniorum.* Uti prolixè & accuratè docet *D. P. Auguſtinus, lib.* 2. *de Doctrin. Chriſt. cap.* 23.

18. Divinationis ergo ſuperſtitioſæ, duæ ſunt ſpecies generales; una, quæ fit per pactum *expreſſum*; altera; quæ fit per pactum *implicitum* cum Dæmone. Divinationis cum pacto expreſſo, variæ enumerantur ſpecies *materiales*, juxta diverſos modos, quibus ſolet Dæmon reſpondere & revelare occulta. Sic *Præſtigium* dicitur, cùm Dæmon divinatoriè reſponſurus, apparet, ſub variis larvis aut figuris corporum aliunde aſportatorum vel compactorum ex aëre, vel ſolùm deludendo ſenſus vel phantaſiam, fictis imaginibus, de quibus *Delrio* paſſim in ſuis magicis diſquiſitionibus. *Necromantia* ſpecialis dicitur, cùm adhibitis certis ceremoniis vel carminibus, mortuus videtur reſuſcitari, per quem Dæmon, occulta pandat.

Dixi: *Necromantia ſpecialis.* Quia omnis Divinatio per Dæmonia, generatim vocatur Necromantia. *Pytoniſmus* dicitur, cùm Diabolus, ex pacto, docet per homines arreptitios, ſive a Dæmone obſeſſos. Et, qui inſtar Prophetarum, futura & oculta prædicunt; *Pythones*, ſeu *Pythonici*, ac *Pythoniſſæ*, vocantur. *Geomantia* dicitur; cùm Dæmon docet per certa ſigna apparentia in corporibus terreſtribus, ut: in biviis, lignis, lapidibus, plumbo fuſo &c. *Hydromantia* nominatur; cùm Dæmon docet per ſigna apparentia in aqua. *Aëromantia* vocatur; cùm docet per ſigna apparentia in in aëre. *Pyromantia*; cum per ſigna apparentia in igne. *Aruſpicium* porrò, cùm per ſigna apparentia in arteriis, ſeu inteſtinis animalium ſacrificatorum, reſponſa dat. Atque huc ſpectant reliquæ ſpecies, de quibus infra, quando ſcilicet intercedit pactum expreſſum cum Dæmone.

19.

19. Noverant vel ipſi Gentiles & Idolorum cultores, quid ex Auguriis & Divinationibus exſpectari poſſet incommodi, ſi de Reipublicæ ſtatu aut Principis perſona, occulta panderentur. Quamobrèm, tametſi ipſi Romani Gentiles, Dæmonia & Idola colerent, multáque ſuperſtitioſa permitterent & probarent; ſeveriſſimè tamen in eos animadvertebant, qui de ſtatu Reipublicæ aut ſalute Principis Aruſpices, Ariolos ſeu Divinatores conſuluiſſent; teſtaturque *Paulus* JCtus. *lib.* 5. *ſent. tit.* 21. pœnâ capitali punitos, qui de ſalute Principis aut ſumma Reipublicæ, reſpondiſſent. Imperatores verò Chriſtiani expendentes, quòd talia nedum Reipublicæ forent periculoſa, ſed etiam Religioni Chriſtianæ adverſa, & perniciosa; univerſim hæc omnia, unà cum Gentilitate & Idololatriâ, abolere & funditus extirpare ſtuduerunt. Qua de re extat imprimis *in l.* 5. *Cod. de Maleficis & Mathematicis.* Conſtitutio *Conſtantii Imp.* de *anno* 357. Contra Sortilegos & Divinatores in hæc verba: *Nemo Aruſpicem conſulat aut Mathematicum, nemo Ariolum. Augurum & Vatum prava confeſſio conticeſcat. Chaldæi & Magi ac cæteri, quos maleficos, ob facinorum magnitudinem, vulgus appellat, nec ad partem aliquid moliantur. Sileat omnis perpetuò Divinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio ultore proſtratus, quicunque juſſis noſtris obſequium denegaverit.* Ubi

Nota: *Aruſpicem*, ſive *Auſpicem*, cujus in lege citatâ & alibi paſſim, fit mentio; dictum fuiſſe; qui hoſtiis; & extis, ſive viſceribus pecudum (quas Gentilitas Idolis immolabat) inſpectis, futura prædicebat, ut exinde ars ſive profeſſio, ex ſimili inſpectione prædicendi futura, *Aruſpina* dicta ſit, de qua vide *can.* 1. *cauſ.* 26. *q.* 3. item *can.* 14. *ead. cauſâ.*

Mathematicus hìc accipitur pro *Aſtrologo.* Aſtrologi autem dicti; eò quòd ex Aſtrorum inſpectione, augurentur. De his agit *Gratianus* in *can.* 1. *cauſ.* 26. *q.* 3. quem quidem Canonem ſub nomine Divi Patris *Auguſtini* exhibet; ſed, ùt notant correctores Romani, pleraque non extant apud S. Patrem, "ſed ſunt in libello *Rabani*, *de Magorum præſtigiis*, quem ipſe *Rabanus*, ex variis *S. Patris* & *Iſidori* locis, collegit, & *Gratianus* ſæpe citat, ſub nomine *S. Auguſtini.*" Cæterùm verba à *Gratiano* citatâ, quò ad ſubſtantiam reperiuntur apud S. P. *Auguſtinum lib.* 2. *de Doctr. Chriſt. cap.* 21. Ubi latè agit de his, qui Genethliaci, propter natalium dierum conſiderationes, nunc autem vulgò Mathematici vocantur, quorum Superſtitionem pernicioſam & fallacem ibidem oſtendit & refutat. Eoſdem quoque idem *S. Pater lib.* 4. *Confeſſ. cap.* 3. appellat, *Planetarios*; refertúrque locus à *Gratiano. Can.* 8. *cauſ.* 26. *q.* 2.

Augures *ſunt* (*ait* Canon 1. *ſupra* cit:) *qui volatus avium & voces intendunt, alidque ſigna rerum, & obſervationes improviſas, hominibus occurrentes, ferunt. Iidem ſunt &* Auſpices *Nam auſpicia ſunt, quæ iter facientes obſervant. Dicta autem ſunt* Auſpicia, *quaſi avium* Spicia *&* Auguria, *quaſi avium* Garria, *id eſt avium voces & linguæ. Item* Augurium; *quaſi* Avigerium, *quod aves gerunt.*

Vatum nomine hìc veniunt homines illi, qui quaſi Spiritu Prophetico afflati, & tanquam Deo pleni, de futuris vaticinantur, quíque & *Fanatici* dicti, item *Divini:* quia interiori vi Numinis, ſe agitari fingebant, & ſe Divinitate plenos ſimulabant, aſtutiâ quadam fraudulentâ, futura conjectantes. Ut dicitur dict. *can.* 1.

Hos itaque univerſim, ſub capitali pœ-

pœna, conſulere, vetat lex *Conſtantii* citata, cui & alia acceſſit ejuſdem *Conſtantii* Conſtitutio *in l. 6. Cod. de Maleficis.* His verbis: *Multi magicis artibus uſi* [*Gothofredus* legit, *auſi*] *elementa turbare, vitam inſontium labefactare non dubitant & Manibus accitis, audent ventilare, ut quiſque ſuos conficiat, malis artibus, inimicos: hos, quoniam naturæ peregrini ſunt, feralis peſtis abſumat.* Ubi, per *feralem peſtem*, *Gothofredus* intelligit *Vivicomburium.* Cæterùm, per artes magicas, elementa turbari poſſe; paſſim notum eſt, vocantúrque ob tempeſtates per elementorum turbationem excitatas, *Tempeſtarii*, de quibus meminit *S. Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis*, in *lib.* 4. *Cod. de Maleficis.* Legitur ſub nomine *Conſtantini magni Eorum eſt ſcientia punienda, & ſeveriſſimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra hominum moliti ſalutem, aut pudicos, ad libidinem deflexiſſe animos, detegentur.* Horum incitamentorum ad impudicos amores, per artes magicas, meminit *S. P. Auguſtinus, lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 11. & plura in hanc rem refert *Gothofredus*, ad *l.* 3. *Codicis Theodoſiani. De Maleficis.* Item *Gregorius Tholoſanus.* In *Syntagmate juris univerſi. lib.* 34. *cap.* 12. oſtendit, quomodo res etiam Sacratiſſimæ, ad hujuſmodi maleficia adhibeantur. Idem hic Author *loc. cit cap.* 18. Imò ipſemet *Leo Imperator*, *ſapiens* vulgò dictus, Conſtitutione ſua 65. *de Incantatorum pœna, expreſsè aſſerit; Conſtantinum* in *l.* 4. *cit.* probâſſe incantationes illas, *Si fructus & ſegetes curent, aliáque bona ſuppeditent*; adeò, ut ipſe *Leo* legem iſtam, quaſi è fundo, tollendam putaverit, ex ratione ſubjecta: *Nos iſtiuſmodi incantationes pernicioſas eſſe perſuaſum habemus: & ut boni quidpiam inde manare credamus, induci non poſſumus. Ac sanè etiamſi boni quidpiam producere illas, apparet (quomodò quidem approbanti ipſas, legi videtur) non id bonum eſſe, ſed illecebram atque naſſam, quæ illectos in malorum omnium extremum, ubi à ſummo bono excidant, abſorbeat, compertum habemus.* Et nonnullis interpoſitis concludit: *Sanè verò, ſi quis aliquo modo incantamentis uſus eſſe deprehenſus fuerit, ſive id reſtituendæ conſervandæve valetudinis, ſive avertendæ, à rebus frugiferis calamitatis cauſâ, fecerit; is Apoſtatarum pœnam ſubiens, ſupremum ſupplicium ſuſtineto.*

Quidquid ſit; & licet alii ſuſtineant, *Leonem* non ſatis penetrâſſe legem *Conſtantini M.* hoc certum eſt; jam pridem & Sacris Canonibus & Imperatorum Sanctionibus, Patrúmque ſcriptis, damnatas fuiſſe generatim incantationes & artes magicas, etiam ad ſalutem procurandam adhibitas. Unde Paſtores & animarum Curatores præcipuè invigilare debent obſervantiis, è quibus non tantùm populus ſperat conſervationem & recuperationem rerum temporalium, ſed inſuper emolumentum aliquod in Eccleſiaſticos aut eorum Eccleſias, redundare poteſt. Incredibile enim eſt, quàm facilè hujuſmodi obſervantiæ etiam evidenter ſuperſtitioſæ, invaleſcant, & cùm invaluerint; quàm difficulter aboleri queant.

20. Divinationis per pactum implicitum cum Dæmone, duæ quoque ſunt ſpecies ſubalternæ; *Augurium* videlicet & *Sortilegium. Augurium* latiùs ſumptum, pro cognitione occultorum vanè quæſita, ex conſideratione diſpoſitionis rei jam exiſtentis, continet ſub ſe 1*mò. Aſtrologiam judiciariam*; cùm cognitio occultorum quæritur ex ſitu & motu ſiderum, cujus pars eſt *Genethliaca.* 2*dò. Augurium propriè dictum*; cùm ex garritu avium, 3*tio. Auſpicium*, cùm ex avium volatu, ſicut ſupra dictum. 4*to. Omen*, cùm ex ho-

hominis vocibus præter intentionem prolatis. *5tò. Phyſiognomiam*, cùm ex totius humani corporis figura, lineamentis & ſignis. *6tò. Metopoſcopiam*, cùm ex fronte. *7mo. Chiromantiam*, cùm ex manuum lineis. *8vò. Spatulamantiam*, cùm ex ſpatulæ ſignis, occulta, de ſtatu hominis præſenti vel futuro, divinantur. (Spatha vel Spatula, eſt inſtrumentum Apothecariorum & Chirurgorum) *9nò. Onyrocriticam*; cùm ex ſomniis habitis, occulta divinantur.

21. *Sortilegium*, eſt Divinatio ſuperſtitioſa, quâ occulta perveſtigantur ex diſpoſitione rerum ab hominibus ad hunc finem electarum vel diſpoſitarum, puta: projectione alearum, apertione fortuita libri; electione unius ex pluribus; ob ſigna reſultantia in plombo liquefacto & in aquam projecto.

Ex enumeratis ſuperſtitionis ſpeciebus, quarum aliquas carptim tetigimus, præcipuas ſigillatiùs adhuc rubinabimur.

22. Primò, meritò utpote frequentior, perpendi meretur *Divinatio per Aſtra, ſeu Aſtrologia*. Hæc duplex eſt, ſcilicet: *Naturalis* & *Judiciaria*. *Aſtrologia naturalis* eſt; quæ ex motu, curſu, ſitu, conjunctione aut oppoſitione Syderum vel Planetarum, eorundémque virtutibus & influentiis naturalibus, divinat effectus tum neceſſariò eventuros, ut: Eclipſes; vel contingenter futuros, per alias tamen cauſas etiam naturales, facilè impedibiles; quales ſunt: auræ mutationes, venti, pluviæ, tempeſtates, ſerenitates, ſiccitates, ſterilitates; tale vel tale temperamentum hominis, ſub tali vel tali conſtellatione concepti vel nati. Atque hæc Aſtrologia & per ſe licita, & humano generi perutilis eſt; maximè, quò ad medicinam, agriculturam & navigationem. Quanquàm negandum non ſit, hanc ſcientiam, quò ad effectus contingenter futuros, fore valdè incertam & ideo vix mereri ſcientiæ nomen. Siquidem, non à ſolis Aſtris, ſed aliis quoque cauſis, facilè variabilibus & impedibilibus, dependent eventus hujuſmodi. Maximè verò incerta eſt, quò ad conjecturam temperamenti & propenſionis hominum, ex contemplatione Aſtrorum in puncto nativitatis; tum quia indoles & inclinatio prolis, haud pendet ex ſolo Aſtrorum influxu, ſed multò magis ex materia conceptionis & nutritionis in utero materno Tum quia punctum illud nativitatis (quod Mathematici exactiſſime obſervandum ajunt) vix deprehendi poteſt, ob rapidiſſimum Cœli motum & alias cauſas, ut egregiè obſervavit *D. P. Auguſtinus, lib. 2. de Doctrin. Chriſt. cap. 22.* Tum denique; quia Aſtrorum vis, etiam in fœtum utero incluſum, influit, adeóque non ſolùm punctum nativitatis, ſed & conceptionis & animationis fœtûs, Mathematicis vix cognoſcibile, obſervandum foret. Interim, ſi Aſtrologi ejuſmodi effectus contingentes, veluti tempeſtates, pueri propenſiones, fortunam &c. more ſolito, majori certitudine præſagiant, quàm ex Aſtrorum aſpectu colligi poſſit; non continuò committunt peccatum ſuperſtitioſæ Divinationis contra virtutem Religionis, & primum Decalogi præceptum; ſed ſæpius peccatum temeritatis & mendacii. Et quamvis ex Aſtrorum influentiis & hominum complexione, talia leviter conjecturari poſſint; prohibuit tamen *Sixtus V.* in ſua Bulla: *Cæli & Terræ Creator. 17. apud Cherubin. tom. 2.* prædicere hujuſmodi conjecturas, faciendo judicia & hominum nativitates, quibus de futuris contingentibus, caſibus fortuitis, actionibus liberis &c. aliquid eventurum affirmatur, licet conjecturaliter tantùm. *Ratio*: quia hic modus prædicendi futura, eſt Rei-

publicæ valde pernicioſus & ſcandaloſus, propter mendacia & fraudes Divinatorum, & peccata multa, inde oriri ſolita, adeóque non tantùm pro foro externo, ſed & interno, prohibitus eſt à *Sixto V.* & *Urbano VIII.* qui *Sixtinam* Bullam confirmavit & approbavit, per Bullam incipientem: *Inſcrutabilis.* 114. *apud Cherub. tom.* 4.

Aſtrologia Judiciaria, quam *S. P. Auguſtinus, lib.* 2. *de Doctrin. Chriſt. cap.* 2. Superſtitionem pernicioſam, appellat; eſt, quâ ex eodem aſpectu, motu, ſitúque Aſtrorum, prædicuntur eventus omnino fortuiti, & liberi ab hominum arbitrio pendentes. *Martinus Delrio. lib.* 4. *Diſquiſit. Magic. cap.* 3. *q.* 1. hujus Divinationis per Aſtra, tres ponit ſpecies. *Primam vocat Aſtrologiam revolutionum*; quâ prædicuntur totius anni, belli pacíſque viciſſitudines, annonæ abundantia vel penuria; morborum qualitates, mortes Magnatum &c *Secundam* vocat *Aſtrologiam nativitatis*, id eſt, *Genethliacam*, quâ ex ſiderum contemplatione, in puncto nativitatis, ſigillatim homini prædicuntur per totam vitam futura. v. g. Illum ad talem dignitatem promotum iri; tali Principi gratum fore; uxorem ducturum nobilem, divitem; ignobilem; pauperem, ſterilem, *&c.* felicem aut infelicem futurum; tali mortis genere, tali loco, tali tempore, anno & die periturum. *Tertiam* appellat *Aſtrologiam electionum*; quæ ex aſtrorum intuitu, docet, quid in ſingulis rebus & occaſionibus agendum vel omittendum? quando domo egrediendum? quando manendum? quo loco & tempore quæque agenda, ut feliciter ſuccedant? Qua in re;

23. Theologi, communi conſenſu, ſtatuunt: Aſtrologiam judiciariam, ex ſiderum aſpectu, certò prognoſticantem effectus à libero arbitrio pendentes, vel caſus omnino fortuitos; fore ſuperſtitioſam & involvere pactum ſaltem implicitum cum Dæmone, adeóque ipſius uſum, fore *ex genere ſuo*, mortalem, omníque jure, nedum CANONICO *Can. igitur. Cauſ.* 26. *q.* 3. & *can. licet. q.* 5. *ibid.* & CIVILI. tot. *tit. Cod. de Maleficis & Mathematicis.* Sed & DIVINO, *Deuteron.* 4. *Iſaiæ* 47. & *Jerem.* 10. prohibitum. Idque ex ratione generali: quia ejuſmodi effectus liberi & fortuiti, ſi poſſent prævideri ex aſpectu Aſtrorum; vel hoc inde proveniret; quod Aſtra eſſent cauſa naturalis ejuſmodi effectuum, aut ſaltem ſigna naturalia eorundem; vel quòd eſſent ſigna à Deo inſtituta ad indicandos tales effectus. Primum autem dici nullo modo poteſt; quia effectus liberi, poſitis etiam omnibus ad agendum requiſitis, poſſunt fieri vel non fieri, adeóque non poſſunt determinatè prævideri, ùt futuri, in Aſtris tanquam cauſis vel ſignis naturalibus. Effectus quoque fortuiti, non dependent à ſolis Aſtris, vel una cauſa; ſed à plurium cauſarum concurſu, quarum cauſarum ſæpe ignotarum, vim & indolem, Aſtrologus nec ex Aſtris, nec aliunde detegere poteſt. Neque ſecundum dici poteſt; quia Aſtra non ſunt ſigna ad hoc à Deo vel bonis Angelis inſtituta, quin potiùs in Sacra Scriptura, prohibita legitur eorum obſervatio. Reſtat igitur; quòd deberent eſſe ſigna adinventa à Dæmone, cum quo pactum expreſſum vel tacitum initum fuerit. Proinde Divinatio futurorum effectuum liberorum aut fortuitorum, aut etiam cognitio præſentium occultorum, v g. Theſauri, Furis, Virginitatis, cogitationum cordis *&c* Ex Aſtris; ſuperſtitioſa eſt, tacitámque ſaltem importat Dæmonis invocationem, ſi nimirum talia, ùt certa & infallibilia dicantur & credantur. Confer *Franc. Sylvium* in 2. 2. *D. Thomæ. quæſt.* 95. *art.* 1. *pag. mihi* 656. & *art.* 2. *per tot.* Ra-

Digitized by Google

Parili ratione, diſcurrendum eſt de *Phyſiognomia*, quæ alia eſt *naturalis* & *philoſophica*, alia *divinatoria* & *ſuperſtitioſa*. 1*ma*. eſt, per quam ex corporis & membrorum habitudine, inceſſu *&c.* Vultûs, frontis, manuum, aliarúmque partium lineamentis; de corporis valetudine, temperamento, & conſequenter etiam de genio, affectionibus & inclinationibus animi, aliqua probabiliter conjecturari poſſunt. Eáque per ſe licita eſt. *Delrio. loc. cit. lib.* 4. *q.* 4. *Altera* eſt, quæ ex iiſdem ſignis corporis, prædicit proſperos aut adverſos hominis caſus, longam aut brevem vitam; divitias, paupertatem; præſentem animi ſtatum. An quis ſit fur, leno, meretrix? nec ne? & cum talia, utpote merè contingenter eventura, aliter cognoſci non poſſint [ſeclusâ Dei revelatione] quàm per commercium cum Dæmone; utique *Phyſiognomia* iſthæc, omni jure prohibita eſt. Confer hac de re Divum P. *Auguſtinum, lib.* 2. *de Doctr. Chriſtian. cap.* 21. & *lib.* 2. *de Geneſ. ad litteram. cap.* 17. & *Enchrid. cap.* 79. Item *lib.* 5. *de Civit. Dei. cap.* 1. *& ſeq.* Ac porrò *lib. de Hæreſib. Hæreſi* 70. Unde meritò ex præſcripto Concilii *Tridentini*, in indice librorum prohibitorum, præſcribitur Regula 9. ut Epiſcopi diligenter provideant, ne Aſtrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus, ſucceſſibus fortuitíſque caſibus, aut iis, actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid affirmare audent. Adde Conſtitutionem *Sixti V.* in Bulla, de Anno Domini 1585. quam citat *Sylvius loc. cit art.* 4.

24. Huc refertur *Divinatio per ſomnia.* Somnium autem duplex eſt, naturale aut præternaturale. *Naturale* eſt, quod ex naturalibus oritur cauſis, utpote vel ex præcedentibus cogitationibus & occupationibus mentis in vigilia, prout teſte experientiâ notiſſimum; vel ex nativa corporis conſtitutione, temperamento & motu humorum. Sic ſanguinei, læta; cholerici & qui flavâ bile abundant; ſæva, lites, jurgia, cædes *&c.* ſomniare ſolent: Melancholici, qui atrâ abundant bile; triſtia, mortes, infirmitates, oppreſſiones *&c* Plegmatici; aquas, merſiones, laſſitudines *&c.* ſomniare conſuevêre. Ex hujuſmodi ſomniis, licitè conjiciuntur illa, quæ ex ſomniorum naturalibus cauſis erui poſunt. Sic ſomnia, ex prædominante humore, naturaliter orta, licitè obſervantur, ad dignoſcendam naturalem corporis complexionem. Proinde Medici, non ſunt Superſtitionis arguendi, ſi ſomnia infirmorum percunctentur. ſic: ſi quis, ùt Phyſici tradunt; ſomniet de occupationibus igneis, ſignum eſt choleræ prædominantis; Si de aëreis, ſanguinis abundantis; ſi de aqueis; multi flegmatis; ſi de terreis, melancholiæ; & ideo ex hujuſmodi ſomniis, poterit medicus rationabile efformare judicium, & medicamenta præſcribere ægrotis proportionata.

Somnium *præternaturale* dicitur: quod non oritur in dormiente, ex prædictis cauſis naturalibus; ſed, vel eſt immiſſum ab ipſo Deo, quale fuit ſomnium *Gedeonis*, *Jacob*, *Joſeph*, *Danielis*, *S. Joſephi* Sponſi Divæ Virginis, *Magorum &c.* Aut eſt immiſſum ſeu excitatum à Diabolo, hominis phantaſiam, per ſpecies ſuggeſtas, immutante; prout Magorum & Sagarum ac aliorum cerebrum turbare ſolet; ad quod diſcernendum prudentis & diſcreti viri, opus eſt judicio. Non enim ex objecto aut fine bono vel malo, diſcrimen ſubitò detegi poteſt; quia Sathanas perſæpe ſe transfigurat in Angelum lucis, & ſub ementita ſpecie, ſeducit facilè credulos. Satiùs igitur ex ſomniantis & expergefacti diſpoſitione efformari poterit

Digitized by Google

terit judicium. Etenim, ſi excitatus è tali extraordinario ſomnio, ſentiat in ſe inſolitam illuſtrationem, conſolationem, mentis tranquillitatem, devotionem promptitudinem ad bonum *&c.* non obſcurè colligi poteſt; quòd tale ſomnium fuerit à Deo immiſſum: ècontra verò, ſi quis è tali ſomnio, ſe ſentiat animo perturbatum, perplexum, protervum, ad virtutis viam tepidum, ad divina ſervitia tardiorem redditum; certò argui poterit; tale ſomnium à Diabolo fuiſſe immiſſum. Quòd, ſi dubium ſit, num à Deo vel Diabolo, vel etiam cauſa naturali, provenerit ſomnium; nulla ipſi fides habenda, nec præſumendum; eſſe à Deo. Deus enim, cùm immittit ſomnia, ſimul etiam reddit hominem certum, quòd à ſe fuerint immiſſa, juxta illud *Eccleſ.* 34. *Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt ſomnia.* Confer *Sylvium loc. cit. art.* 6. & hinc eſt, quòd ſomniorum obſervatio regulariter prohibeatur in Sacris litteris. *Levit.* 19. *Deuteron.* 18 & in jure Canonico. *can. non obſervetis. cauſ.* 26. *q.* 7. Confer *Martin. Delrio, lib.* 4. *c.* 1. *q.* 3. *Ratio* eſt; Quia ſomnia nullam omnino habent vim naturalem aliud ſignificandi, quàm cauſas ſuas, unde orta ſunt; proinde nullatenus præſagire poſſunt eventus liberos vel caſuales; & ad ſummum excitare poſſunt leviſſimam conjecturam. Quocircà, qui ſomniis certam fidem habet, inde divinat, aut juxta ea, actiones ſuas dirigit; regulariter peccat lethaliter. Dico *regulariter.* Poteſt enim à mortali excuſari, vel per ignorantiam non omnino craſſam & affectatam; vel quòd ſolùm ſuſpicetur, poſſe ſic evenire, ſicut ſomniatum. Et ideo docent *Cajetanus. Verb. Somniorum obſervatio. Navarrus in Manual. cap.* 11. *n.* 13. *Suarez. lib.* 2. *de Superſtit. cap.* 13. *n.* 25. Illum, qui hac nocte ſomniavit, ſe ſubmerſum in aquis, & ideo nolit hodie navigare; non peccare mortaliter.

25. Anne prohibitum, per ſortes indagare occulta? Ante reſolutionem Scias 1*mò.* Sortem nihil aliud hîc eſſe, quàm actionem, quà aliquid fit, ut exinde dignoſcatur & detegatur occultum præſens vel futurum. Scias 2*dò.* Triplices eſſe ſortes; nempe: *Diviſorias*, *Conſultatorias* & *Divinatorias.* Vide *D. Thom.* 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. & in *Opuſc. de ſortib. cap.* 3.

26. Sortes *diviſoriæ* ſunt; quibus deciditur ex conventione illorum, quorum intereſt; quid in dubio, alteri tribuendum vel dandum ſit? Hæ ſortes extra caſum electionis Eccleſiaſticæ (de quo in *cap. fin. de Election.*) per ſe licitæ ſunt. *Ratio* eſt: Quia ejuſmodi ſortilegium, nihil aliud eſt, quàm conventio plurium jus ad aliquam rem habentium, ut ea inter ipſos dividatur, prout ſors tulerit vel demonſtraverit. Et hic contractus de ſe nihil ſuperſtitionis aut mali involvit, cùm non ordinetur ad detegendum occultum, ſed dirimendam controverſiam vel cavillationem; quod ideo licere debet, quia quiſque rei ſuæ eſt moderator & arbiter. Unde hujuſmodi ſortes, pro licitis habentur, & paſſim practicantur 1*mò.* In Civilibus Electionibus, ad officia ſæcularia. Confer *S. Thomam* 2. 2. *q.* 97. *art.* 8. Neque id, ullo jure, prohibetur; dummodò perſonæ, inter quas ſortes mittuntur, omnes ſint idoneæ ad hujuſmodi munus vel officium. 2*dò.* Ad dirimendas controverſias inter hæredes, legatarios aut alios quoſcunque. *l. Si ambo ff. de judiciis.* Quinimò inter Eccleſiaſticos, de cauſis ſpiritualibus; dummodò non agatur. de Electionibus ad beneficia aut dignitates. Quò facit illud *Proverb.* 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat.* Quod tamen ita capiendum,

Digitized by Google

ſi litigantes jus æquale habeant & in ſortitionem conſentiant. *3tiò*. Tempore peſtis vel perſecutionis, rectè mittuntur ſortes inter Parochos vel Sacerdotes, quíſnam permanere debeat in loco, peſti vel perſecutioni obnoxio, ad ſerviendum ovibus: qua de re agit *D. P. Auguſtinus. Epiſt.* 180. & *Divus Thomas. loc. cit* Simili ſortilegio, Apoſtoli perhibentur uſi ad dividendum orbem terrarum, pro Evangelii divulgatione. Pari modo ſæpe in bello, ſortes mittunt milites ad determinandum, quinam in extremis ſtationibus, agere debeant vigilias, quinam primò hoſtem aggredi, muros conſcendere, *&c.* debeant. *4tò*. Dum plures ſunt rei mortis, nec expedit omnes puniri, ſive ex gratia, ſive aliam ob cauſam, licitè mittuntur ſortes, quíſnam aut quínam, mori debeant? Cæterùm; ſi dubium ſit, quíſnam è pluribus delictum patraverit; nullatenus licet id ſortibus explorare. Eſſet enim Divinatio ſuperſtitioſa, cum periculo puniendi innocentem; quia Diabolus inſontibus maximè infeſtus, efficere poſſet, ut ſors caderet in innocentem. *5tò*. In certo periculo communis naufragii, niſi pro allevianda navi, aliqui emittantur in aquas; communi conſenſu ſortes mitti poſſunt, quinam ejiciendi? Neque hoc eſt ſeipſum occidere, ſed mortis evadendæ, incertum remedium quærere. Quòd ſi quis è vectoribus, conſentire nollet; loco ejus, alii ſortes mittere & exequi poterunt; quinimò, ſi poſitivè invitus, ſortes impedire conaretur; ipſe ab aliis in undas ejici poterit; quia hac ratione reſiſtens, aliis injuſtam vim inferret, contra quàm, hi ſeſe defendere poſſent. *6tò*. Denique in omni licito & honeſto ludo, licitæ quoque ſunt & honeſtæ, ſortes *diviſoriæ*, , quinimò plerique ludi, non ſunt, niſi ſortes, cum dexteritate moderandæ. Conſonat *Sylvius loc. cit. art.* 8. *concluſ.* 1. & 2.

27. Sortes *conſultivæ* ſeu *conſultatoriæ*, ſunt, quibus occultæ veritatis manifeſtatio, aut conſilii alicujus directio, aut denique voluntatis divinæ indicium inquiritur, ut ſciatur; quid in aliquo negotio agendum cavendúmve ſit? Conſultatio hæc dupliciter fieri poteſt. *1mò*. Quidem, ut quis intendat expreſsè vel tacitè petere à Deo ſignum aliquod extraordinarium, quo rem petitam manifeſtet. Ut hoc liceat, non ſufficit neceſſitas; ſed requiritur, vel juſſio vel ordinatio Dei, vel inſtinctus ejus ſpecialis & extraordinarius: qua ratione ſortes *conſultivæ*, factæ leguntur in Sacris Litteris, videlicet in detectione furis *Achan. Joſue* 7. in Electione *Saul.* 1. *Reg. cap.* 10. In Electione *Matthiæ* præ *Joſeph* juſto. *Act.* 1. cujus electionem viſibili ſigno, à Deo manifeſtatam fuiſſe, teſtatur *D. Dionyſ. lib. de Cæleſti Hierarch. cap.* 5. Vel *2do*. ut ſolùm oretur Deus, quatenus per ſpecialem providentiam, dirigat ſortes. Juxta illud *Proverb.* 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*. Hæc ſortitio, ut licitè fiat, non quidem requiritur, juſſio aut ſpecialis inſtinctus Dei; exigitur tamen urgens neceſſitas, vel admodùm magna utilitas ſpiritualis vel temporalis, in caſu dubio, alias commodè non reſolvendo, accedente debitâ in Deum reverentiâ & ſervato modo proportionato. Alioquin ſortes hujuſmodi important peccatum non quidem ſuperſtitionis, ſed *tentationis Dei*. Conſonat iterum *Sylvius loc. cit. concl.* 3.

28. Sortes *divinatoriæ* ſunt; quibus per media vana & impertinentia ad Deum minimè relata, prædicitur aut inquiritur aliquid occultum aut futurum. Et hæ ſortes ſuperſtitioſæ ſunt, ſempérque illicitæ, adeóque graviter prohibitæ in jure Canonico. *Can. Si quis Epiſcopus.* & *Can. Sortes. cauſ.* 26. *q.* 5. Huc ſpectat verſio cri-

cribri, quo quidam impii homines tentant divinare fures, homicidas, ſagas *&c.* Hæ ſortes aliquando in ſpeculationem meram aſſumuntur, ſcilicet ad ſolam cognitionem alicujus rei occultæ capeſſendam. Et tunc non egrediuntur malitiam ſuperſtitionis: aliquando verò ad praxin adhibentur, v. g. ad deprehendendum vel puniendum occultum furem; & tunc præter peccatum ſuperſtitionis, etiam continent peccatum mortale injuſtitiæ; puta: injuſtæ diffamationis vel punitionis, delicto debitè non probato. Quò pertinet damnatiſſima praxis, quâ milites aliive præſertim nobiles, cauſæ ſuæ juſtitiam, duellô decidere ſolent, quaſi ille, pro nocente, ſeu injuſtam cauſam fovente, habendus eſſet; qui in privato certamine occubuiſſet De ſortibus divinatoriis, vide *Sylvium,loc. cit. art.* 8. *concl.* 4.

29. Deſcriptis ſuperſtitionibus, affinis eſt *vana obſervantia*, quâ quis utitur mediis, nec à natura, nec à Deo, nec ab Eccleſia, ordinatis, ad conſequendum aliquod bonum, aut vitandum vel avertendum aliquod malum, vel inferendum alteri aliquod damnum. Circa hæc tria enim omnis verſatur nedum vana obſervantia, ſed & Magia. *Vana* dicitur hæc obſervantia; vel, quia non conſequitur effectum intentum; vel: ſi conſequitur, ſemper plus nocet, quàm proſit, & licet interdum corpori prodeſſe videatur, certò tamen animæ nocet, ob offenſam Divini Numinis. Hîc recolenda ſunt ea, quæ ſupra, de pacto im-vel explicito cum Dæmone, dicta ſunt.

Vana obſervantia inde diſcriminatur à Divinatione, quòd *hæc* primariò & per ſe ordinetur ad ſpeculativam rei occultæ vel eventûs futuri cognitionem; licet, ùt ſupra memoratum; quidam exinde moderentur ſuas actiones, & ſpeculationem ad praxin convertant. *Illa* verò præcipuè, imò totaliter, tendat in cognitionem practicam, quidpiam agendo vel omittendo.

Varias ſub ſe habet ſpecies, Vana Obſervantia; quæ tamen ſub his tribus coarctari poſſunt; videlicet *Arte notoria*, *Obſervantia eventuum*, & *Obſervantia ſanitatum*.

Per *Artem notoriam*, intelligitur Superſtitio, quâ quis, ſine ſtudio & per media inordinata & improportionata, exſpectat ſcientiæ infuſionem aut acquiſitionem. Audivi: quòd *Francofurti ad Mænum*, ante annos aliquot, in Nundinis, quidam Necromanticus vendiderit ſchedulas pro eloquendis variis linguis, quando nempe ſchedula ab emptore maſticata & comeſta erat. Et notum eſt: hac arte, uti ſolitos *Anabaptiſtas*, qui profanæ Cœnæ ſuæ ſumpto poculo, ſubitò variis ſcientiis imbuti apparuerunt; ita, ut ſcripturas alioquin ignotas legere, & verba memoriter recitare potuerint, Dæmone hæc omnia in ipſis operante. Unde ſæpe evenit, quòd Catholici, per exorciſmos, cum magna confuſione, ipſis hujuſmodi ſcientias ademerint, & quòd converſi ad fidem orthodoxam, in priſtinam inſcitiam relapſi ſint.

Obſervantia eventuum eſt: quando quis ex cujuſdam rei impertinentis occurſu, bona vel mala ſibi aut aliis eventura ominatur, & inde actiones ſuas dirigit, obſervando facta, verba, loca, dies, occurſum hominis, leporis, vel alterius beſtiæ, cadaveris, aviculæ cantantis &c. Atque hæc obſervantia ſemper eſt lethaliter peccaminoſa, niſi excuſet ſimplicitas, bona fides, inadvertentia, indeliberatio, jocus aut ſimulatio, abſente tamen ſcandalo. Unde *D. P. Auguſtinus ſerm.* 241. *de temp.* inquit: *Auguria obſervare nolite, nec in itinere poſiti, aliquas aviculas cantantes attendite .... nullus ex vobis obſervet*,

ſervet, qua die de domo exeat, qua die iterum revertatur... ridiculas ſternutationes conſiderare & obſervare nolite. Et ſubjungit: quòd ſimilia contemnentes, de ſocietate Dæmonis diſcedant, adeóque ſupponit: quòd prædicta obſervantes, tacitam vel expreſſam ſocietatem cum Dæmone habeant, proinde graviter delinquant. Ex quo

Resultat: Aſſervantem ova excluſa die *Paraſceves*, ad extinguendum incendium; ferentem lignum patibulare, ad lucrandum in luſu; jejunantem & communicantem in die *S. Stephani*, ut imperitus etiam multis ictibus, non moriatur, retrocedentem ob occurſum vetulæ, animalis, cadaveris &c. per ſe loquendo, mortaliter peccare.

Obſervantia ſanitatum, eſt Superſtitio, quâ media inutilia adhibentur ad ſanitatem hominum aut brutorum conſervandam vel recuperandam. Hoc vitio ſe commaculant, qui characteres, ſcripturas, involucra, nomina ignota, aut alia hujuſmodi inutilia, deferunt aut applicant, ad curam morborum, ad vulnerum ſanationem, ad dolores mitigandos, ad ſiſtendum ſanguinem, ad ſe vel alios reddendos immunes ab hoſtium læſionibus, caſibus fortuitis &c. ut ſint duri ſeu impenetrabiles telis, enſibus, globis. Quinimò & illi, qui preces certas aut Pſalmorum verſus recitant, vel etiam res ſacras geſtant; v. g. Reliquias Sanctorum, Agnus Dei, Panem S. *Nicolai*, Evangelium S. *Joannis*, infallibilem NB. effectum inde exſpectantes, non procul abſunt à ſuperſtitione; ſiquidem præter Sacramenta & Sacramentalia, nihil eſt, quod ex Sacris etiam rebus, effectum operetur infallibilem. Abſit tamen, ut uſum ejuſmodi Sacrarum rerum vilipendamus, ócontra ad excitandam fiduciam in Sanctorum Patrocinium, vel maximè recommendamus, non tanquam media infallibilia, ſed talia, quibus divinam miſericordiam inflecti poſſe [ſi effectus intentus animarum ſaluti expediat] ſperandum eſt. Cæterùm, ad dignoſcendum, an obſervantia quæpiam ſit ſuperſtitioſa? conſiderare oportet, an certus & infallibilis exſpectetur effectus à quacunque re, quem res illa nec ex ſe, nec ex inſtitutione divina, neque ex ordinatione vel approbatione Eccleſiæ, producere poteſt. Profectò, quando omnis efficacia ponitur verborum quantumlibet Sacrorum, in aliqua circumſtantia vana & impertinente; veluti; ſi credatur, oportere ad ſanandum infirmum, recitare ter *Pater* & *Ave*, ante ſolis ortum; ſuperſtitionis inde argumentum deſumere poſſumus. De cunctis Divinationis & Vanæ Obſervantiæ ſpeciebus, vide *Franc. Sylvium* in 2. 2. *Divi Thomæ. quæſt.* 95. *art.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. Item *quæſt. ſeq. per tot.*

Religioni, per defectum, præcipuè opponuntur *Dei tentatio*, *Sacrilegium*, *Simonia*, *Perjurium* & *Blaſphemia*. De tribus prioribus, paucula hîc libabimus; de aliis acturi capite ſequenti.

30 Dei *tentatio*, eſt actus irreligioſitatis, quo quis ſine juſta cauſa, aliquid facit aut dicit, ad explorandam aliquam Dei perfectionem. Id quod duplici modo fieri poteſt. 1*mò*. Ad videndum, an defacto Deus illam habeat? 2*dò*. Non dubitando quidem de aliqua ejus perfectione, ſed ad cognoſcendum, an illam ſit patefacturus in tali caſu? Primum importat peccatum contra fidem, 2*dum*. Involvit peccatum *præſumptionis* contra ſpem, per exceſſum. Vide *S. Thomam* 2. 2. *q.* 97. *art.* 3.

Duplex eſt Dei tentatio; una *formalis* & *expreſſa*, altera *tacita* & *interpretativa*. 1*ma* eſt, vel cùm quis dubitans de aliqua Dei perfectione, v. g. an ſit ſummè verax, omnipotens? &c. petit id ſibi per mi-

miraculum manifeſtari: vel cùm non dubitans de aliqua Dei perfectione, vult tamen in ſe, vel in alio, illius experimentum videre. ùt: ſi quis ſolus exiſtens in ſylva, nolit quærere cibaria, ut experiatur, an Deus ſit erga ſe providentiam ſuam oſtenſurus? Primo modo tentaverunt Deum Iſraëlitæ, *Exod.* 17. dicentes: *Eſtne Deus in nobis. an non?* & *Pſal.* 77. *Tentaverunt Deum in cordibus ſuis &c. Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Secundo modo, tentaret Deum, qui credens ipſum eſſe omnipotentem, ſeſe è turri præcipitaret, ut experiatur, an Deus ipſum ſit conſervaturus incolumem? 2*da*. ſeu *tacita*, eſt: quando quis nec dubitans de aliqua Dei perfectione, nec quærens illius experimentum, id tamen agit aut petit, quod ſuapte naturâ, ad Dei tentationem refertur. Veluti: cùm quis prætermiſſis remediis ordinariis, à natura vel Deo ordinatis, effectum à ſolo Deo exſpectaret: puta: abſque medicina commodè parabili, per miraculum, à morbo periculoſo ſanari vellet; vel: abſque prævio ſtudio, Theologiam docere, aut concionari præſumeret, temerè ſperans; ſe à Deo ſcientiam neceſſariam conſecuturum. Huc referendi ſunt: qui more Paganorum viventes, Chriſtiano tamen more, piè mori & ſalvari ſperant; aut: qui irreverenter tepidéve orantes, equidem impetrare ſperant, quæ Deus ſuppliciter & fervidè deprecantibus elargiri ſolet. Huc denique ſpectant, omnes innocentiæ probationes, quæ per miraculum fieri deberent; veluti: per tactum ferri candentis, vel immiſſionem in aquam ebullientem, abſque combuſtione vel læſione; quales probationes prohibentur in jure Canonico. *Can conſuluiſti. cauſ.* 2. *q.* 4. & *cap. ex duarum de Purgat. Canonica.* & *cap. fin. de purgat. Vulgari.* Exempla Sanctorum in contrarium, non imitanda omnibus ſunt, ſed potiùs admiranda; quia non abſque inſtinctu Dei, patrata ſunt. Confer *Delrio. lib.* 4. *Diſquiſ. Magic. cap.* 4. *q.* 4. Ubi oſtendit, quòd Deus interdum quidem per ejuſmodi purgationes, aliquorum innocentiam manifeſtaverit; ſed id contigerit, vel ob ſimplicitatem innocentium; vel; quia ad tales purgationes compellebantur. Porrò, quòd ipſe Deus *Numerorum cap.* 5. juſſerit, ut fœmina de adulterio ſuſpecta, innocentiam ſuam, aquis probaret; in tentationem non poteſt cadere, ſed lex Dei fuit vetus, jam abolita.

Præmiſſis non obſtantibus, ſi quis nullatenus dubitans de aliqua Dei perfectione, in extrema neceſſitate, præſertim publica, invocaret fervidè Deum, ut auxilium extraordinarium ferret, vel miraculum faceret, non foret Dei tentator. Qua ratione inculpabiles fuêre Sancti, qui, ut veritates Catholicas adſtruerent, ſe in ignem projecerunt, venenum hauſerunt, &c confidentes: Deum ſibi auxilio futurum. Quanquam ſecluſâ revelatione divinâ, aut abſque inſtinctu ſpiritûs S. tale quid non ſit temerè practicandum, ne fides noſtra infidelium ludibrio exponatur. Non enim Deus continuò, ad hominis etiam juſti petitionem, facit miracula; maximè, ſi nec per illa, prævisa ſit converſio incredulorum. Sic quippe ipſemet Chriſtus negavit ſignum petentibus Judæis, Dæmoni in deſerto tentanti; item *Herodi* ſperanti ſignum videre.

31. Sacrilegium *rigidè*, eſt Rei Sacræ aut cultui Divino dedicatæ, indigna tractatio. *Rigidè* inquam, latiore enim ſignificatu, ſonat quamlibet irreverentiam Deo factam.

Sacrilegium, eſt ex genere ſuo, peccatum mortale, tantò gravius, quò res violata eſt magis Sacra Proinde graviùs delinquit indignè tractans perſonam Sacram, quàm

Digitized by Google

quàm locum Sacrum, & ſic *de rebus* cum proportione. Hac de re agit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 99. *art.* 1.

Res Sacra, hîc dicitur omnis illa; quæ publicâ authoritate & ritu Eccleſiaſtico, ad cultum Dei vel uſum Sacrum, deputata eſt; non enim quiſque privatus, propoſito votoque ſuo, rem ſacram efficere poteſt. Ejuſmodi autem rerum ſacrarum ad cultum Dei, publicâ authoritate, conſecratarum, triplex eſt genus, ſcil. *perſonæ*, *loci* & *res* ab his diſtinctæ: indéque triplex conſurgit Sacrilegium, *perſonale* ſcilicet, *locale* & *reale*. Vide *can. quiſquis.* 17. *quæſt.* 4. & *Divum Thomam* 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 3.

Sacrilegium *perſonale*, eſt violatio ſeu læſio reverentiæ aut immunitatis, Clerico aut Religioſo ſive Profeſſo ſive Novitio, debitæ. Tale crimen committunt, qui in Clericos aut Religioſos (quo nomine etiam veniunt Moniales) manus violentas injiciunt, occidendo, lædendo, percutiendo; aut aliâ gravi injuriâ afficiendo; contra *Canonem. Si quis ſuadente*, *cauſ.* 17. *q.* 4. Item: qui eoſdem ad tribunalia laïca pertrahunt, aut eis injuſtè vectigalia imponunt; ſicut & illi, qui in perſonam Deo ſacratam, actum luxuriæ exercent.

Sacrilegium *locale*, eſt violatio loci Sacri, ſeu ad uſum pium publicè deſtinati. Nomine loci ſacri, intelligitur Eccleſia, Sacellum, Cœmiterium, Monaſterium aut Xenodochium, dummodò, Epiſcopi authoritate, erecta, licet nec conſecrata vel benedicta ſint. Nam ſolâ ſæculari authoritate erecta, ſine Epiſcopi conſenſu, non cenſentur Sacra vel Religioſa. Unde Eremitoria & Oratoria privata, licet in eis Miſſæ celebratio, ab Epiſcopo permiſſa ſit; non ſunt loca ſacra.

Locus Sacer violari poteſt, tribus modis 1*mò*. Per actionem, ipſum polluentem, puta: per injurioſam ſanguinis effuſionem, quæ pertingat ad peccatum mortale, & per homicidium, etiam ſine ſanguinis effuſione, patratum. Ubi *Obſerva*: quod, licet ad loci ſacri pollutionem, non ſufficiat inflictio vulneris extra locum ſacrum, etſi fiat effuſio ſanguinis intra; ſufficiat tamen inflictio vulneris intra, quanquam effuſio fiat extra. Sic & per homicidium, locus ſacer polluitur, dummodo intra Eccleſiam factum, ſive deinde ab exiſtente intra, ſive extra Eccleſiam. Ulterius pollutio loci ſacri fit, per illicitam & voluntariam humani ſeminis effuſionem, intra Eccleſiam. *Can. ult. De conſecrat. Eccleſ.* Copula tamen carnalis, incontinentiæ vitandæ causâ, habita à conjugibus, officii vel refugii causâ, diutiùs intra Eccleſiam manere coactis; non pollueret locum ſacrum. Denique, locus ſacer polluitur, per ſepulturam infidelis non baptizati, qui non fuerit Catechumenus [talis enim præſumitur mortuus cum baptiſmo *flaminis*) quòd, ſi proles in utero matris, cum ipſa matre defuncta, ſepeliretur, non pollueretur etiam locus ſepulturæ, quia proles non nata, cenſetur pars matris. Cæterùm, per ſepulturam excommunicati nominatim *nec tolerati*, pollui locum Religioſum, habemus, *ex can. Conſuluiſti. cod.*

2*dò*. Violatur Eccleſia, per actum profanum ſpecialiter ibi prohibitum, qualis eſt actus judicialis, maximè, criminalis. *cap. unic. De immunit. Eccleſ. in* 6. Pro actione pariter ſacrilega habetur, mercatura, negotiatio, emptio, venditio ſolemnis. *cap. decet. eod.* & ideo Chriſtus *Matth.* 21. & *Joan.* 2. vendentes & ementes, e templo ejecit, dicens: *Auferte illa hinc* &c. Pari ratione, prohibita ſunt in Eccleſia, clamores profani & tripudia. *cap. cum decorem. De vita & honeſt. Cleric.* Item commeſſationes. *can. non oportet. Diſt.*

42. ibi: *Non oportet in Baſilicis ſeu Eccleſiis*, Agapen *facere*, & *intus manducare*; videlicet ſine neceſſitate.

3tiò. Violatur locus ſacer, per illius effractionem aut ſpoliationem. Quinimò ſpolians & effringens ſimul, excommunicatur *ipsô factô*. Sæpe etiam violari contingit locum ſacrum (ſub quo hîc comprehenditur Monaſterium, Xenodochium ſaltem Epiſcopi authoritate erectum, ſicut & loca intra ambitum Eccleſiæ contenta, puta: ſacriſtia, campanile, &c. (per extractionem violentam aut fraudulentam perſonæ aſylo gaudentis. Pro quo ſciendum, quod per Conſtitutionem *Gregorii XIV. incip. Cum alias non nulli*. quidam immunitatis ſeu Aſyli privilegio priventur.

32. Et *1mò*. quidem Rei læſæ Majeſtatis, modò tamen & ipſemet Princeps lædatur, & à proprio ſubdito. *2dò*. Hæretici, ipſiſqus auxilium aut refugium præbentes; qui tamen extra cauſam hæreſis, immunitate gaudent, in criminibus non exceptis. *3tiò*. Homicidæ proditorii, id eſt, qui nullâ præhabitâ rixâ aut inimicitiâ, vel certè jam ſopitâ & depoſitâ, hominem inopinatò intrimunt. Etſi autem inimicum à tergo aut dormientem occidens, ſit homicida; non eſt tamen homicida *proditorius*, in ſenſu Conſtitutionis *Gregorianæ*, & proinde adhuc gauderet immunitate. *4tò*. Qui de die vel nocte agros alienos depopulantur, ſegetes aut vineas vaſtando. *5tò*. Latrones publici, id eſt; qui in viis publicis, prædantur. 6. Aſſaſini, id eſt; qui ex pacto, hominem incautum, ſeu inopinatò occidunt, vice & mandato alterius, qui & ipſe privatur immunitate. 7. Mutilantes vel occidentes in Eccleſia aut Cœmiterio, licet vulneratus extra moriatur. Idem eſt; ſi exiſtentes extra locum ſacrum, in loco ſacro, aliquem occidant vel mutilent. Confer R. P. *Pauwels. Tract. Theolog. de caſibus reſervatis. cap.* 27. §. 1.

33. Sacrilegium *reale* variè committitur pro varietate rerum ſacrarum, ùt diſtinctarum à perſonis & locis ſacris, quarum quatuor gradus aſſignat *D. Thomas* 2. 2. *q.* 99. *art.* 3. inquiens: *Primum & ſummum locum, inter res ſacras obtinent Sacramenta, quibus homo ſanctificatur, quorum præcipuum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, quod Chriſtum ipſum continet, & ideo Sacrilegium, quod contra hoc Sacramentum committitur. graviſſimum eſt inter omnia* Secundum locum poſt Sacramenta, tenent vaſa conſecrata ad miniſterium ſacrum, item: Altaria, Crux, Imagines Chriſti & Sanctorum, ac eorum reliquiæ; quippe, quæ reputantur, ùt inſtrumenta divini cultûs. Huc etiam ſpectant, Sacri liquores: Chryſma, Oleum Sacrum, aqua & alia benedicta. Tertium locum tenent omnia, quæ pertinent ad ornatum altarium & miniſtrorum, atque deſtinata ſunt ad divinum cultum, ut: paramenta; quæ privatâ authoritate, ad profanos uſus convertere non licet, juxta *can. ligna. De conſecrat. diſt.* 1. Dixi: *privatâ authoritate.* Nam authoritate Superioris Eccleſiaſtici, in publica neceſſitate, famis, belli, &c. teſte *Divo Ambroſio*, etiam vaſa ſacra frangere, conflare & vendere licet, ob majus præceptum charitatis. In Sacrilegii crimen etiam cadunt, qui Sacram Scripturam ſcienter pervertunt, ejúſve ſententiis abutuntur, ad irriſiones, jocos, mendacia; & maximè ad laſciviam; ſicut fecit impius *Beza*, teſte *Suarez. lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 6. Quartum locum cæteris remotiorem, obtinent omnia bona mobilia ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, fabricam Ædis Sacræ, pauperum alimentationem, alióſque pios uſus, Eccleſiæ relicta. Quamdiu tamen Eccleſia, hujuſmodi bona forte

Digitized by Google

tè per teſtamentum aliámve donationem relicta, needum poſſidet; injuſtitiam quidem committit illa retinens vel auferens; non tamen Sacrilegium; quia ante poſſeſſionem, non reputantur res ſacræ. Pari ratione, non ſolvens Decimas, propriè Sacrilegium non committit, licet ultrà injuſtitiam, quampiam committat irreligioſitatem ſeu irreverentiam in Deum in cujus Supremi Dominii recognitionem, Decimæ ſunt ſolvendæ.

34. Hìc porrò obſervandum; quòd juxta *canonem*: *quiſquis*. 17. *q*. 4. furtum *ſacrilegum* committatur, ſi auferatur de loco ſacro, res ſacra, vel ſacra de loco non ſacro; vel non ſacra, de loco ſacro; ut hac in parte, audiendi non ſint legiſtæ; qui ad Sacrilegium, utrumque conjunctim requirunt; ſcilicet; ut res ſit ſacra, & auferatur è loco ſacro. Sententia Canoniſtarum ideo tenenda eſt, quia fundatur in S. Scriptura. Siquidem 2. *Machab*. *cap*. 5. *Heliodorus* horribiliter ab Angelo flagellatus legitur, quòd voluerit ſpoliare ærarium templi, in quo res viduarum & pupillorum depoſitæ erant. De aliis rebus, in cuſtodiam, fidem & immunitatem Eccleſiæ, non receptis; ſed per accidens ibi exiſtentibus, quæſtio eſſe poteſt; an videlicet Sacrilegium committat, qui v. g. alteri crumenam abſcindit in Eccleſia, pecuniam, aliámve rem aufert? & verior eſt affirmantium opinio, quam tenent: *Angelus*, *Sylveſter*, *Armilla*. *Verb*. *Sacrilegium*. Ex ratione reverentiæ Eccleſiis debitæ. *cap*. *quiſquis*. *De immunit*. *Eccleſ*. Si enim mercatus in Eccleſia ſit prohibitus, quia in illo fraudes committi ſolent, ſanctitatem loci indecentes; quantò magis, ipſa furta decet ſpecialiter eſſe prohibita, in Eccleſia?

35. Jam pauca habe de *Simonia*, lato, & pro dolor! nimis frequentato vitio, quod quidem nomen traxit à *Simone Mago*, licet primus illius Author non fuerit, cùm plurimi in veteri lege, illâ peſte fuerint infecti. Ab illo tamen nomen hoc deſumptum & retentum fuit; quia ille primus, in nova lege, *Act*. 8. dona Spiritûs S. imò ipſum Spiritum S. emere voluit, ùt venderet, quæſtúmque inde faceret. *Simonia* itaque à Theologis, cum *D. Thoma*, definitur; Sacrilegium conſiſtens in ſtudioſa voluntate emendi aut vendendi rem ſpiritualem aut ſpirituali annexam, pro re temporali, tanquàm pretio. *Pretio* inquam; ſi enim alio titulo, quid detur aut etiam petatur, v. g. per modum eleëmoſynæ, ſtipendii aut ſuſtentationis miniſtri ſpiritualia peragentis; non eſt Simonia.

Pretium, intuitu Simoniæ, paſſim triplex aſſignatur, ſcilicet: *munus à manu*, *munus ab obſequio*, & *munus à lingua*.

36. *Munus à manu*, eſt pecunia ſive data ſive promiſſa, & quælibet res temporalis pretio æſtimabilis, ſive mobilis, ſive immobilis; ſicut & ſolutionis dilatio aut debiti remiſſio.

Quid, ſi quis pro conſequendo Beneficio, promiſerit pecuniam, quam vel non habet, vel dare non intendit? ℞. Talem equidem Simoniam committere, quia verum eſt, quòd intuitu pecuniæ, Beneficium comparaverit, & pecunia in pactum fuerit deducta.

37. Quòd, ſi quis intuitu conſanguinitatis aut affinitatis, alteri conferat Beneficium; ideo hanc labem non contrahit. Tum, quia ibi nullum intervenit pactum; tum, quia aliunde, parentela, non eſt pretio æſtimabilis. Peccare tamen poſſet contra juſtitiam *diſtributivam*, ſi alicui conſanguineo minus digno conferret, præteritis aliis dignioribus.

38. Ut in rigore, Simonia committatur; debet ex pacto *oneroſo* & *obligatorio*, temporale dari vel promitti, *tanquam* *pre-*

pretium, æquiparatum rei ſpirituali, ſeu ſacræ, ùt talis eſt. Unde non eſt Simonia, dare rem ſpiritualem pro ſpirituali, v. g. Reliquias pro Reliquiis, Calicem pro Ciborio, unum Beneficium cum altero commutare, legitimâ tamen authoritate, de quo poſtea. Item: dare rem temporalem pro ſpirituali, *materialiter* tantùm conſiderata; ùt pecuniam pro calice, quantî valet argentum & artificium. Item: dare rem temporalem, pro ſpirituali functione, v. g. Miſſæ celebratione, Sacramentorum adminiſtratione *&c* non in pretium æquiparatum ipſi rei ſacræ; ſed ſolùm in ſtipendium ſuſtentationis miniſtrorum. *Dignus enim eſt operarius mercede ſuâ. Matth.* 10. *& quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Si vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus?* inquit Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 9.

Dixi ſupra: ad Simoniam committendam, debere intercedere *pactum oneroſum*, ex-vel implicitum, ſcilicet: de danda re temporali pro ſpirituali. Secluſo enim tali pacto, non erit Simoniacum, accipere vel dare rem temporalem pro ſpirituali, vel ècontra, puta: per modum gratitudinis. Unde *Innocentius XI.* ex hypotheſi, quod intervenerit pactum ſaltem implicitum, damnavit hanc propoſitionem, ordine 45*tam*: *Dare temporale pro ſpirituali, non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel etiam, quando temporale, ſolùm ſit gratuita compenſatio pro ſpirituali aut ècontra.* Prædicta tamen ita intelligenda ſunt, ſi videlicet gratitudinis, amicitiæ aut charitatis causâ quidpiam pro re ſpirituali dans, ita ſit diſpoſitus, ut etiamſi beneficium non exſpectaret, illud equidem fuiſſet daturus. Unde poſt damnatam illam propoſitionem, probabiliùs & menti SS. Patrum, conformiùs eſt, quòd, quando quis ita dat alteri temporale, ut illud non eſſet daturus, niſi ſperaret ab illo recipere ſpirituale; verè ſit Simoniacus, licet nulla intervenerit conventio vel animus alterum obligandi. Quò facit, quòd Pontifex *cap.* 34. *De Simonia* aſſerat; *eum*, qui ceſſerat Eccleſiæ bona ſua, ut in Canonicum reciperetur, & *eos*, qui ipſum eam ob cauſam, in Canonicum receperant, fore apud diſtrictum judicem, culpabiles, *Si* ILLE *non fuiſſet bona daturus, niſi Canonicatum ſperâſſet*, HI *verò non fuiſſent eum admiſſuri, niſi commoda temporalia percepiſſent.* Ratio peremptoria eſt; quia, qui dando temporale, principaliter intendit Beneficium; virtualiter intendit, ut *temporale*, ſit pretium Beneficii, ad quod aſpirat: in hoc autem conſiſtit formaliter malitia Simoniæ. Ergo. *Confirmatur.* Nam eadem eſt ratio Simoniæ ac uſuræ; atqui mutuò dans, pecuniam illam non daturus, niſi aliquid ultra ſortem ſperaret; committit uſuram. Ergo à pari. *Minor* probatur, ex *cap.* 10. *De Uſuris* Ubi habetur; quòd *in judicio animarum, quaſi Uſurarius debeat judicari, qui non alias mutuò traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, ut (licet omni conventione ceſſante) plus tamen ſorte recipiat.* Ad hæc; in eo conſiſtit Simoniæ deformitas, quòd res ſacra, contra reverentiam ipſi debitam, ordinetur ad lucrum & quæſtum temporalem: jam autem, qui dat ſpirituale, illud non daturus, niſi temporale exſpectaret, & ècontra; defacto rem ſacram ordinat ad lucrum temporale. Ergo &c. Porrò, non eſt veroſimile, famoſos in Sacra Scriptura Simoniacos; *Balaam*, *Giezi*, & *Simonem Magum*, aliter temporale obtuliſſe aut recepiſſe, quam ex ſola intentione recipiendi aut offerendi ſpirituale; ſiquidem in ſacra pagina, nulla ſit mentio cu-

juſdam

juſdam pacti aut pretii. & ſanè; alioquin ſoli homines plumbei, Simoniam committerent, cùm nihil ſit faciliùs, quàm abſtinendo ab omni conventione, munus alteri offerre, ex motivo & fine conſequendi Beneficium Quocircà, cùm *D. Thomas* dixit; ad Simoniam requiri emptionem aut venditionem; intelligendus eſt, de emptione & venditione *largè* ſumptâ, prout includit donationem alicujus rei temporalis, factam, ex motivo & fine principali, obtinendi ſpirituale & è contra; ſive interim pactum intercesſerit ſive non. Unde in 4. *Diſt.* 25. *q.* 3. *art.* 3. ſimpliciter dixit: *Quicunque pro aliquo temporali commodo, dat aliquod ſpirituale, vel annexum, Simoniam committit.* Quinimò, *Quodlibeto* 8*vo. art.* 11. diſertè definit: *Canonicum euntem ad Eccleſiam, ut diſtributiones recipiat, Simoniam committere, ſi videlicet ob hunc finem principaliter Eccleſiam frequentet.* Jam verò liquet; quòd in iſto exemplo, nec pactum, nec pretium ſtrictè ſumptum, interveniat. Dico: *pretium ſtrictè ſumptum.* Nam ceſſante omni conventione & rei æſtimatione; pretium *largè* dici poteſt, quidquid etiam modicum, datum vel acceptum fuerit, ex intentione conſequendi vel dandi ſpirituale.

40. *Munus ab Obſequio*, eſt, quodlibet ſervitium in alterius commodum ſeu utilitatem præſtitum vel præſtandum, ut: v. g. Scribæ, Procuratoris, Advocati, Sacellani &c. Sic Simoniæ reus eſſet Epiſcopus, qui Vicario, Viſitatori, Actuario, Sacellano, loco ſalarii annuatim debiti, promitteret vel conferret Beneficium Eccleſiaſticum.

41. Per *munus à lingua*, intelliguntur preces, ſupplicationes, laudes, adulationes, recommendationes. Sic Simoniacus eſſet Collator Beneficii, paciſcens aut ſaltem principaliter intendens, ut Beneficiatus ipſum, vel alium, recommendet apud Principem, ejus nobilitatem, ſcientiam &c. deprædicet. Licet autem hujuſmodi munera *à lingua*, videantur coïncidere cum muneribus *ab obſequio*; propriè tamen ab his diſtinguuntur, per hoc; quòd munera *à lingua* intelligantur illa, quæ vendi non ſolent, nec præſtari per modum ſervilis obſequii, aut miniſterii; qualiter præſtari ſolent munera *ab obſequio.* Si igitur

42. Quæras: An ſit ſimoniacum dare Beneficium propter preces? ℞. Non eſſe ſimoniacum, poſtulare à Prælato Beneficium, aut obtinere illud, per preces etiam importunas, ſupplicationes, laudes &c. Nam hujuſmodi preces, nihil per ſe mali involvunt, ſecluſâ omni promiſſione extrinſeci boni pertinentis ad munus *à manu* vel *obſequio*; cùm nihil interveniat temporale; ut preces iſtæ non poſſint habere rationem pretii, & Prælatus earum intuitu motus, nequeat dici Simoniacus, ſi Beneficium petenti conferat. Neque ea res, concernit vitium aliquod repugnans juri divino; cùm dare propter preces, non ſit vendere, nec Prælatus conferens, recedat à gratuita donatione; Proinde, per preces, ſibi vel alteri, obtinens Beneficium; non poteſt dici illud emiſſe, quia non obtinuit mediante re, pretio æſtimabili. Neque id repugnat juri humano; quia id nullibi invenitur prohibitum, ſed potiùs in jure canonico, varia exſtant exempla, quibus probatur; quòd Pontifex ad preces & ſupplicationes, contulerit Beneficia & Præbendas. Confer *can. latorem.* 121. & *c. filium.* 122. *cauſ.* 1. *q.* 1. *cap. tua nos.* 34. *De Simon.* Igitur, tunc preces, laudes, recommendationes, labem continent ſimoniacam; ſi collator intendat obligare Beneficiatum, ut ipſe vel alius nomine ipſius, pro ſe Collatore, alibi pre-

ces.

ces interponat; vel; ſi Beneficiatus alteri, pro interpoſitis precibus, rem temporalem, tanquam pretium, præſtiterit. Nec *Obeſt*, quòd in ſecundo hoc caſu, Collator liberè conferat; quia is quidem ratione ignorantiæ excuſatur, non excuſatur tamen *Conciliator*, qui preces vendit, virtute quarum, quantum in ſe eſt, vendit Beneficium. Niſi id, quod datur, detur nomine moleſtiarum. Vide *Zoëſ. ad tit. de Simonia. n* 60. & 80. Si

43. Petas: An licitum ſit, uti viro potente aut familiari ſummo Pontifici, Epiſcopo aut alteri Collatori, ad conſequendum, ejus precibus, Beneficium? ℞. Si precibus inducatur, ut ſuas interponat preces, aut familiaritatis ratione commendet, & ita impetret Beneficium, nihil magìs vitii ea res videtur involvere, quàm, ſi quis ſuis precibus, immediatè, Beneficium impetraret, cùm preces illæ duplicatæ, non ponant pretium temporale; & timorati homines, adhibere ſoleant conciliatores apud Collatores, ut faciliùs deſiderii ſui reddantur compotes. Quòd, ſi pro ſuffragio aut precibus, detur aut promittatur quid temporale; non careret res vitio, eò quòd videatur quis pretio conſequi Beneficium, ſaltem *in cauſa morali.*

44. Simoniam, ex genere ſuo, eſſe peccatum mortale valde grave, colligitur, ex *Act.* 8. Ubi *Petrus Simoni Mago*, pro donis Spiritûs S. pecuniam offerenti dixit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Et in jure Canonico, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, Simonia paſſim vocatur *Flagitium execrabile*. *Ratio* eſt: tum, quia res ſacra valdè vilipenditur, dum rebus caducis & vilibus æquiparatur, per emptionem aut venditionem: tum, quia magnum Eccleſiæ cauſatur detrimentum, dum propter avaritiam, Beneficia conferentium & ambitionem poſtulantium, aſſumuntur miniſtri ſæpe indigni. Quinimò Theologi, in hoc crimine, non admittunt materiæ parvitatem: Nam, vel levitas materiæ, peteretur ex parte pretii; & tunc, quò vilius eſt pretium, eò magìs vilipenditur res ſpiritualis: vel peteretur ex parte rei ſacræ; verùm, quantumlibet ſit modica; nihilominus verè ſpiritualis eſt, ſortitúrque totam rationem rei ſacræ, & ideo, cùm ſit altioris ordinis; non poteſt ſine grandi piaculo, humano commercio ſubjici. Proinde graviter delinquunt, qui Agnos Dei, cereos, ſcapularia, panem & hujuſmodi benedicta, cariùs vendunt propter benedictionem.

45. Celebris eſt Simoniæ diviſio in eam, quæ eſt juris *divini naturalis*, & in eam, quæ eſt juris *humani*, ſeu *Eccleſiaſtici tantùm. Prima*; quæ prohibita, *quia mala*, committitur in emptione aut venditione rerum ſacrarum aut ſacris annexarum, ùt dictum. Et contra illam nihil valet, aut operatur contraria conſuetudo, aut ſummi Pontificis diſpenſatio. *Secunda*, quæ mala eſt, *quia prohibita*; incurritur in emptione aut venditione certorum officiorum, quæ nihil ſpirituale aut ſpirituali annexum important, ſed tantùm, ad temporalem Eccleſiæ adminiſtrationem ſpectant; ùt ſunt: Officia Sacriſtæ, Theſaurarii, OEconomi rerum Epiſcopi, Advocati Eccleſiæ, ſpecialiter & ex officio, ad hoc deputati; quorum officiorum venditio, ùt Simoniaca prohibetur in Concilio *Calced.* & *can.* 8. *cauſ.* 1. *q.* 3. Simoniaca quoque reputatur privatâ authoritate, facta Beneficiorum inter ſe permutatio: Tametſi enim talis permutatio non ſit ex ſe mala; cùm non detur ſpirituale pro temporali, aut ècontra; juſtiſſimè tamen ab Eccleſia prohibetur, propter abuſus & imaginem humani commercii.

46.

46. Dices: Sicut Eccleſia prohibet vendi officium Sacriſtæ, Theſaurarii, *&c.* ita prohibet vendi bona Eccleſiæ temporalia, puta: agros, domos, *&c.* atqui horum venditio non eſt ſimoniaca. Ergo neque illa. ℞. Sub diverſis motivis, venditionem utrámque eſſe prohibitam. *Prima* enim ex motivo Religionis, in reverentiam rerum ad loca ſacra pertinentium, & iis quaſi affinium, vetita eſt. *Altera* verò, ex motivo ſpecialis providentiæ, ne bona Eccleſiæ diminuantur, deteriorentur, *&c.* interdicta: & ideo ex diverſo, puta: Religionis, motivo, *prima* tanquàm Simoniaca, Sacris Canonibus prohibita, non *ſecunda*.

47. Theologi & Canoniſtæ paſſim, ulteriùs Simoniam, tam jure Eccleſiaſtico, quam Divino, prohibitam, dividunt, in *mentalem*, *conventionalem* & *realem*.

Mentalis dupliciter accipi poteſt; ſemel pro nuda voluntate committendi Simoniam, v. g. emendi Beneficium abſque eo, quòd exteriùs quid fiat; planè, ſicut deſiderium fornicandi, dicitur fornicatio mentalis, ſecundò verò ſumi poteſt pro actione externa, facta ex intentione ſimoniaca, licet ex ſe aut ex circumſtantiis, Simoniæ imaginem non præſeferat. Velut; ſi quis equum Epiſcopo offerat, exteriùs quidem ex amicitia, interiùs autem ex intentione obtinendi pro ſe vel pro alio Beneficium. Aut: ſi Prælatus exteriùs ſimulet, ſe gratìs alteri conferre Beneficium; interiùs autem intendat Beneficiatum obligare ad munus *ab obſequio*, v. g. ut agat Secretarium Sacellanum *&c.*

Conventionalis, mentali ſuperaddit conventionem externam, tacitam vel expreſſam dandi temporale pro ſpirituali, aut viceverſâ, abſque tamen executione ſaltem utrimque facta. Proinde, hæc Simoniæ ſpecies committitur non tantùm, quando collato Beneficio, necdum eſt ſolutum pretium, aut quando oblato pretio, nondum eſt collatum Beneficium; ſed etiam, quando neutrum datum eſt, dummodò de dando, pactum præceſſerit.

Realis ultra mentalem & conventionalem, importat executionem utrimque factam. Sufficit tamen ad conſtituendam hanc Simoniæ ſpeciem, ſi utrimque aliquid ſit traditum, licet non totum. Quidam prædictis ſpeciebus addunt Simoniam *Confidentialem*, dictam â confidentia, quâ quis alteri confert Beneficium, ut illud poſtea, ſibi aut alteri, reſignet; aut ſaltem partem fructuum retribuat. Verùm; ſi conferens Beneficium, ſolùm mente intendit alterum obligare, eſt Simonia *Mentalis*, ſi verò onus illud in pactum deducit; eſt Simonia *Conventionalis*; aut, ſi pactum illud utrimque compleatur; eſt *Realis*, adeóque *Confidentialis* non conſtituit ſpeciem diſtinctam.

Non eſt noſtri propoſiti, infinitos diſcutere caſus, quibus Simonia committi ſolet; nobiliores tamen quæſtiunculas, ex quibus de aliis, prudens efformari poterit judicium, hîc reſolvemus.

48. *Quæſtiuncula* 1. An abſque Simoniæ vitio tranſigi poſſit ſuper Beneficio litigioſo? ℞. Gratuitam & amicabilem compoſitionem ſuper lite in Beneficialibus, eſſe probatam, non verò eam, in qua quid temporale alteri deſiſtenti dandum, id quod in tranſactione propriè dicta, contingere debet, juxta *cap.* 7. *De Tranſact.* Nam res ſpiritualis, pretio temporali, æſtimaretur, quod vetitum *cap. fin. De pactis.* & hoc procedit, ſi etiam ſpirituale pro ſpirituali litigioſo, detur alteri ut deſiſtat: Jura enim ſimpliciter damnant tranſactionem propriè dictam in ſpiritualibus, præcipuè beneficialibus, niſi cohoneſtetur authoritate Epiſcopi. *cap Conſtitutus. De Tranſaction.* Quòd, ſi

duo

duo ſuper pluribus Beneficiis litigent; propriâ authoritate tranſigere nequibunt; ut unus unum, alter alterum Beneficium accipiat, nam, ſi, ùt ſupponitur, utriuſque jus ſit dubium; non poteſt per tranſigentium voluntatem quid juris in alterum transferri, qui fortaſsè nihil juris habet. Quòd, ſi uterque proprium Beneficium poſſideat, & alter alteri litem moverit; etſi ſine vitio, convenire poſſint, ut uterque à lite recedat, retento Beneficio proprio; ſine authoritate Prælati; quia ea res tantùm continet ſolam ceſſationem ab impugnatione juris alieni, & ſapit compoſitionem non tam ſuper Beneficio, quàm ſuper lite nullo pretio interveniente: equidem, nec illo caſu, licitè tranſigetur, ita, ut unus alterius Beneficium habeat, quia id eſſet Beneficia permutare. quod abſque Prælati authoritate. fieri non poteſt, ut abſit Simonia jure Eccleſiaſtico inducta. Confer *Suarez. de Simonia. cap.* 51. n. 11. Ubi fusè hanc tractat quæſtionem.

49. *Quæſtiuncula 2da.* An poſſit Prælatus ex cauſa tranſactionis, conſtituere alteri, qui cedit, penſionem perſolvendam ab eo, penes quem Beneficium manet? *Ratio dubitandi* eſt; quòd ea res videatur continere compenſationem juris ſpiritualis, pro onere temporali, quod improbatum *cap. 2. De Arbitris.* & *cap. fin. De rerum permut.* ℞. Tamen, poſſe Prælatum, in quem compromiſſum eſt, ex mero arbitrio, rem controverſam taliter componere, ut uni Beneficium aſſignet, eúmque gravet penſione alteri præſtandâ. & ita expreſsè deciſum *in cap. niſi. De Præbend.* & firmat *Suarez loc. cit. cap.* 51. *n.* 17. Cæterùm, penſio ſic authoritate Epiſcopi conſtituta, non durabit tantum ad vitam ejus, qui eam ſolvere juſſus eſt, ſed Beneficio ipſi adhærebit, durabítque ad vitam ejus, cui perſolvenda. & ita docet *Gigas. de Penſionib. quæſt* 6. *n.* 3. & 4. cum aliis, quos citat. Nec obſtat *dict. cap. Niſi.* Quia ibi eſt ſermo de penſione abſque Epiſcopi authoritate, privatorum arbitrio conſtituta. Diſſentit *P. Henno tract. in Decal. diſp.* 1. §. 5. *concl.* 4.

50. *Subquæri* poteſt; an idem ſit ſtatuendum, ſi partes de conſtituenda penſione antecedenter convenerint, & conventionem ſuam Epiſcopo propoſuerint, ut is eam approbaret? *Ratio dubitandi* deſumi poteſt, à permutatione, quæ præviâ partium conventione, approbari poteſt ab Epiſcopo. Sed contra reſcriptum in *cap.* 4. & *cap.* 9. & 10 *de Tranſact.* Ubi ea conventio ſimoniaca judicatur, ſi partes concordaverint, ut ſopiendæ litis causâ, penſio ſolvatur ei, qui à lite diſceſſerit. Nec Obest argumentum deductum à permutatione; quia in illa, agitur de permutandis rebus ſpiritualibus inter ſe *principaliter*; licet *acceſſoriè* veniant res temporales; hîc autem agitur de dando temporale illi, qui litem deſerit, quod ſapit labem, ſi partium conventio præcedat, ut tantùm nudo arbitrio judicis id ſit concedendum, pacis causâ. *cap. niſi. cit.* & eò facit *cap. cum quidem.* 3. *De Pactis.*

51. *Quæſtiuncula 3tia.* An ſit Simoniacum, ad *redimendam vexam*, pro conſequendo pacifico Beneficio, alteri dare rem temporalem? ℞. In caſu Beneficii juſtè acquiſiti & obtenti, non eſt Simoniacum, redimere vexationem, quæ iniquè infertur, vel inferri probabiliter timetur. Prout plerique tenent cum *Gloſſ.* 1. *in cap. Dilectus.* 28. *De Simonia. Azor p.* 3. *cap.* 11. *quæſt.* 4. *Suarez loc. cit. cap.* 50. *n.* 2. & *ſeq. Navar. in Summa. cap.* 28. *n* 102. § 8. Fundamentum noſtræ reſolutionis, deſumitur ex cit. *cap.* 28. in quo cogitur quidem reſtituere is, qui accepit, ut deſiſteret ab injuſta læſione; non

Digitized by Google

non reprehenditur tamen is, qui dedit. Et eò facit *can. quæſitum. cauſ.* 1. *q.* 3. Ubi Religioſi, vexationes ejusſmodi redimentes, quas patiebantur in Eccleſiis à ſe poſſeſſis, nihil peccáſſe ſupponuntur: cujus ratio eſt, quòd dans ex tali cauſa pretium, non det illud, pro re ſpirituali, ſed pro vitanda injuria, neque per illud quid ſpirituale acquirat, quia illud jam habere ſupponitur. Confer *Zoëſium ad tit. De Simonia.* ubi reſpondet ad *cap. Mattheus.* 23. *eod.*

Ad hoc igitur, ut redemptio vexæ ſit immunis à ſimoniaca pravitate, requiritur 1*mò*. Ut jus jam ſit plenè acquiſitum; quia needum acquiſito jure, non licet pretio redimere vexationem. Nam, ſi jus needum habetur, licet redimendo vexam, non detur immediatè pro re ſpirituali; mediatè tamen cenſeretur acquiri pecuniâ jus tale, ſi videlicet is, cui pretium datur, talis ſit, ut prodeſſe poſſit ſuo ſuffragio, tunc enim videtur ejus ſuffragium pecuniâ emi. 2*dò* Ut vexatio ſit injuſta: nam ſi vexatio juſta fuerit, & lis juſtè intentata; non poteſt non videri redimi ſpirituale, quod & dicendum, ſi cauſa ſit dubia, quia tunc redemptio litis, afficeret rem ſpiritualem. 3*tiò*. Ut res quæ datur pro illicita vexatione tollenda, ſit temporalis; nam, ſi daretur ſpiritualis; utique committeretur Simonia, quia daretur pro temporali, ſcilicet pro injuſta vexa, quæ temporalis eſt. Confer Eximium P. noſtrum *Piette. Elucidationis difficiliorum Theol. quæſt. part.* 5. *cap.* 1. *quæſt.* 7. *pag.* 175. Ex quo

Sequitur quod accipiens quid temporale, ut ab injuſta vexatione deſiſtat, teneatur quidem acceptum reddere, non tamen committat Simoniam; quia, ùt dictum, vexatio iſta, licet ſit injuſta, non tamen ponit quid ſpirituale, ſed eſt quid merè temporale, ut proinde abſque Simonia, pro ceſſatione ab illa, quid accipi poſſit.

52. Huc ſpectans *quæſtio* moveri poſſet: an abſque Simonia, poſſit dari pecunia, ad redimendam injuſtam vexam, ſuper denegata poſſeſſione, etiam poſt acquiſitum plenum jus in beneficio, quò ad proprietatem ſcilicet? Probabiliùs ℞*tur affirmativè*, ex ratione; quòd poſſeſſio ſecundùm ſe ſpectata, non tam ſit jus ſpirituale, quàm factum quoddam corporale, & eatenus tantùm ſit annexa rei ſpirituali, quatenus ex ejus titulo dependet Habito autem titulo ſpirituali, iſtud factum corporale, eſt immediatè debitum, & per ſe peti poteſt, adeóque redimendo vexam, circa factum poſſeſſionis, non emitur quid ſpirituale. Quod tamen procedit tantùm in caſu, quo jus circa proprietatem, eſt certum; nam, ſi circa illam dubium foret, ideoque negaretur poſſeſſio, tunc non redimeretur ſola per ſe poſſeſſio, ſed ut annexa juri, & ſic quoque jus ipſum. *Navarrus, in ſumma. cap.* 23. *n.* 102. §. 8. *Zoëſ. ad tit. de Simonia n.* 66. Idem dicendum, ſi poſſidenti beneficium denegentur fructus, qui citra ullam labem redimi poterunt. *Zoëſ. ibid.* Porrò, ut prædicta redemptio ſit licita, volunn aliqui, ut ſine magno incommodo aut mora, non poſſit adiri ſuperior, qui vexationem auferat. Verùm, etſi iſthæc limitatio obſervanda ſit pro foro externo, ad evitandam præſumptionem Simoniæ; poſitâ tamen reverà vexatione, in foro conſcientiæ, redemptio procedet.

53. *Quæſtiuncula 3tia.* An licitum ſit præſentare aliquem ad beneficium litigioſum, ſub onere, ut ſuis expenſis litigando, probet, jus præſentandi, pertinere ad præſentantem? ℞. Pactum tale non videri immune à labe ſimoniaca, eò quòd quaſi loco pretii præſentationis, talis obligatio taléque onus exigatur. Confer *Navarrum*,

Digitized by Google

varrum, Conſil 12. *n.* 1. *ad tit. De Simonia.*

54. *Quæſt. 4ta.* An quis reſignare poſſit beneficium multis expenſis obtentum, ſub conditione, ut Reſignatarius hujuſmodi expenſas refundat? *Ratio dubitandi* eſt, quod Reſignans non videatur aliud petere, quàm indemnitatem, cùm de cætero, gratìs alteri cedat beneficium. ℞*tur.* tamen ſubeſſe labem, quia onus ſolvendi tales expenſas, eſt quid extrinſecum & temporale, cujus intuitu, beneficium datur, quod alias non daretur. Dein, expenſæ illæ non concernunt utilitatem ejus, cui fit Reſignatio, ſed ejus, qui reſignat, ut non rectè exigantur. Confer *Flaminium. De Reſignat. Benef. lib.* 14. *q.* 7. *Binsfeld. ad cap. cum eſſent.* 12. *De Simon. q.* 6. *concl.* 8.

55. Similis eſt *quæſtio*, an in beneficiorum permutatione, licitum ſit pactum, ut alter ſolus expenſas ferat pro expeditione Bullarum? ℞. *Negativè.* Cùm enim res iſta utrumque reſpiciat, non citra labem, alteri tantùm, onus imponitur, quod onus eſt pretio æſtimabile, & ſuſcipi cenſetur in recompenſationem Beneficii.

56. *Quæſt. 5ta.* An Reſignatio Beneficii Eccleſiaſtici, ſub penſione, ſit licita? ℞. Nequaquam: ſed eſt ſimoniaca & jure nedum humano, ſed & divino prohibita. Quia ejuſmodi Reſignatio expreſſam continet commutationem rei ſpiritualis pro temporali, penſione ſcilicet pecuniaria. Ac proinde, ſicut numeratio pecuniæ pro beneficio poneret Simoniam, contra jus divinum; ita & hæc ponet, cùm reſervatio penſionis æquivaleat numerationi pecuniæ, & utraque ex æquo contineat commodum merè temporale. Vitium igitur hoc aliter vitari non poteſt, quàm, ſi talis Reſignatio fiat in manibus ſummi Pontificis, qui de plenitudine poteſtatis ſuæ, circa omnia bona Eccleſiaſtica, poteſt fructus ſeparare à beneficio, atque ita illos pretio æſtimare & gravare, prout tenent Canoniſtæ communiter. Cæterùm, & ipſe Papa non poteſt indiſcriminatim & pro lubitu, admittere Reſignationes beneficiorum ſub penſione, ſed id facere debet, ex cauſa à Reſignatione diſtinctâ. Cùm enim Reſignatio debeat fieri gratìs; utique Pontifex tanquam fidelis bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſator, juſtam debet habere cauſam, cur ad talem penſionem obliget Reſignatarium. Erit autem cauſa ſufficiens, neceſſitas reſignantis, vel etiam conſideratio laborum, quos alter, cui penſio aſſignatur, in ſervitium Eccleſiæ ſuſcepit: concionando, Sacramenta adminiſtrando, Theologiam docendo, Hæreſes confutando &c. Ad hæc; tanta non debet eſſe penſio, ut Beneficiatus ipſe non poſſit vivere, unde excedere non debet tertiam partem, aut ſaltem medietatem fructuum: qua de re pro praxi, videndus eſt *Pirrhus Corradus.*

Igitur penſio non poteſt creari propriâ authoritate partium, imò nec Epiſcopi, quia jure Canonum hæc facultas ſoli Papæ reſervata eſt, & conſequenter negata Epiſcopis, niſi conſuetudo legitima in particulari caſu, aliud permittat, ſicuti receptum: ut Epiſcopus Parocho ob ſenium vel infirmitatem Parochiam dimittenti, penſionem, id eſt, jus percipiendi partem fructuum, pro ſuſtentatione conſtituat & reſervet; quæ tamen penſio cum morte penſionarii exſpirabit. Confer Prælaudatum *P. Piette loc. cit. pag.* 175. & infra latiùs *quæſt.* 9. *pag.* 196. *& ſeqq.*

57. *Quæſt. 6ta.* An Reſignatio in favorem tertii, ſit ſimoniaca? Certum eſt Reſignationem purè & abſolutè factam, ſine deſignatione perſonæ, cui conſultum velit reſignans, nec per ſe malam eſſe nec prohibitam, eò quòd neutiquam de-

tur

tur temporale pro ſpirituali. Unde licitè fieri poterit in manibus inferiorum Prælatorum, imò & collatorum, ubi conſuetudo hoc introduxit, exceptis majoribus, ut in renuntiationibus Epiſcopatuum & ſimilium, quæ non fiunt, niſi in manibus ſummi Pontificis, propter præjudicium Eccleſiarum. Certum etiam eſt, non eſſe contrariam juri divino Simoniam, reſignare beneficium in favorem tertii, cui bene voluerit reſignans, ût tradit *Covarruvias. lib.* 1. *variar. reſolut. cap.* 5. *n.* 3. Cùm non detur hac ratione, temporale pro ſpirituali, ſed gratis dimittatur, in favorem tantùm tertiæ perſonæ, qui reſpectus non facit, quin gratuita ſit Reſignatio, quæ ideo dici non debet ſimoniaca, *jure divino*. An autem ſit prohibita, & *jure Eccleſiaſtico*, habeatur pro Simoniaca? *quæri* poſſet. Communis ſententia ſic diſtinguit: aut Reſignatio in favorem tertii, continet vim rigoroſæ & ſuſpenſivæ conditionis, per clauſulam *non alias*, *nec aliter* &c. & tunc, ſi accedat pactum cum Epiſcopo, & is promittat ſe collaturum beneficium illi, in cujus favorem facta eſt Reſignatio; *jure ſaltem Eccleſiaſtico*, prohibita & ſimoniaca cenſetur Reſignatio, maximè poſt Bullam *Pii V. incip. Quanta Eccleſiæ.* Unde tales Reſignationes hodie aliter non fiunt, quàm coram Romano Pontifice, qui diſpenſando, vitium purgat, ſeu prohibitionem relaxat. Vide *Zoëſ. loc. cit. n.* 73. Aut Reſignatio in favorem tertii, non continet conditionem *ſuſpenſivam*, ſed tantùm *modum* aliquem reſignationi abſolutè factæ adjectum; & tunc non eſt illicita, & coram Epiſcopo, rectè fit, & ab eo acceptari poteſt ſine culpa, neque ſic renuntians peccat, niſi habeat intentionem, omnino ad hoc obligandi Epiſcopum. Alias id deſiderare tantùm, non eſt ullo jure prohibitum, neque tale deſiderium inficiet actum, caſu quo Epiſcopus motu proprio & liberè, tali tertio conferat beneficium. Ut tradit *Navarrus* & *Binsfeld* apud *Zoëſ. loc. cit n.* 71.

Unde ulteriùs reſolvunt Doctores; poſſe Epiſcopum, cui reſignatio ſic abſolutè, licet *ſub modo* adjecto, facta eſt, liberè, rejecto vel non attento *modo*, conferre alteri beneficium reſignatum, cùm nullo jure obligatus ſit conferre perſonæ denominatæ. Id tamen non poterit Epiſcopus, ſi adjecta fuerit conditio ſuſpenſiva: *non alias*, *nec aliter*, quidquid dicat *Covarruvias*, 1. *var. c.* 5. *n.* 5. & 6. Quia conditio illa, nec de ſe eſt turpis, nec impoſſibilis, ut pro non adjecta haberi debeat. Quinimò veriùs eſt, quòd nec ipſe ſummus Pontifex poſſit acceptatâ tali Reſignatione, alteri conferre beneficium quàm illi, in cujus favorem facta; *Ratio*: Quia renuntiantem invitum privaret ſuo beneficio, ſine juſta cauſa, quam non ponit talis renuntiatio, cùm coram Pontifice fiat ſine peccato, & fieri ſoleat teſte *Flaminio. lib.* 13. *q.* 3. & praxi quotidiana. Ex hactenus dictis de Simonia.

58. Infertur *2do*. Reſignationes ſeu ceſſiones reciprocas non rectè fieri coram Ordinariis, ſub colore ſeu titulo permutationis: v. g. Reſigno meum beneficium in favorem tui nepotis, ut tu reſignes tuum, in favorem mei nepotis. Reſignationes enim tales, licet videantur eſſe permutatio, non tamen ſunt pura, ſed mixta, cum reſignatione in favorem, quales Epiſcopus approbare non poteſt, cùm illi ſolùm ſit conceſſa poteſtas approbandi permutationes puras Confer *Leſſium. lib.* 2. *c.* 34. *n.* 87. & *ſeq.* Ubi

59. Observa: quòd beneficia, quorum, coram Epiſcopo, pura fieri poteſt permutatio, debeant eſſe vera, ſolida & de facto pacificè poſſeſſa; & ideo exſpectativa, litigioſa, ficta, aut invalidè obtenta,

tenta, aut, in quibus tantùm habetur jus *ad rem*, non poſſunt authoritate etiam Superioris, niſi fortè *Papæ*, permutari, juxta *cap. unic. De rerum permutat. in 6.*

60. Infertur 2dò. Ante Bullam *Pii V.* quâ injungitur penſionariis recitatio Officii parvi B. M. Virginis, vel etiam in locis, ubi Bulla iſta non eſt uſu recepta, non videri Simoniacum, redimere aut vendere penſionem ſemel legitimè & abſque vitio conſtitutam. Quia eſt quid mere temporale, quod, ùt vendi, ita & redimi poteſt. Poſt Bullam tamen *Pii V.* videtur eſſe illicita hujuſmodi redemptio propriâ authoritate, propter onus ſpirituale penſionario impoſitum, ſine quo Pontifex non vult, ipſum habere penſionis fructum, qui datur ratione officii, à cujus obligatione non poteſt Penſionarius propriâ authoritate ſe eximere, uti in hoc caſu faceret, recepto toto penſionis commodo. Quòd, ſi per redemptionem non tollatur obligatio impoſita per Pontificem, ſed ei obnoxius maneat, is cui fit redemptio; non videtur ea illicita; cùm ſit quaſi locatio fructuum & anticipata eorum venditio, quod non invenitur prohibitum. *Navarrus. Conſil. 62. n. 2. ad tit. De Simon.* Junge *Suarez. loc. cit. n. 17. Zoëſ. loc. cit. n.* 48

61. Infertur 3tiò. Penſiones collatas laïcis pro miniſterio temporali, aut alia juſta de cauſa, aut etiam Clericis, non ùt talibus, ſed propter cauſam temporalem, v. g pulſandas campanas, ſanandos aut curandos infirmos; abſque Simoniæ vitio, poſſe vendi, cùm ſint quid merè temporale, ex beneficio quidem decerptum & procedens, non tamen annexum titulo ſpirituali; quia eſt portio ſeparata à beneficio, quantùm ad illum, cui collata eſt. Quòd ſi penſiones datæ ſint Clericis, *ùt talibus*; vel conceſſæ ſunt illis ſimpliciter, ad eorum duntaxat ſuſtentationem, ſine reſpectu ad beneficium vel miniſterium ſpirituale; aut cum ſpeciali reſpectu & titulo; Priori modo, tametſi Clericatus requiratur tanquam conditio *ſine qua non*, vel diſpoſitio ex parte ſubjecti; non tamen ideo poteſt dici conceſſa ob titulum ſpiritualem, cùm præcisè ſit data in ſuſtentationem, ut non poſſit dici penſio iſta annexa rei ſpirituali ac proinde, præſcindendo à Bulla *Pii V.* hujuſmodi penſiones etiam abſque vitio, alienari aut redimi poterunt. Dico: *præſcindendo à Bulla Pii V.* Nam, cùm ille Pontifex præceperit Clericis penſionariis, recitare Officium *B. Virginis*; adeóque penſio hodie detur Clericis, cum obligatione alicujus muneris Clericalis, poſtulétque miniſterium aliquod ſpirituale; non poſſet transferri ſine Simonia, ùt ante dictum. Porrò, ſi penſio detur in titulum beneficii, idem juris erit in ea, quod in beneficio.

62. Infertur 4tò. Abſque culpa, aut Simoniæ vitio, gratìs remitti poſſe penſionem. Nam diſtat remiſſio penſionis à redemptione, quòd in hac retineatur commodum, rejecto onere. Igitur Pontifex, cùm non alias voluerit obligare Penſionarium ad onus recitandi Officium *B. Virginis*, quàm quatenus ſentiret commodum; per ſe reſultat, quòd remiſſo commodo (cui pro ſe introducto, quivis renuntiare poteſt) ceſſet ex conſequenti obligatio oneris. Confer *Navarr. dict. Conſil. 63. n. 7.*

63. Infertur 5tò. Penſiones quæ dantur propter ſpiritualem functionem v. g. Vicario Epiſcopi, Concionatori aut ſimili, non poſſe redimi; eò quòd fundentur in Officio Eccleſiaſtico, propter quod dantur & eorum redemptio faceret ceſſare officium, cum detrimento Eccleſiæ. Aliud, ùt ſupra inſinuatum, eſt de iis penſionibus, quæ dantur Clericis.

cis.

cis cauſâ Senii aut ſuſtentationis, non verò in titulum beneficii, hæ enim videntur redimi poſſe, cùm non tam contineant emptionem rei ſpiritualis aut ei annexæ, quàm potiùs extinctionem oneris merè temporalis, ſolvendi ſcilicet quotannis certam ſummam, non habitâ ratione Clericatûs. Porrò, hactenus dicta de redemptione penſionis, intelligenda ſunt in caſu, quo conſtitutâ jam legitimè penſione, de ea redimenda agitur. Siquidem, ſi tempore reſignationis beneficii, ſuper hujuſmodi redemptione facienda, conventum fuerit, ut ſit pars contractûs; pactum illud certò erit ſimoniacum, propter onus pretio æſtimabile injunctum. *Toletus lib. 5. ſummæ Caſ. 92. Zoëſ loc. cit. n. 49.*

64. Infertur 5to. Non eſſe licitum permutare penſionem, quam quis ex alieno beneficio percipit, cum aliquo beneficio. Cùm enim penſio illa ſit quid mere temporale, non poteſt citra Simoniam juris divini, cum beneficio, quod eſt quid ſpirituale, commutari.

65. Infertur 6to. Papam non poſſe reſignanti beneficium aſſignare penſionem, ſi aliunde habeat ſufficientia media vivendi, niſi reſignans tempore habiti beneficii, egregiè pro Eccleſia laboraverit. Quò facit; quòd vel ille, cui fit reſignatio beneficii, poſſit ſubtractâ penſione, ex illo vivere vel non? Si primum; fit injuria Eccleſiæ aut pauperibus, quibus debetur reſiduum: ſi ſecundum; fit ipſi beneficiato injuria, cùm ratione ſui beneficii, habeat jus ad integram ſuſtentationem. Nec *Obeſt*: quòd Beneficiarii divites, poſſint beneficiorum ſuorum proventus recipere & lucrari. Diſparitas enim eſt; quòd *primi* præſtent officium, cui annexuit Eccleſia certos proventus, non ſic ſecundi. Neque in contrarium facit, quòd Penſionarii ex Conſtitutione *Pii V*. teneantur recitare Officium *Divæ Virginis*; Nam, ùt ingenuè obſervat *P. Franciſcus Henno, tract. in Decalog. diſp. 6. §. 7.* Illa obligatio utpote poſterior jure ad penſionem, non eſt titulus ſeu radix illius juris, ſicut Officium in Beneficiariis. Siquidem *Pius V*. obligationem illam impoſuit habentibus jam penſionem, ita, ut ſit verum dicere; quòd Officium *Divæ Virginis* ſit propter penſionem, non penſio propter Officium.

66. Infertur 7mo. Quando beneficia ſunt inæqualia quò ad reditus ſeu emolumenta, non poſſe abſque Simonia, in eorum permutatione, inæqualitatem iſtam pecuniâ aut penſione aliquâ compenſari. Vel enim pecunia aut penſio datur pro re ſpirituali pinguioris emolumenti, vel pro exceſſu ipſorum fructuum unius beneficii, ſupra fructus alterius? Si *primum*; patula eſt Simonia. Si *ſecundum*; certè in contractum deducitur res temporalis ſpirituali annexa, quod non minus Simoniam ſapit. Poſſet tamen Papa, ùt ſupra dictum, ſeparando partem fructuum à beneficio pinguiori, illam temporalitatem concedere reſignanti beneficium majoris emolumenti, modò id fiat ex juſta cauſa, de qua ſuprà: Quo caſu habens partem fructuum, poterit illam alteri vendere, niſi id inveniatur prohibitum jure humano Eccleſiaſtico, qualem prohibitionem ſupponit, ſed non probat P. *Henno loc. cit.*

Cùm homines ſoleant magìs pœnarum metu, quàm Dei timore & amore, avocari & arceri à peccandi voluntate; hinc Eccleſia varias in Simoniacos conſtituit pœnas, ùt: *Excommunicationis*, *Suſpenſionis*, *Privationis*, *inhabilitatis*, *Interdicti*, *Nullitatis collationis ſeu proviſionis*, & alias, de quibus in *Extravaganti. Cum deteſtabilis. De Simon.* De his pœnis ſolidè per ordinem agit *Zoëſius ad tit. De Simonia à n. 90.* Nos pro inſtituti noſtri ratione, paucula libabimus.

Digitized by Google

67. Quòd Simoniam *purè mentalem* attinet; cùm ex illa nullum opus externum ſit ſubſecutum, certum eſt, illam non comprehendi ſub pœnis Eccleſiaſticis, cùm Eccleſiæ juriſdictio, ſaltem directè non extendatur ad actus merè internos. Quòd, ſi proruperit in aliquem actum externum, dato vel recepto aliquo, ex intentione Simoniaca; etſi probabile ſit, poſſe Eccleſiam, tale factum punire; defacto tamen non punit; ùt patet ex *cap. fin. De Simonia*, ubi deciditur; ſufficere tali caſu, Deum placari pœnitentiâ, ùt, qui ſolus ſit offenſus.

68. De Simonia *Conventionali*, fortiùs dubitari poſſet, cùm ſit actus externus, continens contractum perfectum: perficitur enim emptio-venditio, ſolo conſenſu in rem & pretium: ut proinde per talem conſenſum, videatur poni indigna tractatio rei ſpiritualis. Unde *Gomezius*, ad *Regul. De triennali poſſeſſ. q.* 12. §. *quid dicendum.* Suſtinet, beneficium eſſe dimittendum, ſi acceptum ex ſola promiſſione rei temporalis, ſine ullo complemento: Verius tamen eſt, Simoniam purè conventionalem, id eſt à neutra parte completam, non ſubjacere pœnis juris poſitivi, ipſô factô, latis in Simoniacos; atque ita per eam non incurri cenſuras, inhabilitates & privationes, ſi quæ *ipſo jure* latæ. *Ratio* eſt; quod talis conventio non importet niſi conatum, qui abſque effectu, non debet nocere, nec reputari poteſt ſufficiens ad inducendam pœnam. *Argumentô cap. Non præſtat. De R J. in 6.* Quò facit, quòd jura loquentia de pœnis Simoniacorum, utantur verbis denotantibus tantùm dationes & receptiones; ſive notantibus eos, qui dando vel recipiendo, ſimoniacè ordinati, electi, poſtulati, confirmati, vel beneficium conſecuti ſunt. *Extrrvag.* 1. & 2. *De Simonia. Can. Presbyter* & paſſim. *Cauſ.* 1. *q.* 2. & *q.* 3. *cap. Non ſatìs* 8. *cap. Inſinuatum* 13 *De Simon.* Quibus locis tantùm actiones ſimoniacæ puniuntur, ut ad conventiones nudas, non ſint extendendæ; cùm pœna per legem impoſita, non cenſeatur incurſa, niſi actio eo modo, quo per legem expreſſa punitur, committatur & compleatur. Et licet diffitendum non ſit, quòd per Simoniam conventionalem, ponatur grave peccatum etiam exteriùs manifeſtatum, & ideo ab Eccleſia puniri poſſet; equidem ex ratione data, defacto non punitur per pœnas in jure taxatas.

69. Quid, ſi conventio fuerit impleta ex parte ementis tantùm, per dationem pretii? ℞. Nec tali eventu poni cauſam ſufficientem incurrendi pœnas *ipſo facto*, quippe, quæ non ſoleant incurri, niſi delicto perfecto, quod dicto caſu inchoatum quidem, non tamen conſummatum, cùm tantùm ex parte ementis, intervenerit pretium, ſpirituali re nondum traditâ, ut proinde irreverentia contra rem ſpiritualem non poſſit dici completa, in qua tamen ponitur ratio Simoniæ. Conſequenter ſecundùm regulam, quòd pœnæ potiùs ſint molliendæ, quàm exaſperandæ; pœnæ in noſtro caſu, quo delictum non eſt conſummatum, non ſunt dicendæ incurſæ. Id quod à ſimili probatur. Nam *Commiſſio* rei alienari prohibitæ, non incurritur, per ſolam venditionem, accedente etiam numeratione pretii, ſi non ſequatur traditio. Ergo à pari. Confer *Navarr. loc. cit. cap.* 23. *n.* 104. Cui conſonat *Zoëſ. loc. cit. n.* 92. qui *n.* 93. adhuc probabile cenſet, ſi ex parte vendentis, impleta fuerit conventio, collatis ſcil. Ordinibus, aut beneficio promiſſo quidem, ſed nondum dato pretio, necdum obtinere pœnas; quaſi maleficium tunc etiam non ſit ſatìs peractum. Aſt probabiliùs eſt, ſufficere ad incurrendum pœnas, quòd ſpirituale

rituale

Digitized by Google

rituale fuerit exhibitum, ſive ſit Ordo, ſive beneficium, ſive ingreſſus Religionis, ùt ùt pretium non ſit ſolutum, ſed tantùm promiſſum. Id quod non obſcurè colligitur ex *Can* 5. *cauſ.* 1. *q.* 3. ubi ſic habetur: *Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus vel in Eccleſiaſticis rebus, vel datâ vel promiſsâ pecunia* acquiſitum eſt, nos irritum eſſe & *nullas unquam vires habere cenſemus*. Quò facit, quòd in *Extrav.* 1. *De Simon.* Pontifex loquens de ſuſpenſis, ob Simoniam, ab Ordinibus; etiam comprehendat illum, *qui ſub promiſſione pecuniæ, Ordines receperit*: & in *cap.* 2. *De Confeſſis.* Spolietur Canonicus Beneficio, eò quòd Electionem, pecuniâ promiſsâ non traditâ, vendiderat. Præterea; talem eſſem ſtylum Curiæ Romanæ; aſſerit *Toletus* & probat *Garzias* ex variis *Rotæ deciſionibus*.

70. Aberrant etiam, qui cenſent, Simoniam juris humani non plecti, vel non ſubjacere pœnis Canonicis in Simoniacos conſtitutis: v. g. ab his pœnis immunes eſſe, permutantes beneficia, propriâ authoritate, vendentes Officia Sacriſtæ, Theſaurarii, OEconomi *&c.* Nam contrarium evincunt tum ſtylus Curiæ Romanæ, tum juris declarationes, tum communis Theologornm ſententia.

71. Communi quoque tam Canoniſtarum, quàm Theologorum calculo, receptum eſt, quòd Beneficium ſimoniacè obtentum ante omnem judicis ſententiam dimitti debeat, & omnes fructus inde percepti, ſint reſtituendi, tam exſtantes quàm conſumpti. Prout deciſum *cap.* 26. *De Simonia.* & *Extravag.* 2. *eod. tit.* Ubi talis collatio decernitur *nulla* & *irrita*, & fructus inde percepti, malè dicuntur acquiſiti, ut proinde ſint reſtituendi, niſi fortè bonâ fide, fuerint conſumpti (inquit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 3. puta: ſi Simoniæ commiſſæ ab alio, non fuerit conſcius, de quo poſtea

Dixi: *Ante omnem judicis ſententiam.* Siquidem obligatio reſtituendi rem nullo titulo comparatam, non tam pœna eſt, quàm vinculum naturale, ad inſtar obligationis reſtituendi rem alienam cognitam ùt talem. Confer *P. Piette loc. cit. q.* 9. Ubi indagat, cui ſit facienda reſtitutio pretii ſimoniacè accepti?

Dixi etiam: *fructus perceptos* eſſe reſtituendos, id quod meritò etiam extenditur ad fructus non perceptos culpâ Beneficiati, quos nempe percipere potuiſſet, ſecundùm ea, quæ traduntur de reſtitutionibus fructuum *in* §. *Si quis à non Domino. Inſtit. De rerum diviſion.* & *in ff.* & *Codice, De rei vindicat.*

72. Quod tamen duntaxat intelligendum, de fructibus ratione tituli, qui *nullus* ſit, perceptis aut perceptibilibus. Nam, quantùm ad ſtipendia, ratione Miſſarum, aut alia oblata intuitu ſuffragiorum; ea non ſunt reſtituenda, quia non concernunt fructus beneficii, ſed ſtipendia ſunt laborum perſonalium, ùt tradit *Navarrus, Conſil* 90. *ad tit. De Simonia.* De Diſtributionibus quotidianis, illis fieri ſolitis, qui Choro & Divinis interſunt; non videtur idem dicendum; eò quòd non reſpondeant labori perſonali utcunque, ſed, ùt fundato in titulo beneficii, & paſſim inter illius fructus computentur. Prout ex *Suarez*, bene obſervat *Zoëſ. loc. cit. n.* 104.

73. Pœna hæc, circa beneficia, habet locum, non tantùm in Simonia publica, ſed & occulta; cùm de jure non fiat diſtinctio, prout liquet in *cap. Matthæus* 23. *De Simonia.* Quod loquitur de Simonia occulta. & idipſum clariùs exprimitur in *d. Extravag.* 2. Confer *Covarruv. ad Regul. Peccatum. p.* 2. §. 8. *n.* 7. ℣. *Apud veteres.*

74. Præmiſſa aſſertio adeò vera eſt, ut etiam obtineat in caſu, quo per tertium

Digitized by Google

tium interventorem, vel parentes aut propinquos Beneficiati, ipſo Beneficiato ignorante, commiſſa eſt Simonia. Cui argumentô eſt, quòd ipſe ignorans, detecto vitio collationis, teneatur continuò in conſcientia, beneficium relinquere nulla exſpectatâ ſententiâ, vel à ſuperiore remedium petere, juxta *cap. ex inſinuatione. 26. De Simon.* Idem evincitur ex *cap. 33. eod.* Ubi parvuli, quibus ignorantibus, ſimoniacè à parentibus quæſita beneficia, ea debent dimittere, non ex alia ratione, quàm quòd poſſideant *non ſua.* Vide *can. 3. cauſ. 1. q. 5.* ubi *Urbanus II.* hac ſuper re *Metenſi* Epiſcopo reſcripſit. Junge *cap. 27. De Simon.* Ubi *Cœleſtinus III.* hanc limitationem ſubjungit: *Niſi conſtaret, illos, qui promiſſum tale fecerunt, per fraudem, in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè egiſſe.* Ex qua Decretali, unanimi conſenſu, concludunt Canoniſtæ, quòd electio (idem eſt de alia proviſione) facta per Simoniam, penitus ſit *nulla*, etiamſi, ignorante electo, intervenerit, niſi malitiosè & in fraudem, non ad promovendam electionem, ſed potiùs ad eam corrumpendam, ſive vitiandam quæ futura prævidebatur, commiſſa fuerit. Eccleſia enim non ſinit innocentem injuſtè pati, ne detur occaſio peſſimis hominibus injurias inferendi innocuis & dignis, atque impediendi promotiones alioquin ritè faciendas. *Dict. cap. 27. & 33* Confer *Reiffenſtuel ad tit. De Simon.* §. 11. *à n. 274.* Adde *P. Piette. loc. cit. q. 9.*

Quòd, ſi Beneficiatus, vel ad dignitatem electus, ſciverit ab alio datam fuiſſe pecuniam Collatori vel Electoribus & non contradixerit, collatio vel electio erit ipſo jure invalida, quia per alium cenſebitur, ac proinde per ſe commiſiſſe Simoniam. Idem eſt, *ſi poſtea conſenſerit, pecuniam ſolvendo promiſſam, aut reddendo ſolutam. dict. cap. 33.* Quæ mutatio, ſi ante obtentum beneficium contigerit, eôdem modo irritabit collationem & actus ſimiles, perinde ac ſi nunquam contradixiſſet. Quò faciunt priora iſtius capituli verba: *à qua poſtmodùm minimè receſſiſti.* Cæterum; ſi obtento beneficio, amico reddatur, animo liberali, pretium, ne in damno maneat, aut ſine causa, patiatur detrimentum, abſque animo factum tale approbandi, non videtur committi Simonia. Teſte *Navarro, Conſil. 10. De Simon.* Aliud verò eſſet, ſi ſolveret approbando & ratificando factum, cùm quò ad intentionem, ſit Simoniæ approbator, quod ſufficit ad malitiam iſtius ſpeciei. *Argum. cap. cum quis 23. De ſentent. Excom. in 6.*

75. Non videtur tamen illo caſu, *ipſo facto* incurrere pœnam irritationis aut amiſſionis beneficii, cùm electio aut collatio à principio fuerit abſque vitio, & per ſubſequens peccatum, nullibi per jura irritetur, ſed tantùm per præcedens vide *Gloſſ. in d. cap. 33. Reiffenſt. loc. cit.*

76. Prædictam nullitatem proviſionis procedere in Simonia commiſſa contra jus divinum, extra dubium eſt, & verius etiam, ùt ſupra intimatum, eſt, illam habere locum in Simonia, jure tantum Eccleſiaſtico prohibita, veluti: in permutatione beneficiorum, privatâ authoritate, peractâ. *Abbas Panormit. ad cap. Univerſorum 8. n. 6. De rer. permut.* & colligitur ex textu *in cap. conſtitutus. eod. tit.* Ubi permutantes propriâ authoritate, ſpoliantur beneficiis ſuis, per ſententiam potiùs *declaratoriam* criminis & *executionis pœnæ*, quàm *definitivam*, quamvis eo verbo ibidem utatur Pontifex. Idipſum probatur ex ſæpe *cit. Extravag. 2.* quâ annullantur omnes proviſiones Simoniacæ, ut proinde benigna interpretatio non poſſit habere locum ſalvâ verborum pro-

Digitized by Google

proprietate. Nec Obstat *cap.* 4. *De Tranſact.* Ubi ratione tranſactionis ſuper beneficio litigioſo, non inducitur privatio *ipſo jure*, cùm cauſa dicatur *audienda*, in irritum revocatâ tranſactione. Non obſtat inquam; quia ibi res tantùm manſit in terminis Simoniæ Conventionalis *Zoëſ. loc. cit. n.* 108. *Reiffenſtuel ad tit. De Simonia* §. 11. *n.* 272.

77. Hic Nota: quod, ſi quis beneficium, in quo alter Simoniam commiſit, bonâ fide per triennium poſſederit; non poſſit amplius in illo moleſtari, licet poſt triennium, vitium cognoverit. Ita cum *Zoëſio* tenent *Palào. De Simonia. punct.* 25. *n* 3. *Suarez. lib.* 4. *cap.* 57. *n.* 9. *Leſſius*, & alii apud *Reiffenſtuel. loc. cit. n.* 278. Fulti *Regulâ Cancellariæ*. 36. *De Triennali.* Nec Obstat: quod ad fruendum favore iſtius Regulæ, expreſsè requiratur, ut *abſque ingreſſu ſimoniaco*, beneficium obtinuerit, ℞. Enim, quòd, cùm dicta regula in quantum favorabilis eſt, *latè*, & in quantum odioſa, *ſtrictè* interpretenda ſit. *Arg. cap. Odia. De Reg. 1. in* 6. bene dici poſſit; clauſulam illam tantùm intelligendam eſſe de illo, qui vel ipſe per proprium actum ſimoniacum, beneficium obtinuit; vel *Simoniam alterius*, quâ mediante obtinuit beneficium, ſtatim, vel ſaltem intra triennium reſcivit, conſequenter bonâ fide, non poſſedit; nullatenus verò eſſe intelligendam de illo, qui *Simoniæ* alterius prorſus ignarus, optimâ fide, per triennium pacificè poſſedit.

78. Oppones: Juxta *cap. Tuis.* 33. *De Simonia*, & ſacras conſtitutiones paſſim, etiam parvuli, qui cupiditate parentum, per pecunias, Eccleſiam adepti ſunt, eam dimittere tenentur. Ergo etiam ignorantibus & per triennium bonâ fide poſſidentibus beneficium, per Simoniam alterius impetratum, non prodeſt Regula *De Triennali.* ℞. Textum illum poſſe intelligi de parvulis, qui vel de Simonia parentum, ab initio, fuerunt conſcii, vel etiam intra triennium, reſciverunt fortè ab ipſis parentibus lamentari ſolitis, quòd tantum vel tantum, pro filiis exderint. Vel probabiliùs dici poteſt, quòd Regula *de Triennali*, ſit condita poſt illos Canones, conſequenter iis deroget; cùm poſterior lex deroget priori. *Arg. cap.* 1. *De Conſtit. in* 6.

79. Porrò, acquiſitionis irritatio per ſæpe *cit. Extrav.* 2. locum habet in electionibus, poſtulationibus, proviſionibus in monaſteriis, Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis Eccleſiaſticis quibuſcunque, ita, ut nominationes, electiones, aut præſentationes ſimoniacâ labe infectæ, prorſus ſint *nullæ*. Nota autem, quòd per Officia Eccleſiaſtica, de quibus fit mentio in *d. Extravaganti* intelligantur illa, quæ ſunt beneficia aut beneficiis ſimilia, cujuſmodi ſunt: Prioratus, Abbatiæ &c. non verò alia, quæ beneficia non ſunt, ut Auditoratus, Clericatus, Officium Camerarii, Cellarii &c. quæ ſub iſta deciſione non continentur juxta *Navarr. loc. cit. cap.* 23. *n.* 111. §. 7. *Suarez. cap.* 57. *n.* 46. *& ſeq. Zoëſ. loc. cit. n.* 109. Ubi *n.* 111. probat, dictam irritationem, non habere locum in ſimoniaca electione Romani Pontificis. De aliis pœnis, puta: Excommunicationis, privationis beneficiorum præhabitorum, inhabilitatis ad alia habenda, & ſignanter de pœnis Simoniæ confidentialis, Vide *Zoëſium loc. cit. à n.* 122. & *Reiffenſtuel loc. cit.* §. 11. *per tot.*

80. Supereſt, ut diſquiramus de iis, quæ reſtituenda ſunt occaſione Simoniæ perpetratæ. Qua in re certum eſt, quòd nulla detur obligatio reſtituendi ſpiritualia Simoniacè obtenta, exceptis beneficiis Eccleſiaſticis, de quibus actum. Ita om-

omnes communiter, ùt videre eſt apud *Reiffenſtuel loc. cit.* §. 12. *n.* 1. & *Sporer Tract.* 2. *in Decalog. cap.* 10. §. 4. *n.* 47. *Ratio* eſt, quia nullum, nec divinum, nec humanum reperitur præceptum, hujuſmodi obligationem inducens, præſertim, quia rem ſpiritualem pretio temporali comparans, non tam peccat contra *juſtitiam*, quàm contra *Religionem*. Quare [inquit *Sporer*] ſi quis ſimoniacè comparavit Reliquias Sanctorum, Nummiſmata indulgentiarum, Grana Benedicta, Jus Patronatûs, licentiam eligendi Confeſſarium &c. non tenetur talia dimittere, ex ratione data. Quinimò multæ functiones ſimoniacè factæ, quarum aliquæ ab Eccleſia irritabiles ſunt, defacto validæ ſunt & ratæ, ſuúmque habent effectum, quia Simonia ex vi & natura ſua, illas non irritat. Hinc Ordinatio Simoniaca, rata eſt, quò ad ſubſtantiam & effectum characteris; quia omnia ſubſtantialia ſupponuntur interveniſſe. Sic & Baptiſmus, Confirmatio, Conſecratio Euchariſtiæ, valida ſunt, ùt & Extrema Unctio non iteranda propter Simoniam, etſi non fuerit receptus ejus effectus, ſi ipſemet moribundus, per ſe vel per alium, labem iſtam commiſerit. Matrimonium quoque, licet emptum, in ratione Sacramenti, valet. Sed & Conſecrationes Eccleſiarum & aliarum rerum, tenent; licet enim ex parte conſecrantis, ſint potiùs execrationes, juxta *can. Eccleſia. cauſ.* 1. *q.* 4. Quia conſecrans quantum in ipſo eſt, potiùs illas polluit, non tamen quatenus exercentur ex poteſtate & authoritate Eccleſiæ.

81. Profeſſionem quoque Religioſam etſi labe ſimoniacâ infectam, non invenitur irritâſſe Eccleſia, etſi irritare potuerit. Vult tamen ita receptum, dimitti & transferri ad arctius Monaſterium. *cap. Regularibus. cap. Quoniam. & cap. Veniens. De Simon.* Quod Decretum Eccleſiæ, eſt *ferendæ*, non *latæ ſententiæ*, ùt patet ex verbis, quibus utitur ibidem Pontifex. Ubi Nota; quòd ſimoniacè accepta temporalia pro ingreſſu Religionis, ex ſpeciali favore, poſſint manere penes Monaſterium, ùt probatur per text. in *Extravag. Sanè. De Simonia.* Confer *Reiffenſtuel loc. cit. n.* 298. Adde Eximium noſtrum *Aurelium Piette. part.* 5. *cap.* 1. *q.* 8. Ubi latè diſcutit, An, & quatenus Simoniam committat Monaſterium tenue, ſi ab ingrediente exigat ſubſidiariam quandam dotem?

82. Quò ad functiones ſeu actus juriſdictionis vel adminiſtrationis, ex jure Eccleſiaſtico, ordinatos ad conferenda Beneficia aut Officia Eccleſiaſtica; certum eſt, illos ipſo facto & jure eſſe irritos, ùt patet ex ſæpe *cit. Extravaganti 2da.* Sic Electiones, Poſtulationes, Confirmationes, Proviſiones aliæque Diſpoſitiones inibi jubentur viribus carere.

Dictum, ſpiritualia ſimoniacè accepta, non eſſe reſtituenda. Contra quod ſic *Replicatur.* Qui ſimoniacè accipit temporale pro ſpirituali, debet illud reſtituere: ergo etiam, qui accipit ſpirituale pro temporali, debet reſtituere ſpirituale. ℞. *Neg. conſeq & paritatem.* Diſparitas eſt, quòd accipiens temporale pro ſpirituali, faciat danti injuriam, utpote, qui ſpirituale gratìs dare debuiſſet, juxta mandatum Chriſti: *Gratìs accepiſtis, gratìs date.* Nam, ſicut Eleëmoſynarum diſpenſator, gratìs diſpenſare juſſus, pauperi facit injuriam & ad reſtitutionem tenetur, ſi pro Eleëmoſyna tradita, à paupere exigit pecuniam: ita reſtitutioni obnoxius eſt, qui pro ſpiritualibus, quæ gratìs diſpenſare juſſus eſt, temporalia extorquet. Econtra verò, qui ſpiritualia accipit, tradenti non facit injuriam, utpote, qui illud cæteroquin gratìs dare debuiſſet.

83. Quæri poteſt: an, & cui reſtitui de-

Digitized by Google

debeant temporalia ſimoniacè accepta? ℟. 1. Qui accepit temporale ſub conditione dandi vel præſtandi ſpirituale, & conditionem non implevit; jure divino & naturali, tenetur reſtituere acceptum. Si enim reſtituere tenetur ille, qui pactum ſervando, dedit ſpirituale pro temporali; multò magìs tenebitur, qui temporale, ſub conditione dandi ſpirituale, accepit, & illud non dedit; eò quòd tunc prorſus, ne apparens quidem adſit retinendi titulus; ècontra verò urgeat titulus reſtituendi, ob conditionem non impletam. ℟. 2dò. Qui Simoniacè accepit, propter beneficium aliquod Eccleſiaſticum, aliquid temporale; ſub peccato mortali (ſi temporale eſt materia gravis) tenetur illud reſtituere, ante omnem judicis ſententiam, ita cum *D. Thoma.* 2. 2. *q.* 100. *art. 6. in Corpore.* communiter omnes, Teſte *Reiffenſtuel. loc. cit. n.* 200. Eodem modo reſtitui debent pretia ſimoniacè accepta, ratione aliarum ſpiritualium, per textum expreſſum in *cap. De hoc.* 11. *De Simonia.* Ubi dicitur; ſine gravi ſalutis periculo, retineri non poſſe pretium hujuſmodi, ex ratione; quòd ſine cauſa, ſit penes illum, qui recepit, utpote acceptum pro re pretio non æſtimabili, imò duplicatum (poſt ſententiam ſcilicet) reſtituendum eſſe, habet textus *in cap. Audivimus.* 4. *eod.* & in *Novell. De SS. Epiſcop.* 123. *cap.* 2. *in fin.* Confer *Aurel. Piette. loc cit. q.* 9.

84. Quòd hæc reſtituendi obligatio non proveniat tantùm ex jure humano Eccleſiaſtico, ſed etiam Divino, quando videlicet temporale pro ſpirituali accipiens, non privat ſe eò ipsò, bono aliquo temporali fortunæ, aut honoris, ſed abſque ſuî præjudicio & damno temporali, ſimpliciter dat vel procurat ſpirituale, conferendo v. g. beneficium, aut poſtulando ad illud, vel eligendo, præſentando, aut recommendando &c. inter Doctores receptum eſt. Neque recipiens, ab injuſtitiæ peccato, ſe excuſare poteſt, ſub prætextu, quòd temporale non exigat pro ipſa re ſpirituali, ſed pro emolumento temporali, quod ex beneficio, alteri provenit, & quia hoc ipſi, præ cæteris, conferat vel contulerit, ad quod non tenebatur. Licet enim non fuerit obligatus ad conferendum præcisè huic vel illi, & *ex juſtitia diſtributiva læſa*, non oriatur obligatio reſtituendi quid alteri v. g. digniori præterito; equidem tenebatur cuicunque indeterminatè conferre gratìs. Neque conſiderari poteſt emolumentum temporale, quia hoc eſt quid acceſſorium ad beneficium, quod confertur, & principaliter attendi debet. Unde meritò *Alexander VII.* hanc damnavit propoſitionem: *Non obſtat contra juſtitiam, beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratìs, quia Collator conferens illa beneficia, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

Caſu quo tamen dans beneficium ſe privaret commodo vel honore temporali [prout fit in reſignatione Beneficii aut Dignitatis, utpote per quam reſignans ultrò ſe privat honore fructibúſque temporalibus ex beneficio provenientibus] Putant aliqui, obligationem reſtituendi ſimoniace accepta temporalia, non oriri ex jure divino, ſed Eccleſiaſtico duntaxat. Licet enim (ajunt) talis committat Simoniam juris divini, non tamen peccat contra juſtitiam; cùm reſignando beneficium, ſe ipſum privet emolumento temporali, quód eſt pretio æſtimabile. Verùm, futilis eſt iſta ratio; cùm qui nemine cogente, ſpontaneè vult antecedens, liberè etiam velle debeat conſequens cum illo neceſſariò connexum.

Digitized by Google

Adeóque, ſi quis liberè reſignet beneficium, quod gratìs accepit; queri non poteſt de fructibus amiſſis, præſertim, cùm fructus dentur propter ſpirituale officium, quod Reſignatarius peragere debet. Vide *Reiffenſtuel loc. cit. n* 293. & *ſeq.* Itaque talis, verè peccat contra juſtitiam *commutativam*, & vendit rem, ipſum beneficium ſcilicet, quod non in commercio, nec ſub dominio eſt ipſius, adeóque jure divino & naturali, tenetur ad reſtitutionem. Aliud cum *Suarez* putat eſſe *Zoëſius. loc. cit. n.* 116. Si Simonia committatur abſque læſione juſtitiæ *commutativæ*, puta: ſi Beneficiatus ſuum cum alio commutet beneficium, & habitâ ratione pinguiorum fructuum ſui beneficii, ab altero faceret ſibi compenſari hunc exceſſum temporalis emolumenti, quo privatur, accipiendo beneficium minoris emolumenti Putat inquam *Zoëſius:* in tali caſu, ubi Simonia inducitur tantùm jure Eccleſiaſtico, reſtitutionem rei temporalis, non eſſe faciendam jure divino aut ex natura rei, ſed jure tantùm Eccleſiaſtico.

85. Vereor autem, ne parum firma ſit opinio *Zoëſii*. Sicut enim privatus non poteſt ſeparare fructus à beneficio, cui cohærent; ita non poteſt illos ſeparatim pretio æſtimare: & falſum eſt, quòd, ùt *Zoëſius* ait, Beneficiatus ſit fructuum Dominus. Etſi enim ſuſtineatur, quòd ſit Dominus fructuum perceptorum & à ſolo ſeparatorum; non tamen eſt Dominus ipſius juris ad fructus percipiendos, quia hoc jus ſpirituale eſt, nec cadit ſub dominium vel commercium humanum. Ad quæſtionem, cui ſit facienda reſtitutio?

86. R. Ex vi naturalis legis, & per ſe, pretium ei reſtituendum eſſe, qui dedit, quia is paſſus eſt injuriam, quæ reſarcienda ab illo, qui intulit. Non eſt autem illata Eccleſiæ vel pauperibus, ùt patet, adeóque his de jure naturali non eſt facienda reſtitutio. Dico: *de jure naturali*; quia jure Eccleſiaſtico *cap. De hoc. cit.* expreſsè præcipitur, ut hujuſmodi ſimoniacè accepta reſtituantur Eccleſiæ, quo nomine ex ſuperioris arbitrio, venire poſſunt pauperes, Teſte *D. Thoma* 2. 2. *q.* 100. *art* 6. *ad tertium*. Hoc tamen rurſus intelligunt Doctores: poſt ſententiam. Nam ante illam, ſimoniacè accepta reſtitui poſſe ipſi danti, tenent *Palão. De Simon. punct.* 26. *n.* 5. *Leſſius cap.* 35. *dub.* 31. *n.* 171. Quinimò ipſi reſtitui debere abſolutè, docent *Sotus. De Moya.* & *Bannez* apud *Reiffenſtuel. loc. cit. n.* 296. Cui conſonat *Zoeſ. loc. cit. n.* 127. Confer *F. Sylvium* in *2dam. 2dæ Divi Thomæ q.* 100 *art.* 6 Ubi ex communi DD. ſententia reſolvit: ſaltem tunc pretium ſimoniacè acceptum reſtituendum eſſe ei, qui dedit, ſi beneficium needum ſit collatum. Ex dictis

87 Colligitur 1. Pretium datum ad redimendam injuſtam vexationem, neutiquam poſſe retineri ab eo, qui accepit, cùm injuſtè acceperit, ut ex vi juris naturalis, teneatur illud reſtituere, & quidem illi, qui dedit, qui non poteſt dici peccâſſe, cùm injuriam ſit paſſus.

88. Colligitur 2dò Idem dicendum eſſe de accepto temporali, per Simoniam *mentalem*; quia, cùm obligatio reſtituendi ſimoniacè accepta, procedat ex jure divino & naturali; non declinat illam, qui etiam occultè, pro ſpirituali intendit & accepit reapſe pretium temporale; argumentô deductô ab uſura mentali, quæ de jure naturæ & in conſcientia, ante omnem judicis ſententiam, æquè obligat ad reſtitutionem, ac manifeſta. Juxta textum conſpicuum, in *cap. Conſuluit:* 9. *De Uſuris.* Nec *Obeſt*, quod *cap. Tua nos.* 34. & *cap. fin. De Simon.* habeatur, ob Simoniam, abſque pacto externo

com-

Digitized by Google

commiſſam, neminem ſubjacere pœnis in Simoniacos alioquin ſtatutis. Nam, onus reſtituendi Simoniacè accepta temporalia, non tam eſt pœna juris Eccleſiaſtici, quàm obligatio ex juſtitia & jure divino naturali procedens, ob rationes ante datas; & hæc obligatio, delicta etiam occultiſſima afficit, eò quòd Deus ſit ſcrutator cordium & cognitor ſecretorum. *cap. Tua nos. cit.* Eccleſia verò infligendo pœnas, tantùm judicet de exterioribus. Ita *Reiffenſtuel*, cui cum *Sylvio* conſonat noſter *Aurelius Piette. loc. cit. pag.* 209. Sed aliter hanc quæſtionem reſolvit *Zoëſius. loc. cit. n.* 118.

89. Cùm vera & propriè dicta Simonia juri divino naturali adverſetur, ſupervacuè quæritur, An S. Pontifex in illa diſpenſare poſſit? Sciendum tamen eſt, quòd aliud ſit diſpenſare cum Simoniacis ſuper vitio Simoniæ, ita, ut per diſpenſationem vitium Simoniæ alias incurrendum, vi ipſius diſpenſationis præcaveretur, aut ſaltem purgaretur, quo fieret, ut proviſio beneficii, quæ alias foret Simoniaca, virtute diſpenſationis, à labe præſervaretur; aliud verò ſit, diſpenſare cum Simoniacis quò ad pœnas duntaxat â jure decretas. Hac enim diſpenſatione, non purgatur Simonia, neque proviſio hujuſmodi, à vitio eximitur, aut redditur Canonica; ſed tantùm ex cauſis, remittitur pœna per Canones inflicta.

Ut ùt autem certum videatur, non poſſe Pontificem priore modo, cum Simoniacis diſpenſare, refert tamen noſter *Chriſtianus Lupus* in Diſſertatione 2*da. Proœmiali. Tomo III. Scholiorum in Canones, præfixa. cap.* 4. fuiſſe jam pridem Doctores, qui aſſeruerunt, Pontificem ſine Simonia, poſſe vendere beneficia. Quin & nonnulli ulteriùs concludere non erubuerunt, Simoniam in venditione beneficiorum non committi, quando hæc fit in Curia, vidente & probante Pontifice, uti teſtatur *Fagnanus. ad cap. Cum pridem. De pact. n.* 63.

90. Verùm, ùt rectè concludit laudatus *Chriſtianus Lupus*, quiſquis beneficiorum nundinationem ſolo poſitivo jure damnari credit, etiam aſſerere debet, ante Eccleſiæ Canones, nullam iſtic fuiſſe Simoniam, quod [ait] ſanè horrendum eſt, atque profanum. Eandem ſententiam, nimirum, beneficiorum etiam ſimplicium, nundinationem eſſe jure divino & naturali vetitam, ac conſequenter nec ſummo Pontifici licitam, latè & ſolidè probat *Fagnanus. loc. cit. à n.* 71. *uſque ad n.* 114. Eadem ſententia eſt *D. Thomæ.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. quem communiter ſequuntur Theologi, ùt teſtatur *Cajetanus. Tract 9. De Simonia.* Ubi & oppoſitam ſententiam, appellat *errorem Canoniſtarum* Poſſe tamen Pontificem fructus à beneficio ſeparare, & ſic ſeparatos vendere, communiter traditur.

91. Cæterùm; quantùm ad Simoniam, quæ jure tantùm Eccleſiaſtico committitur, cujuſmodi Simonia eſt mala, quia prohibita, cùm ſit jure humano inducta, non poteſt hæc obligare eum, qui eſt ſupra jus humanum. *L. Princeps ff. De Conſtit. Princip.* Conſtans enim eſt, quòd Princeps Supremus, qualis eſt in Eccleſia Pontifex, non ſubjiciatur ſuis legibus, quò ad vim *coactivam*, cùm non habeat Superiorem, à quo cogi poſſit. *Can. Cuncti per mundum. cauſ.* 10. *q.* 3. Undè *Bellarminus. lib.* 2. *De Rom. Pontif. cap.* 12. *& ſeq.* & *Navarrus, in cap. novit. De judiciis. Notab.* 3. *n.* 78. *&* 142. *& in Summa. cap.* 27. *n.* 13. tradunt: Pontificem, ſi in Hæreſin laberetur, non fore ipsô jure excommunicatum. Proinde, licet omnes fideles, etiam Imperatores, Cardinales & Epiſcopi, ſubjiciantur cenſuris, non tamen S. Pontifex, qui ſupra jus à ſe conditum eſt.

Digitized by Google

92. Hîc in quæſtionem venire poſſet, an Pontifex teneatur lege Simoniaci ambitûs, *Annatas* exigens? Ante reſolutionem, Nota 1*mò*. *Annatarum* uſum non ita nuperum eſſe, ut vult pro more ſuo parum in Romanam Sedem æquus *Duarenus*. *De Sacris Ecclеſ. Miniſt. lib.* 6. *cap.* 3. ejus originem *Bonifacio IX.* adſcribens, ſecutus errorem *Platinæ. in vita Bonifacii*; cùm earum fiat mentio in Concilio *Vienneñſi*, quod celebratum ſub *Clemente V.* quem multis annis ante *Bonifacium IX* ſediſſe, ex faſtis Eccleſiaſticis notum eſt. Eundem errorem ſecutus eſt *Vitriarius. in ſuis inſtitutionibus Juris publici. lib.* 1. *tit.* 15. *n.* 24.

93. Nota 2*dò*. *Annatas* eſſe fructus primi anni Epiſcopatuum, aliarúmque Dignitatum & beneficiorum, quos Pontifex ſibi ſuæque Cameræ retinet, non in pretium Dignitatum ſeu Beneficiorum, ſed in ſuî, ſediſque ſuæ ſubventionem & ſuſtentationem Miniſtrorum, quorum ſubſidiaria opera neceſſaria eſt in regenda univerſali Eccleſia. Igitur penſio hæc, quæ aliunde etiam in recognitionem ſupremæ poteſtatis Eccleſiaſticæ; ſi Pontifici perſolvenda eſt; vocitatur *Annatæ*, de quarum origine, uſu & æquitate, multa congeſſit *Nicolarts* in *tract. De concordatis Germaniæ. tit.* 2. *dub. unic.* §. 1.

94. In *Annatarum* præſtationem, conſenſerunt omnes ferè Europæ Nationes exceptâ *Angliâ* & *Galliâ*; præcipuè, quia *Annatæ* à principio, potiſſimùm introductæ erant, in ſubſidium belli adverſus Turcas, ſeu expeditionis ſacræ. Quia tamen hoc ſubſidium nimis frequens & oneroſum videbatur, ideo inter *Nicolaum V.* Pontificem Max. & *Fredericum III.* Imperatorem, *Anno* 1447. hac ſuper re concordia fuit concepta & concluſa Tametſi autem Status Imperii, primis temporibus, hæc Concordata improbaverint; quia facta erant ſine ipſorum conſenſu; attamen conſenſerunt poſtea & nunc in omnibus Capitulationibus, Imperatori jurant, ſe effecturos: ut S. Pontifex Concordata obſervet. Cæterùm, hodie Papa in illis Regionibus, ubi tempore *Pacis Monaſterienſis* vigebat Catholicæ Religionis exercitium, & Papa exercebat jura reſervationum, ſeu *Menſium* vulgò *Papalium*, ibi impoſterùm, eodem jure iſto exigendi *Annatas* uti non impeditur. Vide *Inſtrum. Pacis. art.* 5. §. 19. *Si quid Annatarum* &c. Quinimò, in *mixtæ Religionis* Epiſcopatibus & Capitulis, circa Præbendas Romano-Catholicorum, jus Pontificis reſervatum manſit. *Arg.* §. 20. *art.* 5. *Inſtrument. Pac.* De Concordatis Germaniæ, ſcripſit *Limnæus.* ad *Capitulationem Caroli V. pag.* 398. *& ſeq.* Sed magìs Catholicè, ſcripſêre *Gregorius Branden* & *Laurentius Nicolarts.*

95. Nota 3*tiò*. Juxta *cit.* §. 20. Concordatorum, *Annatas* in Germania, integras perſolvendas tantùm eſſe de Archi-Epiſcopatibus, Epiſcopatibus & aliis Prælaturis principalióribus, pro rata fructuum primi anni, juxta taxam in Camera Apoſtolica plerumque jam determinatam, ita tamen, ut non tota ſimul & ſemel, ſed ex dimidia parte, ſolvenda ſit intra annum, à die, quo novus Prælatus pacificam poſſeſſionem totius vel majoris partis Eccleſiæ adeptus eſt, & pro altera dimidia parte, intra annum ſequentem. Quòd, ſi autem contingat eandem Eccleſiam intra annum bis vacare; taxa tantùm ſemel debetur. Si etiam prædictæ *Annatæ* exceſſivè taxatæ ſint, moderandæ erunt, ſecundùm qualitatem rerum, temporum & regionum. De cæteris verò Dignitatibus, Perſonatibus, & Beneficiis tam ſecularibus, quàm regularibus quibuſcunque, quæ Authoritate Apoſtolicâ

Digitized by Google

licà conferuntur [præterquàm vigore gratiarum exſpectativarum aut cauſâ permutationis, quibus nullum onus eſt impoſitum] non veniunt *Annatæ* integræ, ſed tantùm medietas fructuum primi anni, juxta taxam Cameræ, quæ plerumque ita moderata eſt, ut quintam partem annuorum fructuum non excedat. Quinimò, de Beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil planè pendendum eſt, adeò, ut Teſtibus *Branden* & *Nicolarts* apud *Reiffenſt. ad tit. Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine &c.* §. 1. *n.* 20. hodie ex generali conſuetudine inoleverit & ſtylo Romanæ Curiæ receptum ſit, ut Canonicatus & Præbendæ, Dignitatéſque Epiſcopatu inferiores, in *Germania*, *Hiſpania* & *Belgio*, ſub expreſſione illius taxæ Cameralis viginti quatuor florenorum Auri, ſive Ducatorum, impetrentur; ideóque nullæ ſolvantur *Annatæ*, ac proinde etiam ſatisfieri cenſeatur *Regulæ* 55. *Cancellariæ: de exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus*, ſi in impetratione ejuſmodi beneficiorum, exprimatur, quòd non excedant valorem 24. florenorum Auri. His prænotatis

96 *Reſp.* Papam in *Annatarum* exactione nullam committere Simoniam. Et huc facit, quòd in lege Veteris Teſtamenti, à Levitis decimæ decimarum fuerint præſtari juſſæ ſummo Pontifici. *Numeror.* 18. Ut ea res non poſſit dici aliquid involvere Simoniacæ labis, cùm non æſtimetur temporali pretio res ſacra. Unde rectè docet *S. Thomas* 2. 2. *q.* 87. *art.* 6. Naturalem æquitatem dictare, ut ille, qui omnium curam habet, de communi alatur, adeóque poſſe Pontificem à ſingulis Clericis decimarum decimas exigere, quidnî etiam unius anni fructum ſibi reſervare? quod continet minus gravamen. Ut plerique, contra hæreticos obtrectatores aut Romanæ Curiæ temerarios Cenſores, *Annatas* ab omni labe alienas, defendant. Confer *Flaminium De Simon. confident. q.* 9. *n.* 58. & *Azor p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 12. *q.* 1.

97. Quæri ulterius poteſt, an conſuetudine poſſit honeſtari exactio temporalis pro ſpirituali? Sed non poteſt eſſe quæſtio de Simonia jure divino prohibita, ſive, an licitum eſſe poſſit, exigere quid temporale tanquam pretium rei propriè ſpiritualis; certum enim eſt, nullius, nequidem S. Pontificis poteſtate, id licitum fieri poſſe; ſolùm igitur quæſtio eſſe poteſt de Simonia jure duntaxat Eccleſiaſtico prohibita. Pro Reſolutione, Dico: conſuetudine honeſtari poſſe hujuſmodi exactionem.

Ratio eſt 1*mò*. Quia per conſuetudinem abrogari poteſt lex humana etiam Eccleſiaſticâ, ùt tradunt Canoniſtæ ad *tit. De conſuetud.* 2*dò*. Quia piæ conſuetudines, hac in materia, dicuntur obſervandæ. *cap. ad Apoſtolicam. De Simonia.* Poteſt autem hujuſmodi exactio eſſe pia, ùt conſtat ex *Tridentino. ſeſſ.* 24. *c.* 16. *De Reformat.* Ubi præcipit examinari & diſcerni inter conſuetudines, quæ aliquam exactionem induxerunt in beneficiis, ut, ſi in pios uſus non convertantur, neutiquam fieri permittantur, ut præſupponatur, poſſe hujuſmodi conſuetudinem eſſe piam.

98. Dices 1. Per ſtatutum non poteſt derogari juri communi. Ergo nec per conſuetudinem. 2. Conſuetudo reprobata, non poteſt contra legem valere. *Covarruv.* 3 *Variar. Reſolut. cap.* 13. *n.* 4. Atqui talis conſuetudo eſt reprobata per Canones, ùt patet ex *cap. Non ſatis.* 8. *De Simon.* in verbis: *Nec ſub obtentu cujuſquam conſuetudinis reatum ſuum quis tueatur.* Cùm diuturnitas temporis non diminuat peccatum ſed augeat. 3*tiò*. Hujuſmodi

Digitized by Google

juſmodi conſuetudo, vocatur prava & corruptela. *cap. In tantum.* 36. & *cap. Sicut* 39. *Eod. Can. ex multis. cauſ.* 1. *q.* 3. Ubi reprobatur conſuetudo quid largiendi in pios etiam uſus.

Ad 1. ℞. *Neg. conſeq.* Diſparitas eſt, quod Statutum nitatur ſolâ poteſtate inferiorum, ut meritò non prævaleat legi ſuperioris; in conſuetudine autem concurrat tacita ſaltem voluntas & conſenſus ſuperioris. Ad 2. ℞. Non omnem conſuetudinem circa exactionem alicujus temporalis, eſſe reprobatam, & concurrere poſſe tales conditiones & circumſtantias, quæ malitiam ejus auferant & purgent ab omni ſuſpicione mali: veluti: ſi tale onus imponi cœptum, in debitum ſuſtentationis ſtipendium, propter Miniſtrorum indigentiam, quæ ſola ponit juſtum titulum quid exigendi, tanquam fundamentum laubabilis conſuetudinis. Cæterùm, ut omni vitio res careat; oportet, ut talis impoſitio fiat ſufficienti authoritate & poteſtate. Non enim privatâ authoritate, etiam ex cauſa indigentiæ, onus tale imponi poteſt iis, qui ſpiritualia recipiunt. Solet autem præſumi, quod talis impoſitio vel exactio ex legitima authoritate & cauſa ſit profecta, niſi aliud pateat, prout tradit *Navarrus. Conſil.* 3. *Ad tit. De Simon.* Qua ratione, pro funeribus, exequiis, Baptiſmo & ſimilibus quid exigi & dari receptum. Dummodo tamen exactio non fiat, modo ſpecialiter in jure prohibito, qualis eſt, negare ſpiritualia, niſi dentur priùs temporalia, aut de dando, certa ſit cautio præſtita: hunc enim modum jura paſſim deteſtantur, ut videre eſt in *cap. In tantum.* & *cap. Audivimus* 41. *De Simon.* Unde patet ℞*ſio.* ad *tertium*. Jura enim exactionem, tali modo prohibito, factam damnant, & conſuetudinem, ſimili modo quid exigendi, vocant pravam & corruptelam. Alioquin autem, Teſte *Tridentino*, conſuetudo quid exigendi etiam, quò ad ea in quibus jure divino, exactio rei temporalis eſt prohibita, poteſt eſſe pia & laudabilis, quando nempe quid exigitur non tanquàm pretium, ſed tanquàm ſtipendium ſuſtentationis, quod debitum miniſtranti ſpiritualia. Vide *Azor. p.* 3. *lib.* 12. *cap.* 19. *q.* 1.

99. Supereſt *Quæſtio*; num ſuper reſtitutione pretii ſimoniacè accepti, diſpenſet Pontifex? ℞. *Diſtinguendo*: Aut enim jure naturali, facienda eſt reſtitutio, aut tantùm venit jure Eccleſiaſtico. *Priore caſu*, non diſpenſat Pontifex, qui non poteſt alterum privare jure ſuo, dum videlicet illi pretium reſtituendum ratione injuriæ, quam paſſus eſt. Dico: *ratione injuriæ.* Nam, ſi is, cui reſtitutio facienda, commiſerit Simoniam; poſſet Pontifex in pœnam ejus, diſpenſare cum eo, qui accepit. *Secundo caſu* poſſe Pontificem diſpenſare certum eſt, tum quia eſt ſupra jus poſitivum; tum quia illa pecunia pertinet ad bona Eccleſiaſtica, quæ ſubjacent diſpoſitioni Pontificis.

100. Quis diſpenſare poſſit in pœnis Simoniæ, & qualiter obtineri debeat abſolutio à cenſuris ob eam incurſis? tradit *Reiffenſtuel. ad tit. De Simonia.* §. 14.

Pro hodierna praxi, *Notandum* imprimis: quòd hæc diſpenſatio peti ſoleat vel in *Dataria Romana*, vel in *Pœnitentiaria*. In *Dataria* petenda eſt, ſi Simonia ſit notoria, aut ſaltem in foro externo poſſet probari, ipſéque proviſus non tantùm pro foro interno, ſed etiam externo, diſpenſationem ſuam valere deſideret. In *Pœnitentiaria* autem petitur, ſi ſit omnino occulta, tantúmque pro foro conſcientiæ, diſpenſatio requiratur.

Ubi obſervat *Pyrrus Corradus*, in *praxi diſpenſat lib.* 5. *cap.* 9. *n* 14. quòd quoties ſuper Simonia in *Dataria*, diſpenſatio

Digitized by Google

tio petitur; debeant exprimi fructus percepti ex beneficio ſimoniacè obtento. " Cùm illi (ait) debeantur Cameræ Apoſtolicæ, ac propterea conſignari debeant *D. Datario* vel *Datariæ Præfecto*, licet hodie, pro dictis fructibus fiat tranſactio & ex illis, remittatur Oratori tertia vel major pars, prout ipſi *Datario* videbitur. "

101. Hac de re etiam videri poteſt *Perardus Gaſtellus. in praxi Curiæ Romanæ. pag.* 28. Ubi in *Notis*, monet *Guilielmus Noyer*, ex *Petro Pithæo*, *in Commentario, ad libertates Eccleſiæ Gallicanæ. cap.* 51. quòd hujuſmodi compoſitiones ſuper fructibus malè perceptis, non admittantur in *Gallia*. Verba *Pithæi* ſunt: *Le Pape ne peut compoſer avec ceux, qui auroient été vrais intrus ès Benefices, ſur les fruits mal par eux pris & perçus, ni leurs remettre en tout, ou partie, attendu, qu'ils doivent être convertis en l'utilité des Egliſes.*

102. In cauſis Simoniæ, ſolus judex Eccleſiaſticus cognoſcere & definitivè pronuntiare poteſt, etiamſi Reus ſit Laïcus. Ita *Clarus. lib.* 5. §. *Simonia. n.* 7. *Pirhing. ad tit. de Simonia. n.* 142. *Abbas, in cap. Cùm ſit.* 8. *De foro compet.* & ibid. *Gloſſ* Verb. *Malefactores*. *Ratio* eſt; quia Simonia verſatur circa objecta ſpiritualia, ac proinde cauſæ hujuſmodi ſunt ſpirituales; cauſarum autem ſpiritualium cognitionem ad ſolos judices Eccleſiaſticos pertinere, certum ex *cap.* 2. *De judiciis.*

103 Tanta eſt labes hujus criminis, ut etiam ſervi erga Dominos, & quilibet criminoſi admittantur ad accuſationem, inquit Pontifex: in *cap. Tanta.* 7. *De Simon.* & quidem tam contra dantem, quàm contra recipientem aliquid Simoniacè. *Argum. cap. Non ſatis.* 8. *eod.* Et ſpeciale eſt, quòd accuſatus de Simonia, ſtatim & *ipſo facto*, ſit ſuſpenſus à celebrandis ſolemniis Miſſarum. *cap. Accuſatum.* 4. & *cap. Quoties.* 5. *eod.* Intellige, ſi jam publicè ſit diffamatus de hoc crimine, alias non, ùt bene obſervat *Gloſſa* in *cit. cap. Accuſatum.* ℣ *Simonia.* Porrò, ſicut quilibet alias de jure inhabilis, v. g. criminoſus, poteſt eſſe accuſator, ita etiam poteſt eſſe teſtis contra Simoniam, dummodò non ſit capitalis inimicus Rei, aut conſpirator in eum, prout ſat clarè habetur in *cap. Licet Heli.* 31. & *cap. Per tuas.* 32. *eod.* & hoc præcipuè verum eſt, ſi teſtis criminoſus, ex crimine ſuo jam emendatus eſt *cit. cap. Per tuas.* Excipe: *Niſi ſit perjurus.* Hic enim, licet ſit emendatus, non amplius admittitur ad teſtificandum, uti poſt *Gloſſam* in *dict. cap. Per tuas.* ℣. *furti.* bene docet *Pirhing.* ad *tit. De Simon. n* 150. per textum ſat clarum in *can. Parvuli.* 14. *cauſ.* 22. *q.* 5. & in *cap. Teſtimonium. De Teſtib.* Ex ratione: quia, qui ſemel perjurus inventus eſt, meritò timetur ruſum perjurare. *Arg. l. Si cui.* §. 3. *ff. De Accuſat.* Obſervat inſuper *Pirhing. loc cit.* quod, etſi criminoſi admittantur ad teſtimonium ferendum contra Simoniacos; attamen ſine aliis adminiculis vel indiciis, plenè non probent. *Arg. cit. cap. Per tuas. ibi: aliis adminiculis ſuffragantibus.*

104. Speciale etiam eſt, quòd Beneficia ſimoniacè obtenta, cùm vacent *ipſò jure*; poſſint impetrari etiam abſque alia declaratione, quæ fieri poterit poſt impetrationem, juxta *cap. Cùm ſecundum. De Hæretic. in* 6. Vide *Rebuffum* in *praxi. tit. De Simon. n.* 11.

Agendo de vitiis Religioni, tum per exceſſum, tum per defectum, oppoſitis; ſat, ùt opinor conſideravimus primum Decalogi Præceptum, quatenus *negativum* eſt in terminis: *Non habebis Deos alienos coram me, non adorabis ea, neque coles* &c.

Reſtat nunc, idem præceptum, quatenus virtualiter *affirmativum* eſt, ut perveſtigemus.

105. Sanè, vel ipſa ratio naturalis dictat, cuivis perſonæ excellenti pro ratione dignitatis ſuæ, competentem cultûs honorem eſſe exhibendum Cùm ergò Deus naturâ ſuâ ſit ſummæ & infinitæ excellentiæ; conſequens eſt, eum ſumma & perfectiſſima adoratione eſſe colendum. Hæc adoratio proprio nomine vocatur *Latria*, quâ ſcilicet conteſtamur noſtram infimam ſubjectionem erga Deum ùt ſupremum omnium Dominum, Authorem, Principium & finem univerſorum, ſupremæ ac prorſus infinitæ ſupra omnes excellentiæ. Hæc adoratio nobis præcepta eſt *Deuteron.* 6. & *Matth.* 4. *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies.* Quòd autem Deo inviſibili, non ſolùm actu *interno*, ſed etiam *externo* & *ſenſibili*, exhibendus ſit cultus ille Latreuticus; conſtat ex Sacris Scripturis, ejuſmodi cultum externum, præſertim in Sacrificiorum oblationibus, impensè recommendantibus, cujus rationem dat *D. Joannes Damaſcen. lib.* 2. *De fide Orthodoxa. cap.* 13. Ut videlicet, quia natura corporali & ſpirituali compoſiti ſumus, utriuſque naturæ operibus, internis ſcilicet animæ; & externis, nempe corporis, proteſtemur, nos omnia debere Deo. *Divus P. Auguſtinus. lib. De cura pro mortuis habenda. cap.* 5. aliam rationem inſinuat; quia nempe externi actus & geſtus corporis, miram habent vim ad fovendum & augendum internum affectum erga Deum. *Neſcio* (inquit) *quo pacto, cuncti motus corporis, cùm non poſſint, niſi motu animi præcedente fieri, eiſdem exteriùs viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augeatur?*

106. Cæterùm, primo Decalogi Præcepto minimè adverſatur cultus, qui Sanctis Angelis & animabus beatis, ritu Catholicorum, redditur, prout de fide certum & in variis Conciliis, maximè in 2da. *Synodo Nicæna* ac noviſſimè in Concilio *Trident. ſeſſ.* 25. *in Decreto. De Purgatorio,* deciſum, ac omnium Catholicorum ſenſu, contra *Wicleffum* omnéſque Hæreticos noſtri temporis, receptum.

107. Quò Hæreticorum argutiis occurramus, obſervâſſe juvabit; quòd *Adorationis* nomen, in S. Scriptura bifariàm capiatur. Primò enim, propriè, ſtrictè & per antonomaſiam, ſumitur pro ſolo cultu, Divino Numini debito, ùt patet ex iis textibus, quibus præcipitur ſolus Deus adorari, & prohibetur adorari creatura. Secundò autem, non infrequenter, accipitur generatim & largè, pro quocunque cultu, alicui ob quandam ſpecialem excellentiam exhibito, ùt liquet ex illis locis S. Scripturæ, ubi dicuntur Angeli, Prophetæ, Reges, imò & aliæ creaturæ adorari. Hoc ſenſu, Adoratio nihil aliud ſonat, quàm quandam externam conteſtationem ſeu notam ſubmiſſionis, erga alterum, ob ejus exiſtimatam & æſtimatam excellentiam. Atque in hoc, adoratio differt ab honore ſeu veneratione. Honor enim non importat, niſi conteſtationem ſeu recognitionem bonitatis ſeu perfectionis in altero exiſtentis, adeóque etiam æquali vel inferiori poteſt exhiberi, talis verò minimè, lato etiam modo, adorari poteſt, quia adorationis cultus, dicit conteſtationem etiam noſtræ ſubmiſſionis ſeu ſubjectionis erga alterum, ob ejus æſtimatam excellentiam. Unde Adoratio, quatuor neceſſariò importat actus, duos nempe ex parte intellectûs & duos ex parte voluntatis. Ex parte intellectûs; 1. judicium *ſpeculativum*, quo cognoſcatur alterius excellentia. 2. Judicium *practicum*, dictans alteri, hîc & nunc, ob ejus excellentiam cognitam, de-

bitum

bitum & congruum cultum eſſe exhibendum. Huic ſuccedit 3. actus *voluntatis*, quo nimirum voluntas ſtatuit, alteri, pro cognita ejus excellentia, debitam reverentiam exhibere & aliquo actu externo, ſuam ergo ipſum ſubjectionem conteſtari 4. Denique ſequitur ipſe actus *externus* vel geſtus aliquis, ita imperatus à voluntate, tanquam nota vel conteſtatio ſubmiſſionis erga alterius æſtimatam excellentiam. Atque in hoc ultimo actu externo, propriè & eſſentialiter conſiſtit adorationis cultus, ſive erga Deum, ſive hominem.

108 Hujuſmodi autem actus externi adorationis communiter ſumptæ, tam reſpectu Dei, quàm hominum, diverſi ac multiplices eſſe poſſunt, ùt paſſim videre eſt in S. Scriptura. *Primus* atque præcipuus adorationis actus eſt, *proſtratio in terram*. Sic in Veteri Teſtamento, ſæpiſſimè Sancti perhibentur adorâſſe Deum, Angelos & Homines; & in Novo Teſtamento, *Matth.* 2. Magi procidentes adoraverunt Eum, ſcilicet Chriſtum natum: & *Joan.* 9. Cæcus ſanatus à Chriſto, procidens, adoravit Eum. *Secundus*, ſolâ capitis & pectoris *inclinatione* perficitur: Sic ſervus *Abrahæ*, *Geneſ.* 24. inclinavit ſe. Tertius communiſſimè fit *genuflexione*. De hoc intelligitur illud *Iſaiæ* 45. *Mihi curvabitur omne genu.* & ad *Philipp.* 2. *In nomine Jeſu*, *omne genu flectatur* &c. Quartus adorandi modus olim fiebat, per *oſcula* vel ipſi adorato ejúſve veſti, vel manui propriæ, quæ adoratum tetigerat, impreſſa, iſque modus etiamnum non receſſit ab uſu. Denique ad modum adorationis & cultûs tam ſacri, quàm profani, meritò præſertim apud Europæos, ſpectat capitis detectio. Cùm enim pileus ſit libertatis inſigne & ſuprema veſtis hominis; verè erga alterum ſubmiſſionem ac velut ſubjectionem atque ſervitutem profitetur, qui ipſi pileum deponit: quod, ſi fiat cum vero interno affectu & animo ſe alteri, Deo vel homini ſubmittendi; erit verus actus adorationis, alias verò ſimplicis honoris, maximè, dum erga æqualem vel inferiorem exercetur.

109. Hoc obſervatô, ſciendum; quòd primo Decalogi Præcepto, prohibeatur duntaxat Idololatria, ſeu cultus creaturæ, *ſicut Deo*, exhibitus Unde *D. P. Auguſtinus*, *lib.* 1. *De Trinit. cap.* 6. inquit: *Idololatræ dicuntur*, *qui ſimulacris eam ſervitutem exhibent*, *quæ debetur Deo*: *ſecundùm hanc enim ſervitutem*, *dictum eſt*: *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies.* Primo itaque hoc Præcepto, prohibetur ſolùm cultus Idololatricus, quo creaturæ divinus honor tribuitur, animo proteſtandi ſuam ſubjectionem erga ipſam, ùt ſupremum Dominum. Talis autem cultus nequaquam tribuitur Sanctis, ſed longè inferior, quo ſcilicet conteſtamur noſtram ſubmiſſionem erga Sanctos, ob eorum excellentiam creatam ſupernaturalem, & tanquam ſpeciales amicos Dei, Principes cœli, Patronos & Advocatos noſtros apud Deum, ùt conſtat ex perpetua omnium Catholicorum confeſſione; ut Hæreticis oppoſitum impudentiſſimè mentientibus, optimo jure regeri poſſit, quod Divus *Hieronymus Vigilantio* Hæretico (qui primus fermè cultum Sanctorum impugnavit, & ut Idololatriam proclamavit) reſpondit: *Quis*, *ô inſanum caput! aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum.* & ſanè; ſi honor civilis debetur humanæ virtuti, ſapientiæ, potentiæ, nobilitati? &c. Quidnî honor pluſquàm civilis, debeatur ſupernaturali virtuti, gratiæ & ſanctitati conſummatæ Beatorum cum Deo regnantium? juxta illud *Lucæ* 22. *Ego diſpono vobis Regnum* &c. & *Apocalyp.*

lyp. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in Throno meo.* Huc facit; quòd teſte S. Scripturâ; Angeli fuerint adorati ab hominibus etiam ſanctitate conſpicuis. Sic *Geneſ.* 18. *Abraham* tres Angelos, humana ſpecie ſibi apparentes, adoravit. & *Geneſ.* 19. *Loth* duos Angelos adoravit pronus in terram. & clarius *Num.* 22. *Aperuit Dominus oculos Balaam & vidit Angelum ſtantem, evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram* Item *Joſue* 5. cum vidiſſet *Joſue* virum ſtantem evaginato gladio, dixit: *Noſter es, an adverſariorum? qui reſpondit, nequaquam, ſed ſum Princeps Exercitûs Domini & nunc venio.* Quo auditô, mox *cecidit* Joſue *pronus in terram, & adorans, ait &c.* Jam verò *Joſue* [idem eſt de *Abrahamo* & *Lotho*] non adoravit Angelum cultu *Latriæ*, quia Angelus dixerat ſe eſſe *Miniſtrum Domini:* nec ùt hominem, cultu *civili* & *politico*; quia non prius adoravit, quàm intellexerat, eſſe Angelum ſeu Dei legatum: ergo aliquo medio cultu, eóque ſacro, quem *Duliam* vocamus. Neque dici poteſt *Joſue* male feciſſe & Idololatriam commiſiſſe; ſiquidem Angelus non ſolùm non cohibuit eum ab adoratione; ſed etiam majorem poſtulans reverentiam, dixit: *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt.* Unde locus ille alias profanus in campeſtribus *Jericho*, ſanctus erat, niſi ex præſentia Angeli?

Non ſolùm Angelos, ſed & Homines *Sanctos* adoratos eſſe, ſacra pagina memorat. Sic: 1. *Reg.* 28. *Saul* adoravit animam *Samuëlis* ſibi apparentem; neque propterea reprehenſus invenitur Similiter 3. *Reg.* 18. *Abdias* Vir ſanctus *cecidit ſuper faciem ſuam*, adorans *Eliam.* Nec dici poteſt; cultu civili adorâſſe ob excellentiam humanam; major enim erat *Abdias Eliâ*, utpote unus ex Principibus Regni. Adoravit ergo eum, cultu aliquo ſacro *Latriâ* minore, ob excellentiam ſupernaturalem, ſcilicet ùt *Prophetam* & hominem Deo præprimis gratum. Eadem Catholica veritas probatur: ex 4. *Reg. cap.* 2. ibi: *Videntes autem filii Prophetarum qui erant in Jericho, èontra dixerunt: requievit Spiritus Eliæ ſuper Eliſeum, & venientes in occurſum ejus, adoraverunt eum proni in terram.* Ubi *Nota*; quòd hunc textum ſacrilegè corruperit *Lutherus*, in verſione ſua, eradendo ſeu omittendo *tò: eum.* Quæ particula habetur in omnibus exemplaribus nedum Latinis, ſed & Græcis ac Hebraïcis. Porrò *Daniel.* 2. *Nabuchodonoſor* adoravit *Danielem.* Quis autem dixerit, potentiſſimum & faſtuoſiſſimum hunc Regem, adorâſſe *Danielem* unum ex ſuis captivis, cultu politico, ob excellentiam duntaxat humanam, non verò ſupernaturalem? cùm ipſum agnoſcens hominem Dei ſpiritu donatum, dixerit: *Verè Deus veſter, Deus Deorum eſt, Dominus Regum, revelans Myſteria, quoniam tu potuiſti aperire hoc Sacramentum.*

Obganniunt Hæretici, aſt parum in rem ſuam; quòd ex illis teſtibus non probetur, adoratos, id eſt *Duliæ* cultu, honoratos fuiſſe Sanctos in Cœlo exiſtentes, cùm non niſi Chriſto aſcendente & cœlum aperiente, Patres ſancti in cœleſtes ſedes illati fuerint. Si enim coli potuerint Viri ſancti vel adhuc in terra peregrinantes, vel quò ad animam, in limbo exiſtentes; quidnî potiori jure, colendi ſint, cum Chriſto jam in Cœlo triumphantes? Audite ergo Novatores, quid priſci Patres de cultu Sanctorum ſenſerint! Vetuſtiſſimus *Origines Homil.* 3. *De Diverſ.* inquit: *Horum* (ſcilicet SS. Martyrum) *memoria ſemper, ùt dignum eſt, in Eccleſia celebratur. D. Damaſcenus. De fide Orthodoxa. lib.* 4. *cap.* 16. ait: *Ho-*

Honorare decet Sanctos & Amicos Chriſti, ùt filios & Hæredes Chriſti. & *S. Ambroſius. ſerm. 6. in fine. Quiſquis* (inquit) *honorat Martyres, honorat & Chriſtum, & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum.* Agmen SS. Patrum, quorum ſententias prolixè deſcripſit *Bellarminus. Tract.* 1. *De Beatitudine Sanctorum. lib.* 1. *cap.* 13. *per totum.* Claudat Aquila Doctorum, Magnus *P. Auguſtinus. ſerm.* 1. *De SS. Petro & Paulo.* ſic perſonans: *Beatiſſimum Petrum, Piſcatorem, modò genibus provolutis adorat Gentium multitudo.*

110. Quid ad hæc Hæretici? OBJICIUNT 1mò. Loca S. Scripturæ: *Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies.* 1. *ad Timoth.* 1. *Soli Deo honor & gloria. Ad Galat.* 4. *His qui naturâ non ſunt Dii, ſerviebatis.* 2dò. Allegant exempla è Sacris Litteris petita. *Eſther* 13. Ubi *Mardochæus* noluit genuflectere coram *Ammon*, rationem reddens: *Timui, ne honorem Dei mei, transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* & *Act.* 14. *Paulus* & *Barnabas* noluerunt à *Licaoniis* adorari. Item *Apoc.* 19 dum *Joannes* volebat Angelum adorare, dixit Angelus: *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum* &c. *Deum adora.* 3tiò. Congerunt quorundam dicta Patrum, *Athanaſii, Epiphanii* & *Auguſtini*, qui dicunt: nec Angelos, neque Homines, imò nequidem Deiparam Virginem, poſſe adorari. *Non ſit* [inquit *D. P. Auguſtinus, lib. De vera Relig. cap.* 55.] *nobis Religio, cultus hominum mortuorum, quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, ut tales quærant honores, ſed illum, à nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur, meriti ſui nos eſſe conſortes.* 4tò. Argumentantur *à ratione.* Quia duplex tantùm (aiunt) eſt cultus: *religioſus*, nempe Deo debitus, & *civilis*, debitus hominibus virtute præſtantibus: at Sanctis non debetur cultus religioſus; cùm non ſint Dii, nec civilis, cùm non verſentur nobiſcum civiliter. Ergo nullus. Ita paralogizat *Calvinus. lib.* 1. *Inſtit. cap.* 11. & 12. Ubi addit, ineptam eſſe Catholicorum diſtinctionem: Sanctos coli *Duliâ*, non *Latriâ*, cùm enim (inquit) Latria ſignificet cultum; colere ſine *Latria*, erit colere *ſine cultu.*

Ad 1. ℟. Omnia hujuſmodi S. Scripturæ loca intelligi de Adoratione & Servitute *strictè* ſumpta, prout ſoli Deo, ob ſupremam ejus & infinitam excellentiam debetur; prout ſupra dictum. Tali autem cultu *propriè Latreutico*, nemo Catholicorum adorat Sanctos, quidquid impiiſſimè calumnientur Hæretici. *Ad* 2. ℟. Exempla illa quoque reſpicere cultum ſoli Deo debitum. Nam *Ammon* ſuperbiſſimus, omnino ambiebat cultum divinum. Similiter *Lycaonii*, non ſolùm adorare volebant *Paulum* & *Barnabam*; ſed & ipſis tanquam Diis immolare boves adductos, ideóque meritò ſciſſis veſtibus, præ horrore repulſi ſunt. Porrò, Angelus ille Apocalypticus, apparebat in perſona Dei, dixerat enim: *Ego ſum primus & noviſſimus & vivus, & fui mortuus & ecce ſum vivens* &c. Adeóque meritò fuiſſet à *Joanne* adoratus pro Deo vel Chriſto, niſi expoſuiſſet, quis eſſet, ſícque illum cultum recusâſſet (prout explicat *S. P. Auguſtinus. q.* 61. *in Geneſ.* Talis enim [inquit] apparuerat Angelus, ut pro Deo poſſet adorari, & ideo corrigendus erat Adorator. *Ad* 3. ℟. SS. Patres, ùt ex contextu liquet, invehi in errores Gentilium & quorundam etiam Catholicorum ſuperſtitiones, qui illis temporibus, B. Mariæ Virgini vel Sanctis defunctis, divinos honores deferre contendebant. Confer *P. Jacobum Keller* in ſuo *Catholico Papatu. tom.* 2. *art* 7. *Ad* 4. ℟. *Neg. Maj.* Datur enim cultus me-

medius inter *Religioſum* ſeu *Latreuticum*, & *Civilem*; ſicut datur excellentia medians inter divinam & humanam naturalem, videlicet *ſupernaturalis creata Beatorum*. Porrò, tametſi *Latria*, ex primæva ſignificatione Græca, importet quemvis cultum, attamen ex uſu Theologorum, non accipitur pro quovis cultu, ſed duntaxat pro cultu illo, qui ſoli Deo debetur, adeóque Sanctos colere *abſque Latria*, non eſt colere *abſque omni cultu*, prout ineptit *Calvinus*, ſed eſt colere, abſque illo ſpeciali cultu, qui Deo tanquàm ſupremo Domino debetur, quique à Theologis, *Latriæ* nomine exprimitur. Cæterùm, dum Hæretici nobis objiciunt, quòd Sanctis Templa, Altaria ſeu Aras exſtruamus, Sacrificia offeramus, iiſque tanquam Diis, feſta agamus; pro more ſuo impudentiſſimè mentiuntur, cùm illa omnia *principaliter* fiant Deo, & non niſi *ſecundariò*, in memoriam & venerationem Sanctorum, prout omnis ſemper tenuit & ſenſit Catholicorum vetuſtas, ùt videre eſt apud *D. P. Auguſtinum*, *lib.* 8. *De Civit. Dei. cap.* 27. & *lib. contra Fauſtum*, *cap.* 21.

Angelos autem & Sanctos, ideo ſalubriter invocamus, quia orant pro nobis noſtríque ſunt Interceſſores apud Deum. Id quod fide Catholica, peculiari libro demonſtravit D. *Hieronymus*, *contra Vigilantium*, & conſtat ex S. Scriptura *Tob.* 12. *Zachar.* 1. *Apocalyp* 8. *Danielis* 10. *Pſal.* 90. *Matth.* 8. Ubi Angeli perhibentur pro hominibus intercedere & preces eorum offerre altiſſimo. Id autem multò magìs faciunt ſpiritus & animæ Beatorum, cùm, quò ad hoc, habeant omnia, quæ habent Angeli, ſcilicet intellectum, voluntatem, viſionem Dei & charitatem erga nos, & inſuper ſint confratres noſtri in Chriſto, & membra Eccleſiæ, nobis magìs, quàm Angeli, conjuncti atque experti miſerias & pericula noſtra. Unde D. *Hieronymus. contra Vigilantium* ſic arguit: *Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti*, *quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti*, *pro aliis orant*, *quantò magìs poſt coronas*, *Victorias*, *Triumphos?* & *S. Leo Papa. ſerm.* 2. *Petrus nunc pleniùs & potentiùs ea*, *quæ ſibi commiſſa ſunt*, *peragit*. Cujus rationem dat *D. Thomas*. 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. Siquidem, *cùm Oratio pro aliis facta ex charitate proveniat*; *idcircò*, *quantò Sancti*, *qui ſunt in patria*, *perfectioris ſunt charitatis*, *tantò ferventiùs orant pro Viatoribus*, *qui Orationibus juvari poſſunt*: *& quantò ſunt conjunctiores Deo*; *tantò Orationes eorum ſunt efficaciores*; *habet enim hoc Divinus ordo*, *ut ex ſuperioribus*, *excellentia refundatur in inferiora*, *ſicut ex claritate ſolis*, *refunditur lux in aërem*. & ſanè, ſi *Luc.* 16. Dives in inferno, rogavit, ad fratres ſuos mitti *Lazarum*, qui eos commoneat, ne & iſti venirent ad illum tormentorum locum; quantò magìs juſti & ſancti in cœlis, orabunt pro fratribus ſuis & tota Eccleſia? Huc faciunt non anilia commenta, ſed hiſtoriæ Authenticæ, ex quibus conſtat, Sanctos viſibiliter apparuiſſe & viventibus opem tuliſſe. Sic D. P. *Auguſtinus. lib. De cura pro mort. hab. cap.* 16. ait: *Non ſolùm beneficiorum effectibus*, *verùm etiam ipſis hominum aſpectibus confeſſorem apparuiſſe* Felicem, *cùm à Barbaris* Nola *oppugnaretur*: *audivimus*, *non incertis rumoribus*, *ſed teſtibus certis*. & *S. Euſebius. lib.* 6. *Hiſtor. cap.* 5. refert: *S. Potamienam* Martyrem, carnifici orationes ſuas in cœlo promiſiſſe, deinde poſt triduum à morte, carnifici apparuiſſe, coronam capiti ejus, in ſignum futuri Martyris, imponendo. Similia enarrantur à *S.* Baſilio. *Oratione: de S. Mamante Martyre*. *S.* Gregorio Nazian. *Orat. De S. Cæſario* Gregorio Nyſſen. *Orat.*

Orat. De Vita S. Gregorii Neocæſ. Theodoreto. *lib. 5. Hiſtor. cap.* 23. *S* Ambroſio: *De SS. Gervaſio & Protaſio.* & *ſerm De S. Agnete.* Sulpitio. *in Vita S. Martini.* Hos autem Authores ſanctitate & doctrinâ cerebres, ac ab antiquis temporibus venerabiles, mendacii ſeu falſitatis arguere; impudentia eſt intolerabilis, hæreticis non inſueta.

Adhæc; teſte S. Scripturâ, innegabile; homines Sanctos adhuc in terris peregrinantes, ab aliis viventibus fuiſſe imploratos. Sic: 1. *Reg.* 7. Filii *Iſrael* dixerunt ad *Samuelem*: *Ne ceſſes clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum.* & Job. *cap. ult.* dicitur: *Ite ad ſervum meum Job.* & Jerem. 42. *Dixerúntque ad Jeremiam Prophetam: cadat oratio noſtra in conſpectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum.* &c. Item *Baruch.* 1. *Pro nobis ipſis orate ad Dominum Deum noſtrum, quia peccavimus Domino Deo noſtro.* Pariter in nova lege, ipſemet Apoſtolus, ad *Rom.* 15. *Obſecro vos* (inquit) *fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & per Charitatem S. Spiritûs, ut adjuvetis me in Orationibus veſtris pro me apud Deum.* & Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini, multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Jam verò, ſi Sancti & juſti adhuc in terra peregrinantes, rectè invocentur; quidnî eoſdem Sanctos nunc cum Chriſto regnantes licebit implorare? Profectò, ſi implorari non poſſent, hoc eſſet ideo; vel quia *nollent*, vel quia *non valerent*, pro nobis intercedere; aut: quia, ùt vulgò effutiunt Hæretici, noſtras preces & invocationes *non perciperent.* Nihil autem horum, ſanâ ratione dici poteſt. *Non primum*; quia Sancti in Cœlis, majori quàm antea, ſunt charitate præditi, atque, ùt loquitur *D. Cyprian. ſerm. De mortalitate*: DE NOSTRA FRAGILITATE SOLLICITI. *Neque ſecundum*; quia, ſi id poterant in terra peregrinantes & carne veſtiti, quantò magis id poterunt, nunc inamiſſibili gratiâ & beatificâ fruitione, Deo intimè conjuncti. Sed nec *tertium* dici poteſt; quia Sancti in Cœlo intuitivè vident divinam eſſentiam, in qua velut in ſpeculo lucidiſſimo, creaturæ omnes repræſentantur, adeóque etiam pecces à nobis, ad ipſos fuſæ, revelantur. Non enim Beati nobis humanitate conjuncti, minus vident, quàm Angeli, qui cognoſcentes pœnitentiam peccatorum, de ea tantoperè lætantur; *Luc.* 15 *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Et cur Sanctis in Cœlo regnantibus, id perfectionis denegaretur, quod ipſis ſæpiſſimè in hac vita conceſſum fuit? Nónne Sanctis in hac vita, datum fuit penetrare occulta etiam cordium, & hominum procul abſentium? Sic: 1. *Reg.* 9. *Samuel* cognovit omnia, quæ *Saul* corde volvebat. Sic: 4. *Reg.* 5. *Eliſæus* ſcivit omnia, quæ à Servo *Giezi* abſente, erant perpetrata cum *Naaman* Principe: & idem, 4. *Reg.* 6. ſcivit omnia conſilia Regis *Syriæ*, eáque detexit Regi *Iſrael.* Item: *Dan.* 2. *Daniel* ſcivit occultum ſomnium *Nabuchodonoſor* Regis. Porrò: *Act.* 5. *Petro* patebat occulta fraus *Ananiæ.* Quidnî igitur Sancti in Cœlis, à nobis invocati, deſideria orationéſque noſtras intelligerent? Confer hac de re *Bellarminum. Tom.* 1. *De Beatitud. Sanct. lib.* 1. *cap.* 19. *Becanum*, in *Manuali Controverſ. lib* 1. *cap.* 1. *Jacob. Keller.* in *Papatu Cathol. lib.* 1. *art.* 7. qui hanc Catholicam veritatem antiquiſſimorum Conciliorum & Patrum Authoritatibus ſtabilit. Omnium loco, ſit nobis D. P. *Auguſtinus*, qui *lib.* 7. *De Baptiſm. contra Donatiſtas. cap.* 9. ita invocat *S. Cyprianum*: *Adjuvet itaque nos Orationibus ſuis, in iſtius carnis mortalitate tanquam in caliginoſa*

ginoſa nube laborantes, *ut donante Domino*, *quantum poſſumus*, *bona ejus imitemur. Obſecro vos per veſtram charitatem*, *qui ſecuri eſtis de vobis*, *ſolliciti eſtote de nobis. Intercedite conſtanter atque indefinenter pro nobis miſeris multúmque negligentibus peccatoribus.*

III. Obganniunt Hæretici 1*mò*. Sanctorum invocatio cedit in injuriam Dei, qui ſolus vult adorari. Chriſto pariter injurioſa eſt., quia ille ſolus eſt Mediator & Advocatus noſter. 1 *ad Timoth.* 2. *Unus eſt Mediator Dei & hominum*, *Homo Chriſtus Jeſus*. & *ad Rom.* 8 *Chriſtus Jeſus*, *qui eſt ad dexteram Dei*, *qui etiam interpellat pro nobis*. Item *Joan.* 14. *Ego ſum via*, *veritas & vita*, *Nemo venit ad Patrem*, *niſi per me.* 2*dò.* Invocatio Sanctorum, indicium eſt diffidentiæ in Deum, qui & potens eſt & paratiſſimus nos adjuvare, unde *Paulus. ad Hebr.* 4. nos hortatur, ut cum fiducia accedamus ad Thronum Gloriæ ejus. 3*tiò*. Solus Deus cognoſcit noſtras neceſſitates & preces. 3 *Reg* 8 *Tu ſolus noſti corda omnium filiorum hominum.* Sancti verò, de iis, quæ ſuper terram aguntur, *nil noverunt amplius* Juxta illud *Eccleſ.* 9 *Viventes ſciunt ſe morituros*, *mortui verò nihil noverunt amplius* His argumentis, millies refutatis, miſeri declamatores Hæretici, in ſuggeſtis evincere nituntur, quòd Sancti non ſint colendi nec invocandi.

Ad 1*mum* autem ex dictis facilè *reſpondetur*: quòd ſolus Deus velit & debeat adorari & invocari *ultimatè* & *principaliter* tanquam principalis & unicus Author bonorum ſupernaturalium gratiæ & gloriæ, quæ præcipuè petimus, & quæ *abſolutè* dare, in ſolius Dei, nullius verò Sancti, poteſtate eſt. Juxta illud *Pſal.* 83 *Gratiam & gloriam dabit Dominus* & *Pſal* 120 *Auxilium meum à Domino*, *qui fecit cælum & terram.* Tali autem modo, Catholicos invocare Divam Virginem, & Sanctos; nempe tanquam principales Authores bonorum à nobis petitorum, impudens impoſtura & impia Hæreticorum calumnia eſt, quia talis cultus, vera foret Idololatria, cedens in injuriam Divini Numinis. Igitur, ùt ſæpe dictum, Sancti à Catholicis invocantur ſolùm, ùt Patroni & Interceſſores apud Deum, adeóque orantur ſolùm *tranſitivè*, ita, ut oratio noſtra non ſiſtat in ipſis, ſed veluti per medium tranſeundo, ultimatè ad Deum terminetur. Quis autem dixerit, talem invocationem Sanctorum, eſſe injurioſam Deo, aut exinde Sanctos coli, tanquam Deos? Certè, hoc tam parum Deo injurioſum eſt, quàm parum Imperatori injurioſum reputatur, ſi quis ipſi, mediante Aulico, ſupplicatum veniat. Cæterùm, diſcrimen invocandi Deum & Sanctos, non debet ſemper attendi ex nudis verbis, ſed ex verborum ſenſu. Siquidem cùm dicimus: *Sancte Petre*! *miſerere mei*, *adjuva me*, *da mihi* &c. non eſt ſenſus, ut faciat *authoritativè* per poteſtatem propriam, ſed *ſupplicativè*, per interceſſionem. Hujuſmodi tamen orandi formulis, ob ſcandalum puſillorum, conſultiùs abſtinetur. Porrò; pro intellectu textuum ſupra allegatorum, ſciendum; quòd duobus præcipuè modis, poſſit quis eſſe Mediator inter partes diſſidentes. 1*mò*. Solvendo debitum uni parti, prò altera. & hoc modo, ſolus Chriſtus eſt unicus & ſolus Mediator inter Deum & hominem, unus item principaliter Advocatus noſter apud Deum. Quia nimirum ſolus, ſanguine ſuo, nos redemit & Deo Patri reconciliavit, adeóque ſolus pretium perſolvit pro noſtra ſalute, juſtificatione, gratia, & omni bono impetrando à Deo, prout ipſe Apoſtolus *loc. cit* exponit. Cùm enim dixiſſet: *Unus Mediator Dei & ho-*

minum

minum Chriſtus Jeſus. mox ſubjunxit: *Quia dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* 2do modo poteſt quis mediator eſſe inter duos, ſolùm rogando unam partem, ut alteri debitum remittat, vel beneficia præſtet. Et hoc modo, Sancti & homines juſti, poſſunt dici Mediatores inter Deum & hominem, *ſecundariò* ſcilicet, neq; id ullatenus vergit in injuriam Chriſti. Adde; quòd ipſi Sancti, omnem ſuam apud Deum gratiam & vim impetrandi habeant ex meritis Chriſti, ut eorum invocatio, potiùs cedat in honorem Salvatoris.

Ad 2dum Argumentum ſupra adductum ℞. *Neg. Antecedens.* Siquidem Sanctorum invocatio nullo modo procedit ex diffidentia erga Deum, ſed ex diffidentia erga noſmetipſos & noſtra merita, ac gratiam apud Deum; quia neſcimus, an odio vel amore digni ſimus. Cùm igitur ſciamus, Sanctos longè majori, & certâ gratiâ valere apud Deum adeóque longè faciliùs & certiùs audiri, quàm nos; rectè & prudenter, ipſorum Patrocinium imploramus, ſequimúrque in hoc juſſum Dei, qui dixit *Job. cap. ult. Ite ad ſervum meum Job.* Quòd, ſi quis cum Hæreticis *Regerat*: ſupervacaneum eſſe Sanctorum Patrocinium, eò quòd Deus, ſinè interprete, preces noſtras intelligat; Oppono ipſi D. P. *Auguſtinum*, qui *quæſt.* 149 *ſuper Exod.* & *ſerm.* 1. & 4. *De S. Stephano* aſſerit; multa Deum non concedere, niſi preces aliorum acceſſerint. Quod illuſtribus exemplis *Abimelech* & amicorum *Jobi* confirmatur. Siquidem horum peccata Deus non condonavit, niſi intervenientibus precibus *Abrahami* & *Jobi. Geneſ.* 20. & *Job.* 42.

Ad 3tium ℞. Deum ſolùm *naturaliter* & *propria virtute* cognoſcere ſecreta cordium & cætera omnia quæ in mundo peraguntur; aſt inde non ſequitur, quòd Sancti in cœlis *ſupernaturaliter*, aut in ipſa eſſentia divina, *intuitivè* non cognoſcant preces aut actiones hominum, præſertim illorum, à quibus invocantur. Cæterùm, quòd Sancti vel defuncti, tempore Veteris Teſtamenti, ſine ſpeciali revelatione, non noverint ea, quæ in mundo peragebantur; mirum non eſt, quia ante Aſcenſionem Chriſti, Deum, viſione beatificâ non conſpexerunt.

112. *Iconoclaſtæ* antiqui & moderni, Catholicis improperant, quòd Imagines Dei, Chriſti & Sanctorum colant, quaſi verò eatenus Idololatriam, primo Decalogi Præcepto prohibitam, committerent. Contra hos Hæreticos ita decrevit Concilium *Tridentinum. ſeſſ.* 25. De cultu Sanctorum & Imaginum: *Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim, habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & Venerationem impertiendam* (Decernimus) *non quod credatur ineſſe aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab iis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia Imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant ſed quoniam bonos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant; ita ut per Imagines quas oſculamur, & procumbimus, Chriſtum adoremus & Sanctos, quorum illæ ſimilitudines gerunt, veneremur, id quod Conciliorum præſertim verò ſecundæ Nicænæ Synodi decretis, contra Imaginum oppugnatores, eſt ſancitum.* Ubi

113. OBSERVANDUM 1*mò*. Imaginem propriè, eſſe figuram pictam vel ſculptam verè repræſentantem aliud, cujus eſt Imago. In quo differt ab Idolo, quod falſum quid repræſentat, ut Imago Chimæræ. 2*dò*. Triplici ex cauſa, poſſe fieri pingi aut ſculpi Imaginem vel ſimilitudinem alterius, videlicet: *primò* ad exprimendam

mendam veram ſimilitudinem formæ vel naturæ alterius; & hoc modo ſolùm rerum corporearum & ſenſibilium, quæ lineamentis, coloribus, formâ vel figurâ prædita ſunt, Imagines fieri poſſunt: & hujuſmodi inter Sacras Imagines, tantùm ſunt, Imagines Chriſti, hominis & Sanctorum, quo ad formam & figuram exteriorem & corporalem, indirectè ſolùm repræſentantes Animas Sacras. Unde hoc modo nullatenus dari poſſunt Imagines, Dei, Angelorum aut rerum ſpiritualium. Et qui hac ratione tentaret facere Imaginem Dei, verè conſtitueret Idolum, falſum Deum repræſentans. *Secundò*, Ad repræſentandam ſolùm hiſtoriam oculis exhibendam, ut: ſi volens adumbrare expulſionem *Adæ* ex Paradiſo; pingeret Deum in forma hominis ſenis & gravis deambulantis; Angelum in forma humana juvenili, gladium geſtantem *Adamum* verò & *Evam* nudos &c non utique ad repræſentandam naturam vel propriam ſimilitudinem Dei vel Angeli; ſed ſolùm ad repræſentandam hiſtoriam, prout in Geneſi legitur. Et hoc modo nullus Hæreticorum, nequidem ipſe *Calvinus* acerrimus Imaginum hoſtis, negat, Deum vel Angelos, depingi poſſe. *Tertiò* etiam *ſolitariè*, præſcindendo ab hiſtoria, ad repræſentandam aliquam proprietatem, affectionem, operationem, vel myſticam ſignificationem alterius rei. Quâ ratione depinguntur Imagines Dei & SS. Trinitatis in forma viſibili. Divinus Pater in forma viri ſenis; quia eſt antiquus dierum & principium aliarum perſonarum. Divinus Filius; in forma viri juvenis, quia eſt Filius Æterni Patris & talem naturam humanam aſſumpſit. Spiritus S. in forma Columbæ, quia in tali apparuit. Sic Angeli in forma juvenum alatorum, Chriſtus in forma Agni vel Paſtoris; Evangeliſtæ in forma quatuor animalium, ob myſticas ſignificationes, in Sacris Scripturis expreſſas depinguntur, & quidem licitè etiam extra hiſtoriam, dummodo pictura vel imago fiat in forma conſueta & honeſta.

114. Cæterùm; quivis facilè intelliget, Imagines non eſſe adorandas vel colendas *abſolutè*, *propter ſeipſas*, aut excellentiam aliquam ipſis intrinſecè inexiſtentem. Omnes enim Imagines ſecundùm ſe, ſunt res inanimatæ & creatæ, atque opera manuum, quæ utique coli vel adorari non poſſunt. Siquidem cultus vel adoratio, eſt proteſtatio ſubmiſſionis vel ſubjectionis erga alterum; homo autem nulli creaturæ irrationali ſubjici poteſt. Coluntur ergo vel adorantur Imagines *reſpectivè tantùm*, habito reſpectu ad *Prototypa*, quæ repræſentant, ut exponit *Tridentinum. loc. cit.* & univerſa ſemper tenuit Eccleſia. Unde *S. P. Auguſtinus lib.* 3. *De Doctrin. Chriſt. cap.* 9. ait: *Qui veneratur utile ſignum Divinitus inſtitutum, cujus vim ſignificationémque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & tranſit, ſed illud potius, quò alia cuncta referenda ſunt.* Proindè Imagines ſolùm *per accidens* coluntur, concomitanter & relatè ad ſua prototypa. *Quia, qui portat Imaginem Regis; in illa adorat ipſum Regem, quippe cujus Imago, aliud non ſit, quàm Regis forma & ſpecies* inquit *S. Athanaſius. Orat.* 4. *Contra Arianos.* Quocircà, Imagines Dei & Chriſti (idem eſt de Cruce & ſpeciebus Euchariſticis) per *accidens* & *reſpectivè*, propriè adorantur *cultu Latriæ*, uti docent Theologi cum D. *Thoma.* 3. *p. q.* 25. *art.* 3. Imago verò Deiparæ Virginis, *cultu Hyperduliæ*; aliorum porrò Sanctorum Imagines, *cultu Duliæ* honorantur.

115. Præcipuum Argumentum, quod contra cultum Imaginum effutiunt Hæretici, deducere conantur ex verbis primi

mi Præcepti Decalogi: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem* &c. *Non adorabis ea neque coles.* Ex quibus verbis, contendit *Calvinus. lib.* 1. *Inſtitut. cap.* 11. prohiberi non tantùm Idola, ſeu Imagines falſorum Deorum cultu divino adorari; ſed omnes prorſus Imagines, quovis modo coli. *Sic* (inquit *Calvinus*) *Judæi Idololatræ habiti ſunt, licet adorantes Vitulum Aureum, ſub illa Imagine, intenderint verum adorare Deum.*

℟. Autem verbis illis, non prohiberi, niſi veram Idololatriam, quâ coluntur Idola, pro Diis habita, aut falſos Deos repræſentantia. & Nota: Primum hoc Decalogi Præceptum, quatenus Divinum *naturale* eſt; non prohibere plus, quàm veram Idololatriam, quatenus verò Divinum *poſitivum* eſt, non niſi pro veteri lege, prohibuiſſe Judæis Imaginis Dei uſum, ejúſque cultum. *Quia* Populus iſte nimium propenſus erat in Idololatriam. Jam autem certum eſt, præcepta veteris legis *poſitiva* & *cæremonialia*, per *Moyſen* promulgata, ceſsâſſe in nova lege, in qua Chriſtus Legifer noſter, nihil innovavit, quò ad Imagines & earum cultum, ſed hoc Eccleſiæ determinationi reliquit, planè ſicut de celebratione *Sabbathi*, omnes Orthodoxi ſentiunt. Cæterùm, quòd Judæi in Vitulo Aureo, intenderint verum adorare Deum; Sacræ Scripturæ repugnat; dixerunt enim de Vitulo Aureo: *Hi ſunt Dii tui Iſraël, qui te eduxerunt de terrà Ægypti.* Ubi per τò *Dii*, in plurali, utique falſos Deos intellexerunt, quos more Ægyptiorum coluerunt. Quò facit, quòd in Sacris Litteris *Deuteron.* 32. cultus ille, ipſis in Idololatriam imputetur. *Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Item *Pſal.* 101. *Et fecerunt Vitulum in Horeb, & adoraverunt Sculptile. Obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos.* Quòd, ſi SS. Patres aut Concilia, aliquando prohibuerint depingi in Eccleſia Imagines Sanctorum, eáſque colere vetuerint; ſermo fuit de Imaginibus, indecenti aut inſolitâ formâ depictis, aut de Adoratione Statuarum more Gentilium, *abſolutâ* ſcilicet, propter ipſas Imagines, aut denique de cultu indebito, per Sacrificia, vel aliter ſuperſtitioſo, qualiter Hæretici apud *Epiphanium. Hæreſi* 79. adorabant Statuam Divæ Virginis.

Sicut Hæretici, Sanctis denegant cultum Religioſum, ita multò magìs eorum Reliquiis venerationem denegant. Aſt Catholica veritas eſt, Sanctorum Reliquias licitè & ſanctè coli, cultu tamen *reſpectivo* ad ipſos Sanctos. Nam, cùm Reliquiæ ſecundùm ſe, verè ſint res inanimes, utique propter ſe, & ſecundùm ſe, *abſolutè* non poſſunt coli, ſed ſolùm reſpectu habito ad Sanctos. Ita ſcilicet, ut Reliquiæ Virginis Mariæ & Sanctorum, colantur cultu reſpectivo *Hyperduliæ* vel *Duliæ*, Reliquiæ autem Chriſti, v. g. Præputium, ſanguis, ſudor &c. cultu reſpectivo *Latriæ*. Ubi incidenter quæri poteſt, utrum ſanguis, qui è Corpore Chriſti in paſſione defluxit, aut in S. Euchariſtia viſibiliter apparuit, & alicubi in Eccleſia aſſervatur, adhuc ſit verus Sanguis Chriſti, ut adorari abſolutè poſſit? ℟. *Negativè* cum *D. Thoma.* 3. *p. q.* 54. *art.* 2. Siquidem, hujuſmodi Sanguis Chriſti (idem eſt de præputio, quod hîc Aquiſgrani, in Baſilica Divæ Virginis aſſervari creditur) non eſt amplius hypoſtaticè unitus cum Verbo Divino, ideóque non abſolutè, ſed reſpectivè tantùm adorari debet, ad inſtar aliarum Reliquiarum, quæ carnem Chriſti tetigêre. Idem docet *S. Thomas.* 3 *p. q.* 67. *art.* 3. De Carne & Sanguine Chriſti, qui aliquando miraculosè apparuit in Sacramento Altaris. Cùm enim ibi non

Digitized by Google

ſint amplius *ſpecies Eucharisticæ*, conſequenter nec eſt *Euchariſtia*, ac proinde Caro & Sanguis ibidem apparens, non eſt Caro & Sanguis Chriſti, ſed illius Imago tantùm, nimirum alia ſubſtantia miraculosè producta à Deo, ideóque non cultu Latriæ *abſoluto*; ſed *reſpectivo* duntaxat adorari poſſunt, quemadmodum Crux & Imago Chriſti. Unde Patres noſtri Colonienſes & Lovanienſes, penes S. Hoſtiam *Middelburgi* in *Selandia* olim prodigiosè verſam in carnem, ponunt aliam hoſtiam conſecratam, dum illam adorandam exponunt.

116. Eodem reſpectivo Latriæ cultu, adorari debent aliæ Chriſti Reliquiæ, ex contactu corporis ejus ſanctificatæ & honeſtè venerabiles. Ut Crux, Corona Spinea, aliáque inſtrumenta Paſſionis Chriſti. Item ejus Sudarium, Tunica, & Veſtes aliæ, vel illorum particulæ piè aſſervatæ.

Excipiendæ tamen omnino ſunt, creaturæ rationabiles, quæ Chriſtum etiam ſanctè tetigerunt, ut: B. Virgo *Maria*, *Joſeph*, *Apoſtoli*, alter *Joſepo* & *Nicodemus* &c. Hi enim non ſunt adorandi cultu Latriæ etiam reſpectivo, propter periculum Idololatriæ, ſed cultu ipſis competente, *Duliæ* vel *Hyperduliæ*. Multò magìs excipienda ſunt illa, quæ Chriſtum ignominiosè tetigerunt, ut os *Judæ*, manus illius, qui Chriſto alapam inflixit, manus item illorum, qui Chriſtum flagellârunt, crucifixerunt &c. licet adhuc exiſterent. Iſta enim ex contactu Chriſti, non participaverunt ejus ſanctitatem, ob eorum incapacitatem. Denique etiam excipiendum foret, jumentum illud, cui Chriſtus inſedit *Hieroſolymam* ingreſſus, ſi adhuc in toto vel parte exiſteret; quia, licet contactus Chriſti ſufficiens fuiſſet ad adorationem reſpectivam, equidem ob indecentiam, adorari non conveniret jumentum iſtud.

CAPUT. VI.

DE

Secundo Decalogi Præcepto.

Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum. *Exodi* 20.

SUMMARIUM.

1 R*Atio hujus 2di. Præcepti, & quid nomine* Dei *veniat?*

2 *Præceptum hoc virtualiter* affirmativum *eſt.*

3 *Quot modis, licitè aſſumatur Nomen* Dei?

4 *Hoc Præceptum aliter obligat, quà* negativum; *aliter, quà* affirmativum.

5 *Juramenti definitio.*

6 *Eſt actus Religionis. Solvuntur* ibid. *Objectiones.*

7 *Divinum Numen, tum* tacitè, *tum* expreſsè, *invocari poteſt.*

8 *Adferuntur Juramenti diviſiones*

9 *Juramentum* Calumniæ, *quando, & à quibus, ex* D. Juſtiniani *Conſtitutione, præſtari debeat? Item, quid de illo, uſus obtineat?*

10 *Quid juramentum* Malitiæ, & de veritate dicenda?

11 *Juramentum judiciale, aliud* Litis deciſorium, *aliud* in Litem, *quod iterum ſubdividitur*

12 *Contra* Anabaptiſtas *demonſtratur, quatenus Chriſtianis nedum permiſſum ſit jurare, ſed & ab altero exigere juramentum?*

13 *In perſona jurantis, quæ requiratur capacitas?*

14 *Tres juramenti comites exponuntur.*

15 *Quà formà jurandum?*

16 *Per falſum Numen, an verè juretur?*

17 *Diluuntur Objectiones.*

18 *Ethnicus, per falſos Deos, jurans, an & quatenus obligetur?*

19 *An liceat petere juramentum ab eo, qui creditur per falſos Deos juraturus?*

20

Digitized by Google

20 *Aliter obligat jurata promiſſio, ſoli Deo facta, aliter, facta homini.*

21 *Nedum Prædoni, ſed & hoſti publico, fides jurata ſervanda. Sed quid, ſi alter fidem fregerit?* ibid.

22 *Inæqualitas juratò contrahentium, non præſtat exemptionem à juramenti obſervantia.*

23 *Juramenti interpretatio qualiter facienda?*

24 *&* 25 *De eadem materia tractatur.*

26 *Juramento* promiſſorio, *quæ tacitè inſint conditiones?*

27 *Quæ conditiones reddant juramentum conditionatum?*

28 *Num juramentum de ſervandis Statutis, extendatur ad Statuta etiam futura?*

29 *Reus non tenetur fateri veritatem, nec jurare, niſi, ſervato juris ordine, interrogetur à judice.*

30 *Id quod & obtinet, ſi Reus dubitet, num legitimè interrogetur.*

31 *Aut necdum plenè convictus, in cauſis criminalibus majoribus, ſpem habeat evadendi.*

32 *Interrogatus à judice ex præſumptione falſa, poteſt negare propoſitionem aliunde veram*

33 *Quo ſenſu ab* Innocentio XI. *damnatæ fuit* Amphibologiæ, *& reſtrictiones mentales?*

34 *Juramentum* promiſſorium, *quandonam inducat vinculum obligationis, & quandonam non?*

35 *Juramentum homini præſtitum, neceſſariò ſervandum, quando ſervari poteſt abſque detrimento animæ jurantis, prout probatur* inductione.

36 *Res* juratò *homini promiſſa, non poteſt ipsô invitô, in opus etiam melius commutari.*

37 *Quod ſecus in promiſſione facta* Deo.

38 *Juramentum per Procuratorem præſtari poteſt.*

39 *An valeat juramentum, de non accuſando uxorem ſuper crimine?*

40 *An obliget, quod ex metu per injuriam incuſſo, factum?*

41 *Occurrìtur Objectionibus.*

42 *Ex carcere injuſto relaxatus, ſub juramento de redeundo, an & quatenus teneatur redire?*

43 *An teneat juramentum dolosè extortum?*

44 *Metus & dolus non æquiparantur in omnibus.*

45 *Enormiſſima læſio, non tollit juramenti vinculum.*

46 *Juramentum ſervandi* Capitulationes *quatenus liget?*

47 *Fusè & ſolidè diſcutitur, an & quatenus teneat juramentum contra juris Civilis prohibitionem?*

48 *Quandonam lex Civilis obliget in foro* Poli?

49 *Juramenti obligatio quatenus ſit ad Hæredes tranſitoria?*

50 51 *&* 52 *Eadem pertractatur quæſtio.*

53 Contractus de jure prohibitus, quandónam ex juramento vires capiat?

54 Solvitur Objectio.

55 Multùm intereſt, num contractus ex juramento confirmetur, an verò ſolius juramenti Religio obligationem pariat?

56 Quid & quotuplex juramentum litis deciſorium?

57 Diſcrimen inter juramentum voluntarium, judiciale & neceſſàrium.

58 Juramentum etiam merè conventionale prodeſt ad cauſarum deciſionem.

59 Effectus juramenti Litis deciſorii.

60 Quid, ſi ejus detegatur falſitas?

61 Intellectus l. 1. Cod. De rebus creditis.

62 An detectâ falſitate, retractari poſſit?

63 Diluitur Objectio.

64 & 65 Statuuntur caſus excepti.

66 Juramentum litis deciſorium non habet locum, niſi in re dubia, quæ aliter dirimi nequeat.

67 Juramentum conventionale poſtulat ea, quæ requirit tranſactio.

68 Ad judiciale requiritur inſuper approbatio judicis.

69 Requiſita ad delationem juramenti neceſſarii.

70 An interdum expediat, juramentum litis deciſorium deferri, ſub forma execratoria?

71 Judex uſque ad prolationem ſententiæ, poteſt deferre juramentum, nec ipſi unquam concluſum in cauſa.

72 Juramentum neceſſarium, citato adverſario, præſtari debet.

73 Actore nihil probante, Reus abſolvendus.

74 & 75 Juramentum ſuppletorium, quibus in cauſis deferri poſſit?

76 Regulariter Reo potiùs, quàm Actori deferendum.

77 Juramentum voluntarium & judiciale, in omni cauſa deferri poteſt.

78 Spontè ſe ad jurandum offerens, ſuſpectus evadit.

79 Juramentum ſuppletorium interdum debet à judice deferri.

80 Ponuntur caſus excepti.

81 Signanter in cauſis Matrimonialibus.

82 Juramentum voluntarium, nec neceſſariò præſtandum, neque referendum.

83 Juramentum judiciale, quatenus recuſari poſſit?

84 An neceſſarium queat recuſari?

85 Sententia ex juramento falſò lata, num retractari poſſit?

86 Actore nihil probante, an locus juramenti delationi?

87 Qui mavult probare, non tenetur jurare.

88 Violatio juramenti tum Aſſertorii, tum Promiſſorii, an ponat culpam mortalem, non obſtante levitate materiæ?

89 Juratò promiſſum, an præſtandum non exigenti?

90 *Juratæ promiſſioni num ſatisfiat compenſando?*
91 *Juramentorum & votorum irritatio quotuplex?*
92 93 & 94 *Quis poteſtatem habeat alterius juramentum vel votum irritandi? An Princeps Laïcus? An Maritus aut Uxor?*
95 *Votum continentiæ mutuo conſenſu emiſſum, an ab altero Conjugum irritari poſſit?*
96 *Quæ Servorum Vota irritare poſſit Dominus?*
97 *Non omnis qui poteſt irritare Vota vel juramenta, poteſt ſuper iis diſpenſare. Irritatio ſine juſta cauſa valet, non ſic diſpenſatio.* ibid.
98 *Recenſentur legitimæ cauſæ diſpenſandi.*
99 Adjuratio *quid & quotuplex?*
100 *Creaturæ irrationales, an queant adjurari?*

1 TAmetſi primo Divinæ Legis Præcepto, quo Deum piè ſanctéque colere jubemur, hoc, quod ſecundo loco ſequitur, neceſſariò contineatur; (Nam, qui ſibi vult honorem tribui, idem poſtulat, nominetenus non profanari) Deus tamen pro rei gravitate, hanc, de ſuo ipſius Divino & Sanctitatis pleniſſimo nomine honorando, ſeparatam legem ferre, ídque nobis diſertis & perſpicuis verbis præcipere & inculcare voluit. Nomine autem *Dei* intelligitur omne illud, quod Deo tribui ſolet. Multa enim Deo impoſita inveniuntur nomina, ut: *Domini*, *Omnipotentis*, *Domini Exercituum*, *Regis Regum*, *Fortis* & alia id genus, quæ in Sacris Scripturis leguntur; quæ parem venerationem poſtulant.

2 Secundum hoc Præceptum, etſi in terminis *Negativum* ſit, virtute tamen & implicitè *affirmativum* eſt. Siquidem in illo *negativo*: *Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum*, virtualiter continetur hoc *affirmativum*: *Aſſumes nomen Domini Dei tui cum reverentia & in veritate.* Adeóque univerſim, duobus modis, contingit aſſumi nomen Domini, ſcilicet *licitè* & *illicitè*.

3. Cum reverentia & in veritate, adeóque licitè & ſanctè, aſſumitur nomen Dei generaliter duobus modis, videlicet in conteſtationem affectûs noſtri, & in teſtimonium veritatis. Aſſumptio Divini nominis in conteſtationem affectûs noſtri fieri poteſt. 1*mò*. In conteſtationem fidei, confitendo ipſum tanquam Deum & Dominum noſtrum coram hominibus. Et hæc Divini nominis aſſumptio ſpectat ad virtutem *Fidei*. 2*dò* In conteſtationem ſpei ac fiduciæ noſtræ erga Deum, implorando & petendo beneficia & favores à Deo; & ſic eſt actus *Spei* & *Orationis*. 3*tio*. In conteſtationem amoris noſtri erga Deum, & ſic correſpondet *Charitati*. 4*tò*. Tandem in conteſtationem noſtræ erga Deum devotionis, reverentiæ & gratitudinis, & ſic ſpectat ad virtutem *Religionis*.

In teſtimonium veritatis quadrupliciter etiam nomen Dei aſſumi poteſt. 1*mò*. In aſſerendo tantùm: veluti; cùm invocatur nomen Domini præcisè in teſtimonium

Digitized by Google

monium veritatis, & dicitur *juramentum aſſertorium.* 2*dò*. Promittendo; Puta; cùm invocatur nomen Dei ad confirmandam promiſſionem factam homini, & vocatur *juramentum promiſſorium.* 3*tiò*. Vovendo: ad confirmandam ſcilicet promiſſionem ipſi Deo factam, & dicitur *Votum*. 4*tò*. Adjurando; dum aſſumitur nomen Dei, ut ipſe Deus, vel creatura aliqua rationalis moveatur ad aliquid agendum vel non agendum, & nuncupatur *Adjuratio*. Hi ſunt boni fines, quibus nomen Domini aſſumere, proferre, & invocare, Sanctum & meritorium eſſe poteſt, ſi alii adſint comites, de quibus poſtea.

Econtra, invanùm nomen Dei uſurpat, qui aut nullo, aut inutili, aut indebito, aut perverſo fine, Sacroſanctum Dei nomen profert.

Itaque, ſecundum hoc Decalogi præceptum, correſpondet Virtuti Religionis & cultui, Divino Numini debito, & præcipuè jubet; ut nomen Domini, non niſi rationabiliter & religiosè aſſumamus, maximè in juramentis & votis. Ubi

4. Nota: quòd hoc præceptum naturale, quatenus *affirmativum*; ſolùm conditionatè obliget. (Ut ſcilicet, ſi jurandum, & nomen Dei aſſumendum; id fiat rationabiliter, videlicet, *in veritate*, *in judicio* & *in juſtitia*. Prout præſcribitur *Jeremiæ* 4.) Abſolutè verò, non ſolùm, non obliget *pro ſemper*, more aliorum præceptorum *affirmativorum*, verùm etiam quà tale, nullum omnino tempus determinet, quod tamen determinari poteſt in praxi, per alia præcepta vel Divina *Charitatis*, aut *Juſtitiæ*; vel etiam humana, tum Eccleſiaſtica, tum Civilia. Equidem, quatenus idem hoc præceptum, *negativum* eſt, omnino *ſemper* & *pro ſemper* obligat, indefinitèque prohibet, ne unquam irrationabiliter aut irreverenter nomen Domini aſſumatur, maximè in juramentis & perjuriis, de quibus deinceps.

5. Jurare, eſt aliquid, teſte Deo dicere; & juramentum eſt vox jurantis, ſeu ſeu actus ille, quo, teſte Deo, quid enuntiatur. Proinde juramenti nomine, hîc intelligitur actus Religionis, quo quis Deum in teſtem adhibet, ad confirmationem eorum, quæ affirmat vel promittit: eâque ratione profitetur, Divinam veritatem, eſſe infallibilem. In utroque jure, juramentum paſſim vocatur *jusjurandum*, quaſi *jus*, quod eſt *jurandum*. Vocatur etiam perſæpe *Sacramentum*, quaſi per *Sacra Aſtringamentum*, ùt ait *Abbas Panormit. ad tit. De jurejur. n.* 1. Eò quod juramentum fiat per res ſacras, nempe invocando Deum, in teſtem, vel etiam tangendo Sanctum Evangelium, aut alias res ſacras. Juramentum definitur à *D. P. Auguſtino. De Serm. Dom. in monte. cap.* 17. *Invocatio Divini Numinis in teſtimonium alicujus rei.* Cui coïncidit illa deſcriptio, quod nempe ſit: aſſertio vel negatio de aliquo honeſto, licito & poſſibili, ſacræ rei atteſtatione firmata. Vide Divum *Thomam* 2. 2. *q.* 89. *art.* 1.

6. *Dicitur* 1. *Invocatio*. Ut oſtendatur, juramentum eſſe actum, Religionis ſeu *Latriæ*. Nam, ùt ait *S. Hieron. in cap.* 5. *Matth. Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat.* Deum autem revereri, eſt actus Religionis.

Oppones 1. Melius eſt non jurare, quàm jurare: ſed, ſi juramentum eſſet actus Religionis, meliùs eſſet jurare, quàm non jurare. Ergo. 2. Sæpe fit juramentum propter negotia profana: Ergo non eſt actus Religionis. *Ad* 1. ℞. *Majorem* procedere, per ſe loquendo, quanquam in particulari caſu, fallat. *Negatur* tamen *Minor*. Quia licet juramentum ſit bonum, ab illo tamen abſtinere,

in abſtracto, ſeu *de ſe*, meliùs eſt; planè, ſicut meliùs eſt non nubere, licet Matrimonium ſit bonum. *Ad* 2. ℞. Idem regeri poſſe de Oratione, quæ ſæpe fit pro obtinendis temporalibus, v. g. ſanitate, fructibus terræ &c. Sicut ergo Orationis, ita & juramenti, finis proximus non eſt quid temporale, ſed Dei veneratio, à quo temporalia exſpectantur. Si

Replices: Quia orare eſt actus Religionis; ideo meliùs eſt orare, quàm non orare. Ergo, ſi juramentum eſſet actus Religionis, meliùs quoque foret jurare, quàm non jurare. ℞. *Neg. cauſalem*. Siquidem ratio, cur meliùs ſit orare, eſt; quia *non orare*, non eſt actus virtutis. *Non jurare* autem, ſit actus *ſimplicitatis*, ſæpiùs in S. Scriptura recommandatæ, ſecundùm quam, ſermo noſter debet eſſe: *eſt*, *eſt*: *non*, *non*.

7. Dicitur 2. *Divini Numinis*. *Expreſsè* ſcilicet vel *tacitè*. Expreſsè invocatur; cùm dicitur: v. g. *Per Deum. Juro Deum. Deus ſit mihi teſtis. &c.* Tacitè autem, cùm invocatur in creaturis, quatenus in eis relucet ſingulariter aliquid Divinitatis. Qua ratione, jurans *per Cœlum*, cenſetur jurare per eum, qui ibi thronum fixit: & jurans *per Evangelium*, per ejus Authorem; *per Terram*, *per Animam* &c. per ejus Creatorem jurare exiſtimatur. Qui autem *per Capillos*, *per Pileum*, *per Canem*, & hujuſmodi vilia, veritatem dicti ſui confirmaret; propriè non juraret; quia in talibus rebus, nil Divinitatis ſpeciatim relucet, id quod ad juramentum requiritur. Unde, ſi quis in teſtem vocet creaturam ſecundùm ſe, non facit juramentum, cùm ipſa non poſſit eſſe teſtis, ùt prima veritas indefectibilis. Quocirca, qui dicit: *In conſcientia mea. In fide mea. Per fidem Regis*, *Viri nobilis*, *Viri honeſti &c.* non cenſetur jurare; quia non aſſumit illa prout in eis relucet aliquid Divinum, ſed, ut oſtendat, ſe loqui in fide, veritate, conſcientiâ, quam adhibere debet vir probus in loquendo. Juramento tamen accenſeretur, ſi per fidem, intelligeret, fidem Catholicam, aut per veritatem, intenderet aſſumere veritatem Dei. Pari ratione, non juraret, qui per fidem Epiſcopi, Religioſi, Sacerdotis, quidpiam aſſeveraret, niſi aliud intenderet, aut verba talia alicubi pro juramento recepta forent.

Dictum denique: *in teſtimonium*. Non quidem, ut Deus ſubitò per miraculum manifeſtet dicti veritatem; ſed, ut ſuâ authoritate veritatem corroboret, & partem dubitantem ſecuram reddat.

Quid? ſi quis ita loqueretur: *Hoc eſt tam verum*, *quàm Deus ſit in Cœlo, Chriſtus in Euchariſtia*. ℞. Non fore juramentum. Quia ibi ſolùm fit comparatio, non atteſtatio Divini Numinis. Quinimò, ſi quis ſolùm *enuntiativè* diceret: *Deus ſcit ita eſſe. Deus videt conſcientiam meam. Coram Deo loquor &c.* non juraret; quia non proferret verba illa *invocativè*.

8. Juramentum præcipuè diſpeſcitur in *Aſſertorium* & *Promiſſorium*. Aut enim fit, ad fidem veritatis aſtruendam illi, qui audit; aut fit, ad firmandam promiſſionem alteri ſpontè aut rogatu ejus factam. Prius juramentum eſt *Aſſertorium*, poſterius *Promiſſorium*: Atque ad hoc ultimum, duplex requiritur veritas, una *intentionis* ſeu veritas *dicti*, quâ jurans, verum exiſtimet, id quod dicit: altera *executionis*, ſeu veritas *facti*, quâ quis reſolverit ſervare & præſtare illud, quod promittit. Confer *D. Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7.

Juramentum tum Aſſertorium, tum Promiſſorium, aliud eſt *ſimplex*, aliud *ſolemne*. Aliud *per ſimplicem Dei conteſtationem*, aliud *per execrationem* Aliud item *judiciale*, aliud *extrajudiciale*, de quibus in decurſu pleniùs. Ju-

Juramentum *ſimplex*, omne illud dicitur, quod fit ſine ſolemnitate. *Solemne* verò audit, quod per certam verborum formulam, vel corporalem alicujus rei ſacræ attactum perficitur coram legitimo ſuperiore, ut majorem authoritatem, æſtimationémque habeat. Et hujuſmodi juramentum præſtari ſolet in judiciis, Profeſſione fidei, in Homagiis &c.

Juramentum *per execrationem*, alias *execratorium* dictum, illud eſt, quo jurans ſibi ipſi, vel alteri ſibi charo, malum à Deo falſitatis Vindice, imprecatur, ſi nempe verum non ſit, quod aſſerit aut promittit.

Juramentum *extrajudiciale* dicitur, quod fit extra judicium. *Judiciale* verò, quod præſtatur in judicio, & variè ſubdividitur, ſicut mox dicetur. Cæterùm, utrumque eſt, vel *Aſſertorium* vel *Promiſſorium*, ùt examinanti patebit.

Juramentum *judiciale*, prout reſpicit partes litigantes, dividitur in juramentum *Calumniæ*, juramentum *Malitiæ*, & juramentum *de veritate dicenda*.

9. Juramentum *Calumniæ* eſt, quod præſtatur tam ab *Actore*, quàm *Reo*, ab initio poſt litem conteſtatam, ſuper tota cauſa. Et illo uterque jurat, ſe bonâ fide, ſine animo calumniandi, agere & reſpondere velle. Id eſt: jurat uterque, ſe credere ſaltem, quòd bonam & juſtam cauſam habeat litigandi, quòdque interrogatus velit veritatem dicere, nec ſuperfluam dilationem petere. &c. Confer *Gloſſam in cap.* 1. *De juram. Calumn.* ℣. *Calumniæ juramentum.*

Juſtinianus Imperator, intendens litigantes à calumnioſa litium proſecutione avertere, ſanxit ſaluberrimam legem de juramento calumniæ, tam ab Actore, quàm Reo, in veſtibulo litis, præſtando. *l.* 2. *Cod. De jurejurando propter Calumn.* Ubi §. 4. ſubjunxit: *Sed quia veremur, ne forſitan quidam colluſione aliqua utentes, remittere videantur inter ſe hujuſmodi Sacramentum, & ex prædicta diſſimulatione, noſtram ſanctionem deludant; ſancimus, omnes judices, licet ex compromiſſo cognoſcant, vigorem ſuum exercentes* [*quia non pro commodo privatorum, ſed pro communi utilitate, præſentem legem poſuimus*] *minimè pati, tale Sacramentum remitti; ſed omnino hoc, & ab Actore, & à Fugiente exigi; ne paulatim videatur hujuſmodi res defraudari, & Sacramentum vel principalium perſonarum vel Advocatorum, ex quacunque parte mutilari.*

Non obſtante autem hac enixâ *Juſtiniani* declaratione, nec non communi commodo, quod ex uſu hujus juramenti ſperandum; uſus ipſius, hodie in Curiis ſæcularibus, penè evanuit, eatenus ſaltem, quatenus illud à litigantibus in exordio litis præſtari volebat *Juſtinianus.* Teſtatur id *Petrus Gudelinus. De jure noviſſimo. lib.* 4 *cap.* 8. *n.* 22. ubi dicit: *Sciendum eſt: in ſæculari foro, exactionis iſtius juramenti,* [de Calumnia] *rariſſimum, aut nullum uſum eſſe.* De Gallia, teſtatur *Rebuffus.* in *Proœmio, ad Conſtitutiones Regias, Gloſſ.* 5. *n.* 50. his verbis: *In Curiis ſæcularibus Regni, non juratur de Calumnia.* Damhouderus. in *praxi rerum Civil. cap.* 151. *n.* 30. pariter teſtatur: quòd in *Flandriæ* Provinciali Conſilio; item in magno *Mechlinienſi*; hujus juramenti non ſit uſus. Conjecturam hujus non uſûs, ſubjungit: *Fortaſſis, quia timendum ſit, ne partes hujuſmodi, prædictum juramentum præſtando, ſæpe pejerarent, & contra præceptum divinum peccantes, ſuam perderent animam potiùs, quàm litem.* Dixerat jam olim *Baldus.* ad *l. Si poſt. Cod. De evict.* quod juramentum *Calumniæ* ita contemnatur, ut non valeat *uno obulo*, quia (inquiebat) *facti ſumus contemptores Dei & Religionis ejus.*

Hoc *Baldi* effatum referens *Maranta. De Ordin. judic. part. 6. tit. de juram. n* 11. ait: *Unde ego puto: quòd litigatores noſtri temporis, potiùs jurant de Calumnia committenda, quàm vitanda, & ideo melius eſſet; ex toto tolleretur à judicio, causâ vitandi tot perjuria.* Verùm, ſi hæc ratio ſufficeret; quidnî alia juramenta aboleri deberent?

Quanquàm autem juramentum Calumniæ, quod à litigantibus initio litis præſtari volebat *Juſtinianus*, & totam litem reſpiciebat, hodie ab uſu, in foris ſæcularibus receſſerit; nihilominus, teſtantibus *Chriſtinæo* in *Notis ad Bugnionium lib.* 1. *cap.* 3. & Merulâ; in *praxi. lib.* 4. *tit.* 64. in plerìſque Curiis ſæcularibus, perſeverat uſus juramenti, quod olim *Malitiæ*, hodie etiam *Calumniæ* vocatur, præſtandúmque venit ſuper certis articulis aut propoſitionibus in progreſſu litis, prout Judex, inſtante *Parte*, arbitratus fuerit.

Quinimo indubitatum eſt, frequentiorem hujus juramenti uſum perſeverare in Curiis Eccleſiaſticis, atque à litigantibus crebrò præſtari, teſte *Gudelino. cit.* & *Rebuffo* in *Tract. De reſponſionibus:* per credit vel non. Vide *cap.* 1. & 2. §. 1. *De juram. Calum.* & *ibid. Gloſſ.* Neque ſolùm in judiciis *Ordinariis*, ſed & *Summariis*, à judice exigi poſſe juramentum *Calumniæ*, patet ex *Clementina*: *Sæpe. De V. S.* ubi expreſsè declaratur; quòd, ſi alicui commiſſa ſit cauſa, ut in ea, *de plano* & *ſimpliciter* ac ſine ſtrepitu & figura judicii, procedatur; *Citationem tamen ac præſtationem juramenti de Calumnia vel Malitia, ſive: de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commiſſionem hujuſmodi, non intelligi excluſam.* Quinimò pœna recuſantis hoc juramentum, cùm præſtandum fuerit, eſt; ut *Actor* ab inſtituta cadat Actione; *Reus* autem haberi debeat pro confeſſo, ait Pontifex in *cap.* 7 §. *fin. De juram. Calumn.* Monet tamen ibid. *Gloſſa*, quòd recuſantes hoc juramentum, cadant causâ *per ſententiam judicis*, quia judex procedet contra Actorem recuſantem, ac ſi *nihil* probâſſet. Idem eſt de *Reo*.

Olim per Conſtitutionem *Marciani* [non *Marci*, ùt per errorem exprimitur in *cap.* 1. *De juram. Calumn.*) Imperatoris, in *l.* 25 *Cod. de Epiſcop. & Clericis.* Juramentum hoc remiſſum erat Clericis. Idem poſtea ſancitum fuit ab *Henrico II. Imp.* conſtitutione, quæ exſtat *lib.* 2. *Legum Longobardorum. tit.* 47. *cap.* 11. Utriuſque Imperatoris piam ſanctionem laudat Pontifex in *cit. cap.* 1. & ſtatuit; ut juramentum hoc à perſonis Eccleſiaſticis, per Procuratorem *ſpeciale* mandatum habentem, præſtari poſſit, niſi judex inſpectâ cauſæ qualitate, & perſonarum principalium conditione, ipſis potiùs, quàm earum Procuratoribus, etiam ſpeciale mandatum habentibus, juramentum deferendum judicaverit. *cap.* 3 *eod.* Porrò Pontifex in *cit. cap.* 1. poſtquam probavit Conſtitutionem *Henrici Imp.* ſubjungit hanc clauſulam: *Verùm; cùm hac moderatione, ut Epiſcopus, inconſulto Romano Pontifice, vel quiſque Clericus, inconſulto Prælato ſuo, minime jurare audeat.* Ubi monet Gloſſographus: *Difficilè videtur, ut Epiſcopus propter hoc, debeat requirere Romanum Pontificem, ſed* hoc non ſervatur. *Unde ſi Epiſcopus præſtat juramentum* de Calumnia; *non eſt neceſſè requirere Papam.* cap. ult. eod. *Clericus faciliùs poteſt requirere Epiſcopum. Unde tenetur primò requirere ipſum.* Verùm, nec hoc, de Clericis, hodie obſervatur, præſertim, dum exigitur juramentum à judice Eccleſiaſtico. Quinimò, neque id in judiciis ſæcularibus attenditur, præcipuè, ſi ipſi Clerici coram illis,

in-

in materia profana, litigent; quo caſu, ſolent, non ſecus ac Laïci, in manibus judicis Laïci, jurare.

10 Juramentum *Malitiæ* vocatur illud, quod non ſuper tota cauſa, ſed ſuper ſingularibus quibuſdam articulis, ſive *ante*, ſive *poſt* litem conteſtatam, præſtandum venit, quoties articulus aliquis judici videtur malitiosè proponi. Cæterùm, tam hoc, quàm juramentum *Calumniæ*, non ſolet eſſe, niſi *de credulitate*.

Juramentum *de veritate dicenda* illud appellatur, quod fit ſuper ſcientia ſeu veritate, quam quis novit, dicenda: adeóque hoc juramentum, ſtrictè loquendo, expediri non poteſt, per *tò*: *credo ita eſſe*; ſed: *ſcio*, & *fateor*, *quòd ita ſit*.

11. Juramentum *judiciale*, prout reſpicit deciſionem cauſarum, dividitur in juramentum *litis Deciſorium*, & in juramentum ſeu jusjurandum *in litem*. Juramentum litis Deciſorium eſt, per quod deciditur lis principalis. *In litem* verò dicitur; per quod deciditur æſtimatio rei. Unde hoc juramentum, eſt *Æſtimatorium*, prout notat *Jaſon*. ad *rubric ff. De in litem jurand. n.* 1 Hujuſmodi juramentum eſt illud, quod probatâ violentiâ vel doloſâ læſione, ſolet damnum paſſis, judex deferre ſuper rebus amiſſis earúmque valore, prout inſinuatur in *cap. ult. De iis, quæ vi metúſve cauſ.* &c. & *l. Si quando. C. Unde vi.*

Hoc juramentum *in litem*, triplex vulgò aſſignatur. Primum vocatur juramentum in litem *de veritate*, ſeu: quod defertur ſpoliato aut damnum paſſo, ſuper vera æſtimatione, ſeu valore rei per vim aut dolum amiſſæ. Secundum vocatur juramentum in litem *de affectione*: dum videlicet damnum paſſus permittitur jurare, non tantùm de vero pretio rei, dolô ablatæ vel deſtructæ; ſed etiam, quanti res illa valebat, juxta ipſius affectionem. Exemplum eſto: Tu mihi abſtuliſti aut deſtruxiſti librum valentem 10. Verùm, quia ille mihi percharus fuit, ob annotationes magno labore in illo factas; ipſum non dediſſem pro 20. Hac factâ per me æſtimatione, judex, in odium doloſi furis aut damnificatoris, præviâ ſuâ moderatione [ne in immenſum alias jurare liceret] poteſt mihi deferre juramentum, ut jurem, quòd juxta meam privatam affectionem aut utilitatem, librum iſtum non dediſſem pro 20. Confer *L. Videamus. §. Deferre.* Junctâ *Gloſſa ad* ℣. *Ex magna cauſa. ff. De in lit. jur.*

Tertium, dicitur juramentum in litem *de intereſſe*. Quod præſtatur ratione ſingularis intereſſe *extra rem*. Exemplum ſit. Depoſui penes te pecuniam, quam poſt lapſum temporis aut ſententiam judicis, debuiſſes mihi reſtituere: ſed, quia ipſam dolosè non reſtituiſti, paſſus ſum grave damnum. v. g. Amiſi pignora mea, quæ reluere non potui. Iſto caſu, debet judex, propter dolum non reſtituentis depoſitum, deferre mihi juramentum in litem, non quidem *de veritate*; quia conſtat de quantitate pecuniæ apud te depoſitæ; neque *de affectione*; quia in nummos non cadit affectio ſingularis. *L. Nummis. ff. De in litem jurand.* Sed de *meo intereſſe ſingulari extra rem.* Ubi OBSERVA; quòd juramentum *in litem*, quo creditur Actori quantum in litem juraverit, deferatur ſolùm ratione doli [puta; quia Reus vi abſtulit, aut contumaciter reſtituere, manifeſtare *&c.* noluit] non item ratione culpæ. *L. In actionibus. ff. De in litem jur.* Nam *culpa* apud juriſperitos idem eſt, ac omiſſio alicujus diligentiæ; ita, ut ex tali omiſſione alteri damnum ſit illatum. *Dolus* autem dicitur omnis calliditas, fallacia & machinatio ad circumveniendum, fallendum & decipiendum alterum adhibita. *L. 1. ff. De dol. malo.*

12.

Digitized by Google

12. Fuerunt olim & etiamnum exiſtunt Hæretici, *Anabaptiſtæ* ſcilicet, qui omnem jurandi uſum Chriſtianis interdictum eſſe contendunt, ſubnixi illo effato Chriſti. *Matth.* 5. *Ego autem dico vobis: non jurate omnino. Sit ſermo veſter: eſt, eſt. Non, non. Quod his abundantius eſt, à malo eſt.* Unde inferunt per ſe malum eſſe, jurare per Deum; quòd nomen ejus videatur aſſumi invanum. Catholica tamen & vera ſententia habet; juramenti uſum minimè eſſe prohibitum Chriſtianis. Etſi enim juramentum non ſit de genere eorum, quæ per ſe bona ſunt & frequentanda, ſicut Oratio, Eleemoſyna *&c.* eſt tamen de genere eorum, quæ bona ſunt, ſuppoſitâ duntaxat verâ neceſſitate aut cauſâ rationabili, prout docet *D. P. Auguſtinus. lib.* 1. *De verbis Domini in monte.* Ut proinde conſuetudo incautè jurandi, multùm ſit periculoſa & graviter reprehendatur in S. Scriptura: ut *Eccleſiaſtici. cap.* 23. *jurationi non aſſueſcat os tuum; multi enim caſus in illa.* & iterum *ibid. Vir multùm jurans implebitur iniquitate.* Suppoſitâ itaque cauſâ rationabili, jurare permiſſum, neq; tunc nomen Domini invanùm aſſumitur. Quâ ratione *David* & alii Prophetæ ſæpe perhibentur juràſſe. Nam juramentum eſt invocatio Divini Numinis, ſi ex vera fide procedat, & tacitam continet fidei confeſſionem, quod ſolus Deus ſit veritas indefectibilis. Unde Theologi cum D. *Thoma.* 2. 2 *q.* 89. *art.* 4. aſſerunt; juramentum ſuis comitibus (de quibus intra) ſtipatum, eſſe actum Religionis & Latriæ. Et tantùm abeſt, ut primo Decalogi Præcepto adverſetur, aut alias prohibitum ſit; ut écontra *Deuteron. cap.* 6. præceptum ſit: *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius jurabis.* Et laudandi ſint *omnes, qui jurant in eo. Pſalm.* 52. Confer *Sylvium, in 2dam. 2dæ. D. Thomæ. quæſt.* 89. *art.* 2. Ex his

Patet ℞ſio. ad *text. Matth.* 5. Non enim ille accipiendus de abſoluta jurandi prohibitione, ſed de frequentia, ut verba illa ſint potiùs *Conſilii*, quàm *Præcepti*, propter periculum aſſumendi nomen Dei invanùm. Et obſervandum, quòd ibi Chriſtus non dixerit: ſi quid abundantiùs, *malum* eſſe, ſed eſſe *à malo*; id eſt ab infirmitate jurantis, vel alterum jurare cogentis, prout verba illa exponit Pontifex in *cap. Etſi.* 26. *De jurejur.* Pari modo D. P. *Auguſtinus* allata Chriſti verba accepit de aſſiduitate jurandi,per quam facilis eſt lapſus in perjuria & graves blaſphemias, in quas labuntur paſſim plebei ſcelerati, qui contumelioſè jurant, per membra Chriſti. Vide *Can. Si quis per capillum. cauſ.* 22. *q.* 1. Cæteroquin autem nihil illiciti juramentum involvit, prout *loc. cit.* apud *Matthæum*, Salvator inſinuat dicens: *Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua.* Ex quo

Ulterius *fluit*, licitum eſſe, exigere juramentum ab alio. Correlativa enim videntur: *Præſtare* & *exigere*, concurrentibus iiſdem conditionibus. Sic rectè Judices, Reis & Teſtibus præcipiunt, ut verum jurent; dum videlicet *juridicè* & legitimè interrogantur. Imò privatus, in contractûs vel alterius promiſſi confirmationem, aut in alium bonum finem, veluti: ad controverſiam finiendam, rectè exigit juramentum: quia teſte Divo *Paulo. ad Hebr. 6 Omnis controverſiæ finis, eſt juramentum.* Atque hinc eſt, quòd humanæ leges tam Canonicæ, quàm Civiles, variis caſibus, imponant neceſſitatem præſtandi juramenti, dum videlicet id, aut Reipublicæ, aut privatorum bono convenit. Poteſt enim Magiſtratus, in commune bonum, præcipere actus honeſtos, qualis eſt juramentum, ùt defacto apparet, in juramento *fidelitatis*;

obe-

obedientiæ &c. *cap. Ea te.* 22. *De jurejur.* Adeſſe ſeu concurrere tamen ſemper debet *neceſſitas*, ſive cauſa rationabilis. Hac enim ceſſante, etiam jurare verum, ad minus eſt peccatum veniale; quia non caret quadam irreverentiâ. Unde præſertim Sacerdotes, non ſunt ex levi cauſa ad jurandum compellendi per judicem, ſed *vice juramenti*, *per ſanctam conſecrationem*, *interrogentur*, *quia Sacerdotes* (idem eſt de Regularibus, etſi non Preſbyteris, utpote ſpecialiùs ad perfectionem Evangelicam aſpirantibus) *ex levi cauſa, jurare non debent.* inquit textus in *Can. Si quis Presbyter. cauſ.* 2. *q.* 5. Quanquam in caſu neceſſitatis, ſeu magnæ utilitatis (puta: ad ſuî purgationem, ad probandam alterius innocentiam, aut tuenda ſua, vel Eccleſiæ ſuæ jura, quæ alioquin ex defectu probationum periclitari poſſent) licitè Sacerdotes etiam ac Religioſi jurare poſſint. Confer *cap. Etſi cit.* Ubi Pontifex diſſolvit argumenta, ob quæ nonnulli Religioſi veluti vitæ perfectioris æmulatores, timuerunt deponere juramentum judiciale in cauſis Eccleſiæ ſuæ. Quinimò, non eſſe credendum etiam Religioſo non jurato, ſeu nolenti jurare, habet *cap. Nuper nobis.* 51. *De teſtib.* Quò facit, quòd Clerici in cauſis Eccleſiæ ſuæ, imò & in propriis ſuis cauſis, præſtent juramentum *Calumniæ*, per *cap.* 1. & *cap. Cæterum. De juram. Calumniæ.* Neque Epiſcopus, ſi per ſe ipſum litigare velit, ab hoc juramento eximitur, propoſitis tamen tantùm, non verò attactis Evangeliis. *cap. ult.* §. 1. *eod.* Optimè ſanè Pontifex in ſæpe *cit. cap. Etſi.* probat, Chriſtum non prohibuiſſe juramentum *per Creatorem* (Nam & Angelus legitur juràſſe *per Viventem in ſæcula ſæculorum. Apocal. cap.* 10. Et Apoſtolus quoque juravit *per Deum. Ad Rom. cap.* 1. inquiens: *Teſtis eſt mihi Deus.*) ſed prohibuiſſe ſolùm jurare per creaturas, puta: cœlum, terram, ac hujuſmodi. *Ne per hujuſmodi juramentum* (inquit Pontifex) *transferretur ad creaturam, honorificentia Creatoris.* Adde *Gloſſam ibid.* ℣. *Creaturam.* Quanquam, ut *ibid.* notat Pontifex, ſi juretur per Creaturam; ſervandum ſit juramentum, dummodo aliunde cadat in objectum non turpe: quia, *qui jurat in Cœlo, jurat in Throno Dei & in eo, qui ſedet ſuper illum.*

13. Confirmatio veritatis, finis eſt juramenti, quod ut licitè & debitè fiat; requiritur 1mò. in perſona jurantis, capacitas quam naturaliter præſtat uſus rationis, non determinandus indifferenter ex ætate, cùm non omnes æquali tempore perveniant ad uſum rationis, ſed prudenti judicio, in ſingulis, de quibus quæſtio eſſe poteſt, conjectandus. Præſcripta quidem à jure pubertas, aſt ad hoc, ut quis citiùs non poſſit cogi ad jurandum, in judicio. *Can. Parvuli.* & *Can. Pueri. cauſ.* 22. *q* 5. An autem impuberes in judicio jurare volentes, admittendi ſint, alia eſt quæſtio, quæ tamen *negativè* reſolvenda, quia ratio canonum citatorum ponitur in carentia diſcretionis, ut cum debita reverentia non videantur juraturi. Et huc facit textus in *can.* 1. *cauſ.* 4. *q.* 3. Cæterùm, *extrajudicialiter* poſſe impuberem jurare, colligitur ex *cap.* 1. *De delict. puerorum.* Ubi hujuſmodi juramentum dicitur ſervandum, & additur; impuberem poſſe committere perjurium.

Non omnes tamen puberes jurare permittendi, Rejiciendi enim ſunt perjuri & infames. *dict. Can. Parvuli.* & *Can. Si quis convictus. cauſ.* 22. *q.* 5. Rejiciendi inquam ſunt, videlicet per ſententiam (ad *exceptionem* Partis) ferendam ante quam, juramentum ab hujuſmodi perſonis præſtitum tenet, argumentô ejus, quod dicitur *cap.* 1. *De Exceptionib. in* 6. de

de *Excommunicato*, cujus acta tenent, donec à judice repellatur.

Secundò requiritur voluntas & deliberata intentio jurandi. Nam, ut juramentum inducat obligationem, utique præcedere debet intentio & quidem deliberata, non minor illâ, quàm quæ ad peccandum mortaliter, exigitur.

14. *Tertiò* ad juramenti honeſtatem requiruntur hi tres comites: *veritas* ſcilicet, *juſtitia* & *judicium*. Per *text. Jerem. cap.* 4. *Jurabis. Vivit Dominus, in veritate, judicio & juſtitia.* Cui textui innititur *can.* 2. *cauſ.* 22. *q.* 2. Confer *D. Thomam* 2. 2. *q.* 89. *art.* 3. *& ibi Sylvium.*

Veritas poſtulat, ut in juramento *aſſertorio*, id quod affirmatur vel negatur, ita ſe habeat, ſecundùm prudentem ſaltem, non levem, conjecturam: in *Promiſſorio*, ut & animus adſit implendi promiſſum, & ipſum, ſi fieri poteſt, impleatur. Ex fine quoque juramenti, veritas attendi debet: Præſtatur enim, ut veritas *dicti*, veritate æternâ confirmetur. Neque parva foret Deo injuria, ſi ipſe, utpote veritas indefectibilis, in teſtem falſi vocaretur. Unde *Pſal.* 14. laudatur ille, *qui jurat proximo ſuo, & non decipit.*

Juſtitia jubet, ut æquiſſimi Numinis teſtimonium non adducatur in confirmationem rei indecentis, turpis, iniquæ, aut peccato obnoxiæ; turpia enim in obligationem non veniunt. *cap. Non eſt obligatorium.* 58. *De R. J. in* 6.

Judicium vult, ut cum prudenti ponderatione, ac pia atque reverenti voluntatis affectione, haud ſine neceſſitate, vel magna utilitate, juretur. Eſt enim ad omnem virtutis actum, prudentiæ dictamen velut auriga omnium virtutum moralium, præprimis neceſſarium. Et hæc conditio adeò latè patet, ut etiam duas priores, ſuo ambitu complectatur: cùm nihil fieri poſſit cum prudenti judicio, niſi quod veraciter & juſtè fit. Unde, ut ſit diſtinctio; limitare oportet & referre hanc conditionem ad neceſſitatem aut gravem utilitatem, quæ juramenti præſtationem poſtulet: hæc enim accedens ad veritatem & juſtitiam, compleri facit legitimam & honeſtam jurandi cauſam, ſine qua juramentum futurum eſſet vanum & otioſum & contra reverentiam Deo debitam. Quanta autem debeat eſſe utilitas aut neceſſitas, arbitrio prudentis viri relinquendum.

15. *Quartò* exigitur, ut juramentum debitâ formâ præſtetur; quanquàm ex natura rei, non requirantur neceſſariò verba, cùm poſſit & per alia ſigna æquipollentia exteriora expediri, ùt patet in muto, quem poſſe per ſigna jurare, non eſt dubitandum. Idem eſt in aliis, qui, ùt ùt loqui poſſint; tamen fortè ob rationem, loqui nolunt. Vide *Covarruv. ad cap. Quamvis. De pact. in* 6. *in princip. n.* 4. Junge *Suarez. De jurament. cap.* 11. *n.* 4. Ubi tradunt, quòd ſolâ mente jurans, in conſcientia obſtringatur. Unde in foro exteriori, verbali formâ regulariter præſtari debet juramentum, ut conſtet, quid & qualiter juratum ſit? Variis formulis jurabant olim Gentiles, ut obſervat *Grotius lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 13. *n.* 10. *&* 11. Aſt, apud Chriſtianos non aliter ritè fit juramentum, quàm, ſi Dei invocationem ex-vel implicitè contineat. Dico, vel *implicitè*. Nam, ùt ſupra dictum, ſi juretur per Cœlum, aut creaturam aliam, in qua reluceat aliquid Divinitatis, verè fit juramentum. Neque ipſum verbum *juro*, neceſſariò exprimi debet; quia *D. Paulus* dicendo: *Deus ſit mihi teſtis.* verè juravit. De formulis: *in fide mea, per fidem Regiam* &c. ſupra dictum *n.* 7.

Quæri poſſet: An *Homagium*, quod Vaſallus facit Domino, ſignificet vel im-

Digitized by Google

portet juramentum? *Ratio dubitandi* deſumitur ex *Gloſſa* in *cap. fin. De R. J.* Ubi, ſicut & paſſim alibi *Homagium* appellatur *Sacramentum fidelitatis.* Id eſt juramentum. ℞. deo. Tamen vocabulum iſtud barbarum, non tam ſignificare juramentum, quàm pactum aliquod humanum & actum ſpecialem, quo quis ſe recognoſcit hominem alterius eſſe, & ſervitio ejus addictum. Conteſtatio igitur iſta præcisè non inducit juramentum, quanquàm ſoleat juramento ſuperaddito confirmari.

Per *Jovem*, *Junonem*, *Herculem* aliáque Idola, non juratur ſine Idololatria, cùm non ſint convenientes creaturæ, ut ad Deum referantur. Unde *Exodi* 23. dicitur: *Per nomen externorum Deorum non jurabis, neque audietur ex ore veſtro.* Unde D. *Hieronymus* ſuper *caput* 2. *Oſeæ* ſcribens ait: Quod Deus iſto lòco dicit, idem eſſe, ac ſi dixiſſet: *Tantum* odi Idolorum nomina, ut etiam, quod bene dici poteſt, propter ambiguitatem & verbi *ſimilitudinem, nequaquam velim dici: ne, dum aliud loquitur, alterius recordetur. & virum nominans, Idolum cogitet.* Quocirca turpiter errant hiſce temporibus præſertim, qui Gentilium juramenta, ſtudio affectatæ eloquentiæ, aut generoſitatis, paſſim in ore habent. *Abſit* inquit D. *Hieronymus Epiſt.* 146. *ut de ore Chriſtiani ſonet*: Jupiter omnipotens; &: me Hercule, me Caſter, *& cætera magis portenta, quàm Numina.*

16. Ubi ſubintrat *quæſtio*, An falſi Numinis invocatio in teſtem veritatis, habeat vim juramenti? Puta; ſi Paganus ex conſcientia erronea, ſic juraverit? ℞. Eſſe quidem putatum juramentum, ſicut Idolum, eſt putatitius Deus; reverà tamen non habere juramenti ſubſiſtentiam; eò quòd deſit ipſi verum conſtitutivum, ſcilicet invocatio Divini Numinis. Talis ergo jurandi modus, ſapit blaſphemiam & Idololatriam, cùm falſo Deo attribuatur, quod veri Dei eſt proprium.

17. Oppones. D. P. *Auguſtinus* relatus in *Can. Ecce. cauſ.* 22. *q* 5. inſinuat, quòd jurare per lapidem ſine relatione ad Deum, ſufficiat ad obligationem juramenti, & falſum jurantem, teneri crimine perjurii ℞. Divum Patrem ibi non velle quòd per lapidem, jurans falſum, ſit verè & propriè perjurus; ſed, ſit reus injuſtæ deceptionis; licet etiam quò ad ſpeciem, & in foro fori, poſſit haberi perjurii reus, ſi videlicet dolo malo, per lapidem juraverit, ut alios falleret.

Instabis. *Cap. Chriſtus.* 26. *De jurejur.* dicitur quidem, non eſſe jurandum per creaturas, ſi tamen juratum fuerit; ſervandum eſſe juramentum. ℞. Ibi eſſe ſermonem de creaturis, in quibus ſpecialiter reperitur reſpectus Divinitatis, ùt patet ex verbis ibi: *Qui jurat in Cœlo, jurat in Throno Dei & in eo, qui ſedet ſuper eum.* Cæterùm, dicitur ibi, non eſſe jurandum per creaturas, non quòd ita jurare per ſe malum ſit, ſed, ut vitetur mali periculum, ſi non urgeat neceſſitas, ùt ibidem exponitur.

18. Igitur, ſi Ethnicus per falſos Deos juraverit, non tenetur veri juramenti religione, nec exinde obligatur, neque ejus violatio poteſt eſſe contra honorem Dei, cùm ejus obſervatio non tendat ad veri Dei honorem. Obligabitur tamen ex conſcientia erroneâ, quâ putat juramentum ſuum, ſpectare ad honorem Dei. Hoc ſenſu verum eſt, quod dicit *Grotius. loc. cit. n.* 12. Per falſos Deos jurantem obligari; quia quanquàm ſub falſis notis, generali tamen complexione, Numen intuetur, ideóque Deus verus, ſi pejeratum ſit, in ſuam injuriam id factum interpretatur. Qua ratione etiam Gentiles juratam fidem violantes, à *Deo vero* pu-

puniti referuntur. Huc faciunt leges civiles & placita Philoſophorum etiam infidelium, qui juramentis ſuis per falſos Deos, majorem obligationem ineſſe putârunt, quàm ulli fidei humanæ, ùt videre eſt apud *Ciceronem*. 3. *De Offic. circa finem*. Ubi nullum vinculum, ad adſtringendam fidem, jurejurando arctius eſſe tradit. Pari ſenſu exaudiendus eſt D. P. *Auguſtinus. relat. in can. Movet*. 16. *cauſ*. 22. *q*. 1. Ubi dicit; jurantem per falſos Deos, quòd fidem velit ſervare, ſi non ſervet, bis peccare, quòd & fidem & juramentum frangat. Nam, *qui per lapidem jurat, ſi falſum jurat, perjurus eſt*. Inquit S. Pater *ibid*. *Non te audit lapis loquentem, ſed punit Deus fallentem. ibid.*

Dicit quidem *Zoëſius*; Ethnicum ad veri Dei agnitionem converſum, non teneri hujuſmodi juramento, propter depulſam conſcientiam erroneam & intellectam Deorum ſuorum falſitatem, teneri tamen obligatione *juſtitiæ*, ſi ſuper re licita præſtitum fuerit juramentum. Veriùs tamen videtur, Ethnicum converſum teneri veri juramenti religione, eò quòd errorem quidem correxerit, intentionem tamen, Numen Divinum invocandi, non mutaverit.

19. Alia hîc ſubintrat *quæſtio*, an liceat petere juramentum ab Ethnico, qui creditur juraturus per falſos Deos? Communis ſententia habet, in caſu magnæ neceſſitatis vel utilitatis, per ſe licitum eſſe, à tali, petere juramentum in *genere*, licet non ſit permiſſum, illum determinatè inducere ad jurandum per falſos Deos. *Ratio* eſt: quia, qui in genere petit juramentum, petit id quod alter licitè præſtare poteſt, & ejus malitiæ eſt imputandum, ſi juret per falſos Deos. Sic omnes concedunt; licere petere mutuum ab eo, qui illud ſine uſuris non dabit: Item, licere petere in genere, à malefico deſtructionem maleficii, licet fortè uſurus ſit artificio pravo. Nam talis non tam cooperatur alterius peccato, quàm ſe habeat inſtar permittentis aliquem malè facere, in re licitè petita, quam & abſque piaculo peragere poterat. Hoc faciliùs procedet, ſi Ethnicus, à quo juramentum petitur, ſciat, petentem eſſe Chriſtianum; quia poteſt intelligere, peti à ſe juramentum, more Chriſtianorum: aut, ſi Chriſtianus exigat juramentum per verum Deum; tunc enim, ſi alter nihilominus juret per Idola; exigens, culpâ vacabit. *Ratio* rationis eſt: quòd cauſa juſta, faciat petentem eſſe uſum jure ſuo, ad ſopiendam fortè controverſiam, aut conſequendam ſecuritatem in arduo negotio. Idipſum inſinuat *D. P. Auguſtinus. in d. can. Movet.* ibi: *Qui utitur fide illius, quem conſtat juràſſe per Falſos Deos, & utitur non ad malam rem, ſed licitam & bonam; non peccato ejus ſe ſociat, quo per Dæmonia juravit.* Vide *Covarruv. De pactis. p.* 1. §. 10. *n.* 23. *Suarez. De juramento. lib.* 3. *cap.* 13. & *Sanchez. in Decalog. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 11.

20. Jurans, generatim duo curare debet; *primum*, ut verba menti congruant: *alterum*, ut factum ſeu promiſſum congruat verbis. Quòd, ſi materia talis ſit & verba ita concepta; ut non tantùm ad Deum, ſed etiam ad hominem referantur; haud dubiè, homini jus ex ipſo juramento quæretur, tanquam ex promiſſo aut contractu, qui ſimpliciſſimè intelligi debeat: Si verò verba, aut hominem planè non reſpiciant, jus ei conferendo; aut reſpiciant quidem; ſed occurrat aliquid, quod juſtè poſſit opponi (ut error aut metus promittentis) tunc ea vis erit juramenti, ut homo quidem ille, jus nullum conſequatur; aſt nihilominus qui juravit Deo, obligetur ſtare ju-

jurejurando. Quia, ùt docet D. P. *Auguſtinus. Epiſt.* 224. & 225 *Juramentum etiam vi extortum, ob Dei reverentiam, ſervandum eſt.* Hujus rei exemplum eſt in eo, qui per metum injuſtum, cauſam promiſſioni juratæ dedit; nam is jus nullum conſequitur, aut certè tale, quod in judicio vindicare nequeat, ſed remittere neceſsè habeat Equidem, ùt dictum, is, qui juravit, juramenti religione tenetur. Sic videmus, Hebræos Reges *Ezech.* 17, ✡, 12, 13, & 14, Item *Jeremiæ* 39, ✡, 5. à Prophetis increpatos & punitos à Deo, quòd fidem juratam Babyloniis Regibus non ſervâſſent. Quare & *Cicero. lib.* 3, *De Offic.* laudat *Pomponium Tribunum*, eò quod ſervaverit, quod terrore coactus juraverat. Et dicit ibidem *Cicero: quod Regulus non tantùm redire debuerit in carcerem, ùt ùt maximè injuſtum, ſed & decem illi, quorum meminit, reverti debuerint ad* Annibalem, *quia juſjurandum interceſſerat.* Hac de re meminit D. P. *Auguſtinus lib.* 1, *De Civit. Dei. cap.* 15, Confer *Sylvium in* 2. 2, D. *Thomæ q.* 89, *art* 7, §. *Quæritur* 1, *pag. mihi.* 658. & *ſeq.*

21. Neque hæc tantùm inter hoſtes publicos locum habent, ſed inter quoſvis. Non enim perſona ſola reſpicitur, cui juratur, ſed is, qui adjuratur Deus. Repudiandus ergo *Tullius*, dum *loc. cit.* ait; *perjurium nullum eſſe, ſi prædonibus, pactum pro capite pretium, non adferatur.* Fallit etiam quod idem alibi, & *Brutus* apud *Appianum*, dixit: *Cum Tyranno, Romanis nulla fides, nulla juriſjurandi religio.* Licet itaque jure Gentium, hoſtis differat à Pirata, hac tamen in re, diſcrimen nullum faciendum, etſi enim jus perſonæ deficiat, attamen juramentum ſervandum; quia cum Deo negotium eſt. Neque verum eſt, quod dixit *Cicero:* nullam eſſe cum Prædone juris ſocietatem; cùm depoſitum, ex ipſo Gentium jure, reddendum ſit latroni, ſi Dominus non apparet, prout rectè reſpondit *Triphonius.* in *l.* 31, *ff. Depoſiti.* Quare, nec probari poteſt, quod à quibusdam eſt traditum; ſcilicet; eum, qui prædoni quidpiam promiſerit, momentaneâ ſolutione poſſe defungi; ita, ut liceat ei, quod ſolvit, confeſtim recuperare. Verba enim in juramento, quò ad Deum ſimpliciſſimè & cum effectu, ſunt accipienda. Atque ideo, qui clam redivit ad hoſtem. & iterum abiit; non ſatisfecit juramento, *de redeundo*, ùt rectè à Senatu Romano judicatum fuiſſe, refert *Gellius*, *lib.* 7, *cap* 18, Illud vero: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*; ita demum probari poteſt; ſi jurata promiſſio, apertè facta ſit, intuitu promiſſionis *reciprocæ*; ita, ut mutua promiſſio, alterius promiſſioni, conditionatè fuerit implicita: non; ſi diverſi generis ſint promiſſa, & citra reſpectum mutuum; tunc enim ſervandum cuique erit, quod ipſe juravit, neque fieri poteſt compenſatio.

22. Porrò, licet inæqualitas in contractibus, poſſit facere locum reſciſſioni vel reformationi, attamen, ſi juramentum interceſſit, etiamſi alteri nihil aut minus debeatur; equidem Deo fides erit ſervanda. *Auth. Sacramenta. Cod. Si adverſus vendit.*

Notandum tamen eſt; quoties ex aliquo defectu, jus alteri homini non naſcitur, ſed ſoli Deo fides obſtringitur; hæredem ejus, qui juravit, non teneri. Quia, licet ad hæredem cum ſuis oneribus tranſeant bona, quæ in hominum ſunt commercio, non tamen tranſeunt onera perſonalia, quæ quis ex officio, puta: pietatis, gratiæ aut fidei, debuit.

23. Juramentum eſſe ſtricti juris, & ſtrictè interpretandum eſſe, propter pe-

 riculum

Digitized by Google

riculum animarum & committendi perjurii; ſuadet ratio, cùm ſemper rigida interpretatio fieri debeat, quoties de altero obligando agitur. Quocirca; ſi obſcuritas quædam ſubnaſcatur, juramenti interpretatio flectenda eſt in favorem jurantis, ita, ut quod palàm verbis expreſſum non eſt, pro omiſſo habeatur. Quò facit *text.* in *l. Quidquid ff. De V. O.* ibi: *Quidquid, adſtringendæ obligationis causâ, dictum eſt; id, niſi palàm verbis exprimatur; omiſſum eſſe, intelligendum eſt: aut certè ſecundum promiſſorem, interpretandum.* Atque id maximè procedit pro foro *externo*; nam in foro *poli* ſeu *animæ*, juramentum, juxta intentionem jurantis, interpretandum eſt. Unde *D. Gregorius* relatus in *can. Humanæ. cauſ. 22. q. 5.* ait: *Humanæ aures, verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant: Divina verò judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Equidem, ſi de ipsâ jurantis intentione, certum non poſſit formari judicium; tunc etiam, in foro conſcientiæ ac pœnitentiali, juramentum, in favorem jurantis, *ſtrictè*, ùt dictum, interpretandum, non obſtante reverentiâ juramento debitâ: ſiquidem iſte juramenti favor, principaliter reſpicit id, quod eſt verum, juſtum & rationabile, prout liquet ex dictis, de tribus comitibus, *veritate* nimirum, *judicio* & *juſtitia.* Non autem ad plura prorogatur, nec in dubio ampliatur: ſiquidem, quò benignior fuerit interpretatio juramenti, quò ad perſonam jurantis; eò faciliùs obſervabitur magíſque evitabitur ipſius violatio ſeu perjurium.

24. Regula à Doctoribus communiter recepta, hæc eſt; quòd juramentum præſtitum circa materiam *juris* (hoc eſt, circa illa, de quibus, jus ipſum diſponit) interpretationem recipiat à jure communi, nec ſit ulterius ampliandum. Vide *Layman. lib. 4. Theolog. Moral. tract. 3. cap. 9. n. 1. Pirhing. ad tit. De jurejur. n. 107.*

Exemplificatur hæc *Regula*, 1*mò.* ex *cap. Tua nos. 6. De Eccleſ. ædific.* Ubi, non obſtante juramento de rebus Eccleſiæ non alienandis, poteſt Epiſcopus novam Eccleſiam ædificare, ſi populus eâ indigeat. quia hoc ipſum jure communi permiſſum. *cap. Ad audientiam. 3. eod.* Ac proinde caſus iſte, in juramento illo, cenſetur tacitè exceptus.

2*dò.* Ex *cap. Ad noſtram. 21. eod.* Ubi jurans, quòd in omni cauſa debeat & velit ſervare ordinem judiciarium, non tenetur vi juramenti, illum ſervare *in manifeſtis* ac *notoriis*, eò quòd de jure communi, manifeſta non indigeant accuſatione. *Per cap. Evidentia. De accuſat.* Ubi *Summarium* ex *Abbate* deſumptum, ſic habet: *Juramentum generale ſic debet intelligi, ſi fieri poteſt, ut non obviet juri; alias tanquam temerarium, non obligat contra juris obſervantiam.*

3*tiò.* Ex *l. ult. ff. Qui ſatisdare coguntur.* Ubi, *qui juratò promiſit, judicio ſiſti; non videtur pejeráſſe, ſi ex conceſſa causa, hoc deſeruerit.* Sc & Clericus, qui perpetuam reſidentiam juravit, poteſt in caſibus à jure permiſſis, abeſſe. v. g. Pro ſervitio Eccleſiæ. *cap. Ex parte. 13. De Cleric. non reſid.* Vel ex cauſa infirmitatis, ſeu juſtæ ac rationabilis neceſſitatis corporalis. *cap. unic. eod. in 6.* Pariter, qui juravit parére judici vel mandatis Eccleſiæ, poteſt, hoc non obſtante juramento, ſi ſe injuſtè ſenſerit gravatum, licitè appellare, ſicut jure communi permiſſum. *Gloſſa in cap. Prout ℣. Cautionem. De dolo & contum* Imò hoc extendit ibidem *Abbas. n. 11.* ad eum caſum, quo quis juravit reſpondere coram judice: adhuc enim (inquit) ex cauſa ſupervenientе, poterit ipſum recuſare. *cap. Inſinuante. 25. De Offic. Delegat. Sed*

25. *Quæri* poteſt, an juramentum ſit interpretandum, juxta intentionem jurantis vel illud recipientis? ℞. 1*mò*. Juramentum bonâ fide generaliter præſtitum, accipiendum eſſe ſecundùm intentionem jurantis, non verò extendendum ad ignorata vel non cogitata, ſeu ad talia; quæ, ſi in mentem veniſſent, jurans veroſimiliter excepiſſet. Ita *Gloſſa in cap. veniens.* 16. ℣. *Præſciviſſet.* Et *ibid. Barboſa in Collectan. n.* 4. *De jurejur. D. Thomas.* 2. 2. *q.* 98. *art.* 2. *ad* 3. Illud exemplificans in eo, qui juravit, facere voluntatem alterius: quia (inquit) in tali juramento, ſubintelligenda eſt debita conditio: *Si ſcilicet id, quod ei mandatur, licitum ſit & honeſtum, & portabile ſive moderatum.* Junge *Pirbing loc. cit. n.* 109. *Ratio* eſt; quia, ſicut in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, juxta *R. J.* 81. *in* 6. Ita diſcurrendum de promiſſione etiam juratâ. Nam juramentum generaliter prolatum, debet civili modo, intelligi. *L. Si cui ſimplici. ff. De ſervitutib.* ac proinde, non eſt extendendum ad caſus non cogitatos, nimiúmque graves & inſupportabiles. *L. Quanquam.* Junctâ *Gloſſâ ad* ℣. *Cogitaſſet. ff. De rit. nupt.* Exempla habemus in *cap. Veniens.* 16. & *cap. Quintavallis.* 23. *De jurejur.* ex quibus evincitur, quòd cuilibet juramento promiſſorio, *ipſo, jure* inſint conditiones: *Si potero; ſalvo jure ſuperioris; ſi res in eodem ſtatu permanſerit &c.* Et ſi una harum conditionum deficiat; eô ipsô, ceſſabit juramenti obligatio.

℞. 2*dò*. Si jurans fuerit in dolo, dum præſtitit juramentum ſub verbis callidis & amphibologicis, ad decipiendum eum, cui juravit; tunc juramentum interpretandum, ut obliget juxta intentionem recipientis, id eſt; juxta ſanum intellectum illius, cui juramentum præſtatur. Ita D. Thomas. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 4. Covarruvias *ad cap. Quamvis. De pactis. p.* 1. § 5. *n* 1. & 2. Sanchez. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 10. *n.* 4. & *n.* 12. *ac ſeq. citans alios.* ℞*ſio.* colligitur ex *can. Quacunque. cauſ.* 22. *q.* 5. Ubi ex *S. Iſidoro* ſic refertur: *Quacunque arte verborum quis juret; Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.* Quem textum procedere de juramento duntaxat doloſo, notat ibid. *Archidiaconus*, illud probans ex *ly*: *arte*; id eſt: *fraude, calliditate*, ſeu *verſutia*; atque id ipſum clarè exprimunt *D. Thomas* & Doctores citati. & *Ratio* eſt. Tum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent. *cap. Sedes.* & *cap. Ex tenore. De Reſcript.* Tum quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. *l. Non debet ff. De R. J.* prout fieret, ſi juramentum doloſum accipi deberet juxta mentem proferentis & non, juxta ſanum intellectum illius, cui juratur. Ex his

26. Infertur 1*mò*. In omni juramento *promiſſorio*, ùt ùt abſolutè præſtito, tacitè ſubintelligi conditionem: *Salvo jure & authoritate ſuperioris.* Prout deſumitur, ex *cap. Venientes.* 19. *De jurejur.* ibi: *Cùm prædictum juramentum vos excuſare non poſſit, in quo debet intelligi jus ſuperioris exceptum.* Idem inſinuatur, in *cap. Ea te.* 22. *eod.* Ubi illicitum, nec ſervandum cenſetur juramentum, quod *ſalvo Sedis Apoſtolicæ honore*, ſervari nequit

Dictum: *in juramento promiſſorio.* Nam in juramento *aſſertorio*, utpote, in quo præcisè aliquid aſſeritur vel negatur eſſe verum; nulla conditio ſubauditur; cùm fiat ſuper re præſenti vel præteritâ, & ſit de ſimplici veritate; & pendere non poſſit; quòd jam eſt, aut fuit. Aſt verò in juramento *promiſſorio*, ut-

Digitized by Google

utpote, quo aliquid promittitur præſtari in futurum; duplex debet intervenire veritas, *una* intentionis ſeu *dicti*, *altera*, *executionis* ſeu *facti futuri*, quod conditioni poteſt eſſe obnoxium.

Infertur 2*dò*. Subintelligi & in juramento *promiſſorio* conditionem: *Niſi is ſpontè remiſerit*, *in cujus favorem*, *juratum eſt*. *Ratio*: Tum quia invito beneficium non tribuitur. *l. Invito. ff. De R. J.* requiritur enim ejus acceptatio. *l. Abſenti. ff. De donationib.* Tum quia quilibet juri ſuo renuntiare poteſt. *cap. Si diligenti. De foro compet.* ac proinde poteſt rem, vi juramenti, ſibi debitam, alteri remittere vel condonare. Confer *Zoëſ. ad tit. jur. Canonici. De jurejur. n.* 78. & *in Commentario Digeſt. eod. tit. n.* 88. Junge *Grotium. De J. B. & P. cap.* 13. *n.* 18.

Nec Obstat Divini Nnminis invocatio & reverentia debita Deo. Siquidem juramentum in favorem hominis factum, Deus non aliter acceptat, niſi in ordine ad hominem, in cujus favorem & utilitatem cedit. Unde, ſi homini ſatisfactum etiam Deo & debitæ ejus reverentiæ ſatisfactum cenſetur. Vide *Pirbing. ad tit. De jurejur. n.* 123. *Sanchez. lib* 3. *in Decalog. cap.* 20. *n.* 7. Cæterùm, ſi promiſſio uni facta, cedat in utilitatem *Tertii*, nihil operabitur remiſſio ejus, cui factum juramentum. Sic, ſi *Titio* juraveris, dare pauperi eleemoſynam; ingredi Religionem; ducere *Catharinam &c.* nihil operabitur *Titii* remiſſio, cùm non in gratiam ejus, ſed *Tertii*, Deus vocatus fuerit in teſtem, ut proinde ad evitandum perjurium, requiratur iſtius *Tertii* remiſſio vel condonatio. *Sanchez loc. cit.*

Infertur 3*tiò*. Juramento promiſſorio imbibitam eſſe conditionem hanc: *Si res in eodem ſtatu permanſerit*; hoc eſt: non fuerit notabiliter mutata. Deſumitur ex *cap. Brevi.* 17. & *cap. Quemadmodum.* 25. *De jurejur.* Junctâ *Gloſſâ* ibid. *ad* ℣. *Conditio.* Conſonátque Textus in *l. Cùm quis.* §. 1. *ff De ſolution.* ibi: *Tacitè enim hæc conventio ineſſe ſtipulationi videtur; ſi in eadem cauſa maneat. Ratio* eſt: quia non eſt veriſimile, quòd jurans intenderit ſe obligare ad rem nimis difficilem, aut indecentem, qualis ex ſuperveniente caſu, facta eſt.

Infertur 4*tò*. Pacto vel contractui reciproco etiam jurato, ſuapte naturâ ineſſe conditionem: *Si & altera pars fidem ſervaverit.* Id eſt: ſteterit promiſſis. *Text.* in *cap. Pervenit.* 3. & *cap. Sicut.* 29. *De jurejur.* Nam, ùt habet *Regula* 75. *jur. in* 6 *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.* Vide, quæ ſupra ſcripſi. *n.* 21.

27. Dices. Si præmiſſæ conditiones in omni juramento promiſſorio ſubintelliguntur. Ergo tale juramentum ſemper erit conditionatum & nunquam erit abſolutum. ℞. *Neg. Sequelam.* Tametſi enim conditio *merè extrinſeca* reddat contractum vel juramentum conditionale: v. g. Hæc: *Si Titius Conſul factus fuerit. Si navis ex India venerit &c.* Aliud tamen eſt de conditionibus, quæ ſuapte naturâ, vel ex legis neceſſitate, inſunt. Tales enim conditiones non reddunt actum conditionatum, prout expreſsè habet Textus, in *l. Conditiones. ff. De conditionib. & demonſtr.* ibi: *Conditiones, quæ tacitè ineſſe videntur, non faciunt legata conditionata. Id quod verum, licet ejuſmodi conditiones expreſsè apponerentur. l.* 3. *ff. De legat* 1. Ubi *Summarium* ſic habet: *Expreſſio conditionis per modum, qui ex neceſſitate ineſt, nihil operatur.* Sive, ùt loquitur Textus: *non facit legatum conditionale.*

28. Infertur 5*tò*. Juramentum etiam *abſolutè* prolatum de ſervandis Statutis alicujus Eccleſiæ, Collegii vel Commu-

munitatis, non extendi ad futura, niſi expreſsè in aliqua parte juramenti, facta ſit mentio de futuris. *Ratio* ſæpius data eſt. Quia juramentum eſt ſtrictè interpretandum, adeóque cenſetur præſtitum ſuper obſervandis Statutis tempore præſtiti juramenti exiſtentibus & cognitis, non autem primùm futuris: quæ, utpote incerta, varios difficiléſque exitus ſortiri ſolent. Igitur non eſt veroſimile, quòd jurans ſe ſervaturum ſtatuta, intenderit ſervare etiam ſtatuta futura, niſi id nominatim expreſſerit, aut poſteriora ſtatuta ſint talia, ut novitatem non inducant, ſed vetera duntaxat declarent; quia, qui declarat, nil novi conſtituit, & declaratio legis, retrotrahitur ad tempus conditæ legis, eíque à principio infuiſſe intelligitur. *Authent. De raptis mulierib* §. *fin. collat* 9. Et notat *Gloſſa ad cap. Sicut nobis.* ℣. *Reſpondemus. De V. S. in* 6. Atque ita tenent *Baldus* in *cap. Clericus. n.* 2 *Barboſ. ibid. n.* 7, *De jurejur. Pirbing. ad eund. tit. n.* 105, Contra *Joan. Andream. ad dict. cap. Clericus. n.* 1, & 2, *Abbatem ibid n.* 2, & quoſdam alios, contendentes; juramentum ſimpliciter præſtitum de ſervandis Statutis, extendi etiam ad ſervanda illa, quæ impoſterum edentur; ſaltem, ſi non multùm ſint præjudicialia. Hanc opinionem ſuam, probant ex eo, quòd locutio indefinita æquipolleat univerſali. *Gloſſa* in *Proœmio Decretal.* ℣, *In judicio.* Et quòd in *l. pen. Cod. Quæ res pignor. obligar. poſſ.* Si debitor res ſuas hypothecæ ſupponat indefinitè; nihilominus Hypotheca etiam ad futuras res producatur. Verùm ℟*tur*, ad 1*mum*, Indefinitam locutionem æquipollere univerſali, quando ſubeſt eadem ratio omnium ſub indefinita comprehenſorum; ſecus verò, ſi ſubſit ratio diverſa, qualis hîc apparet. *Ad* 2*dum* ℟*tur.* Diſcrimen eſſe inter juramentnm & Hypothecam. Illud enim, quod dicitur de Hypotheca vel Pignore; ideo laxiùs accipiendum; quia Pignus datur & *gratiâ Creditoris*, ut ei fiat aſſecuratio rei creditæ, & *gratiâ Debitoris*, ut ei ſub conſtitutione pignoris, faciliùs quidpiam mutuò concedatur, vel fides habeatur; ut non ſit mirum, quòd etiam ad futura extendatur. Secus res ſe habet in juramento, quod eſt ſtrictæ interpretationis, & abſque ratione, extenderetur. Conſonat *Sylvius, loc, cit,* §, *Quæritur*, 4, *concluſ*, 1, Ubi *art*, 8, bene ex D, *Thoma* probat, majorem eſſe voti obligationem, quàm juramenti; eò quòd voti violatio, ſit perfidia contra Deum, juramenti verò violatio, ſolam importet irreverentiam erga Deum.

29. Ob materiæ cohærentiam, indagari poteſt, num Reus judici interroganti teneatur fateri veritatem? Communis Theologorum cum *D, Thoma*, 2, 2, *q*, 69, *art*, 2, & Juriſperitorum ſententia eſt, judici haud legitimè interroganti, aut non ſervato juris ordine procedenti, non teneri Reum patefacere veritatem, nec jurare de *Calumnia*, vel *dicenda veritate*. Ut autem Reus legitimè, & ſervato juris ordine interrogetur, ultra hoc, quòd judex debeat eſſe legitimus, requiritur; ut vel præceſſerit infamia ſuper aliquo crimine, vel quædam expreſſa ſeu manifeſta indicia ejus prodita ſint; vel quòd præceſſerit accuſatio, ſeu denuntiatio criminis, unà cum ſemiprobatione ipſius. Alioquin, ſi nullum horum intervenerit; non cenſebitur Reus ſervato juris ordine interrogari.

Unde Resultat, quòd de occultis criminibus, de quibus nempe nulla præceſſit infamia, probatio vel grave indicium, Judex Reum interrogare nequeat; ùt liquet, ex *cap, Qualiter & quando*, 17, §. *fin, De accuſ*, ibi: *Exceptis criminibus*

Digitized by Google

nibus occultis. Occulta enim publicanda non ſunt, ſed ſoli Deo relinquenda. *can. Erubeſcant. diſt.* 32. & *can. Si omnia. quæſt.* 1. Junctâ *Gloſſâ ibid. ad ℣ Si omnia.*

Resultat etiam; quòd Judex Reum de uno crimine diffamatum vel etiam convictum, non poſſit examinare de aliis criminibus diſparatis, quæ ſcilicet nec ſuapte indole, nec indiciis, connexa ſunt. Ut: ſi quis fuerit convictus de furto, non poterit examinari de Homicidio; niſi præceſſerint aliqua hujus indicia. Quinimò, convictus de uno homicidio, nequibit examinari abſque novis indiciis, de homicidio diſtincto. Prout ex Theologis, probant *Navarrus.* ad *tit. De judiciis. n.* 62. & *Layman. lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 5. *n.* 5. citans alios.

30. Sed quid? ſi Reus dubitet, an legitimè interrogetur? Non teneri tali caſu fateri veritatem, probabiliùs tenent *Leſſius. lib.* 2. *De juſt. & jure. cap.* 31. *n.* 10. allegans *Cajetanum* & *Adrianum*, *Layman. loc cit. n* 4 *concluſ.* 2. Ex ratione, quòd nemo teneatur obedire ſuperiori cum graviſſimo ſuo incommodo, niſi conſtet, eum legitimè præcipere; manet enim quis in poſſeſſione ſuæ libertatis & incolumitatis ſeu bonæ famæ. Stante autem dubio, non conſtat; quòd Superior ſeu Judex legitimè præcipiat. Ergo. Et huc facit, quòd in dubio, favendum ſit Reo. Per *cap. Cùm partium.* 11. *De R. J. in* 6. & *l. favorabiliores. ff. eod.* Unde vulgatum illud: quòd in dubio, obediendum ſit legitimis Superioribus. *can. Quod culpatur. cauſ.* 23. *q* 1. ſolùm procedit; quando conceſsâ authoritate legitimi Superioris, dubium remanet, an res præcepta ſit licita nec ne; non verò, ſi dubitetur; an is hîc & nunc habeat poteſtatem legitimè præcipiendi, ſicut ſupponitur in caſu noſtro. Unde in praxi, Judex debebit ex allegatis & probatis, convincere Reum, quod legitimè interrogetur & reſpondere teneatur, ùt poſt *Leſſium* obſervavit *Ludovicus Miranda. in Ordine judiciario. tom* 2. *q.* 19. *art.* 13. *concl.* 2. Alioquin poterit Reus excipere contra nullitatem proceſsûs, ob defectum diffamationis, indiciorum aut ſemiplenæ probationis. Cæterùm, in dubio, judicis erit, de horum ſufficientia cognoſcere. *l. Si quis ex aliena. ff. De judiciis.* Ubi ſic habetur: *Prætoris enim eſt exiſtimare, an ſua ſit juriſdictio.*

Quòd ſi autem Judex, ſervato juris ordine interroget; ac, vel ſub juramento, vel alias legitimè præcipiat ſibi veritatem aperiri; tenebitur Reus ſub peccato lethali illam manifeſtare. *Ratio*: Quia quilibet tenetur obedire Superiori legitimè præcipienti: & correlativa ſunt: juridicè interrogare, & teneri reſpondere. Atque hoc ſuſtinent D. *Thomas.* 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. *Cajetanus.* & noviſſimè *Sylvius* ibid. obtinere etiam in cauſis criminalibus gravioribus, illis videlicet, in quibus timetur ſententia mortis, triremium, perpetui carceris, confiſcationis omnium bonorum *&c.*

31. Aſt oppoſitum tenent *Sannig. De jurejur. cap.* 2. *n.* 5. *Leſſius. loc. cit. n.* 16. ac recenter *Joan. Cardenas. in Criſi Theologica. Diſſert.* 19. Ad *propoſitionem* 26. *& ſeq. ab Innocentio XI. damnatas. cap.* 7. *n.* 81. citans complures alios. Nec deeſt ratio: Siquidem præceptum judicis, de dicenda veritate; debet eſſe ſecundùm naturam, hoc eſt attemperatum conditioni naturæ humanæ, prout de ipſis legibus generatim habetur, *can. Erit autem lex. diſt.* 4. Atqui præceptum judicis non eſſet ſecundùm naturam, ſi Reus (quamdiu ſcilicet ſupereſt ſpes evadendi) illicò teneretur fateri crimen hujuſmodi necdum plenè probatum. Ergo. Huc facit; quòd cuilibet liceat transigere, ſeu pa-

Digitized by Google

paciſci ſuper crimine capitali (excepto adulterio) ſicque ſanguinem & vitam redimere *l. Tranſigere. Cod. De tranſactionib.* etſi ſecus ſit in aliis criminibus, ut *ibid.* dicitur. Unde hujus ſententiæ Doctores paſſim tradunt: Confeſſarium, non debere Reum ita perſuaſum, multùm urgere, ſed poſſe ipſum abſolvere. Aliud tamen haud dubiè dicendum, ſi delictum eſſet adeò probatum, ut non ſupereſſet ſpes evadendi. Et ita putem intelligendum eſſe Divum *Thomam loc. cit.* quidquid contradicat *F. Sylvius. in 2. 2. q. 69. art.* 1. citans *Paludanum*, *Cajetanum*, *Salonium*, *Navarrum* & *Azorium.* Si enim Reus pleniſſimè convictus, poſſit adhuc è carcere aufugere, & non teneatur ibi manere, ut ſupplicium patiatur; cur teneretur crimen, necdum plenè convictus, fateri, ſi ſuperſit ſpes evadendi? Hoc argumentum ſibi objicit *Sylvius*, ſed nequaquam ibidem ſolvit, quinimò *art. 4. pag. Mihi* 484. ex D. *Thoma*, cum *Cajetano*, *Soto* & aliis communiter, fateri cogitur: quòd Reus etiam juſtè ad mortem vel mutilationem condemnatus, licitè poſſit aufugere. Ex ratione; quòd fugiendo utatur jure ſuo, quod unuſquiſque habet ex inſtinctu naturali, ad ſuî conſervationem. Deinde inquit *ibidem Sylvius*: Reus non tenetur facere id, unde mors (idemque judicium eſt de alio gravi damno corporis) ſequatur. Ergo non tenetur manere in carcere, ex quo ſcit, ſe ad mortem vel ad mutilationem eſſe ducendum. Ita *Sylvius* contra ſe ipſum argumentari cogitur ex D. *Thoma loc. cit. ad* 2. Quò facit, quòd idem *Sylvius*, *loc. cit. concl.* 3. fateri cogatur; Reum ad carcerem perpetuum legitimè condemnatum, poſſe aufugere, & Reum juſtè ad mortem condemnatum, poſſe carceres & vincula rumpere, ut evadat. Atque in hanc ſententiam, pag. 485. iterum citat Authores ſupra citatos ſibi minimè cohærentes. Longè alia eſt quæſtio, utrum Reus teneatur fugere; ſi poſſit. Hanc enim quæſtionem cum D. *Thoma* & agmine Doctorum, reſolvimus *negativè* [regulariter loquendo] *Ratio* eſt; quia non fugere, non eſt ſeipſum occidere, ſed ſolùm, non tueri vitam ſuam; hoc autem licet, propter cauſam ad hoc ſufficientem, veluti; ſtudio ſatisfaciendi pro peccatis, aut ædificandi proximos; quâ ex causâ, etiam licet vitam exponere pro proximi ſalute, ùt docet D. *Thomas. 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3. & q. 32. art. 6.* Confer *Sylvium loc. cit. art.* 4. *pag.* 486. *& ſeq.*

32. Non levis ſupereſt *quæſtio*, Utrum Reus ex præſumptione falſa, interrogatus, teneatur confiteri propoſitionem veram, ſi ex iſta confeſſione, in foro externo, condemnandus eſſet de crimine aut debito, cujus reverà in conſcientia reus non eſt? *Lugo. Diſp.* 40. *De juſtit. & jur. ſect.* 1. *n.* 4. ponit hoc exemplum. *Titius* ex falſa præſumptione patrati homicidii, judicialiter interrogatur, an tali die, tali loco, ſtricto gladio, apparuerit? quod quidem verum eſt, ac etiam jam ſemiplenè probatum; Verùm non ſtrinxit gladium, ad patrandum homicidium, ſed ob aliam cauſam. *Quæſtio* inquam eſt, an *Titius* ſic interrogatus, poſſit abſolutè negare; quòd tali loco & tempore, ſtrinxerit gladium, aut ſtricto enſe apparuerit, ne alioquin, ùt ùt innocens, ob tam gravem præſumptionem, ad torturam redigatur, aut homicidii reus condemnetur?

Loquendo pro foro *poli* ſeu *conſcientiæ*; probabile certè eſt, quòd interrogatus à judice, ex præſumptione falſa delicti vel debiti, poſſit negare ejuſmodi propoſitionem, utpote falſam in ſenſu ab Authore vel Judice, hîc & nunc principaliter

ter intento. Ita *Navarrus.* ad *can. Humanæ aures. cauſ. 22. q. 5. quæſt.* 1. & 2. Ubi non ſolùm, talem aſſerit: coram Deo, eſſe immunem à mendacio, ſed etiam à perjurio, ſi juratò interrogatus id negaverit. Idem docent *Covarruvias. lib.* 1 *Var. Reſol. cap.* 2. *n.* 3. *Baldus. ad tit. Cod. De fide inſtrum. n.* 30. *Hyppolitus. ſingul.* 177. & *Covarruvias* dicit; quòd, ſi *Sempronius* petat à me centum florenos, quos mihi mutuò dederat, ſed ego ipſi ſecretò, abſque teſtibus reddideram; poſſim, ſine ullo crimine, hanc ejus petitionem negare. Quia [*inquit*] nullum hîc intervenit mendacium, ex ratione; quòd Actor in eo libello aſſerat; ſe centum mihi mutuò dediſſe & adhuc me debere; quod falſum eſt; cùm ei totum reddiderim: & ideo petitio, eâ formâ, qua fit & judici proponitur, falſa eſt, & juſtè à me, in genere, negari poteſt. Eodem tenore diſcurrit *Jaſon. in l. Manifeſtè. n.* 7. *ff. De jurejur.* poſt *Immolam* & *Geminianum.* Conſonant *Sylveſter. Verb. Juramentum.* 3. *q.* 2 *circa finem. Navarrus. in Manuali. cap.* 12. *n.* 19. Illud exemplificantes in interrogato, tempore peſtis, à cuſtodibus civitatis, num veniat ex tali loco, quem falsò exiſtimant eſſe peſte infectum? Nam, ſi novit, locum illum à peſte penitus eſſe immunem; tunc poteſt dicere & jurare, ſe inde non venire, referendo ſe ad principalem intentionem illorum cuſtodum: quamvis *Fagnanus.* ad *cap. Falſidicus. n.* 36. & *ſeq. De crimine falſi.* Ubi reſtrictiones mentales ex profeſſo impugnat] hoc ultimum exemplum cum aliis ſimilibus, falſitatis arguat. Sed

Ratio reſponſionis noſtræ eſt: Quòd interrogatus vel adjuratus, non teneatur attendere verba nudè & materialiter ſpectata ipſius interrogantis, ſed potiùs reſpicere ejus intentionem & mentem: *Quia non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem & intentionem: quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni:* prout loquitur S. *Gregorius* Papa. *relatus in can. Humanæ aures* 22. *q.* 5. & *cap. Intelligentia.* 6. *De V. S.* Jam verò, interrogatus à judice, ex præſumptione falſa delicti vel debiti, ſi reſpondeat, negando propoſitionem, utpote falſam in ſenſu ab Actore vel Judice principaliter intento; conſiderat non verba nudè prolata, ſed intentionem judicis interrogantis. Ergo.

Adhæc: Stante præſumptione falsâ, interrogatur quis injuſtè; quia delictum vel debitum, non eſt vel *ſemiplenè* probatum. Ergo non tenetur fateri veritatem. Confer *Navarrum.* ad *cit. can. Humanæ aures.* Ubi *quæſtione* 1. & *2dâ.* ſolvit argumenta *contraria.*

Dices: In foro animæ, juramentum interpretandum eſt juxta mentem & intentionem *recipientis.* per *can. Quacunque arte.* ſupra *cit.* ℞. cum *Navarro.* ubi ſupra *quæſt.* 2. *n.* 13. quòd quidem regulariter teneatur quis reſpondere interroganti ſeu adjuranti, juxta mentem ac intentionem ipſius, ſed id fallere; quando alia mente, quàm debet, quis interrogatur. Tunc enim ſufficit, quod reſpondeat ſecundùm eam mentem, quâ debet interrogari, & ſic veridicè loquatur. Hoc autem fit in exemplis allatis. Ergo.

33. Reſponſioni noſtræ maximè videntur obſtare *propoſitiones* 26. 27. & 28. *ab Innocentio XI. anno* 1679. *die* 11. *Martii* damnatæ; quibus, ùt ex Decreto patet, ſub pœna excommunicationis *latæ ſententiæ*, prohibetur doceri; licitum eſſe, uti reſtrictione mentali, aut locutione *amphibologicâ.* Ut huic objectioni ſatiſfaciamus.

Scire oportet, quòd *Amphibologia*, vi nominis, idem ſit ad *dictum dubium*, ſive

ſive ſermo dubiam ſententiam indicans, prout exponit noſter *Ambroſius Calepinus. Verb. Amphibologia: Reſtrictio* verò *mentalis*, ſit purus conceptus mentis, qui nullo modo concordat cum verbis oretenus prolatis, adeò, ut ejuſmodi conceptus mentis, per reſtrictionem mentalem intentus, præter loquentem, non poſſit ab alio audiente percipi. De hujuſmodi reſtrictione mentali, accipiendæ ſunt propoſitiones damnatæ, & in propoſitione 29. *tò Amphibologia*, laxiore ſignificatu, capitur pro ſimili reſtrictione. His præmiſſis

℞*deo* cum *Joan Cardena. in Criſi Theologica, ad propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas, Diſſert.* 19. *cap.* 4. *n.* 35. *Sporer. tom.* 3. *Theol. Moralis. tract.* 3. *in* 2. *præceptum Decalogi. cap.* 1. *ſect.* 3. *n.* 104. *& ſeq. Leſſio. lib.* 2. *De juſt. & jur. cap.* 42. *n.* 48. Ibi ſolùm damnari reſtrictiones mentales ſeu amphibologias, quæ fiunt per retentionem mentis, ultra verborum ſignificationem, quòd non fit in exemplis à nobis allatis, cùm reſponſiones ibidem datæ, nihil verbis ſuperaddant ſolâ mente retentum, ſed correſpondeant intentioni Actoris vel judicis interrogantis. Et huc facit; quòd hîc interveniat juſta cauſa utendi tali amphibologiâ; ne videlicet alioquin innocens, ex falſa delicti vel debiti præſumptione, injuſtè condemnetur. Nam, quòd ſine rationabili cauſa, non ſit licitum uti amphibologiis [utpote multiplicem deceptionis cauſam præbentibus, & communi humanæ ſocietatis bono repugnantibus] indubitatum eſt. Porrò, licitæ amphibologiæ exemplum habemus ex illo Salvatoris effato: *Joan. cap.* 7. *Non aſcendam ad diem feſtum.* Cùm tamen aſcenderit poſteà, *non manifeſtè, ſed quaſi in occulto*. Siquidem verba illa, abſque aliâ reſtrictione mentali, veritatem habebant, ex circumſtantiâ mentis eorum, quibuſcum Chriſtus loquebatur. Nam fratres ſive cognati ipſius, dixerant Chriſto: ut pergeret in Judæam & quæreret palàm eſſe, manifeſtando ſeipſum, per miracula: quo modo Chriſtus negavit, ſe aſcenſurum, etſi poſteà aſcenderit, *quaſi in occulto*, prout loquitur ſacer textus.

34. Hactenus de juramento potiſſimùm *Aſſertorio*; nunc ſpeciatim de *Promiſſorio* agendum: & velut certum ſupponitur 1*mò*. Omne juramentum promiſſorium debitè factum, circa materiam honeſtam & cedentem in honorem Dei, vel bonum tertii; ex virtute Religionis, parere obligationem ſervandi illud. Generalis enim & immota eſt Regula; quòd omne juramentum ſit ſervandum, ſi ſine ſalutis diſpendio ſervari poſſit. 2*dò* Juramentum de re inhoneſta, turpi ſeu illicita præſtitum, nullam inducere obligationem. Siquidem *in malis promiſſis fidem non expedit obſervari.* juxta *R. J.* 69. *in* 6. juncto *cap. ult. De pactis*. Neque juramentum inſtitutum eſt, ut eſſet vinculum iniquitatis *cap. Quanto.* 18. *De jurejur.* Unde *Regula* 58. *juris in* 6. Indiſtinctè ſic habet: *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.* Atque exinde, *can. Unuſquiſque. cauſ* 22. *q.* 4. ex D. *Ambroſio. lib* 3. *De Officiis. cap.* 12. graviſſimè perſtringitur factum *Herodis* Regis, qui *Saltatrici* præmium turpiter promiſit & crudeliter ſolvit.

Porrò, non ſolùm turpe cenſetur juramentum, ſi abſque peccato mortali nequeat obſervari, ſed etiam, ſi involvat peccatum ſolùm veniale.

Nec Obstat *cap. Si verò.* & *cap. Cum contingat. De jurejur.* & *cap.* 2. *De pactis in* 6. Quæ capitula loqui videntur de peccato mortali, quod vergit in detrimentum animæ: *Nam* & peccatum veniale, licet non per ſe & immediatè,

 pri-

Digitized by Google

privet hominem vitâ æternâ, diſponit tamen de ſe ad mortale, & verè eſt offenſa Dei. Proinde juramentum de faciendo peccato veniali, velut vergens in diſpendium ſalutis animæ, non eſt ſervandum. *cap. Cùm contingat. cit.* Confer *Fachineum. lib. 3 Controv. juris. cap. 72.* ℣ *Reſpondeo.*

Dices. In *cap. Cùm quidam. 12 §. Illi verò. De jurejur.* dicitur quis abſolvendus à juramento, quod erat illicitum, ſcilicet contra humanitatis officium, ut: *Non loqui patri vel matri, fratri vel ſorori.* Ergo videtur ſupponi valor juramenti. Non rectè reſponderis cum *Gloſſa ibid.* textum intelligendum eſſe, de abſolutione *ad cautelam*; ſiquidem illa adhibetur in caſu, quo vinculum eſt dubium, & rationabiliter timetur; hîc autem ex textu patet; eſſe certò *nullum*. Veriùs igitur dixeris: verbum *abſolvendi* accipi de abſolutione *declarativâ nullitatis*, non autem pro *diſſolutivâ vinculi*, quod nullum fuit: cujuſmodi abſolutio, *facti* in jure vocatur, ùt liquet ex *can. Audivimus. cauſ. 24. q. 1.*

Præmiſſa Aſſertio ampliatur etiam ad juramentum *temerarium*, ſeu incautiùs factum, puta: ſi juramentum obſervatum vergeret in pejorem partem. Sic *can. Si aliquid. cauſ. 22. q. 4. David* Rex, cùm per Dominum juràſſet, occidere *Nabal* virum ſtultum & impium, atque omnia ad ipſum pertinentia demoliri, ob injuriam ſibi ſervíſque ſuis illatam, 1. *Reg.* 25. Nihilominus ad primam interceſſionem *Abigaïl* fœminæ prudentis, remiſit minas, revocavit enſem in vaginam, neque aliquid culpæ, ſe tali perjurio, contraxiſſe doluit. *dict. can. Si aliquid.* Unde D. P. *Auguſtinus relatus. can. Juravit. ead. cauſ. 22. q. 4.* inquit: *Juravit David temerè, ſed non implevit jurationem, majori pietate.*

Ulterius: Juramentum ſoli Deo factum, de opere minus perfecto, & cujus oppoſitum, ſit melius; ſicut & juramentum Deo factum de re prorſus indifferente; non eſt obligatorium. Hæc eſt ſententia *D. Thomæ. 2. 2. q. 89. art. 7.* quam ſequuntur Theologi & Canoniſtæ communiter. & deſumitur, ex *cap. Pervenit. 3. De jurejur.* Ubi ſic habetur: *Non enim propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius, illud commutat.* Ubi bene obſervavit *Abbas. n. 2.* per *ly: promiſſum*, intelligi promiſſum *juratum*: quia alioquin textus ille non poſſet trahi ad titulum: *De jurejurando. Ratio* autem Aſſertionis noſtræ eſt; quia juramentum ſoli Deo factum, induit aut imitatur naturam voti, quod, de re impeditivâ majoris boni, emiſſum, non obligat; ita, ut illo non obſtante, licitè eligatur illud majus bonum. *cap. Scripturæ. De voto &c.* Idem eſt; ſi juramentum cadat in rem prorſus indifferentem; ita, ut hîc & nunc, penſatis omnibus circumſtantiis, talis remaneat. Quia Deus juramentum de præſtando aliquo vano & otioſo, cujuſmodi eſt res prorſus indifferens, non acceptat, neque ad illud obligare cenſetur, cùm inde nihil honoris ipſi accreſcat.

Dixi 1mò: *Juramentum ſoli Deo factum.* Nam hujuſmodi juramentum majoris boni impeditivum, factum homini, ſimpliciter obligat ad ſuî obſervantiam, nec poteſt in melius commutari cum nocumento ejus, cui factum, & ipſo invito. Quia per hujuſmodi promiſſionem, acquiritur illi jus ad rem, quod invito non eſt eripiendum, etiam propter bonum Deo gratius ſecundùm ſe. Hoc enim in caſu promiſſionis homini factæ, quæ inducit obligationem juſtitiæ, ceſſat eſſe Deo gratius, ſed fit Deo ingratum

35. Igitur, ut juramentum promiſſorium homini factum obliget, ſufficit, quòd

quòd res promiſſa poſſit ſervari abſque diſpendio ſalutis æternæ; hoc eſt; ſine peccati mortali aut veniali. Regula enim immota eſt, quòd juramentum homini præſtitum, neceſſariò ſit ſervandum, quando poteſt ſervari abſque animæ detrimento, ſimúlque non redundat in alterius injuriam vel damnum. Sic ſtatuunt Doctores unanimiter, quòd debitores, qui ſe obligaverunt ad ſolvendas uſuras, etſi cogi non debeant ad earum ſolutionem, eò quòd nulla fuerit ipſarum obligatio. *Clem. unic. De Uſuris.* Cogendi tamen ſint Domino reddere juramentum, & uſuras ſolvere, ſi juratò ſolutionem promiſerint, per textum in *cap. Debitores 6. De jurejur.* Ex ratione; quòd ſolvere uſuras, non ſit peccatum, quia poteſt quis licitè ſuum alteri dare. Nec Obstat; quòd alter recipiendo uſuras peccet; nam ipſius culpâ id accidit, cùm poſſet & deberet gratìs mutuum dare, juxta illud *Lucæ 6. Benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes.* Confer *Zoëſ. ad tit. De jurejur. n. 53.*

Tametſi quoque pactum *legis commiſſoriæ* velut uſurarium omnino reprobatum ſit. *l. ult. Cod. De pactis pignor.* Equidem, ſi debitor creditori juratò caverit, non repetiturum ſe pignus, ſi intra certum tempus, ſoluto debito, pignus non redemerit; ſtare debet juramento. *Arg. cap. Significante.* junctâ *Gloſſâ ℣. Si eſt ita. De pignorib.* Ratio eſt eadem, quæ data de uſuris ſolvendis. Cæterùm; nullum exinde jus accedit ipſi creditori; nam ille nihilominus tenetur debitori fructus reſtituere, aut eos in ſortem imputare; planè, ſicut de uſurarum reſtitutione præſcriptum eſt. *Zoëſ. loc. cit. n. 56.*

36. Porrò, juramentum factum homini, ita obligat, ut res ſemel promiſſa, ipſo invito, in aliud opus etiam melius, commutari non poſſit: ſequitur enim juramentum naturam contractûs, cui ſubjungitur, qui in ſpecie eſt adimplendus; ut non ſit licitum debitori, commutare rem promiſſam, in aliam etiam meliorem, *l. 2. §. 1 ff. Si certum pet.* Neque enim jus alteri quæſitum auferendum eſt. Igitur, quod juratò promiſſum, individualiter præſtandum eſt, quod non fit, ſi aliud agatur aut detur, licet æquivalens aut melius. Aliud eſt, ſi conſentiat creditor, aut is cui promiſſio facta. Ipſo enim conſentiente, commutatio non ſolum in melius, ſed & in minus, fieri poteſt; cùm quilibet ſibi præjudicare poſſit. Confer *Gutierez. De juramento. p. 3. c. 6.* & *Suarez. lib. 3. De juram. cap. 36.* Ex quo

37. Inferes 1. Quòd ſi juraveris *Cajo* dare 20. *florenos*, Et poſtea velis Deo offerre calicem valentem quinquaginta, aut tantumdem dare pauperibus; non poſſis *Cajo* negare ſuos *viginti florenos*: quamvis oblatio calicis, aut datio talis eleemoſynæ, de ſe foret opus melius & Deo gratius.

Inferes 2*dò*. Si ècontra juratò promiſiſſes in Dei honorem expendere 20. *florenos*, quòd poſſis propriâ authoritate, illos applicare conficiendo Sacro Calici, valituro *quinquaginta*, aut tantumdem pauperibus largiri. Diſparitas autem eſt; quòd in juratâ promiſſione homini factâ, ſpectetur, quid illi gratiùs ſit, in promiſſione autem Deo facta, quid meliùs. *Layman. lib. 4. Theol. moral. tract. 3. cap. 6. n. 6. Reiffenſtuel. Theol. mor. tract. 6. diſt. 2. n. 26.*

38. Quæri hîc poteſt 1*mò*. An juramentum per Procuratorem præſtitum, obliget Principalem mandantem? Juramentum per Procuratorem præſtari poſſe, & illum obſtringere, cujus nomine juratur, certum ſuppono; cùm quod quis per alium facit; ipſemet facere videatur.

deatur. Quinimò, ùt alibi dictum; Matrimonium, per alium rectè contrahitur, obligátque ipſum Mandantem, non verò Procuratorem. Opus tamen eſt ſpeciali mandato, ad jurandum *in animam mandantis*; ſi enim citra mandatum, & in animam propriam quis juraverit; non alius, quàm jurans obligari poſſet. Neceſsùm quoque eſt; ut non ſit revocatum mandatum. Illo enim revocato [ſi revocatio ad notitiam Procuratoris pervenerit] juramentum non teneret Mandantem, quod ſecus eſſet [ſaltem pro foro externo] ſi revocatio non perveniſſet ad Procuratoris notitiam. Ubi excipiendus eſt *Matrimonii* caſus, per *cap. fin. De Procurat. in 6.* Siquidem, ibi deciſum; non teneri ad complendum Matrimonium per Procuratorem initum; ſi ante illius contractum, *Principalem* pœnituit mandati & conſenſûs, licet mutatio non pervenerit ad notitiam Procuratoris, ídque ob ſpecialitatis rationem, quæ in omnimoda Matrimonii libertate, poſita eſt.

39. Quæri poteſt *2do.* An valeat & obliget juramentum de non accuſando uxorem ſuper crimine? Hunc caſum proponi, & reſolvi videmus in *cap. Quemadmodum. 25, §. Illud. De jurejur.* Ubi *Innocentius Papa* diſtinguit; an maritus juraverit non accuſare uxorem indefinitè, ſuper qualicunque crimine; an verò duntaxat ſuper adulterio? & decidit *ibidem* Pontifex: in prima ſpecie, juramentum utpote temerarium, non obligare, ſaltem in tota ſua latitudine, eò quòd ſint caſus, in quibus accuſatio eſt præcepti, ut in caſu infidelitatis, de quo in *dicto §. Illud.* aut omiſſio ejus eſt impeditiva melioris boni. In poſteriori ſpecie, poſſet etiam videri, non eſſe obligatorium juramentum, eò quòd omittens accuſationem, videatur patronus turpitudinis uxoris ſuæ, celans ejus crimen; ùt habet textus in *cap. Si vir. De adulter.* cenſeatúrque eam invitare ad adulterandum, promiſsâ quaſi ſpe impunitatis, præcipuè, ſi ante delictum, juramentum tale ſit præſtitum. *l. Si unus. §. Pacta. ff. De pactis.* Reſcripſit tamen *ibidem* Pontifex; iſtis non obſtantibus, tutiùs eſſe propter juramentum, ut vir non accuſet uxorem, non tantum in caſu, quo delicto jam patrato, ſic juravit, verùm etiam, ſi juravit ante delictum commiſſum. Nec Obstat ratio in contrarium mox adducta: quia Pontifex cenſet ſufficienter obviari licentiæ peccandi, per facultatem denuntiandi, ad agendam pœnitentiam, quæ ſalva eſt marito, non excluſa per juramentum. Quòd, ſi denuntiatio non proſit; accuſatio erit licita viro, imò neceſſaria; tum ad punitionem uxoris, tum ita requirente decentiâ & honeſtate viri, ac ſcandalo, quod tollendum: ſiquidem tunc tali juramento deeſſent debitæ conditiones, adeóque ceſſaret obligare. Ita *Innocentius loc. cit. in fin.* Porrò, non ſimpliciter negat Pontifex uxorem accuſari poſſe, ſed tantùm ad divortium faciendum, & ſic ad privatam ſatisfactionem, ut videatur viro non eſſe negata licentia accuſandi *criminaliter*, ad vindictam publicam, ita bono publico poſtulante, cui, per juramentum, nemo præjudicare poteſt, ùt infra dicetur.

40. Quæri poteſt *3tiò.* An juramentum metu extortum ſit ſervandum? Hanc quæſtionem ſupra *n.* 20. tetigimus: ſed nunc pleniùs agendo, Suppono non eſſe quæſtionem de metu, ſine injuria illato; cùm certum ſit, juramentum tali metu extortum, eſſe obligatorium. *Quæſtio* igitur tantùm eſt de juramento, cui metus injuſtè incuſſus, cauſam dedit. Et Dicendum; quòd obliget & valeat tale juramentum, ſi aliunde cadat ſuper materiam capacem, & honeſtè impleri poſſit.

Digitized by Google

ſit. Atque hoc ſatis colligitur ex *cap Si vero.* & *cap. Verum De jurejur.* Item ex *cap.* 2, & 4, *De his quæ vi metúſve cauſ. fiunt.* & probant *Covarruvias.* in 4. *Decret. p.* 2. *cap.* 3. §. 5. *n.* 2. *Matth. De afflictis. Deciſ.* 263. *Sanchez in Decalog. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 13. Ex ratione; quod nec metus ſolus, nec ſola injuria, nec utrumque ſimul, auferat intentionem & voluntatem obligandi, cùm coacta etiam voluntas, ſit voluntas, & injuria nihil conferat ad minuendum *voluntarium*, ſed faciat, actum non eſſe *ſpontaneum*, ut conſequenter non obſtante metu, injuſtè incuſſo, verum ſubſiſtat juramentum quod ſuapte natura obligationem inducit.

41. Non obſtat autem textus in *cap.* 2. *De jurejur.* quo dicitur nullis juramenti vinculis conſtringi, qui metu coactus juravit. *Nam* non ſignificatur ibi, quod juramentum illud non obligaverit; ſed, quòd non ita obligaverit, quin jurare coactus, juſtam habeat petendæ abſolutionis cauſam, quæ & in iſto textu indulgetur.

Neque Obest: quòd votum metu *juſto*, id eſt gravi, injuſtè, ab agente naturali libero, incuſſo, emiſſum, non obliget; Neque Matrimonium ſimili ex metu contractum, teneat; *Nam* hæc propter ſummam eorum libertatem, quam viſum Eccleſiæ in iſtis permittere, propter ſtatûs perpetuitatem, ita ſtatuta ſunt. Conſonat *Sylvius loc. cit.* §. *Quæritur* 1. *pag. Mihi* 638. & *ſeq.*

Itaque juramentum ſervandum, quatenus honeſtè & ſine animæ periculo, ſervari poteſt, ſaltem ex parte jurantis, prout ſæpe dictum. Quocirca, ſupra inſinuavimus; cum, qui latroni ad evadendum, quid juratò dare promiſit, juramenti vinculo teneri; ùt ùt enim per injuriam coactus ſit jurare & promittere; juravit tamen; & quod juravit, præſtare poteſt, ſine animæ detrimento; proinde cogitur Domino reddere juramentum.

42. Sic pariter diximus: relaxatum ex carcere, ſub juramento de redeundo, teneri redire, non tantùm, ſi juſtè fuerit incarceratus; & juſta timeatur mortis pœna; ſed etiam: ſi injuſtè fuerit carceri mancipatus, aut injuſtum timeatur mortis ſupplicium, *Ratio* ſemper eadem eſt, quòd nempe talis juramenti obſervatio, non vergat in diſpendium animæ, quinimò contineat opus virtutis; ejus verò omiſſio, deceptionem. Nec Dicas: Neminem ſine piaculo, ſe poſſe morti offerre; cùm nemo ſit vitæ ſuæ Dominus. Hoc enim *fallis*, ſi juſta ſubſit cauſa, quam hîc ponit juramentum.

Quando igitur *Covarruvias. Variar. Reſolut. cap.* 2. *n.* 9. & *Navarrus. in Summa. cap.* 12. *n.* 8. cum aliis oppoſitum reſolvunt; intelligendi ſunt in caſu, quo periculum non fuit prævíſum aut cogitatum; ignorantia enim tollit animum jurandi, & facit deficere conditionem, quæ tacitè ſubintellecta, ſcilicet: *Si ſine periculo rediri poſſit.* Quanquàm verò, etiam prævisô periculô, equidem juràſſet; attamen non ſpectandum, quid fuiſſet juraturus; ſed, quid & quatenus de facto juraverit? Neque ad rem facit: quòd, niſi juràſſet reditum; in eodem manſiſſet periculo, quia ſatis eſt, quòd non juraverit ſe rediturum, cum illo periculo. Confer *Malder. De juſt.* & *Religione. tract.* 10. *cap.* 6. *dub.* 6.

43. Ulterius hic Quæri poteſt 4*to.* An obliget juramentum dolosè extortum? ℞*tur.* Sub diſtinctione, an dolus verſetur circa *ſubſtantiam*, an circa *qualitatem accidentalem* & cauſam merè *extrinſecam* ac *impulſivam?* Primo modo irritum eſt juramentum; non quidem propter injuriam, ſed propter defectum conſenſûs, quem ponit dolus. Secundo modo, jura-

juramentum tenet; cùm non tollatur conſenſus circa rem principalem. Idem omnino dicendum de errore, ſcilicet; quòd ſi verſetur circa ſubſtantiam; vitiet actum; quia ponit incognitum, ad quod non extenditur juramentum ejúſve obligatio. Id quod verum; licet quis generatim jurare intenderit; quia, ut quis ad ſpeciem obligetur, illa debuit fuiſſe præcognita. Confer *Sylvium loc. cit.* §. 2.

44. Pro reſolutione objectionum, quæ argumentó de metu ad dolum & errorem, proponi poſſent; Notandum; non æquiparari in jure, metum & dolum, quò ad omnia. Nam dolus ſcilicet circa ſubſtantiam, aufert totum conſenſum, & cauſat *ſimpliciter* involuntarium, atque ita ipſius juramenti effectum impedit: metus verò relinquit ſimpliciter voluntarium, & cauſat ſolùm (ùt ajunt Scholaſtici) involuntarium *ſecundùm quid*, quatenus ſecluſo metu, non poneretur conſenſus. Metus tamen præbet facilis abſolutionis cauſam. Hic conſequenter

45. Quæri poteſt *5tò*. An enormiſſima læſio, tempore præſtiti juramenti non cognita, faciat; ut ipſi juramento contraveniri poſſit? ℞*tur* autem *Negativè*; niſi petita & obtenta fuerit abſolutio; quia, licet dolus talis, præbeat abſolutionis cauſam; non tamen abſtulit conſenſum, ùt colligitur ex *cap.* 1. *De jurejur.* & tradit *Covarruvias. ad cap. Quamvis. p.* 3. §. 4. *n.* 5.

46. Quæri poteſt *6tò*. An & quatenus obliget juramentum ſervandi Statuta, Capitulationes, aut conſuetudines alicujus Eccleſiæ vel Communitatis? ℞. 1*mò*. Juramentum generale ſervandi Statuta & Capitulationes vel Conſuetudines alicujus Eccleſiæ vel Communitatis, obligat ſolùm ad ſervanda ea, quæ ſunt licita, poſſibilia & libertati Eccleſiaſticæ haud præjudicialia. Ita expreſsè deciſum *in cap.* 1. *De jurejur. in 6.* & conſonat *cap. Sicut noſtris.* 27. & *cap. Intellectó.* 33. *eod.* & huc facit *Conſtitutio* 91. *inter Apoſtolicas.* & *Conſtitutio Pii V.* 64. *Durum nimis.* quæ habetur unà cum priori, *tom.* 2. *Bullarii Romani.* Maximè verò conſiderari meretur *Innocentio XII.* noviſſima *Conſtitutio. incip. Eccleſiæ Catholicæ. edita, die* 22. *Septembris* 1695. ad tollendum abuſum illicitarum Capitulationum, quas occurrente vacatione Eccleſiarum ſeu Monaſteriorum, ab iis, ad quos electio perſonarum illis præficiendarum, ſpectat; non raró fieri contingit. Hac Conſtitutione, non ſolùm innovantur Conſtitutiones *Nicolai III. Pii V.* & *Gregorii XIII.* cum additione pœnarum & cenſurarum S. Pontifici reſervatarum; ſed etiam præcipitur, ut Capitulationes & Statuta quæcunque, *quæ electione ſeu poſtulatione hujuſmodi ſecutâ, quomodolibet iniri, condi, ſeu fieri contigerit, ad Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem quamprimùm deferantur, & Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjiciantur, ſuſpensâ interim eorum omnium & ſingulorum executione, donec & quouſque, ab eadem Sede, ſine cujus authoritate nihil omnino in ſimilibus paciſci fas eſt, Apoſtolicæ confirmationis robur acceſſerit, in totum vel in partem.* Ita Pontifex ibidem, ſubjungens arctiſſimas clauſulas derogatorias quorumcunq; contrariorum, atque decernens, *Conſtitutionis ſuæ tenorem ſeu litteras Romæ publicatas & affixas, omnes & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde afficere; ac ſi unicuique nominatim & perſonaliter intimatæ fuiſſent.*

Ex quo Sequitur; quod ſcienter jurans Statuta, Capitulationes, Conſuetudines ac Pacta illicita ſervare; lato modo cenſeatur perjurus. Nam, ùt in *cap. Sicut noſtris.* dicitur: *Non juramenta, ſed perjuria potiùs ſunt dicenda, quæ contra utili-*

utilitatem Eccleſiarum, *attentantur*. & in *can. Animadvertendum. cauſ.* 22. *q.* 2. juramentum, quod non habet tres comites; *veritatem*, *judicium* atque *juſtitiam*; *nequaquam juramentum*, *ſed perjurium* appellatur, puta, largo modo. Nam perjurium ſtrictè & propriè, eſt juramentum, cui deeſt veritas, ſive, ùt loquitur *Doctor Angelicus*. 2. 2. *q.* 98. *art.* 1. *Perjurium eſt mendacium juramento firmatum*. Ut proinde ille duntaxat propriè perjurus dicatur: qui aliud jurat, quàm mente ſentiat, vel. qui porrò non facit, quod juratò promiſit, quia tunc deficit veritas *facti*.

47 *Septimò* hîc Quæri poteſt, An juramentum contra leges civiles, earúmque prohibitionem, factum, obligationem pariat? ℞. 1*mò*. Quoties lex Civilis obligat ad culpam *Theologicam*, toties juramentum de præſtando actu per ipſam prohibito, non obligat, ſed nullius eſt roboris; quia juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, nec eſt obligatorium, contra bonos mores, præſtitum, ùt habet *Reg.* 58. *jur. in* 6.

48. Hîc incidenter Petere poſſes; quandonam lex Civilis obliget ad culpam *Theologicam*, ſive pro foro *poli*? (Ubi *Suppono* cum communi Doctorum; quòd lex Civilis, ſic obligare poſſit) & ſanè id unâ Regulâ definiri non poteſt. Dantur enim leges quædam Civiles merè pœnales; aliæ verò in favorem certarum perſonarum; puta: pupillorum, viduarum, militum &c. conditæ ſunt; cujuſmodi non obligant invitis illis, in quorum favorem prodierunt. Quocirca, ad dignoſcendum, an leges Civiles hîc & nunc obligent ſub culpa Theologicâ; attendere oportet, tum ad verba legis; tum ad materiam ſubſtratam, atque circumſtantias; præſertim verò ad receptam antiquitus conſuetudinem, quæ optima legum interpres. Alioquin, quando leges civiles, ſub certis pœnis, præcipiunt aut prohibent ea, quæ jam jure naturali vel divino, præcepta aut vetita fuerunt; ùt: veram fidem catholicam profiteri, Deum colere, proximum non lædere, alienum reſtituere, à furtis, latrociniis, adulteriis, aliiſque criminibus abſtinere; certum utique eſt, quòd violatio talium legum, culpam inducat Theologicam, & conſequenter non valeat juramentum de præſtando actu oppoſito.

℞. 2*dò* Si lex Civilis principaliter fundetur ſuper bono publico; tunc juramentum de præſtando actu per illam prohibito, non obligat. *Ratio* eſt; quia pactis & juramentis privatorum, juri publico derogari non poteſt. *cap. Si diligenti* 12. *De foro compet.* & *cap. Contingit interdum.* 36 *De ſent. excom.* & *l. jus publicum. ff. De pact.* Siquidem, nemo renuntiare poteſt ei, quod pro ſe non eſt introductum. Quinimò juramentum, quod principaliter militat contra bonum commune, ſi ſervetur, vergit in diſpendium ſalutis æternæ, hoc ipſo, quòd ſit contra jus alterius, ſive communitatis. Regula enim perpetua eſt; quòd juramentum vergens in præjudicium *Tertii*, non obliget. *text. in cap. Quamvis.* 2. *De pact in* 6. & in *cap Cùm contingat.* 28. §. *fin. De jurejur.* Quia juramentum vergens in detrimentum *Tertii* principaliter, importat injuſtitiam, adeóque obligare non poteſt, ne ſit vinculum iniquitatis. *Gloſſ. in cit. cap. Quamvis.* Dixi: *Principaliter.* Nam Regula hæc intelligi debet; quando juramentum tendit directè & principaliter, in detrimentum tertii. Veluti: ſi Mater ſub juramento velit alienare, vel pignori obligare bona, quæ ex alicujus diſpoſitione, pertinent ad filiam, debéntque huic illæſa ſervari. Aliud eſt:

ſi juramentum ſolum *indirectè* & *ſecundariò* poſſit nocere tertio. Sic valet juramentum, quod fecit filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum habeat ad bona paterna regreſſum, non obſtante, quòd illud *ſecundariò* & *per conſequentiam* præjudicet prolibus ex filia illa naſcituris. *dict. cap. Quamvis* & *Gloſſ. ibid.*

℞. *3tiò.* Si lex civilis principaliter fundetur ſuper favore hominis privati, licet ſecundariò & ex conſequenti, reſpiciat etiam publicam utilitatem; tunc juramentum in contrarium præſtitum, valet, ac obſtringit jurantem. *Ratio* eſt: Quia, licet lex civilis poſſit ob utilitatem privatorum ſibi ſubjectorum, impedire obligationem, quærendam homini, v. g. ſtatuendo; ut non valeat pactum filiæ, quòd dote contenta, nullum velit habere regreſſum ad bona paterna: quia tamen lex humana eſt ſubjecta Deo; *Can. Si Dominus.* & *can. Qui reſiſtit. cauſ.* 11. *q.* 3. Ideo non poteſt impedire obligationem, quærendam Deo vi juramenti, quando illud alioquin non involvit turpitudinem, neque præjudicat tertio, ſive bono publico; ſed duntaxat favori privato, cui quiſque renuntiare poteſt. Quocirca, cùm juramentum principaliter dirigatur in Deum; ſubintrat illud lumine naturali notum: *Matth.* 5. *Non pejerabis: reddes autem Domino juramenta tua.* Ex quo natum illud Canoniſtarum Brocardicum: *Omne juramentum, nec vi nec dolo præſtitum, ſervari debet, ſi non vergit in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundat in alterius detrimentum.*

Data ℞ *ſio.* exemplis illuſtratur. Sic: licet alienatio rerum dotalium, ſecundùm leges prohibita ſit & invalida. *l. Julianus. ff. De fundo dotal.* & *Authent. ſive à me. C. Ad S. C Vellej.* Si tamen mulier hujuſmodi alienationem, ſine vi aut dolo, jurejurando confirmaverit; rata erit, & obſervandum erit juramentum. *Barboſ. in Collectan. ad cap. Cum contingat. cit. n.* 2. Nam finis primarius iſtiuſmodi legum civilium, eſt particulare bonum mulierum, utpote, quibus expedit ſalvas habere dotes ſuas, ut poſt mortem maritorum inveniant alios, quibus nubere poſſint; quamvis ſecundariò inde ſequatur bonum Reipublicæ, quæ propagatur per mulierum nuptias. *l.* 1. *ff. ſoluto Matrim.*

Similiter pactum, ſive promiſſio non revocandi teſtamentum, jure civili non valet, quia cuivis liberum eſſe debet uſque ad mortem, poſſe de bonis ſuis diſponere. *l. ult. C. De pact.* Si tamen juramentum acceſſerit; obligat; nec poteſt revocari abſque perjurii reatu, niſi ejus relaxatio impetretur.

Itidem: ſi mulier pro alio fidejuſſerit; non obligatur efficaciter, ſed poteſt ſe juvare auxilio *Senatûs Conſulti Vellejani. l.* 1. *&* 2. *ff. ad S. C. Vellejan.* Equidem accedente juramento, obligatur. Vide *Covarruv. ad cap. Quamvis. p.* 2. *§.* 3. *n.* 8. *De pactis. in* 6.

Dices: Juramentum contra bonos mores, eſt invalidum & nullius obligationis. *cap. Non eſt obligatorium.* 58. *De R. jur. in* 6. Atqui juramentum, quod eſt contra leges civiles, eſt contra bonos mores; quia leges iſtæ ſunt juſtæ & honeſtæ. Proinde earum violatio injuſta & peccaminoſa. ℞. *Diſt. Maj* Juramentum contra bonos mores *naturales*, eſt invalidum *C* contra bonos mores *civiles* & mere politicos, *N Dico*: *merè politicos.* Nam; ſi leges civiles obligent ſub culpâ Theologicâ, utique juramentum contra illas, repugnaret bonis moribus naturalibus; & per conſequens, non valeret. Valet igitur tantùm juramentum, contra leges civiles, quæ non obligant ſub peccato; cujuſmodi ſunt illæ, quæ principaliter reſpiciunt

ſpiciunt bonum & favorem privatorum, cui privati ipſimet renuntiare non prohibentur.

Replicabis. *Acceſſorium naturam ſequi congruit ſui principalis.* ùt habet *R. J. 46. in 6* Ergo, ſi non tenet principale; puta; pactum filiæ renuntiantis ſucceſſioni paternæ, neque tenebit juramentum eidem accedens. ℞. Regulam illam præcipuè limitari & non procedere, quoties in acceſſorio reperitur ſpecialis ratio, quæ non reperitur in principali & propter quam illud, corruente principali, meretur ſuſtineri; prout in juramento, eſt reverentia Divini Numinis, ne videlicet veritas æterna, in teſtem falſi adducatur. Conſonat *Sylvius loc. cit. art. 7. §. Quæritur 1. pag. 639.*

49. 8*vò.* In quæſtionem venire poteſt, An obligatio juramenti promiſſorii, ſit *perſonalis*, vel potiùs *realis*; ita, ut ad hæredes tranſeat. Hanc quæſtionem pariter alibi libavimus. Hîc tamen limatiùs agendo. ℞*deo 1mò.* Obligatio propria juramenti, procedens ex virtute *Religionis*, eſt omnino perſonalis, ſolúmque afficit jurantem: ſi tamen juramentum ſit confirmatorium promiſſionis ab altero acceptatæ; tunc obligatio inde ſuborta, vi pacti, ſeu ex virtute *juſtitiæ*, tranſit ad hæredes, paritque actionem in foro externo, tam civili, quàm Canonico. Ita D. *Thomas. 2. 2. q. 98. art. 2. ad 4.* & poſt eum *Covarruvias. ad cap. Quamvis. p. 1. §. 2. à n. 3. uſque ad 10. Layman. lib. 4 Theol. Moral tract. 3. cap. 10. n. 2. 3. & 5. Pirhing. ad tit. De jurejur. n. 145. & ſeq. Ratio prioris partis* eſt; quia juramentum eſt obligatio voluntariè aſſumpta ex virtute Religionis, éſtque vinculum perſonæ annexum, ut nequeat ad aliam transferri perſonam. *Ratio poſterioris* eſt; quòd promiſſio jurata & ab altero acceptata, non ſit merum juramentum, ſed verum inſuper pactum; jam vero obligatio ex pacto proveniens, ad hæredem tranſit, licet de eo non fuerit facta mentio, dummodò contrarium non ſit cautum. *l. Veteris C. De contrab. ſtipul.* & *l. Si pactum ff. De Probat.* datúrque ex tali pacto per juramentum veſtito, in utroque foro, actio, *cap. 1. De pactis.* & *l. Ut jurisjurandi ff. De operis libertorum.* Quinimò, *cap. ult. De foro compet.* habetur; quòd Laïcus ratione juramenti, ut illud videlicet ſervare compellatur; coram judice Eccleſiaſtico, conveniri poſſit Ex his

Resolves 1. Vi juramenti præcisè, ſucceſſorem non teneri, licet anteceſſor pro ſe & ſuis ſucceſſoribus juraverit quidpiam præſtare; quia Religio juramenti, eſt perſonalis, adeóque nequit per eam alius obligari. Hanc ob rationem, ſolent Reges, Epiſcopi, Canonici &c. à principio ſui Regni, Epiſcopatûs, Canonicatûs &c. præſtare proprium & perſonale juramentum, quia cœteroquin, ſub reatu perjurii, non obligarentur ad ſervanda juramenta Anteceſſorum ſuorum. Sic & hæres Vaſalli, cùm inveſtitur; novum fidelitatis juramentum præſtare cogitur, quia non obligaretur ex homagio ſui Anteceſſoris.

50 Resolves 2*dò.* Si defunctus promiſſionem homini factam, & ab eodem acceptatam. v. g. de danda certæ pauperi puellæ dote; juramentô firmaverit, duplicem cenſeri contractam obligationem, unam nempe *Religionis*, vi juramenti præſtiti; alteram *juſtitiæ*, ratione pacti ſeu promiſſionis ab altero acceptatæ, quarum prima per mortem promiſſoris extinguitur, utpote merè perſonalis; alterâ ad hæredes tranſeunte, ex ratione; quòd hæres adeundo hæreditatem cenſeatur contractum inire, & ſe obligare ad ſolvenda omnia defuncti debita & onera realia,

Digitized by Google

reali, ut ideo etiam teneatur implere iſtam promiſſionem, de danda filiæ pauperi dote; non quidem ex motivo Religionis; ſed ex virtute juſtitiæ, ùt bene obſervavit *Layman loc. cit. n.* 4.

51. Idem reſolvendum eſt de juramento, ſeu voto *reali*, ſoli Deo facto, v. g. Dandi certam pecuniæ ſummam Eccleſiæ vel pauperibus, in honorem Dei. Quanquàm enim tale juramentum, à nullo homine, ſit acceptatum; nihilominus hæres defuncti, tenetur illud adimplere, potéſtque ad ejus implementum compelli à judice Eccleſiaſtico, prout de voto *reali*, deciſum *in cap. Ex parte.* 16. *De cenſib.* & *cap. Si hæredes* 6. *De Teſtamentis.* & colligitur *ex l.* 2. *ff. De pollicitat.* Confer *Pirbing loc. cit. n.* 147. *Caſtropalao. part.* 3. *diſp.* 2. *De juramento. punct.* 11. *n.* 1. Secus dicendum de juramento debitoris defuncti, qui promiſerat ſolvere uſuras. Siquidem obligatio juramenti fuerat *perſonalis*, ſicque extincta cum morte debitoris, nulla verò nata erat obligatio juſtitiæ, eò quòd exactio uſurarum contineat turpitudinem atque injuſtitiam ex parte recipientis. Vide *Covarruv.* ad ſæpe dict. *cap. Quamvis pactum. De pactis. in* 6. *part.* 1. §. 2. *n.* 8. *Pirbing. loc. cit. n.* 147. *Layman. loc. cit. n* 4. Adde *Sanchez. lib.* 3. *in Decalog. cap.* 13. *n.* 5.

52. Porrò juramentum ex parte ejus, cui quid, non merè perſonale, fuit promiſſum, tranſit ad hæredes ipſius. Prout deciſum *in cap. Veritatis. De jurejur.* Ubi Pontifex *Innocentius* dicit. quòd juramentum, licet ſit *perſonale* ex parte jurantis; tamen ſit *reale* ex parte ejus, cui juratur. Junge *Sigiſmundum Scacciam lib.* 2. *De judiciis. cap.* 2. *n.* 103. *Covarruv. loc. cit.* § 5. *n.* 7. & *Gloſſam ad dict. cap. Veritatis.* Ubi Vaſallus, qui juravit Prælato fidelitatem atque reverentiam, eandem etiam tenetur exhibere ſucceſſoribus ipſius, neque ipſis denuò compellitur jurare, niſi velit. Huc facit textus *in l. Si pactum. ff. De probation.* Ubi pactum tibi factum, extenditur etiam ad hæredem tuum: *Quia plerumque tam hæredibus noſtris, quàm nobismetipſis cavemus.* Ut idem dicendum ſit de juramento, utpote quod ſuſcipit naturam & conditiones promiſſionis, cui adjicitur. Unde jurans v. g. ſolvere *Petro* 100. florenos, tenetur, eo ante ſolutionem defuncto, illos ſolvere hæredibus *Petri*, & quidem ex vi juramenti huic facti. inquit *Pirbing loc. cit. n.* 149. citans alios. Confer *Zoëſ. ad tit. De jurejur. n.* 68.

Dixi: *Cui quid non merè perſonale &c.* Nam, ſi promiſiſſes *Petro* alimenta, Beneficium, Conſulatum &c. non tenereris etiam vi juramenti, quod promiſſioni acceſſit, dare alimenta vel beneficium hæredi ipſius *Petri*; quia promiſſio ad ſolius *Petri* perſonam reſtricta intelligitur.

53. 9nò Hìc inveſtigari meretur; quandónam pactum ſive contractus, de jure prohibitus & irritus, cenſeatur juramento confirmari ſeu vires capere? Reſolutio deſumitur ex dictis *n.* 47. Si enim lex irritans contractum fundetur ſuper bonis moribus naturalibus (queîs nempe homo efficitur *moraliter* bonus, & quibus contravenire, ſit peccatum) aut ſuper bono publico principaliter, tunc contractus vel actus contra legem geſtus, per juramentum non confirmatur, ex rationibus ſupra *n.* 48. adductis. Quando verò lex neque ſuper bonis moribus, neque ſuper bono publico fundatur, ſed principaliter reſpicit bonum privati, licet ſecundariò & ex conſequenti, reſpiciat favorem atque utilitatem publicam; tunc juramentum vires dat contractui, illúmque in tantum roborat, ut non tantùm ipſum juramentum ſit ſervandum; ſed &
ipſe

Digitized by Google

ipſe contractus, alioquin licet invalidus. Sic valet, atque juramento firmatur renuntiatio filiæ, de non ſuccedendo paternæ hæreditati. *cap. Quamvis. De pactis in 6.* Item alienatio rerum dotalium ac donationum propter nuptias. *cap. Cùm contingat.* 28. *De jurejur.* & *cap. Licet.* 2. *eod. in 6.* Itidem contractus *Minoris*, abſque *Tutoris* authoritate, ſub juramento celebratus. *Auth. juramenta puberum. C. Si adverſus donationem.* Idem eſt de donatione, excedente quingentos ſolidos, ſine inſinuatione apud judicem. De mutuatione filii familias, qui juratò renuntiavit beneficio *Senatûs Conſulti Macedoniani*: nec non de fidejuſſione mulieris juratò renuntiantis privilegio *SCti. Vellejani.*

54. Nec Obstat *Reg. 64. jur. in 6.* quæ ſic habet: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Nam, ùt alias in Commentario ad iſtam Regulam, dixi; Axioma illud procedit, quando lex manet immota in terminis prohibitionis, videlicet tam ab initio, quàm ex poſt; prohibendo atque penitus irritando actum contrarium; ſecus, ſi tantùm ab initio prohibeat, ex poſtfactò tamen ulterius procedat, permittendo, ut actus valeat, ùt fit in *cap. Quamvis.* & *cap. Cùm contingat. cit.* Aut concedendo alia remedia ad actum ſive contractum hujuſmodi reſcindendum, prout fit in contractibus ex gravi metu injuſtè incuſſo, celebratis.

55. Cæterùm; quòd contractus per juramentum firmatus, multùm differat ab eo, qui ſic non roboratur, & ubi ſolum juramentum obſervari & impleri debet; fusè oſtendit *Jaſon. ad Auth. Sacramenta puberum. n. 38. & ſeq. C. Si adverſus vendition.* & ex ipſo *Engel* ad *tit. De jurejur. n. 12.* Profectò; ſi juramentum ſolum obliget, contractus verò de jure *nullus*, per illud non confirmetur; obligatio ejus non tranſit ad hæredes promiſſoris, quinimò obtenta juramenti relaxatione, contraveniri poteſt contractui, quod ſecus eſt, ſi contractus per juramentum robur accepiſſet. Vide *Pirhing. loc. cit. n.* 142.

56. Supra meminimus de juramento *litis deciſorio*, quale eſt, per quod lis principalis deciditur, ſive; quod in defectu aliarum probationum, defertur alterutri partium litigantium, ad definiendas ſeu decidendas lites. Dico: *in defectu aliarum probationum*; ſiquidem juramentum litis deciſorium, tunc demum eſt deferendum, cùm aliæ legitimæ probationes non ſuppetunt. *Textus in cap. 2. De probation.* Debet autem hoc juramentum alterutri partium deferri; quia non præſtatur ab utraque parte, ad inſtar juramenti *calumniæ* & *malitiæ*; ſed defertur uni tantùm parti, eâ conditione; ut, ſi confiſa de juſtitia cauſæ ſuæ juraverit, victoriam obtineat.

Juramentum *litis deciſorium* paſſim à Doctoribus triplex dicitur, ſcilicet *voluntarium*, *judiciale* & *neceſſarium*. Defertur enim vel in judicio, vel extra illud. Si extra; vocatur *voluntarium* ſeu *conventionale*, quia voluntariè & ex mera voluntate ſeu conventione partium extra judicium defertur, ſub ea conditione; ut, ſi una pars litigans, cui illud ab altera parte defertur, confiſa de juſtitia cauſæ ſuæ, jurare auſa fuerit; abſque alio proceſſu, victoriam obtineat. Si in judicio defertur; vel defertur à judice; & vocatur *neceſſarium*, vel etiam juramentum *ſuppletorium*. nec aliter alterutri partium à judice defertur; quàm, quando aliæ legitimæ probationes deficiunt. *cap. Sicut 2. De probation.* Vocatur autem ideò *neceſſarium*, tum quia judex quandóque neceſſe habet illud deferre alteri parti litigantium; ſive ad earum petitionem,

Digitized by Google

titionem, ſive etiam ex officio, ad inveſtigandam veritatem: tum quia juramentum illud parti delatum, niſi juſtâ de cauſâ, recuſari non poteſt, nec etiam alteri parti referri. Ubi Nota: quòd *Deferre* juramentum, ſit illud primò alteri parti offerre, ut juret, ſi confidat de veritate, ſeu juſtitia cauſæ ſuæ; *Referre* autem juramentum, ſit; quando pars illa, quæ poſt delatum ſibi juramentum jurare non vult, juramentum ejuſmodi viciſſim offert adverſario ſuo, ut is juret. Vel in judicio, ab una parte defertur alteri, judice approbante. & tunc illud juramentum præſtare debet is, cui delatum eſt, vel debet adverſario referre, alioquin causâ cadet. *cap ult.* § 1. *De jurejur.* Siquidem, *manifeſtæ turpitudinis eſt & confeſſionis, nolle, nec jurare, nec juramentum referre. l. Manifeſtæ. ff. eod.* Excipiendæ tamen ſunt actiones famoſæ, ut actio furti, & hujuſmodi; in his enim non licet referre juramentum ſibi ab altera parte delatum, per textum clarum, *in cit. cap. ult.* ubi dicitur: *Nec liceat convento actione famosâ, referre hujuſmodi juramentum. Ratio* eſt; quia conventus actione famosâ, puta: *quòd equum abſtulerit*; meritò præſumitur ſcire veritatem meliùs, quàm Actor, ejuſmodi equum repetens Unde meritò taliter conventus, non permittitur juramentum ſibi ab Actore delatum, eidem referre, cùm ipſe certò ſciat, an talem equum alteri abſtulerit, quod Actor tam certò ſcire non poteſt (eò quòd dentur multi equi ſibi ſimiles) adeóque non poſſet adeò tutâ conſcientiâ jurare. Ex his

57. Colliges; qualiter juramenta iſthæc inter ſe diſcrepent. Nam juramentum *voluntarium* ſeu *conventionale* defertur à ſolis partibus, & quidem extra judicium, potéſtque liberè recuſari, adeò, ut non ſit opus illud alteri referre. *l. juramentum* Junctâ *Gloſsâ* ℣. *Non poteſt. ff. De jurejur.* Juramentum autem judiciale *ſpecificè ſumptum*, ab una quidem parte defertur alteri, ſed non niſi in judicio, & judice approbante. l. *Generaliter.* § *De juramento. C. De reb. creditis.* Delatum tamen alteri, vel eſt præſtandum vel referendum, niſi juſta cauſa recuſandi ſubſit. Juramentum *neceſſarium* porrò, à ſolo judice defertur, & delatum, non niſi ex juſta cauſa, recuſari nequit, neque etiam alteri parti referri poteſt. *cap. ult. cit.*

58. *Weſſenbecius. in Parat. ff. De jurejur. n.* 7. & ex eo *Pirbing. ad eundem titulum Decretalium. n.* 20. Vult, prædictum juramentum *conventionale*, inutile eſſe ad lites decidendas in judicio; aſt oppoſitum, veriùs adſtruitur cum *Engel ad eund. tit. n* 20. dummodò conſtet; quòd ſub eâ conditione, ad controverſiam nempe terminandam; delatum & præſtitum fuerit juramentum; prout ſatis indigitatur *in l. Non erit. ff. De jurejur.* Ubi indiſtinctè dicitur: *Dato juramento, non aliud quæritur, quàm, an juratum ſit, remiſsâ quæſtione, an debeatur: quaſi ſatìs probatum ſit jurejurando.* Ut meritò ſcripſerit *Abbas. ad cap. ult. cit. n.* 1. & 2. ex quolibet juramento licito, *de jure Canonico*, produci actionem, dummodo materia ſit ad hoc apta; quia (inquit) jus Divinum & Canonicum mandat juramentum ſervari. Proinde ex eo, non eſt deneganda actio. *l. Statuas. ff. De A. R. D.* & *l. un ff. De condict. ex lege.* Quò faciunt ea, quæ Doctores tradunt ad titulum *De pactis*, dicentes: ex quolibet pacto, præſertim ſi ſit veſtitum juramento, dari actionem in foro externo.

59. Effectus juramenti *litis deciſorii* ſive neceſſarii ſive voluntarii, *delati* ſive *relati*, primarius & principalis, eſt iſte; ut,

ut, ſi præſtitum fuerit; illi omnino ſit ſtandum, remiſsâ ulteriori quæſtione, an reverà quid debeatur, nec ne? & ita tradunt communiter omnes, & firmant *ex l. Non erit.* & *l. Generaliter cit.* Undè *l.* 1 *ff. De probationib.* meritò dicitur; quòd *maximum remedium expediendarum litium, in uſum venit jurisjurandi Religio, qua vel ex pactione ipſorum litigantium, vel ex authoritate judicis, deciduntur controverſiæ.* Hæc utique obtinent, quamdiu de falſitate præſtiti juramenti, aliunde non conſtat; quia tamdiu eſt præſumptio *juris* pro jurante, quod verum juraverit ob reverentiam Divini Numinis.

60. *Quæſtio* tamen non prætereunda eſt, an juramentum *litis deciſorium*, quod vel à parte, vel à judice delatum fuit, & ab altera parte præſtitum, tantæ ſit efficaciæ & virtutis, ut ampliùs retractari non poſſit; etiamſi poſtea certò appareat, puta: ex inſtrumentis de novo repertis, quòd juramentum fuerit falſum. Id, quod dupliciter potuit contigiſſe, *ſcienter* ſcilicet, aut *ignoranter*, puta; ſi quis bonâ fide crediderit rem ita ſe habere, ſicut juravit, poſtea interim experiatur, rem aliter ſe habuiſſe.

Profectò, ſi quis juramento ſibi delato, *ſcienter* falſum juraverit; non ſolùm eſt reus graviſſimi peccati mortalis, ſcilicet *perjurii*; verùm etiam, tenetur in foro conſcientiæ, reſtituere, quidquid inde fuerit conſecutus, refuſis inſuper cunctis damnis & expenſis, ex ſuo malitioſo atque injuſto juramento, adverſæ parti cauſatis. Neque hac de re, ulli poteſt eſſe dubium, ex generali juris Canonici *Regula* 4. *in* 6. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.* Neque talis ſalvatur per ſententiam judicis, quia illa fundatur in præſumptione veritatis, quòd quis verum ſcilicet juraverit. Jam autem, quia præſumptio cedit veritati; *l Imperatores. ff. De probat.* hinc ex naturali virtutis juſtitiæ obligatione; repertâ, aut cognitâ antecedenter veritate, tenebitur unicuique reddere, quod ſuum eſt, cùm fraus & dolus nemini debeant patrocinari. *cap. Sedes.* 15. *De Reſcript.*

Atque hæc æquitatis ratio, adeò valida eſt, ut, ſi, in foro etiam externo, conſtaret v. g. per propriam ejus, qui juravit confeſſionem, quòd ſciens & volens, depoſuiſſet falſum juramentum *litis deciſorium*; utique etiam in foro externo, unà cum omnibus inde ſecutis, retractari deberet. Siquidem, *jure naturæ, æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorem.* ùt dicitur; *in l. Jure naturæ. ff. De R. J.* & *in cap. Locupletari* 46. *eod. in* 6. Quamobrèm, judex inhærens tali juramento, de cujus falſitate ſcienter commiſsâ, conſtaret; eô ipsô peccaret conſentiendo & cooperando ad injuſtam alterius damnificationem. Juxta illud: *can. Negligere. cauſ.* 2. *q.* 7. Ubi ſic habetur: *Negligere, cùm poſſis, deturbare perverſos; nihil aliud eſt, quàm fovere.*

61. In contrarium facere videtur *Textus in l.* 1. *C. De rebus creditis.* Ubi dicitur: *Cauſâ jurejurando, ex conſenſu utriuſque partis, vel adverſario referente delato & præſtito, vel remiſſo, deciſâ; nec perjurii prætextu retractari poteſt, niſi ſpecialiter hoc lege excipiatur.* Aſt; ut jura concordent juribus; dicendum eſt; legem illam duntaxat procedere de juramento bonâ fide præſtito, quale, in foro externo, præſumitur omne juramentum *litis deciſorium*, niſi conſtet de contrario, v. g. per propriam confeſſionem; adeò, ut perjurus occultus, à ſolo Deo puniri dicatur. *l.* 2. *C. eod.* Quod ſecus eſt in caſu, quo quis *ſcienter* falſum juravit, ac de perjurio conſtat in foro externo. Confer *Gloſ ad cit. l.* 2. ℣. *Ultorem.* Sed

62.

62. Quid? ſi juramentum bonâ fide fuerit præſtitum, & ejus poſtea, per inſtrumenta de novo reperta, detegatur falſitas? ℞ *deo*. Juramentum neceſſarium, ſeu delatum à judice, in ſupplementum probationis, ac etiam bonâ fide præſtitum, poteſt retractari; ſi ex inſtrumentis noviter repertis, detegatur falſitas: ſecus verò ſtatuendum de juramento voluntario ſeu conventionali, & judiciali *ſpecificè* ſumpto. Ita reſolvunt *Bartolus*, *Salycetus*, *Jaſon*. in *repetit. l. admonendi. ff. De jurejur. n.* 4. *Engel. ad eund. tit. juris Can. n.* 32. *Maſcardus. De probation. concl.* 956. *n.* 9. & 18. Ubi citat alios. Et, quia Doctores omnes ſe fundant in *dict. lege Admonendi*; ideo illam hîc adſcribere non pigebit. En verba: *Admonendi ſumus, interdum etiam poſt jusjurandum exactum, permitti Conſtitutionibus Principum, ex integro cauſam agere, ſi quis nova inſtrumenta ſe inveniſſe dicat, quibus nunc ſolùm uſurus ſit. Sed hæ Conſtitutiones tunc videntur locum habere, cùm à judice aliquis abſolutus fuerit. Solent enim judices ſæpe in dubiis cauſis, exacto jurejurando, ſecundùm eum judicare, qui juravit. Quòd, ſi alias inter ipſos jurejurando tractatum ſit negotium; non conceditur eandem cauſam retractare*. Quæ poſteriora verba: *Quod ſi alias &c.* Doctores intelligunt, de juramento *voluntario* vel *judiciali*, quod pars parti, extra, vel intra judicium detulit. Et Rationem diſparitatis dant: quòd delato atque præſtito juramento *voluntario* aut *judiciali*; res videatur potiùs deciſa per partium *tranſactionem*, quàm judicis ſententiam. Quia, *jusjurandum*, *ſpeciem continet tranſactionis*, ùt dicitur *in l.* 2. *ff. De jurejur.* Juncto *Textu in dicta leg. Admonendi*. ibi: *Quod ſi alias inter ipſos jurejurando tranſactum ſit negotium, non conceditur eandem cauſam retractare*. Itaque, quia jusjurandum *voluntarium* atque *judiciale*, ſpeciem continet tranſactionis; tranſactio autem propter inſtrumenta noviter reperta, non reſcindatur, *ſaltem regulariter l. Sub prætextu inſtrumenti. C. De tranſact.* Ideo ſibi imputare debet is, quòd hujuſmodi juramentum, adverſario, deferendo, ipſum in cauſa propria teſtem & judicem contra ſe conſtituerit Quod ſecus fit in juramento neceſſario; utpote, quod non ex conſenſu partium, ſed à judice defertur, atque delatum neque recuſari neque referri poteſt.

63. Dices. Sententia lata retractari non poteſt etiam propter inſtrumenta de novo reperta. *l. Sub ſpecie. C. De re judic.* Ergo neque ſententia lata, prætextu falſi juramenti neceſſarii ℞. *Neg Conſeq Ratio diſparitatis* eſt, quòd ſententia intuitu juramenti *neceſſarii* lata, nitatur probatione *privilegiata*, hoc eſt; proprio juramento partis, ob defectum aliarum probationum, dicentis teſtimonium in propria cauſa, contra communem juris regulam, quòd nullus in propriâ causâ, ſit teſtis idoneus. *l. Nullus. ff. De teſtib.* Qualis proinde meritò cenſetur probatio privilegiata: Jam verò, ſententia lata per probationes privilegiatas, numquam tranſit in rem judicatam, ſed poteſt ſemper & quandocunque uſque ad mille annos, & ultra, retractari ſupervenientibus veris & propriis probationibus *cap. Tua nos*. & *Gloſſ. ibid. De cohabit. Cleric. Maſcard. loc. cit. n.* 10. *Jaſon. loc. cit. n.* 38. & 41. Porrò dicta lex *Sub ſpecie* loquitur de ſententiâ ex communibus probationibus latâ, utpote tranſeunte *in rem judicatam*, ſi non fuerit ab illa appellatum.

Replicabis. Si data ratio valeret; peræquè poſſet retractari juramentum *voluntarium*, item *judiciale*; quia etiam tale juramentum eſt probatio privilegiata. ℞. *Neg. illatum. Diſparitas* rurſus eſt: quòd

quòd in juramento neceſſario, illa probatio privilegiata procedat parte alterâ invitâ, ſecus in juramento voluntario ac judiciali; ſiquidem utrumque defertur ex mera voluntate partium, ut ita pars illud deferens, ſibi debeat imputare, quòd adverſarium ſuum, in propriâ cauſâ, teſtem & quadantenus judicem conſtituerit. Neque mirum eſt, quòd jura magìs ſubveniant illi, qui patitur ſententiam ex neceſſitate, quàm illi, qui ex voluntate propriâ ſuccumbit. *l. Si fidejuſſor.* §. *Si neceſſaria. ff. Qui ſatisd. cogantur. cap. Ab arbitris.* junctâ *Gloſſ.* ℣. *Appellandum. De offic. Deleg. in 6.*

64. Licet hæc ita ſe habeant; dantur tamen caſus in quibus juramentum etiam voluntarium & judiciale, cognita rei veritate, retractari poteſt. Sic in cauſa ultimæ voluntatis, retractari poteſt ſententia lata ex juramento etiam voluntatario & judiciali, ſi poſtea contrarium evaſerit manifeſtum. ùt liquet *ex l. ult. C. De reb. creditis*, ubi Summarium ſic ſonat: *Cauſa ultimæ voluntatis, falſo juramento, deciſa, retractatur, veritate repertâ.* Id quod teſte *Maſcardo loc. cit. n.* 21. obtinet in omni juramento etiam voluntario & judiciali. *Ratio* eſt: Quia in his, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, tranſigi non poteſt, non inſpectis tabulis ſeu verbis teſtamenti. *l.* 1. *ff. Quemadmodum teſtam. aperiantur.* & *l. De his controverſiis. ff. De tranſaction.* Proinde nec tenet juramentum voluntarium aut judiciale, quod continet ſpeciem tranſactionis, ùt ſupra dictum.

Similiter in cauſis *Matrimonialibus*, præſtito juramento contra valorem Matrimonii, adhuc inquiri poteſt de veritate. *Gloſſa in l.* 3. ℣. *Agatur. ff. De jurejur.* Id probans *ex cap. Lator.* 7. *De ſent. & re judic.* ubi deciſum; quòd ſententia lata contra Matrimonium, nunquam tranſeat in rem judicatam, adeóq; ſemper revocari poſſit, ſi de errore conſtiterit. Idem dicendum in aliis caſibus, quibus ſententia non tranſit in rem judicatam.

65. Quinimò generaliter, ſi in foro contentioſo conſtaret de injuſtitia ſententiæ, per propriam confeſſionem illius, qui obtinuit ſententiam vi juramenti à ſe præſtiti; tunc caſſanda foret ſententia, etiam in foro judiciali. ùt tradit *Caſtrenſis in l. Qui juráſſe.* §. 1. *ff. De jurejur. Maſcardus d. concl.* 956. *n.* 22. & colligitur ex *cap. Quia plerique. De immunit. Eccleſ.* ubi *Abbas. n.* 22. id ipſum docet. *Ratio* eſt: quia ſentenria per juramentum Partis elicita, ſuſtinetur ex ſola præſumptione juſtitiæ: jam verò, contra quamcunque præſumptionem etiam *juris & de jure*, admittitur probatio in contrarium per confeſſionem illius, in cujus utilitatem, jus introduxit præſumptionem illam, prout tradit *Reiffenſtuel. ad tit. De Præſumpt.* §. 2. *n.* 54. Ergo.

Unde *Engel. ad tit. De jurejur. n.* 52. meritò cenſet, æquitati fore conſonum, ut audiendus ſit ille, qui per probationes incontinenti paratas nec altiorem indaginem requirentes, demonſtrare poſſet, falſitatem juramenti *voluntarii* aut *judicialis* ab altera parte præſtiti. Ex ratione: quòd Imperator *in l. ult. C. De reb. credit.* indefinitè ſtatuat; neminem poſſe ex perjurio, etiam in judicio, commiſſo, lucrum captare; *ne cui* [inquit] *ex delicto, impium lucrum afferri, noſtris legibus patiatur.* Nec Obest; quòd juramentum voluntarium & judiciale contineat ſpeciem tranſactionis, qualis propter inſtrumenta de novo reperta, non reſcinditur, *l. Sub prætextu. C. De tranſaction.* Quia hoc ſolùm procedit, dum læſio non eſt valde gravis, alioquin ob læſionem immodicam, etiam reſcindi poſſe tranſactionem

actionem, cum agmine aliorum tradit *Fachineus. lib. 2. controverſ. jur. cap. 26.* & probat *Reiffenſtuel. ad tit. De transaction. §. 4. n. 52. 56. & ſeq.* Ex dictis

66. Resultat *imò*. Ad juramentum *litis deciſorium* inprimis requiri, ut lis ſit dubia, nec aliunde conſtare poſſit de veritate, prout expreſsè præſcribit Pontifex *in cap. Sicut. 2. De probationib.* Quia jusjurandum eſt inductum ad lites dirimendas. *l. 1. ff. De jurejur.* adeóque fruſtra adhiberetur, dum aliunde conſtare poteſt de veritate. Deinde jusjurandum, ſpeciem continet tranſactionis, per textum expreſſum *in l. 2. ff. eod.* Tranſactio autem non habet locum, niſi in re dubia. Nam *qui tranſigit, quaſi de re dubia & lite incerta tranſigit.* ùt dicitur *in l. 1. ff. De tranſaction.* Unde conſuetudo contraria, reprobata conſpicitur *in dict. cap. 2. De probationib.* Tum; quòd talis conſuetudo ſit contra naturalem rationem, quæ non admittit ſuperflua. Deus enim & natura, nihil faciunt fruſtra; imò *perquàm iniquum eſt, ſupervacua cautione onerari quempiam*, prout ingenuè adnotavit *JCtus.* in *l. Hæc ſtipulatio. ff. Ut legator. nomine caveatur.* Tum; quia talis conſuetudo, eſt contra jus Divinum, quod jurare non permittit, niſi ex cauſa rationabili.

67. Resultat *2dò*. Ad juramentum *litis deciſorium*, *voluntarium* ſeu *conventionale*, requiri & ſufficere ea, quæ requiruntur ad pactum vel tranſactionem *ut ſic*, nempe, ut adſit capacitas ex parte deferentis ac præſtantis juramentum, ſimúlque, ut jure non ſit prohibitum, ſuper tali re tranſigere ſeu præſtare juramentum. *Ratio* eſt evidens. Cùm enim juramentum contineat ſpeciem tranſactionis; conſequens eſt, ut ad illud ſufficiant ea, quæ tranſactio poſtulat.

68. Resultat *3tiò*. Ad juramentum *litis deciſorium judiciale* ſeu quod pars parti defert in judicio, requiri ulterius judicis approbationem; ita, ut illud cauſâ cognitâ, ab illo approbetur. Atque ſic expreſsè ſtatutum *in lege. In bonæ fidei.* Junctâ *Gloſsâ ✝. Per judicem. C. De reb. credit.* & *l. Generaliter. §. Sed juramento. C. Eod.*

69. Resultat *4tò*. Ad juramentum *neceſſarium* quod videlicet uni parti à judice defertur in ſupplementum probationis, plura *copulativè* requiri; videlicet: ut ſit cauſa dubia, ſemiplenè tamen probata; deinde, ut perſona, cui defertur, ſit honeſta & integræ fidei; ita, ut contra ipſam, nihil *de jure* poſſit opponi. Quanquàm in juramento voluntario & judiciali, de hoc parum quæratur, quia ibi ſufficit, perſonam, cui defertur juramentum, ab altera parte fuiſſe approbatam. Inſuper in juramento *neceſſario* requiritur, ut deferatur perſonæ habenti veram ſcientiam cauſæ, per proprium ſenſum corporeum. Adhæc, exigitur, ut cauſa non ſit admodùm gravis Siquidem, non eſt deferendum juramentum neceſſarium, in cauſis omnino arduis & magni præjudicii, neque in cauſis *criminalibus criminaliter* intentatis, nec in cauſis *ſpiritualibus*. Porrò hoc juramentum, aut parti deferendnm à judice ad alteriùs partis petitionem, aut ex officio judicis, cauſâ cognitâ. *Fachineus. lib. 1. Controverſ. jur. cap. 16. Gailius. lib. 1. Pract. obſerv. 108. n. 4. Pirbing. ad tit. De jurejur. n 98.* Ad officium autem judicis pertinebit inſpicere, utrum Reo vel Actori potiùs ſit deferendum. *cap. ult. De jurejur.*

70. Utrum autem juramentum *litis deciſorium* deferri debeat atque præſtari per ſimplicem duntaxat Dei conteſtationem vel per adjunctam execrationem; ex præſcriptis Tribunalium formulis, me-

metiendum eſt. Notandum tamen eſt, quòd juramentum *execratorium*, ſi fiat in juſtitia, judicio & veritate, nequaquam ſit prohibitum (quamvis pejerans graviùs peccet) quinimò conſultum ſit, à rudioribus præſertim, ſub tali formula, exigere juramentum; quia magnam habet vim deterrendi homines à perjuriis. Et obſervant *Gratianus. conſil.* 28. *n.* 11. *lib.* 2. *Carocius. in tract. De juram. deciſ. quæſt.* 9. *n.* 11. *Vivianus. Commun. opin. lib.* 1 *Opin.* 429. *n.* 10. Quod, ubi per Statutum Municipale, præſcribitur formula juramenti cum execrationibus ſeu imprecationibus, quòd inquam tale juramentum, non poſſit præſtari per Procuratorem ſpeciali etiam mandato munitum, ſed debeat ipſe Principalis jurare.

71. Cæterum; etſi pars litigans petere poſſit imperſonaliter (ſibi videlicet vel adverſario) deferri juramentum, uſque ad concluſionem in cauſa & non amplius poſtea; equidem, judex ex officio, poteſt juramentum neceſſarium deferre, quando ita expedire judicaverit, etiam poſtquàm à partibus concluſum fuerit in cauſa, & uſque ad prolationem ſententiæ. Confer *Gail. lib.* 1. *Pract. Obſerv.* 108. *n.* 1. *&* 4. *Pirbing. loc. cit. n.* 99. Etſi enim per concluſionem in cauſa, partes renuntient ulterioribus probationibus, & hoc factô, ipſis os claudatur; judici tamen nunquam cenſetur concluſum in cauſa; ita, ut nequeat ex officio novas probationes admittere, vel etiam exigere *cap. Cum Joannes.* 10 §. *Ad hoc autem. De fide inſtrum.* & tradit fuſiùs *Reiffenſtuel. ad tit. De probat.* §. 6. *n.* 159. 161. *& ſeq.*

72. Non eſt hîc prætereundum, quòd juramentum *neceſſarium* deferri debeat, partealtera præſentevel ſaltemcitatâ,& intereſſe nolente. *Maranta. part.* 6 *Speculi Aurei. actu* 9 *n.* 11. *Maſcardus. De probation. concl.* 958. *n.* 60. prout in ſimili tradunt Doctores de productione ac receptione teſtium.

Supra incidenter dictum, quòd ad delationem juramenti neceſſarii, requiratur ſemiplena reprobatio.

73. Nam, ſi Actor nihil probaverit, abſolvendus erit Reus, etiamſi is nihil præſtiterit pro ſua exculpatione. *l. Qui accuſare. C. De edendo.* & *cap. Cùm Eccleſia. fin. De cauſ. poſſeſſ.* Neque opus eſt, ut Reus juramento ſe purget. Si verò Actor plenè probaverit; Reus erit condemnandus. *cap. Sicut.* 2. *& cap. In præſentia.* 8. *De probationib.* Ac proinde neque in hoc caſu, locus erit juramento ſuppletorio. Igitur, tunc demum deferri poteſt juramentum neceſſarium ſive ſuppletorium, quando præceſſit ſemiplena probatio v. g. per unum teſtem omni exceptione majorem, ſimúlque aliæ probationes haberi non poſſunt. *Argum. cap. Ex inſinuatione.* 3. *De Procuratorib.*

74. Semiplena (inquam) debuit præceſſiſſe probatio; Non enim ob levem duntaxat præſumptionem, quæ prudenti judicis arbitrio, minor eſt ſemiplena probatione, eſſe deferendum juramentum iſthoc, probat *Gloſſa. in l.* 3. ℣. *Levior. ff. De minorib.* & *Abbas. ad cap. ult.* §. *Sanè. n.* 8. *De jurejur.* Quanquam ad elidendam hujuſmodi levem præſumptionem, à judice poſſit Reo deferri juramentum, ùt cum aliis communiter, firmat *Socinus. De Fallentiis. Regul.* 204. *Fallent.* 73. *Jaſon. in repetit. l. Admonendi. n.* 75. *ff. De jurejur.* Quòd, ſi Authores dicant; Actori habenti pro ſe præſumptiones & conjecturas, deferendum eſſe juramentum ſuppletorium, intelligendi ſunt de conjecturis ſemiplenam probationem facientibus. Quandónam autem indicia, conjecturæ aut præſumptiones, ſemiplenam efficiant probationem;

Digitized by Google

judicis arbitrio determinandum eſt. *Menoch. lib. 2. De arbitr. judic. quæſt. caſu* 190. *n.* 3.

Dictum ſupra: *in cauſis arduis*, non poſſe deferri juramentum ſuppletorium. Sed hoc patitur limitationem, in caſu, quo fuit pluſquàm ſemiplenè probatum; tunc enim etiam in cauſis arduis & magnæ quantitatis, perſonæ alioquin honeſtæ, deferri poteſt; ùt habet *Gloſſa fin. cap. Viduas. De Regularib.* & tradit *Maſcardus. loc. cit. concl.* 958. *n.* 33. Itaque, ſi ultra ſemiplenam probationem, adeſſet aliqua præſumptio, vel unus teſtis non integer; poſſet judex in re etiam gravi, deferre juramentum neceſſarium, ut firmant *Gutierez. tract. De matrimonio. cap.* 38. *n.* 4. *Barboſa. ad cap. Sicut. n.* 45. *De probat. Alexander. Conſil.* 76. *n.* 6. *lib.* 6. *Gail. lib.* 1. *Pract. Obſerv. Obſervatione* 108. *n.* 11. *Maſcard. loc. cit. n.* 34. *Pirhing. ad tit. De jurejur. n.* 96. *Franciſcus Herculanus. tom.* 4. *Tractatuum. Tract. De negativa probanda. n.* 235.

Quamvis autem in cauſis criminalibus, deferri poſſe videatur hoc juramentum, quando plus eſt, quàm ſemiplenè probatum; equidem in praxi, id non facilè admittendum, ſi agatur de pœna corporali etiam levi imponenda, fatetur *Julius Clarus. in practica crimin. §. fin. quæſt.* 63. *n.* 2. & 3.

76. Æquitatis naturalis ratio poſtulat quidem, ut cæteris paribus, *Reo* potiùs deferatur iſtud juramentum, quàm *Actori*; quod ſi tamen ſemiplenè probaverit ſuam intentionem. v. g. per unum teſtem omni exceptione majorem; Reus autem nihil præſtiterit, ſed ſolùm negaverit; verior eſt Doctorum ſententia, quòd penſatis omnibus circumſtantiis cauſæ & perſonarum, juxta prudens arbitrium judicis, Actori potiùs ſit deferendum juramentum memoratum. Nam tunc æquitas naturalis ſuadet, ut deferatur juramentum Actori, pro quo ſtat major præſumptio. Confer *Menoch loc. cit. caſ.* 190. *n.* 19. & 20. *Pirhing. loc. cit. n.* 90. *Fachin. lib.* 1. *Controv. jur. cap.* 18.

Dixi: *cæteris paribus.* Nam, ſi omnia non ſint paria, ex parte Actoris & Rei, tunc judex penſatis circumſtantiis, arbitrari debebit, cuinam parti deferendum ſit juramentum. Prout inſinuat textus perſpicuus *in cap. ult. §. Sanè. De jurejur.* ubi *Gloſſa notabilis.* ad ℣. *In probatione.* Ad præeligendum autem, cui parti judex deferre debeat juramentum, quatuor ſunt expendenda; videlicet: conditio perſonarum, natura cauſarum, rerum quantitas ſeu gravitas, & factorum qualitas; de quibus, pro more ſuo, ſolidè & diſtinctè videri meretur *Reiffenſtuel ad tit. De jurejur. §. 6. à n.* 199. *uſque ad n.* 202. ubi *n.* 203. enumerat decem conditiones *copulativè* requiſitas, ut juramentum ſuppletorium deferri poſſit Actori.

77. Redeundo ad juramentum *voluntarium* & *judiciale*; certùm eſt, utrumque poſſe deferri quacunque actione quis conveniatur; adeò, ut ſi quis delato ſibi ab adverſario, juramento, *juraverit*; *proficiat et jusjurandum, ſive in perſonam, ſive in rem, ſive in factum, ſive pœnali actione vel quavis aliâ agatur, ſive de interdicto.* Prout loquitur Textus *in l. Ait Prætor.* 3. §. 1. *ff. De jurejur.* Et ratio ſuffragatur; quia jusjurandum tum *voluntarium* ſeu *conventionale*, tum *judiciale*, quod videlicet à *Parte Parti* delatum in judicio; ſpeciem continet tranſactionis, majorémque habet authoritatem, quàm res judicata. ut dicitur in *l.* 2. *ff. eod.* ut meritò ſtandum ſit tali juramento, illúdque judex ipſe tueri debeat.

78. Dixi: *Delato ſibi.* Siquidem *ſponte* ſeſe ad jurandum offerens, reddit ſe ſuſpectum.

Digitized by Google

pectum. *dict. l. Ait Prætor*. §. 1. & *l. Si Legatarius. ff. De dolo malo.* Adhæc; ſtandum eſt tali juramento, quò ad ipſos litigantes, non quò ad extraneos; quia juſjurandum alterius, alteri neque prodeſt, neque nocet. ut ſubdit *textus in cit. l. Ait Prætor*.

79. Loquendo rurſus de juramento *neceſſario*, convenit inter Doctores, quòd illud in ſupplementum probationis *regulariter* à judice deferri poſſit in omnibus cauſis; adeò, ut *parte* petente & judice nolente illud deferre; poſſit appellari. Colligitur apertè ex *l. In bonæ fidei. C. De reb. creditis.* Ubi ſic habetur: *In bonæ fidei contractibus, nec non & in cæteris cauſis, inopiâ probationum, per judicem, jurejurando, causâ cognitâ, res decidi oportet.* Ubi *tò oportet* importat neceſſitatem. *Arg. can. Oportet. cauſ.* 8. *q.* 1. Adeóque, ſi exiſtente legitimâ causâ, & *Parte* petente; judex illud deferre recuſaret; poſſet peræquè appellari, ac appellari poteſt, quando judex illud deferre vellet *Parti* habenti juſtam cauſam non jurandi. *l. Generaliter. §. Ipſe autem. C. De reb. credit.* Nec Obstat: quòd in *cap. ult. §. Sanè. De jurejur.* nulla imponatur judici neceſſitas deferendi hoc juramentum; ſed relinquatur id ejus poteſtati. *Textus* enim ibidem dicit: quòd judex *poſſit*, non verò *debeat* illud deferre. Et *Joannes Andreas* ad idem *cap. ult. n* 3. aſſerit; quòd in Textu *cit. l. In bonæ.* in aliquibus codicibus legatur loco *tò*: *oportet*, *ly*: *poteſt*. Hæc inquam non obſtant; nam, in *cit. cap. ult.* ſolùm relinquitur arbitrio judicis, ut diſcernat; cuinam hìc & nunc, imò, utrum ſit deferendum juramentum neceſſarium [multis enim caſibus illud deferri nequit] Nequaquam verò deciditur, quòd exiſtente legitimâ causâ, & *Parte* petente, liberum ſit judici, deferre. Hac enim ratione, maximum poſſet inferri gravamen litigantibus, contra *l. 1. ff. De jurejur.* Ubi dicitur: *maximum remedium expediendarum litium eſſe jurisjurandi religionem.* Ut meritò à tali gravamine, ſeu ſubſtractione remedii adeò oportuni, appellari poſſit. Porrò, Teſte *Abbate* ad *cit. cap. fin.* lectio vulgata habet *tò*: *oportet*, in *cit. l. In bonæ.* non verò *tò*: *poteſt*.

Dixi: Multos eſſe caſus exceptos, quibus juramentum neceſſarium ſeu ſuppletorium deferri nequit. Sic inprimis excipitur caſus; ubi lex vel ſtatutum requirit probationem evidentiſſimam, vel plenam & indubitatam, aut luce clariorem vel legitimam. Probatio enim per juramentum ſuppletorium, non eſt evidentiſſima, nec indubitata, neque luce clarior, quinimò nec legitima eſt, ùt deſumitur ex *cap. Inter quatuor.* 2. & *cap. Tuæ.* 3. *De Cleric. peregr.* ac notat *Gloſſa. in §. Sed furti. ℣. Duplicantur. Inſtit. De actionib.* ac probat *Jaſon. in repetit. l. Admonendi. n.* 282. *ff. De jurejur.* & *Maſcard. concl.* 955. *n.* 4, & *quæſt. Proœmial.* 9, *n.* 1, eò quòd hæc ſit probatio privilegiata. Alios caſus vide apud *Socinum. in Fallentiis. Reg.* 204. *Barboſam. ad cap. Sicut.* 2, *n.* 17, & *ſeq. De probation. Speculatorem. tit. De juramenti delatione. n.* 6, *Maſcardum. De probationib. concl.* 958, *Julium Clarum. in pract. crimin. §. fin. q.* 63, *n.* 1, & *ſeq. Farinacium. part.* 2, *Fragment. lit. J. n.* 1222. & *ſeq.*

Signanter, non defertur juramentum ſuppletorium in cauſis ſpiritualibus, qualis eſt cauſa matrimonialis. *Gloſſa in cap. Mulieri.* 34. *℣. Abſoluto.* & *Abbas. ibid. n.* 6. & 8. *De jurejur. Joannes Gutierez. tract. De Matrimonio. cap.* 38. *n.* 3. *Gail. lib.* 2. *Pract. Obſerv.* 94. *n.* 1. & *ſeq. Ratio:* quia ibi agitur quaſi de ſtatu hominis, adeóque, cùm ſit cauſa valde ardua; juramento non erit locus. Obſervandum

Digitized by Google

vandum tamen cum *Barboſa. ad cit. cap. Sicut. n. 17. De probationib.* Illud intelligendum eſſe, ſi agatur de Matrimonio diſſolvendo; ſecus; quando jurandum foret pro Matrimonii valore; quia hæc eſt cauſa favorabilis.

Ob rationis identitatem, non defertur quoque juramentum, in cauſa *Matrimonii ſpiritualis*, qualis eſt *Monachatus. Maſcardus De probationib. concl.* 958 *n.* 43. *Barboſa loc. cit. n.* 18. Idem eſt de cauſis Beneficialibus, Teſte *Barboſa. ibid. n.* 19. ſi nempe ſuper ipſo Beneficio agatur; alias; ſi de ſolis fructibus quæſtio ſit; deferri poterit hoc juramentum, prout tradunt Doctores citati.

81 QUÆSITUM fuit, an ſub nomine cauſarum matrimonialium, veniant etiam cauſæ *ſponſalitiæ*; ita, ut neque ſuper ſponſalibus *de futuro*, poſſit deferri juramentum ſuppletorium? Veriùs eſt, neque ſuper ſponſalibus diſſolvendis, poſſe de jure ſcripto, deferri juramentum; eò quòd hîc agatur quaſi de ſtatu hominis, cùm neceſsè quis habeat, ſtare ſponſalibus validis, & teneatur (niſi altera pars jure ſuo cedere velit) Matrimonium poſteà de præſenti contrahere, & ſic quadatenus aliquam ſervitutis ſpeciem ſubire, quatenus contracto matrimonio, vir non habet ampliùs poteſtatem corporis ſui, ſed mulier; Teſte Apoſtolo: 1. *Corinth.* 7. & huc facit, quòd ſub cauſis matrimonialibus abſolutè prolatis, etiam comprehendantur cauſæ ſponſalitiæ, prout liquet ex *cap. Accedentibus.* 12. *De exceſſib. Prælat.* juncto *Concilio Tridentino, ſeſſ.* 24. *can.* 12. Cæterùm; cùm in cauſis quoque arduis, locum habeat juramentum ſuppletorium, dum nempe pluſquàm ſemiplenè probatum eſt; utique etiam in cauſis matrimonialibus locum habere debet, prout bene tradunt *Maſcardus. De probationib. concl.* 1035. *n.* 5. *Barboſa. loc. cit. n.* 17. & *Gutierez cit. cap.* 38. *n.* 4. Id quod à fortiori procedet in cauſis ſponſalium de futuro, utpote faciliùs reſolubilibus. & ita videmus in praxi obſervari. Ex hactenus dictis.

82. FLUIT 1mò. Juramentum *voluntarium*, ſeu extrajudicialiter *Parti* delatum, liberè poſſe recuſari; adeò, ut non ſit opus illud alteri *Parti* referre. Ideo enim hoc juramentum vocatur voluntarium ſeu *conventionale*, quia non niſi voluntariè, ſeu ex conventione *Partium* ſuſcipitur, neque referri in invitum poteſt, ſed poteſt liberè recuſari, ita, ut Pars illud recuſans, dicere poſſit alteri: *Non teneor hic & nunc tibi jurare; ſed, ſi quid contra me habes, id proba.* Confer *Speculatorem. tit. De juramenti delatione. n.* 4. & *Vallenſem. ad tit. De jurejur.* §. 5. *n.* 2. Atque ſic expreſsè habet *Gloſſa. in l. jusjurandum.* ℣. *Non poteſt.* & *Jaſon. ibid. n.* 1. *ff. De jurejur.*

83. FLUIT 2dò. Juramentum *judiciale*, quod à *Parte Parti* defertur; poſſe tam diu liberè recuſari, etiam illud *non referendo*; quouſque à judice fuerit approbatum. Nam *Pars* non poteſt compellere *Partem* ad jurandum, vel ad referendum juramentum. *cap. ult. junctâ Gloſsâ.* ℣. *A te. De jurejur.* Cùm etiam quis non teneatur reſpondere adverſario, niſi ad mandatum judicis. Quòd, ſi autem judex causâ cognitâ, juramenti delationem approbaverit; tunc tenetur is, cui delatum fuit, aut jurare aut referre juramentum, aut ſolvere. Prout expreſsè deciſum, *in l. Jusjurandum.* §. *Prætor ait. ff. De jurejur.* & *cap. ult. eod. Quia manifeſtæ turpitudinis eſt & confeſſionis, nolle nec jurare, nec juramentum referre.* ùt dicitur *in l. Manifeſtæ. ff. Eod.* Excipitur tamen *Actio famoſa*, v. g. Furti. Siquidem, conventus actione famosâ; non poteſt hujuſmodi juramentum referre, prout deciſum

ſum in *cit. cap. ult.* & *l. Marcellus. §. fin. ff. De action. rer. amot.* & *l. Ideo Labeo. ff. Eod.* Ex ratione; quòd conventus actione famosâ, ſuper crimine infamiam irrogante, meliùs præſumatur ſcire veritatem, an ſcilicet commiſerit illud crimen, nec ne, quàm Actor, prout jam ſupra inſinuatum.

84. Fluit *3tiò.* Juramentum litis deciſorium *neceſſarium* nempe, & à judice, *Parti* delatum, ſine juſtâ causâ, recuſari non poſſe, nec etiam alteri Parti referri; ita; ut, ſi ſecus fiat, tunc illud recuſans, habeatur pro confeſſo ſeu convicto, per clarum textum, in *cit. cap. ult.* & *in l. Generaliter. §. Sin autem. C. De reb. creditis.*

Porrò cauſæ juſtæ recuſandi juramentum *neceſſarium*, vel etiam *judiciale* à judice approbatum, ſunt plures, quas enumerant *Bartolus* in *l. Manifeſtæ. §. Pro Declaratione. ff. De jurejur.* & *Jaſon. ibid. n. 6. & 7.*

Sic *1mò.* Ratione probationis factæ, vel non factæ, poteſt recuſari juramentum. Si enim Actor. plenè probavit, poteſt is recuſare juramentum ſibi ulterius delatum, ſive *à Parte*, ſive *à judice*, adeò, ut non poſſit ad id compelli. *cap. Sicut. 2. De probation.* & écontra, ſi Actor *nihil* probavit, aut nequidem *ſemiplenè*; tunc Reus pariter cogi nequibit ad jurandum, licet Actor ſe offerat, quòd ipſius juramento ſtare velit. Nam, ùt dicitur in *cap. ult. §. Sanè. De jurejur. Si Actor omnino in probatione defecerit; Reus debet, etſi nihil præſtiterit, obtinere.* Confer *Maſcard. De probation. concl. 36. n. 40.*

2dò. Ratione ignorantiæ poteſt juramentum recuſari. Puta; ſi ille, cui defertur juramentum, rei geſtæ ſit ignarus, vel probabilem ejus oblivionem aut ignorantiam alleget. *l. jusjurandum: & ad pecunias. §. ff. De jurejur.* Ubi idcirco is, cui in re communi, defertur juramentum, poteſt petere tempus deliberandi. *Gloſſa in cap. ult. ℣. Niſi juſta de cauſa. eod.*

3tiò Ratione cauſæ; ſeu ob naturam actionis. Quando videlicet cauſa eſt talis, ut juramento ſuppletorio nequeat dirimi. Vide ſupra dicta *n. 75.* Quibus accedunt cauſæ, quæ coram tali, v. g. Judice ſæculari, Eccleſiaſtico, vel inferiori, non poſſunt tractari. Non enim cogitur quis jurare ibi, ubi non poteſt conveniri *l. Tutor. §. fin. ff. De jurejur.* Juncto *Summario* & *Gloſſa ibid.*

4tò. Ex perſona deferentis. Non enim quivis alteri poteſt deferre juramentum. Sic prodigus & furioſus & his ſimiles, nequeunt juramentum deferre. *l. Tutor. §. Prodigus. ff. Eod.* Quinimo Procurator illud nequit deferre, niſi habeat mandatum generale, *cum libera facultate*, vel mandatum ſpeciale, aut ſit Procurator *in rem ſuam. l. Jusjurandum quod ex conventione. §. fin. ff. Eod.*

5tò. Ex perſona ejus, cui defertur juramentum, interdum quoque juſtè recuſari poteſt. Puta: ſi pupillo, vel Procuratori aut defenſori alienarum rerum. Tales enim jurare non coguntur. *dict. l. Jusjurandum & ad pecunias. §. Pupillo.*

Huc referri poſſunt plures caſus præſertim illi, in quibus exceptio locum habet.

85. Hîc *quæſtio* moveri poteſt, an poſſit appellari à ſententia, quæ intuitu juramenti, lata fuit? Hac de re agitur *in l. Generaliter. §. Sed juramento. C. De reb. creditis.* Junctâ *Gloſsâ* & *Bartolo. ibid.*

Præ primis certum eſt, appellari poſſe, quin & retractari poſſe ſententiam, propter inſtrumenta de novo reperta. *l. Admonendi. ff. De jurejur.* Si lis fuerit deciſa vigore juramenti *neceſſarii.* Quod & obtinebit, ſi quis recuſato juramento *neceſſario*, à judice fuerit condemnatus, puta: ſi allegaverit juſtam cauſam recuſandi

ſandi juramentum; *Textus in cit. l. Generaliter.* §. *Ipſe autem.* Ubi *Bartolus* addit: illud etiam procedere; licet quis cauſas, quare noluerit jurare, non allegaverit coram primo judice, ſed illas demum alleget coram judice *appellationis.*

Quòd, ſi intuitu juramenti *judicialis*, ſcilicet à Parte delati & à judice approbati, ſententia fuerit lata; diſtinguendum eſt. Aut enim alter juravit, & tunc is, qui detulit juramentum appellare non poteſt, quia ejus conſenſu tranſactum videtur. Aut alter non juravit, ſed retulit juramentum deferenti, qui etiam renuit jurare; tunc hic à ſententia contra ſe lata appellare non poteſt. Cùm enim à principio elegerit deciſionem cauſæ per delationem juramenti; non potuit illud ſibi relatum recuſare, ac proinde nec à ſententia contra ſe lata, provocare. *Quis enim ferendus eſt ad appellationis veniens auxilium, in iis, quæ ipſe facienda procuravit*, inquit Imperator *cit. l. Generaliter.* §. *Sed juramento. C. De reb. credit.* Quanquàm non ſit repudianda limitatio hujus ultimi, in caſu; quo quis ex juſta cauſa, puta: *ignorantiæ*, recusâſſet juramentum ſibi relatum.

Quòd, ſi demum is, cui juramentum refertur, juraverit; dubium eſſe poſſet, an referens à ſententia contra ſe lata poſſit appellare? *Abbas. ad cit. cap. ult. n.* 11. Hoc dubium reſolvit *affirmando*; non obſtante, quòd omnis relator juramenti, ſit etiam delator illius, & delator nequeat appellare, ſecundùm dicta. Diſparitas enim eſt; quòd *delator*, ſeu is, qui primò defert, omnino ſponte eligat juramentum, non verò *relator*, qui ad alterutrum neceſſariò tenetur, videlicet ad jurandum vel referendum. Jam verò potiùs ſubveniendum illi, qui *neceſſariò* agit, quam illi, qui *ſpontaneè. cap. Ab arbitris.* Junctâ *Gloſſa* ℣. *Appellandum. De Offic. Delegat. in 6. l. Si fidejuſſor.* §. *Si neceſſaria. ff. Qui ſatiſd. cogantur.* Igitur, mirum non debet eſſe, quòd delator juramenti, altero jurante non poſſit appellare, bene tamen relator. Confer *Abbatem. ad cit. cap. ult. n.* 11.

86. *Dictum* ſupra: *Actore nihil probante, non poſſe Reo deferri juramentum*, quod intelligendum videtur de ſolo juramento *neceſſario*, quod videlicet defertur à judice in ſupplementum probationis imperfectæ, quam ideo præceſſiſſe, neceſsè eſt. Unde Regula, quòd Actore non probante, veniat Reus abſolvendus; reſtringenda videtur ad ſolum juramentum *neceſſarium.* Ita tradit *Cujacius. lib.* 22. *Obſervat. cap.* 82. & *Duarenus. De jurejur. cap.* 3. & cum his *Zoëſius ad tit. juris Canonici. De jurejur. n.* 35. Igitur juramentum voluntarium, aut etiam judiciale, ab Actore nihil probante, deferri poſſe videtur Reo; Tum quia ita poſtulat litium dirimendarum favor; tum, quia, quòd queratur, non habet adverſarius, qui conſtituitur in propria cauſa judex. Huic ſententiæ, quam in praxi; vidi obſervari *Lipſiæ* in Saxonia, expreſsè favet textus in *l. Tutor. ff. De jurejur.* Quinimò *Zoëſius loc. cit.* cenſet, hoc obtinere non tantùm in caſu; quo Actor nihil probare incepit, verùm &, quo in probatione aſſumpta, defecit; eâdem ratione militante. Non obſtante Regulâ prædictâ; cùm non poſſit videri nihil probare, qui juramentum defert. Siquidem illa delatio, ab adverſario ſine juſta ratione, recuſata, præſtat, ut ea res cedat pro juſta probatione.

87. Sed quid, ſi is, cui defertur juramentum, malit probare, quàm jurare? ℞. Malentem probare, audiendum eſſe; per *cap.* 2. *De probation.* Ubi tunc demum recurritur ad juramentum, quando aliæ deſunt probationes. Quocircà & is, qui

qui plenè probavit; non eſt onerandus juramenti præſtatione; quia delatio juramenti adinventa eſt ad litem decidendam, non etiam probationibus deciſam.

Hactenus ſat, ùt arbitror prolixè & accuratè de tribus juramenti ſpeciebus actum; video tamen adhuc ſupereſſe quæſtiunculas quaſdam à Theologis & Canoniſtis motas de juramento, mox in unam ſpeciem, mox in alteram, cadente; quas oſcitanter quidem non præteribimus, paucis tamen abſolvemus.

88. *Primò* Peti ſolet, num violatio juramenti ſuper re *levi* culpam invehat *mortalem*? Inter omnes receptum, falſitatem juramenti *aſſertorii*, non obſtante materiæ levitate, conſtituere peccatum mortale; eò quòd adducere Deum in teſtem mendacii, ſit injuria graviſſima; abſtrahendo à quacunque materia, cujus levitas eſt accidentaria ad gravitatem malitiæ juramenti, nec diminuit id, quod per ſe eſt in objecto perjurii, formalem ſcilicet inordinationem. Aliud eſt in furto, quod ex materiæ levitate, veniale poteſt reddi. Siquidem furtum, grave vel leve dijudicatur, ex nocumento alteri illato, per injuſtam rei ſurreptionem, juramentum verò reſpicit Deum, qui in teſtem invocatur. Poſſet tamen jurans, à mortali culpâ excuſari ex defectu plenæ deliberationis aut advertentiæ: Item ex defectu judicii, modò adſit veritas ſufficienter cognita. Non enim quivis judicii defectus ponit culpam mortalem; maximè, quando non adducitur Deus in teſtem falſitatis. Idem dicendum de juſtitiæ defectu; quia nec hic evacuat directè finem juramenti. nec facit, Deum eſſe teſtem mendacii; ſed, ad ſummum teſtem rei indecentis; quæ res per ſe non ponit gravem injuriam, prout obſervant *Suarez. lib.* 3. *De juramento. cap.* 4. *Azor. Inſtit. moral. p.* 1. *lib.* 11. *cap.* 5. *q.* 3. Vide tamen *Patritium Sporer. tract.* 3. *in 2dum Præceptum Decalogi cap.* 1. §. 3. *n.* 140. *& ſeq.* Adde *Sylvium* in 2. 2. *D. Thomæ. q.* 98. *art* 3. *concl.* 1. 2. & 3.

Majus dubium, cum Theologis, movent Canoniſtæ, de juramento *promiſſorio*, num illud non obſervatum circa materiam *levem*; ponat culpam *mortalem*? *Zoëſius. ad tit. Decretal. De jurejur. n.* 70. cum *Covarruvia. lib.* 1. *Var. reſol. cap.* 1. *n.* 2. indiſtinctè vult; pejerantem, *ob materiæ levitatem*, non excuſari a peccato lethali; quia quantitas (*inquit*) materiæ non confert ad augmentum vel diminutionem peccati, niſi, quando ipſa materia, eſt objectum *immediatum* & *per ſe*, ipſius peccati, prout contingit in furto & injuriis; hìc autem, ipſa res, non eſt objectum, ſed ipſa aſſertio, quatenus vera aut falſa, in cujus confirmationem, adducitur divina veritas, ad cujus reverentiam pertinet, ut jurans faciat id, quod juravit, ne, quantum in ſe eſt, faciat Deum, teſtem *falſi*.

Hæc *Zoëſii* opinio bene procedit in caſu, quo juramentum promiſſorium, factum cum animo & jurandi & promittendi, ſed abſque veritate *præſenti* id eſt: ſine animo adimplendi promiſſum. Taliter enim jurans, verè pejerat, & haud attentâ materiæ levitate, mortaliter delinquit. *Ratio* eſt, quia juramentum promiſſorium, reſpectu præſentis veritatis, ſeu voluntatis adimplendi promiſſum; habet rationem juramenti *aſſertorii*, in quo, teſte *P. Spörer loc. cit.* 135. *juxta omnes*, parvitas materiæ non excuſata mortali. Si ergo (inquit hic Auethor) ſeriò mihi jures. *Te* velle *cras* me comitari ad venationem, non habens animum id præſtandi. Verè pejeras, & mortaliter peccas. Conſonat *Sylvius in* 2. 2. *D. Thomæ. q.* 98. *art.* 3 *concluſ.* 4. *pag. mihi* 672.

Loquendo autem de juramento *promiſ-*

ſorio, intuitu veritatis *futuræ* tantùm; puta: ſi quis culpabiliter non implet, quod antea ſeriò promiſerat, longè probabiliùs eſt, & in praxi omnino tutum, quòd perjurium *promiſſorium*, ex materiæ levitate, excuſetur à mortali, & reddatur veniale. Ita *Sporer. loc. cit. n.* 137. citans alios. *Ratio* ipſius eſt; quia, quandoqunque peccatum ratione materiæ augeri vel minui poteſt: tunc in eo genere, etiam venialiter poteſt peccari: Atqui communis hominum etiam prudentûm perſuaſio eſt; tantò minorem vel majorem irreverentiam Deo irrogari, quantò major vel minor promiſſio jurata violatur; Nam in juramento *promiſſorio* alicujus operis exequendi, Deus non adducitur propriè, ùt teſtis veritatis, quantum ad ipſam impletionem operis, ſed ſolùm, ùt ſponſor vel authoritatem præbens obligationi, ad eum modum, quo Princeps, quaſi authoritatem præbet ſponſalibus, coram ipſo celebratis. Certum autem eſt, tantò majorem vel minorem irreverentiam committi, quantò major vel minor eſt res, in cujus confirmationem, quis alterius, etiam ipſius Dei, authoritate, uſus eſt, ſi poſteà non impleat promiſſum. Ergo tali perjurio etiam venialiter peccari poterit, contra virtutem Religionis, ſi nimirum valde levis promiſſio jurata violetur. V. g. ſi juratò promiſiſti amico, convivium accedere, & ſine cauſa emaneas. Huc facit, quod eſto major ſit obligatio voti, ſeu promiſſionis, ipſi Deo factæ, quàm juramenti promiſſorii, ſeu promiſſionis factæ homini; nihilominus violatio voti, in materia levi, juxta Doctores communiter, non niſi venialem irreverentiam ergo Deum importet. Quidnî igitur violatio juramenti promiſſorii in materia levi, ſit ſolùm culpa levis? Confer *Buſenbaum. lib.* 3. *tract.* 2. *c.* 2. *dub.* 5. *Adde Sylvium loc. cit.*

Nec *obeſt*; quòd in juramento *aſſertorio* non detur levitas materiæ. Lata enim eſt diſparitas. Siquidem, in juramento *Aſſertorio*, invocatur Deus in teſtem veritatis aut falſitatis; veritas autem & falſitas, conſiſtunt *in indiviſibili*: quod enim verum non eſt, neceſſariò falſum eſt; nec datur *magis* aut *minus* falſum, *formaliter* loquendo Unde Deum invocare in teſtem falſitatis cujuſcunque, ſemper eſt peccatum mortale. Jam verò in juramento *promiſſorio*, quò ad veritatem futuram, non invocatur Deus in teſtem ipſius veritatis aut falſitatis; ſed ſolùm adhibetur, quaſi ſponſor obligationis adimplendi rem præmiſſam, adeò, ut objectum juramenti *promiſſorii*, non ſit veritas aut falſitas, ſed obligatio præſtandi rem promiſſam: Atqui obligatio præſtandi rem promiſſam, non conſiſtit in *indiviſibili* ſed major vel minor eſt, juxta rationem materiæ, majoris vel minoris momenti. Ergo *&c.* Confer *S. Antoninum. part.* 2. *c.* 10. §. 1. *& alios, quos citat. Sylvius loc. cit.*

89. Cæterùm, generatim exigit juramentum, ut ſervetur, & promiſſum præſtetur; etiam, ſi non exigat is, cui juratum, quando videlicet abſolutam induxit obligationem; veluti: ſi juraveris, *Calendis Martii*, decem dare *Sempronio*. Quòd, ſi actus præmiſſus *exactionem* involvat, puta: ſi juraveris *Titio* dare mutuum; non teneris ipſi mutuum *offerre*, ſed dare, ſi petierit.

90. *Secundò* hîc ſcrupuloſè ſolet indagari, num juratæ promiſſioni ſatisfiat, per *compenſationem*? *Covarruvias. De pactis. p.* 1. §. 4. *n.* 15. per *textum in cap.* 7. *De jurejur.* cum claſſicis Doctoribus, *negativam* tenet; ſed contraria mihi multò probabilior apparet opinio; eò, quòd nihil interſit; num quis compenſet, an ſolvat? *l.* 4. *ff. De compenſat.* Cùm quò ad

Digitized by Google

ad effectum, paria ſint. *l. ſi debitor. ff. qui potiores in pign. habeantur.* Ex paribus autem, non interſit; quid fiat? Nec *obſtat, dict. cap. 7.* in quo ſe fundat *Covarruvias*; quia Pontifex ibi ſolùm generatim dicit, non poſſe, eo caſu, pignus, ante ſolutionem, repeti; per quod non excluditur compenſatio, quæ etiam eſt ſatisfactio, dummodò conſtet de fructibus perceptis, an hi nempe ſortem adæquent? Porrò, compenſatio vicem tenet ſatisfactionis, ſi quis ſimpliciter juraverit ſolvere, nihil de reali traditione cogitans: alioquin enim non ſatisfieret juramento, per compenſationem, quæ diverſa eſt à reali ſolutione. Prout obſervant *Suarez*; *lib. 1. De juràm. cap. 37. Sanchez. in Decalog. lib. 3. cap. 17. n. 15.*

Tertiò hîc Quæri poteſt, num ex juramento promiſſorio, detur actio? Si de pacto per juramentum veſtito loquamur; certum eſt ex dictis ſupra *n. 58.* ex illo, in utroque foro, dari actionem. Aſt agendo de ſola promiſſione juratâ, ſeu juratâ oblatione alteri factâ; veriùs eſt, neutro jure, actionem dari. Non quidem jure *Civili*, quo juramentum non eſt modus inducendæ obligationis, nihil faciente *Novellâ Leonis 72.* quæ teſte *Zoëſio. loc. cit. n. 76.* non eſt recepta. Non etiam jure *Canonico*; quia hoc nullibi actionem dedit. Dum enim juratam juſſit ſervari promiſſionem; non tam actionem induxit, quàm ſtatuit, implorari poſſe judicis officium. *cap. fin. De procurat. in 6.* Confer *Zoëſium. ad ff. eod. tit. n. 86.*

Quartò examinari meretur, an, & à quo, relaxari vel irritari poſſit juramentum? Ante reſolutionem

91. *Obſervâſſe* juvabit; quòd juramentorum perinde ac votorum irritatio, triplex diſtingui poſſit. Alia enim eſt intrinseca, *de jure naturali*; alia extrinseca, *de jure humano communi*; alia denique extrinseca, *de jure perſonali.* Irritatio *intrinſeca*, & *de jure naturali*, eſt; quando juramenta vel vota, ſunt *irrita, nulla* ac *invalida*, ob defectum conditionis alicujus, eſſentialiter, ad illorum ſubſtantiam ſeu valorem requiſitæ; veluti; ſi juramenta vel vota fierent abſque debitâ deliberatione, vel intentione ſe obſtringendi; vel: ſuper materia incapaci. Tunc enim, hujuſmodi actus, ipſo jure naturæ, & ex intrinſeca ſua indole, forent *nulli* & *irriti*. Nam; ſicut generatim, jure divino naturali, ſubſiſtunt juramenta & vota cujuſvis hominis adulti ratione utentis, modò nihil deſit ex parte debitæ deliberationis, intentionis & materiæ; ita jure divino naturali, viribus carent juramenta & vota puerorum, amentium, ebriorum; & quorumvis, dum unus, ex iſtis, adeſt defectibus. Et quidem de pueris, communis eſt Doctorum Regula; quòd eorum juramenta & vota, ante ſeptimum ætatis annum completum, facta, *irrita* reputentur, niſi in raro caſu, probabiliſſimæ conjecturæ ſuadeant, ſufficientem rationis uſum, in eâ tenerâ ætate, non defuiſſe; poſt verò completum ſeptennium, emiſſa, præſumi *valida*, quantum eſt ex parte voventis, niſi èontra veroſimilia indicia evincant, defuiſſe uſum rationis, aut ſufficientem diſcretionem; prout, de ſponſalibus, ſuo loco diximus.

Juramentorum ac votorum irritatio *extrinſeca*, de jure communi, dicitur; quando illa, ipsô factô, nullius ſunt roboris & effectûs, ob defectum conditionis vel qualitatis, lege ſolùm Eccleſiaſticâ requiſitæ ad eorundem valorem, licet alioquin de jure naturæ, ad illorum eſſentiam non requireretur. Ex quo tamen perperàm Inferres; quòd poteſtas Eccleſiaſtica eatenus derogaret juri divino: *ſiquidem* Deus non acceptat juramenta aut

vota, quæ ab Eccleſia, ob juſtam cauſam, infirmantur vel irritantur. Quin imò, Deus obligationem juramentorum & votorum remittit, ſi Eccleſia, ob rationabilem cauſam, diſpenſet, prout obgannientibus Hæreticis, orthodoxè probatur ex promiſſione à Chriſto facta *Petro* & ejus ſucceſſoribus *Matth.* 16. *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Hac ratione, jure communi Eccleſiaſtico, irrita & invalida habentur vota etiam *ſolemnia*, quæ ex gravi metu, injuſtè incuſſo, fiunt. Nullius quoque vinculi, eſt profeſſio ab impuberibus facta. *cap. Ad noſtras. De Regularib. cap.* 1. & 2. *eod. in* 6. Imò hodie poſt Concilium *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 15. *De Regularib.* Irrita eſt religioſa profeſſio, quæ ante annum *decimum ſextum* ætatis completum, vel ante exactum annuæ probationis tempus, emiſſa fuit. Conſtat quoque ex dictis; jure humano, quoſdam contractus ita ob injuriam vel turpitudinem contrahentis, vel ob detrimentum boni publici, infirmari; ut nec accedente juramento, vires capiant. Juramentorum votorúmve irritatio extrinſeca & *de jure perſonali*, eſt; quando illa irritantur & annullantur à poteſtate alterius, qui dominativam vel quaſi dominativam facultatem habet in perſonam jurantis vel voventis, vel in ipſam materiam juramenti aut voti. Ex primo capite, Prælatus, Pater, & Tutor *directè* irritant vota profeſſi, filii impuberis, pupilli. *cap. Si Religioſus. De Electionib. in* 6. *can.* 1. & 2. *cauſ* 20. *q.* 2. Ex altero capite, homo *indirectè* irritat juramenta vel vota alterius, quatenus hæc verſantur circa materiam ſibi ſuóque juri ac poteſtati ſubjectam. Sic Prælati, Parentes, Mariti, Domini, irritare poſſunt vota Religioſorum, filiorum etiam puberum, uxorum, ſervorum. His præmiſſis, ſit

92 Resolutio 1*ma*. Quicunque habet poteſtatem dominativam *vel quaſi* in perſonam jurantem vel voventem, aut in ipſam rem juramento aut voto promiſſam, poteſt hujuſmodi juramenta vel vota irritare. Ita *D. Thomas.* 2. 2. *q.* 88 & 89. & *DD. communiter. Ratio* evidens eſt: quia juramenta & vota eorum, qui alteri, quò ad perſonam ſuam, vel ſaltem quò ad materiam promiſſam, perfectè ſubjecti ſunt, reputantur eſſe conditionata, & tum ex natura rei, tum etiam ex juris diſpoſitione, hanc annexam habere conditionem: *niſi ſuperior, vel is cujus intereſt, contradixerit*, quo proinde contradicente, vires amittunt. Conſonat *Grotius. De jure B.* & *Pacis. lib.* 2. *c.* 13. §. 20.

93. Resolutio 2*da*. Poteſt etiam Princeps ſæcularis relaxare juramentum alteri homini præſtitum. Eſt contra *Covarruviam De pactis p.* 1. §. 3. *n.* 22. ubi vult, quòd, cùm juramentum inducat vinculum ſpirituale, ejus relaxatio ſpectet ad actum ſpiritualis poteſtatis, non etiam Civilis, quæ ſe non immiſcet ſpiritualibus. *Cap. fin. De foro compet. in* 6.

Ratio. Reſolutionis eſt. Quòd privatus homo, cui quid juratò promiſſum, poſſit remittere & relaxare obligationem, ut etiam Princeps id ipſum poſſe debeat, concurrente causâ, ex qua poteſt alteri jus ſuum auferre. Hoc tamen capiendum eſt, de relaxatione per modum *condonationis*, quæ fit aut fieri poteſt ex parte hominis, ut aliud ſit dicendum, de remiſſione obligationis Deo quæſitæ, puta; ſi quid Deo immediatè fuerit promiſſum. Confer *Barboſam. ad l. Titia.* 35. *ff. ſoluto Matrim.* Junge *Suarez. De juramento lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 6. & *cap.* 41. *n.* 14. & 17. & Nota, quòd poſitæ & ponendæ mox Reſolutiones, intelligendæ ſint de juramento *promiſſorio*; quia juramentum *aſſertorium* relaxari aut irritari non poteſt: quia,

quia, quod ſemel veridicè aſſertum, ſempermanere debet verum.

94. In Sacra Scriptura *Num.* 30 habetur textus ſic ſonans: *Uxor in domo viri ſui, cùm ſe voto obſtrinxerit vel juramento, ſi audierit vir ejus & tacuerit, nec contradixerit ſponſioni, reddet, quidcunque promiſerat: ſin autem extemplò contradixerit; non tenebitur promiſſionis Rea.* Ex hoc textu quidam inferre contendunt, quòd maritus omne voti vel juramenti vinculum ab uxore contractum, indiſcriminatim diſſolvere vel irritare queat; aſt, pro explanatione iſtius textûs, ſit.

Resolutio 3tia. Juramenta & vota uxorum, ſolùm per accidens, indirectè, & ratione materiæ, à maritis irritari poſſunt, quæ & quatenus nimirum ipſis, in conjugii uſu, familiæ gubernatione, & rei familiaris adminiſtratione, præjudicare poſſunt: qualia ſunt vota continentiæ; non petendi debitum; multorum jejuniorum; quæ proli, tum generandæ, tum educandæ, obeſſe poſſent; item vota peregrinationum, eleëmoſynarum; & ſimilium, in diſpendium domeſticæ œconomiæ & gubernationis.

Quòd, ſi vota uxorum ſint talia; quæ juri maritali nullatenus præjudicent, vg. eleëmoſynæ de bonis paraphernalibus, aut iis; quorum dominium & adminiſtratio ad uxorem pertineat; utique ea non poterunt à maritis irritari. Quia uxor non eſt ſubjecta viro per ſe & ſimpliciter, ac in omnibus actionibus liberis, ſed ſolùm & præcisè in iis, quæ reſpiciunt vinculum & jura Matrimonii, quæ jura petunt, ut in vitæ ſocietate, uſu corporis, prolium educatione, familiæque gubernatione; mulier viro ſuo tanquam capiti ſubjecta ſit.

Cæterùm; quia & mulier poteſtatem habet in corpus viri; ideo & uxor *indirectè* irritare poteſt vota mariti, quæ juri ſuo matrimoniali derogant vel præjudicant. Veluti; ſi maritus voveret continentiam; non reddere debitum; longa jejunia, auſteritates, longinquas peregrinationes, aliaque inſolita; quibus ineptus redderetur ad debitum conjugale, officia domeſtica; aut quibus mutua ſocietas notabiliter violaretur. Sic & uxor irritare poſſet votum mariti, geſtandi habitum religioſum, vg. *Tertiariorum S. Franciſci*; eò quòd, ob veſtis horrorem, à petendo debito, retraheretur. Quinimò uxor irritare poteſt omnia mariti vota *realia*, quæ cedunt in detrimentum bonorum v. g. dotalium, aut illorum, quorum proprietas ad uxorem ſpectat. In alia autem mariti vota, juri ſuo non præjudicantia; nihil poſſe uxorem, ſuadet clara ratio; quia vir nullo modo ſubjicitur uxori, quò ad perſonam vel voluntatem ſuam, ſi matrimonii uſum, aut bona, pleno jure, ad uxorem ſpectantia, excipiamus.

95. Quid, ſi votum continentiæ ab utroque conjuge, mutuo conſenſu, editum fuerit? Illud abſolutè valere, nec alterius contradictione ampliùs irritari poſſe, poſt alios tradunt *Abbas. in cap. Chariſſimus. n. 6.* & *Sanchez. lib. 8. diſp. 37. n.* 10. & probatur ex *D. P. Auguſtino. relato in can. Quod Deo. cauſ. 33. q. 5.* ubi Textus ſic habet. *Quod Deo, pari conſenſu, voveratis, perſeveranter uſque in finem, reddere debuiſtis: à quo propoſito, ſi ille lapſus eſt, tu ſaltem inſtantiſſimè perſevera.* Quocirca; niſi tales conjuges legitimâ ſuperioris diſpenſatione, juri ſuo reſtituti fuerint; petendo aut reddendo debitum alias conjugale, peccabunt mortaliter, ùt docet *Sanchez. loc. cit. n.* 14. cum agmine Doctorum.

96. Resolutio 4ta. Vota ſervorum, *per ſe* quidem & *directè*, irritari non poſſunt à Dominis, poſſunt tamen *indirectè* &

Digitized by Google

& *per accidens*, illa ſcilicet; quæ obligationi ſervitutis, famulatûs, & juri dominico officiunt & præjudicant, pro tempore, quo ſic ſubditi ſunt. Talia ſunt: vota Religionis, Sacri Ordinis; longæ peregrinationis, recitandi horas Canonicas; quotidie audiendi Sacrum &c. quibus ſervus redditur minus aptus ad ſervitium Domini, ſemper, aut ad notabile tempus. Alia ſervorum vota, ſervitiis Domini non officientia, ùt: ſervandi caſtitatem, evitandi certum peccatum; dandi eleemoſynam de proprio peculio, quod ſeparatim à rationibus dominicis habent, & ſimilia; à Dominis, nullatenus irritari poſſunt; quia in his, ſervus eſt *ſui juris*.

97. Petes. An omnis, qui poteſt irritare juramenta vel vota, poſſit etiam ſuper iis diſpenſare? ℞. *Nequaquam*. Nam *irritatio* fit per poteſtatem dominativam in perſonam jurantis vel voventis, aut ipſam materiam, votô vel juramentô promiſſam, ita, ut irritans velut Dominus, ac proprio ſuo nomine, diſponat de alterius promiſſione vel re ab altero promiſſa, tanquam de re ſua. Ex quo fit: quòd irritatio etiam abſque omni causâ juſtâ & rationabili, ſemper valida ſit, imò plerumque etiam licita. *Diſpenſatio* verò fit per poteſtatem ſpiritualem & Eccleſiaſticam gubernativam ſeu juriſdictionis, ab ipſo Deo, collatam miniſtris tantùm Eccleſiæ, qui *virtute clavium*, *per modum judicii & abſolutionis*, tollunt obligationem voti vel juramenti, Unde diſpenſans vel relaxans votum vel juramentum, non agit nomine proprio, nec diſponit de re ſua, ſed agit nomine & authoritate ipſius Dei, qui ipſi ad bonum Eccleſiæ regimen, & animarum ſalutem, talem poteſtatem largitus eſt, vi illius: *Quodcunque ligaveris &c. & quodcunque ſolveris &c.* Ex quo ſequitur; quòd diſpenſatio vel relaxatio hujuſmodi, abſque juſtâ & rationabili causâ facta, nedum illicita ſed & invalida ſit. Quia Deus non contulit talem poteſtatem homini, ad temerè & abſque juſtâ causâ, diſſolvendam obligationem ſibi quæſitam, neque Prælato Eccleſiaſtico, Deus contulit poteſtatem in Eccleſiæ deſtructionem, ſed ædificationem. Confer *Sylvium. loc. cit. quæſt*. 89. *art*. 9. Ubi §. *Quæritur* 1. diſcutit; quis præter Papam, diſpenſare poſſit in juramento promiſſorio?

98. Legitimæ autem diſpenſandi cauſæ, ſunt: imperfecta deliberatio: notabilis difficultas exequendi, aut damnum ſpirituale vel corporale voventis; majus item bonum ex diſpenſatione proventurum. De quibus, ſicut & de iis, qui reſpectivè diſpenſarè poſſunt, videri poteſt *Sporer. tract* 3. *in Decalog. cap*. 3. *ſect*. 3. *à n*. 39. *uſque ad* 55. *ubi à n*. 56. explicat quinque vota S. Pontifici, quò ad diſpenſandum reſervata. Scil. Votum Religionis approbatæ ab Eccleſiâ; votum Caſtitatis ſeu continentiæ integræ perpetuæ, & vota trium peregrinationum, *Hieroſolymitanæ* ad S. Sepulcrum, *Romanæ* ad limina Apoſtolorum SS. Petri & Pauli, & *Compoſtellanæ*, ad S. Jacobum.

99. Juramento, de quo ultra propoſitum latiùs diſſeruimus, affinis eſt *Adjuratio*, quæ eſt actus Religionis, quo per interpoſitionem divini nominis, aut alicujus rei ſacræ, quempiam ad aliquid præſtandum vel omittendum impellimus. Non enim adjuratio imponit obligationem perſonæ adjuratæ, ſicut facit lex aut præceptum, ſed tantùm, illam movet & excitat. Neque etiam nomen Dei invocatur, ad faciendam fidem, quia hîc non adducitur Deus in teſtem, ſed, ut ſit objectum amoris aut timoris, reſpectu illius, qui adjuratur, ut inde ſcilicet

cet moveatur ad faciendum vel omittendum id, quod intendimus. Poteſt autem adjuratio fieri per interpoſitionem ſeu invocationem alterius rei ſacræ, puta: crucis aut ſanguinis Chriſti; & tunc pro varietate rei magis vel minus ſacræ, erit vel actus, *Latriæ* vel *Hyperduliæ*, vel *Duliæ*. Quando autem interponitur vita patris, amor matris; vel nomen Regis, aut quid ſimile; non eſt ſtricta adjuratio, cùm non ſit actus Religionis.

Adjuratio, ut ſit licita, eoſdem requirit comites, quos juramentum, ſcilicet: *veritatem*, *juſtitiam* & *judicium*. Unde peccaret 1*mò*. Dives, qui ſimulans ſe pauperem, peteret eleemoſynam, ob amorem Dei, per viſcera Chriſti *&c.* 2*dò*. Qui alium, per Deum aut Chriſtum, adjuraret; ut peccaret mortaliter aut venialiter. 3*tiò*. Qui ſine prudentia & diſcretione, per Dei aut ſancti alicujus nomen, aliquem adjuraret.

Adjuratio duplex eſt, una per modum *Imperii* & *compulſionis*, quæ tantùm reſpicit inferiores & Dæmones; altera per modum *deprecationis*, quali utimur reſpectu Dei, Sanctorum, ſuperiorum & æqualium, in quos nullum nobis eſt imperium, licet & poſſimus illâ uti, reſpectu inferiorum.

100. *Dubitari* poſſet; an creaturæ irrationales adjurari poſſint? *R̸. tur.* autem ſub diſtinctione: aut enim ſpectantur ſecundùm ſe, & ſic nequeunt adjurari; cùm ſint imperii aut deprecationis ſuſcipiendæ incapaces: aut conſiderantur, quatenus referuntur ad eum, à quo moventur & aguntur; & ſic adjurari queunt, dirigendo videlicet adjurationem noſtram ad Deum, vel ſanctos Angelos, ſeu *intelligentias* Orbis rectrices, aut etiam ad homines, qui illis rebus uti vel abuti poſſunt. Qua ratione, adjurationes adhibentur in benedictione *ſalis*, *aquæ*, *panis*, *novæ domus*; *Thalami*; *fructuum* *&c.* & ſimili modo, interdum adjurantur *locuſtæ*, *mures* & alia animalia, ne nobis noceant. Qualiter & à quibus Dæmones adjurari & energumeni exorcizari debeant, non eſt hujus loci, fuſiùs expendere. Videri tamen meretur *Sylvius loc. cit. quæſt.* 90. *art.* 1. 2. *&* 3.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE
Tertio Decalogi Præcepto.

Memento ut diem Sabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua: Septima autem die, Sabbathum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua & ſervus tuus & ancilla tua, jumentum tuum & advena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit die ſeptimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi & ſanctificavit eum. *Exodi* 20.

SUMMARIUM.

1 P*Ræceptum hoc partim* naturale, *partim* divinum poſitivum *ac* cæremoniale *eſt.*

2 *Quatenus* cæremoniale; *nunc lege novâ antiquatum.*

3 Sabbathi *in diem* Dominicum *tranſlatio, inſtitutióni Apoſtolorum adſcribenda, ſecundùm* S. P. Auguſtinum.

4 *Præceptum hoc, etiam* negativum *eſt.*

5 *Ut* Affirmativum, *ad quid obliget?*

6 *Quivis fidelis adultus, tenetur ſub peccato mortali, diebus* Dominicis *audire* Sacrum, *exhibendo præſentiam moralem & Religioſam.*

7 *Præſentia moralis & Religioſa, quid importet?*

8 Miſſa, *qualiter integra audienda? Ubi de ejus partibus.*

9 *Seroveniens, tenetur partem reliquam audire.* 10

10 *Satisfacitne Præcepto*, ſimul *aut* ſucceſſivè, *duas* Miſſæ *medietates*, *audiens à diverſis celebrantibus?*
11 *Occurritur inſtantiæ.*
12 *Exiſtens in ſtatu peccati mortalis*, *hoc præceptum implere poteſt.*
13 *Non exſtat ſpecialis obligatio*, *diebus* Dominicis *eliciendi actus* fidei, ſpei & charitatis.
14 *Legitimè impeditus ab auditione* Sacri, *tenetur aliter ſanctificare diem* Dominicum.
15 *Quinimò*, *ſpectato jure naturali Divino*, *fideles*, *ultra* Miſſæ *auditionem*, *obſtringuntur ad alia pietatis officia.*
16 *Refutantur objectiones.*
17 *An* Miſſa ſolemnis, & *quidem in Eccleſia* parochiali *audiri debeat?*
18 *Exponuntur cauſæ*, *à* Miſſæ *auditione excuſantes.*
19 *Quatenus quis teneatur non ponere impedimenta*, *quò minus* Miſſam *audire poſſit?*
20 *Præceptum hoc*, *qualiter differat ab aliis Decalogi Præceptis?*
21 *Ab Eccleſiæ incunabulis*, *alia quoque feſta noſcuntur inſtituta.*
22 *Quid ſit* feriari?
23 *Peccatum die* Dominico *patratum*, *ob circumſtantiam diei Sacræ*, *non inducit* ſpecie *diſtinctam malitiam.*
24 *Reſpondetur ad objectiones.*
25 *Opera alia ſunt* ſervilia, *alia* liberalia, *alia* communia.
26 *Non omnia opera olim Judæis vetita*, *peræquè nobis ſunt prohibita.*
27 *Quænam opera ſervilia* Chriſtianis *permiſſa*, *die* Dominico?
28 *Diſceptatur*, *an opera artis* pictoriæ, *ſint illo die prohibita?*
29 Scribere, *non reputatur opus* ſervile.
30. Bellare, *quatenus liceat die* feſto?
31 Mercatus, *quis & quatenus*, *die Sacro prohibitus?*
32 Placitum, Judicium Criminale & Sacramentum, *id eſt*, juramentum publicum; *prohibita ſunt diebus ſacris.*
33 *Opera* communia *ſervis & liberis*, *item alia* ſervilia *ad cultum Dei deſtinata*, *die feſto peragi poſſunt.*
34 Neceſſitas *vel* Charitas, *item Superioris* diſpenſatio, *vel etiam* conſuetudo legitima, *licitum reddunt laborem* ſervilem *in die feſto.*
35 *Cur Deus initio tertii Præcepti*, *dixerit:* Memento ut &c.
36 *Cur Judæis dies* ſeptimus *fuerit* Sacer?
37 *Cur Deus*, *illo die*, *juſſerit etiam* jumenta *quieſcere?*
38 *Poteſtas Laïca*, *non poteſt principaliter feſta inſtituere.*
39 *In Diœceſi* Trevirenſi & *alibi*, *multa feſta ex dimidio*, *ſolùm celebrantur.*
40 *Feriæ quotuplices? & quales*, *Princeps Laïcus queat inſtituere?*

Digitized by Google

41 *Feſtorum Violatores etiam à poteſtate laïcâ puniri poſſunt.*

42 *Celebritas Feſtorum, quando incipiat & terminetur?*

43 *Sententia judicialis, extra caſus jure permiſſos*, nulliter *fertur, etiam in feriis* profanis.

44 *Quibus feriis litigantes renuntiare poſſint?*

45 *Actus* voluntariæ juriſdictionis, *feriis etiam* ſacris *expediri poſſunt.*

46 *Nec* ſacris, *nec* repentinis feriis, *à litigantibus poteſt renuntiari.*

47 *In caſibus neceſſitatis vel pietatis, actus judiciales non prohibentur exerceri diebus ſacris.*

48 *Quocunque die feriato, judici poteſt offerri libellus.*

49 *Citatio judicialis, an* die feriato, *vel* ad diem feriatum, *validè fiat?*

---

1 TErtium hoc præceptum, hominem ad Deum tanquam ad ultimum finem ordinans, partim *naturale*, partim Divinum *poſitivum* atque *cæremoniale* eſt. Quatenus *naturale* ſeu *morale* eſt; generatim & quò ad ſubſtantiam, præcipit, Deum aliquo tempore, cultu debito, eſſe colendum. Id quod naturale lumen homini congenitum dictitat, adeò, ut nulla unquam fuerit Gens adeò barbara, quin agnoverit, Deum, vel Deos ſuos interdum fore colendos. Quatenus verò idem hoc Præceptum *poſitivum* eſt ac *cæremoniale*; eatenus non ſolùm determinat certum diem ſanctificandum, diem ſcilicet *Sabbathinum*, ſeu hebdomadæ ſeptimum; ídque in memoriam abſolutæ creationis rerum omnium, ùt habetur *Geneſ.* 1. ſed etiam præſcribit modum, quo Deus in lege veteri coli volebat; qui quidem modus, varius erat, per leges varias præſcriptus, præſertim in *Exodo*, *Levitico*, & *Deuteronomio*.

2. Præceptum hoc, quatenus *cæremoniale*; per legem Evangelicam antiquatum & abrogatum eſt, ínque ejus, ſcilicet diei *Sabbathinæ* locum, Chriſtiani diem *Dominicum*, ſive primum hebdomadæ diem, ſubſtituerunt; & quidem ab ipſius Eccleſiæ incunabulis; ſiquidem *D. Joannes* in ſua *Apocalypſi*, *cap.* 1. dicit: *Fui in ſpiritu, In Dominicâ die.* & *Divi Pauli* tempore, *Dominico die*, conveniebant fideles ad Divina Officia, audiendum verbum Dei, & ſumendam *S. Synaxin*, prout inſinuatur *Act.* 20. ibi: *Unà die Sabbathi* (id eſt, juxta phraſin Hebræam, primâ die poſt Sabbathum) *cùm conveniſſemus ad frangendum panem*, *Paulus diſputabat cum eis.* Confer *Divum P. Auguſtinum Epiſt.* 89. *Ad Caſulanum.* ubi in hunc locum ſic ſcribit: *Unâ Sabbathi, tunc appellabatur dies, qui nunc* Dominicus *appellatur.* Si

3. Petas: Utrum hæc *Sabbathi*, in diem *Dominicum*, tranſlatio, Divinâ aut Eccleſiaſticâ lege facta ſit? Resp. Probabiliùs factam eſſe authoritate Eccleſiaſticâ, prout tradere videtur idem *D. P. Auguſtinus. Serm.* 131. *De tempore.* inquiens: *Dominicum diem Apoſtoli & Apoſtolici viri, ideo religioſâ ſolemnitate ha-*

habendum ſanxerunt*; *quia in eodem*, *Redemptor noſter à mortuis reſurrexit. ubi per *ly* : ***Sanxerunt***, ſatis indigitat; Sanctos Apoſtolos nedum fuiſſe illius promulgatores, ſed & inſtitutores. ***Adhæc***; ſi Chriſtus diem ***Dominicum*** inſtituiſſet; pro cauſa inſtitutionis, ſeu Apoſtolicæ Sanctionis, non allegâſſet Chriſti Reſurrectionem eodem die factam, ſed cauſam refudiſſet in Chriſti præceptum, ordinationem vel diſpoſitionem.

4. Hoc præceptum, tametſi juxta ſonum verborum, ſit ***affirmativum***; cùm præcipiat certum diem, in Dei cultum ſanctificari; implicitè tamen & virtualiter ***negativum*** eſt, in quantum ſcilicet vetat eundem profanari. Quamobrèm hujus loci eſt diſquirere; quid hoc præcepto Chriſticolis demandetur, quidve prohibeatur? Non enim omnia, quæ à Concilio *Tridentino. ſeſſ. 22. cap.* 24 & alibi, de audienda ***Miſſa***, ***concione frequentanda***, ***&*** ***celebratione feſtorum***, ordinantur; aut, quæ à SS. Patribus inculcata aut recommendata fuêre Chriſti fidelibus, important præcepti neceſſitatem, ſed ſæpe ſolùm conſilium, aut piam duntaxat obſervantiam.

5. Inter Theologos convenit, hoc præcepto, in nova lege, quò ad diem & modum colendi Deum, ab Eccleſia determinatum, omnes Chiſti fideles, legitimo impedimento ceſſante, ſub peccato mortali, obligari ad audiendam ***Miſſam*** & feriandum ſeu abſtinendum ab operibus ***ſervilibus***, non verò ad audiendam ***Concionem***, vel ſumendam *S. Synaxin*, vel intereſſendum publicis Orationibus extra ***Miſſam***. Nullum enim de his exſtat præceptum Eccleſiæ, Chriſti fideles obligans.

Nec ***obeſt*** : quòd ***Concilium Trident.*** ***ſeſſ.*** 24. ***cap.*** 4. ***De reform.*** ſtatuat; ut ***moneat Epiſcopus populum diligenter***, ***teneri unumquemque***, *Parochiæ ſuæ intereſſe* (*ubi commodè fieri poteſt*) ***ad audiendum verbum. Dei.*** Nam ibidem Concilium agit de obligatione, quæ omnes Chriſti fideles, naturali jure tenet, & neceſſaria eſt ad hauriendam cognitionem myſteriorum fidei, notitiàmque ſalutis conſequendæ; non verò præcisè, de ſanctificando diè ***Dominico***; cùm loquatur de concione, quæ non tantùm fit ***Dominicis*** & ***feſtivis*** diebus, ſed etiam tribus diebus per hebdomadam, in ***Adventu*** & ***Quadrageſima.***

Nec ***contra*** facit; quòd *Cathecismus Concilii Tridentini*, *part.* 3. agens de iis, quæ fieri debent à fidelibus, diebus ***Dominicis*** & ***feſtivis***; præſcribat; ut attentè prætereà diligentérque Sacra concio à fidelibus audiatur : ſiquidem, ibi non tantùm referuntur ea, quæ fieri debent; ſed etiam, quæ fieri convenit; cùm etiam inculcet infirmorum viſitationem, mœſtorum conſolationem *&c.*

Etſi igitur ignorans myſteria fidei, & illa, quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſcitu ſunt, mortaliter peccet; dum negligit conciones vel cathecheſin audire; non tamen præcisè peccat ratione ſtatuti Eccleſiæ, ſed ratione violati præcepti ***Divini naturalis*** præcipientis, ut quivis ſatagat addiſcere ſcitu ad ſalutem neceſſaria.

Loquendo de ſacra ***Communione***, ſcimus eam præceptam eſſe ſemel in anno, pro tempore *Paſchali*; proinde clarum eſt, eam non eſſe præceptam, pro ſingulis ***Dominicis***.

Similiter de frequentandis *Veſperis* ***completorio***, aliiſque orationibus publicis, nullum exſtat Eccleſiæ præceptum, licet pia hæc praxis meritò urgenda ſit à Parochis, præſertim intuitu juventutis alias otioſæ & ineptiis, tali tempore, alioquin vacantis. Unde & laudendæ ſunt leges civiles alicubi vigentes, pes quas cau-

cauponibus præcipuè inhibetur, ne vinum, cereviſiam, aliùmve potum, *Veſperarum* tempore compotatoribus vendant aut luſores recipiant, detineántve. Quid autem de *Labaiſmo* (de quo nuper multa laborioſè ſcripſit *R. P. Pauwels*) judicandum ſit, facilè deprehendet eruditus lector, ſi prædicti Authoris expoſitionem (quam exhibet *cap.* 13. ſui Tractatûs *De caſibus reſervatis*, & in ſpeciali ſupplemento) pervolverit.

Licet autem ob rationis identitatem, eodem modo ſanctificandi ſint dies *feſtivi*, *ex præcepto*, ſive univerſalis ſive particularis Eccleſiæ, celebrandi, quo dies *Dominici*; ſciendum tamen eſt: quòd feſtorum inſtitutio & obſervantia, ſit ex mero jure poſitivo humano Eccleſiaſtico, ita; ut Eccleſia, pro libitu, poſſit abolere vel mutare omnia feſta: Diei verò *Dominicæ* inſtitutio, *ſaltem fundamentaliter*, ſit juris *Divini naturalis*, exigentis, ut aliquando colatur Deus. Unde, etſi ex ſanctione Apoſtolicâ, ac proinde poteſtate humanâ, *Sabbathi* celebratio tranſlata ſit in diem *Dominicum*; non poſſet tamen. Eccleſia abolere hujus diei obſervantiam, præcipuè, quia credendnm eſt; quòd Apoſtoli, *ex mandato Chriſti*; aut ſpeciali inſtinctu Spiritûs S. id fecerint.

6. Conſtans ergo eſt doctrina omnium orthodoxorum, quòd tertio hoc præcepto, omnis homo fidelis adultus, teneatur ſub peccato mortali, diebus *Dominicis* audire *Sacrum*, exhibendo præſentiam moralem & religioſam.

De obligatione ſub peccato mortali; patet tum ex *Can.* 26. *&* 64. *De Conſecrat. Diſt.* 1. Tum ex traditione Apoſtolica, antiquiſſimo fidelium uſu & conſuetudine, ac conſenſu omnium Doctorum, ut meritò *Innocentius XI.* hanc inter alias, ordine 52dam. proſcripſerit propoſitionem. *Præceptum ſervandi Feſta, non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* *Ratio* eſt; quia præceptum de audiendo *Sacro* eſt de re gravi, cultum divinum concernente; & licet, uti dictum, obligatio audiendi *Miſſam* die *Dominico*, formaliter & explicitè, juri Eccleſiaſtico adſcribatur; fundamentaliter tamen & implicitè, cenſetur eſſe juris Divini naturalis, quatenus omnis homo adultus tenetur aliquo actu *poſitivo*, Deum quandoque colere: id quod ex voluntate Chriſti, Eccleſia determinavit, diebus *Dominicis* & *feſtivis*, fieri debere, per auditionem *Sacri*. Cæterùm, homines hac obligatione teneri incipiunt, quàm primùm ad eum uſum rationis perveniunt, ut bonum à malo diſcernere, Deúmque ſuum agnoſcere, vel alias *mortaliter* peccare poſſint.

7. Quòd etiam, ad debitam *Miſſæ* auditionem, requiratur præſentia *moralis*, ſeu talis, quâ quis humano modo, cenſeatur adeſſe ſacrificio; non eſt dubitandum: quia auditio *Miſſæ* debet eſſe *actus humanus*, cùm lex alium non præcipiat; ac proinde *Miſſam* audiens, debet eſſe *moraliter* præſens, ut percipere poſſit actionem ſacerdotis *Miſſam* celebrantis. Vide *Sporer Tract.* 3. *in Decalog. cap.* 4. §. 1.

Ad legitimam autem *Miſſæ* auditionem, requiritur præſentia nedum *moralis*, ſed & *Religioſa*, quæ importat, quòd quis ibi aſſiſtat etiam *interius*, per modum Deum colentis aut laudantis. Talis enim debet eſſe præſentia, qualis eſt actus, ad quem ordinatur: auditio autem *Miſſæ*, eſt actus *Religionis*; ergo & præſentia debet eſſe *Religioſa*, quæ importet pium motum in Deum, ſeu animum colendi Deum. Proinde requiritur *intentio*, ex parte voluntatis, & *attentio*, ex parte intellectûs. Vide *Sporer*

loc.

loc. cit. §. 2. Huc facit dictum Salvatoris: *Veri adoratores adorabunt Patrem, in Spiritu & veritate.* quaſi dixiſſet; exhibentes Deo cultum exteriorem ſine interiori, judæos eſſe, non Chriſtianos. Unde *Tridentinum. Seſſ.* 22. *in decreto De obſervandis &c.* ſtatuit, *Ne patiantur* .... *Sacrum hoc Sacrificium peragi, niſi priùs, qui interſunt, compoſito decenter Corporis habitu declaraverint; ſe mente etiam ac devoto cordis affectu, non ſolùm corpore, adeſſe.* Et merito; quia Oratio externa ſine interiori, non niſi ſimulacrum eſt orationis, non oratio, quam tamem hîc requirit Eccleſia, ſicut in recitatione *Horarum Canonicarum.* Ut meritò Clerus *Gallicanus Anno* 1700. tanquam abſonam, ſcandaloſam, verbo Dei contrariam& inducentem hypocriſin, proſcripſerit hanc propoſitionem: *Præcepto Eccleſiaſtico orandi ſatisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non autem mente, orat.* Ex quo.

Resultat 1mò. Confabulantes tempore *Miſſæ*, corridentes, huc illúcve reſpicientes, tabulas, picturas, epitaphia, vitra, ornamenta *&c.* luſtrantes, nedum irreverentiam committere, ſed nec ſatisfacere præcepto Eccleſiaſtico de audienda *Miſſa.*

Resultat 2dò. Venientem præcisè ad Eccleſiam, ut exſpectet amicum vel *Amaſiam*, aut concomitetur herum, nobilem matronam conducat; pompam funebrem honoret; videat, quid in templo agatur, muſicam auſcultet, *&c.* reverà *Miſſam* non audire, defectu aſſiſtentiæ *Religioſæ.*

8. Ad ſatisfaciendum præcepto de audienda *Miſſa*, exigitur, ut *integraliter* audiatur, ſcilicet; ab *introitu*, uſque ad *Benedictionem ſacerdotis.* Prout inſinuatur in *Can.* 64 *De conſecrat. Diſt.* 1. ubi ex *Concilio Agathenſi, c.* 31. ſic ſtatuitur: *Miſſas, die Dominico, ſecularibus totas audire, ſpeciali ordinatione præcipimus; ita ut ante Benedictionem Sacerdotis, egredi populus non præſumat.* idem *ibidem Can.* 65. refertur ex *Concilio Aurelianenſi.* Adeò, ut omnes timoratæ mentes, perſuaſum habeant, ſe reſpectivè leviter vel graviter peccare; ſi culpabiliter ſeu voluntariè, partem levem vel gravem omiſerint.

Pars autem notabilis, ſecundùm Theologos communiter, eſt *Evangelium, conſecratio* & *communio*: unde, qui non intereſſet conſecrationi, vel dictô Evangeliôperactóque offertoriô| adveniret, aut ante communionem recederet; peccati mortalis Reus haberetur; leviter autem delinquere cenſeretur, qui ad initium Evangelii adveniret, aut peractâ communione, mox egrederetur. Hinc.

9. Resolvunt Theologi 1mò. ſeriùs accedentem ad *Sacrum*, ubi non niſi unicum celebratur, teneri reliquum audire |, etiamſi peracta ſit conſecratio. Si enim carens *Breviario*, tenetur id recitare, quod novit memoriter, licet tantùm foret quinta aut ſexta pars officii; quidnî in noſtro caſu, quis teneretur reliquam audire *Miſſæ* partem. Non adſtipulor igitur *Patri Sporer loc. cit.* §. 2. *n.* 22. ubi dicit: culpabiliter vel inculpabiliter accedentem ad Sacrum, ſub Præfatione, vel Canone ante Conſecrationem, teneri quidem reliquum Miſſæ audire, eò quòd tunc adhuc intereſſe poſſit principali parti; illum verò, qui primo poſt Conſecrationem accedit, non obligari ad aſſiſtendum parti reliquæ, eò quòd tunc deficiat pars principalis & ſubſtantialis Miſſæ. Non inquam adſtipulor eatenus *Patri Sporer*; quia hîc non eſt quæſtio, an abſque Conſecratione, ſubſiſtat Miſſæ Sacrificium? Sed, an in caſu poſito ſeroveniens, non teneatur qualemcunque partem audire? Quod nos

Digitized by Google

nos cum DD. communiter, affirmamus.

10 Resolvunt *2dò*. Audientem ſimul duas *Miſſæ* medietates à duobus Sacerdotibus, quorum unus ſit in *Canone* circa Conſecrationem, alter verò *introitum* legat; non ſatisfacere præcepto, licet per intentionem ſuam, utrámque partem referat ad audiendam Miſſam integram. Nam auditio Miſſæ, eſt ens *Succeſſivum*, cujus partes nequeunt ſimul ſubſiſtere, ſed ſibi ſuccedere debent. Quamobrèm *Innocentius XI.* merito hanc damnavit propoſitionem: *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui* duas *ejus partes, imò* quatuor *ſimul, à diverſis celebrantibus audit.*

Resolvunt *3tiò*. Obligatum ad tres Miſſas, unam *ex voto*; ſecundam *ex pœnitentia*; tertiam *ex præcepto*; non ſatiſfacere; ſi ſimul & ſemel, illas audiat à tribus Sacerdotibus eodem tempore celebrantibus; quia certum eſt, non eſſe talem voventis aut Confeſſarii intentionem; ſed, ut tres ſucceſſivè audiantur, & diutiùs in Eccleſia, protrahatur oratio.

Resolvunt *4tò*. Contra *Navarrum*, *Toletum*, *Layman*, *Marchantium*, *Dianam* & alios, quos citat, non tamen ſequitur *Sporer loc. cit.* non ſatisfacere præcepto Eccleſiiæ, audientem Miſſam, à Conſecratione ad finem ab uno Sacerdote, & poſtea ab *introitu* ad Conſecrationem, ab altero; eò quòd teneamur ex præcepto Eccleſiæ, audire Miſſam integram; duæ verò medietates hujuſmodi, non integrent Miſſam, cùm non ſint partes ejuſdem Sacrificii, ſed diverſorum, nec una pars ordinetur ad aliam, ùt bene obſervant *Azorius*, *Coninck*, *Lugo* & alii. Nec.

11. Obest: Quòd Pontifex damnando auditionem Miſſæ, per medietates *ſimultaneas*; non damnaverit auditionem per partes *ſucceſſivas*; Nam Pontifex damnando priorem propoſitionem, nullatenus approbavit aliam etiam examini propoſitam; quia expreſsè dixit: *Nolumus tamen per hoc, approbare alias, hic non condemnatas.*

Dices. Quanquàm meditates illæ non faciant *unum*, in ratione Sacrificii; faciunt tamen *unum*, in ratione obſequii ab Eccleſia requiſiti. *Reſp. Neg. Aſſumpt.* Siquidem obſequium ab Eccleſia requiſitum, eſt auditio integri Sacrificii, quæ non habetur in noſtro caſu. Non enim eſt in poteſtate audientis, ordinare partem Miſſæ prioris ad partem Miſſæ ſubſequentis, cùm de ſe non ſint ad invicem ordinabiles.

Ad diſſipandos ſcrupulos, *Peti* poſſet *1mò*. An Chriſtianus diebus Dominicis & feſtivis, aſſiſtens Miſſæ Sacrificio, debeat eſſe in ſtatu gratiæ. *2dò*. An Chriſti fideles pro ſanctificatione diei Dominicæ, teneantur elicere actus fidei, ſpei & charitatis]? *3tiò*. Utrum legitimè impeditus ab auditione Miſſæ, teneatur aliter ſanctificare diem Diminicum.

12. Ad *1mum*. *Reſp.* eſſe quidem congruum, ut Chriſtianus exiſtens in ſtatu peccati mortalis, per confeſſionem Sacramentalem, aut contritionem perfectam, ſtudeat acquirere ſtatum gratiæ, priuſquàm diebus Dominicis & feſtivis, Sacrum audiat; ad hoc tamen præcisè, nemo ſub peccato gravi, obligatus exiſtit. Talis enim obligationis fundamentum nullibi reperitur, imò recepta ubivis Eccleſiæ praxis, contrarium evincit. Igitur, nemo pro lubitu, multiplicare debet obligationes, ne ſub prætextu obſequii Deo præſtiti, animas innumeris illaqueet peccatis. Equidem, quia congruit, Chriſtianum Chriſtianè ſeu meritoriè operari, & abſque gratia, non poteſt dari meritum; ideo valde conveniens eſt, ut fidelis tanquam offerens minus

nus

nus principalis, ſe conformet Sacerdoti tanquam offerenti magis principali, qui utique debet eſſe in ſtatu gratiæ: & huc facit, quòd fideles Miſſam audientes, ſemetipſos etiam Deo offerant, obligatio autem immunda, non ſit Deo grata.

13. Ad *2dum. Reſp.* Nullam quoque exſtare obligationem, diebus Dominicis præcisè, eliciendi actus fidei, ſpei & charitatis. Nam præceptum de ſanctificando Sabbatho, ſeu die nunc Dominico, quatenus *naturale* eſt, præcipit quidem Dei cultum; aſt indeterminatè, id eſt non potiùs hoc, quàm illo modo. Quatenus autem Eccleſia cultùm illum determinavit, nullibi actus iſtos requiſivit.

14. Ad *3tium. Reſp.* Legitimè impeditum ab auditione Miſſæ, teneri aliter diem Dominicum ſanctificare, prout non obſcurè colligitur ex D. *P. Auguſtino. Serm. 35. De temp.* ubi ait: *Obſervemus diem Dominicum Fratres, & ſanctificemus illum, ſicut antiquis præceptum eſt de Sabbatho.* Et infra, loquens de iis; qui non poſſunt venire ad Eccleſiam, ait: *Qui verò hoc non poſſit, ſaltem in domo ſua oret, & non negligat Deo ſolvere votum, ac reddere penſum ſervitutis.* Et *ratio* eſt; quia licet non valens adire Eccleſiam, ex vi præcepti *Eccleſiaſtici* præcisè, ad nihil aliud teneretur: obligatur tamen ex vi præcepti *naturalis*, aliquo cultu, Deum adorare, maximè; ſi id aliis hebdomadæ diebus: non fuerit factum. Nolim tamen, idem ſentias cum tanto rigore, de diebus aliis feſtivis; quia, cùm pro Feſtorum ſanctificatione, tantùm detur præceptum Eccleſiaſticum, & aliunde Eccleſia non injungat legitimè impeditis, alia pietatis opera; non videtur mortaliter delinquere, qui ab Officiis Eccleſiaſticis legitimè impeditus, alio cultu, diem feſtum non ſanctificaret.

15. Cæterùm; licet ex vi præcepti Eccleſiaſtici, non peccaret graviter, qui die Domnico, auditâ Miſsâ privatâ, otiosè tempus conſumeret; equidem, ſi hoc præceptum Decalogi, quatenus Divinum naturale eſt, conſideremus; non videtur illi ſatisfactum, per ſolius Miſſæ auditionem, prout colligitur ex variis Conciliis præſcribentibus, ut Chriſtiani, in hymnis & canticis, orationibus, & aſſiſtendo Divinis Myſteriis, diem Dominicum tranſigant, ut proinde pro ſanctificatione illius diei, non ſufficiat auditio Miſſæ privatæ, quæ ſemihorâ perficitur. Unde *Nicolaus* 1. ad conſulta *Bulgarorum*, reſpondit: *cap.* 10. & 11. *A labore terreno ceſſandum atque omni modo orationibus inſiſtendum, ut quod negligenter per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicæ, precibus expietur.* Et ſanè, ſi non cenſeretur diem natalem *Imperatoris* celebrare, qui per ſemihoram feſtivitatem ageret, reliquum verò tempus, aliis negotiis conſuetis inſumeret; quâ ratione, dicendus erit ſanctificare diem Dominicum, qui auditâ brevi *Miſſa*, quærit potiùs illum profanere quàm celebrare? Non ergo putandum, quod per abſtinentiam mere *negativam* ab operibus ſervilibus, ſufficienter ſanctificetur dies illa; quia ſecundùm ſanum ſenſum, requiritur abſtinentia, quæ ſit otio oppoſita, nempe actio *Religioſa*, prout ſatis inſinuatur per verbum: *Sanctifices.*

16. Dices 1*mò. Dominica*, apud Chriſtianos, tenet vicem *Sabbathi*, Sabbathum autem ſignificat *requiem*; proinde, *Dominicam* ſanctificat, qui toto die quieſcit. ℞. Sabbathum non ſignificare requiem *otioſam*, ſed requiem *in Domino*, qualem habent Sancti in Sabbatho æterno, ubi continuò in Deum feruntur.

Dices 2*dò.* Eccleſia cultum *Dominicæ* indeterminatum, determinavit ad ſolam Miſſam. ℞. Determinâſſe, ſeu obligâſſe de-

determinatè ad Miſſæ auditionem ; aſt non liberâſſe Chriſti fideles ab aliis pietatis operibus, arbitrio cujuſque relictis, ut per illa, ſatisfaciat præcepto naturali. Eſto autem ; *Mathematicè* determinari nequeat ; quantum temporis, pietatis operibus inſumendum ; rationabile tamen videtur ; quòd Chriſtianus ad debitè ſanctificandum diem Dominicum, ultra preces mane & veſpere recitari ſolitas, nedum Miſſam reverenter audire, ſed & *veſperis* intereſſe, aut ſaltem tempus veſperis æquivalens, orando, meditando, aut librum pium legendo, inſumere debeat ; hujuſmodi autem devotas occupationes ſufficere, docet praxis & opinio omnium timoratorum.

18. Quidam aliquando contenderunt: fideles debere diebus Dominicis & feſtivis aſſiſtere *Miſſæ ſolemni*, & quidom in Eccleſia *parochiali :* Aſt nullibi hoc, in jure, rigidè aut propriè præceptum reperitur ; quia *Concilium Tridentinum* & Decreta Papalia, in primis non loquuntur de Miſſa præcisè *ſolemni*, ſed de illa ; ſub qua ſolent jejunia, feſta, Banna Matrimonialia, aut pauperum vel ægrotantium neceſſitates, populo proponi ; quod etiam fit, aut ſaltem fieri poteſt, ſub Miſſa *privata* ſeu lectâ, non cantatâ : & licet certum ſit, quòd populo perutile ſit, imò interdum neceſſarium ; ut audiat Parochum docentem, & jejunia ac ſupradicta annuntiantem ; praxis tamen docet, quòd Parochiani præcepto Eccleſiæ de audienda Maſſa, ſatisfacere cenſeantur ; ſi tum in Eccleſiâ Parochiali, tum alibi, ſacro privato interſint, & aliunde à vicinis vel alias, capiant notitiam jejuniorum, feſtorum *&c.* Conſultum tamen eſt, ut è qualibet domo, ſaltem aliquis, interſit Sacro Parochiali, in quo populus iſtarum obligationum admonetur.

18. Cauſæ ab auditione Miſſæ excuſantes à Theoligis hæ aſſignantur : 1*mò.* *Charitas.* 2*dò.* *Officium.* 3*tiò.* *Impotentia.* 4*tò.* *Conſuetudo.*

Charitas ab audienda Miſſa excuſat, quando concurrit præceptum miſericordiæ aut dilectionis ſive corporalis ſive ſpiritualis, graviter obligans Tunc enim concurrentibus duobus præceptis, *humano* uno ; altero, *naturali* ; præponderare debet id, quod fortiùs ligat, *naturale* ſcilicet, quando utrumque ſervari nequit. Sic cuſtos & deſervitor infirmi, qui abſque periculo gravis incommodi, non poteſt ſolus relinqui, excuſatur ab auditione Miſſæ. Idem eſt de matribus & nutricibus infantûm, quos non expedit ad Eccleſiam deferre, aut ſolos domî relinquere. Sic rurſus tenetur quis omiſsâ Miſsâ, manere apud rixantes, ſi prævideat, aliquem occidendum aut lædendum in ſua abſentia, & id per ſuî præſentiam, impedire poſſit.

Officium quoque interdum excuſationem præbet ; puta : dum quis ex Officio ad talia obligatur munia, quæ non poſſint omitti ſine gravi injuſtitia ; proinde nec ſine violatione juris naturalis. Tunc enim, ſi hujuſmodi munia cum auditione Miſſæ ſint incompatibilia ; utique præcepto naturali cedere debet præceptum Eccleſiaſticum. Sic : milites non poſſunt ſtationem ſuam deſerere ; Vigiles ab excubiis recedere ; Duces relinquere exercitum periclitantem, *&c.* ut Miſſam audiant : quia inde grave detrimentum immineret bono communi.

Pari ratione ; à Miſſæ auditione excuſantur laborantes in fuſuris vitrariis aut ferrariis, dum accensâ ſemel fornace, non poſſunt diebus præſertim feſtivis per hebdomadam occurrentibus, à laboritio abſtinere abſque gravi detrimento ; quanquàm famuli currare debeant, ut ſibi invi-

Digitized by Google

vicem in labore ſuccedendo, Miſſam non negligant. Quanquàm autem famuli & ancillæ, tempore audiendæ Miſſæ, ab Heris occupati excuſentur; haud tamen culpâ vacant Domini, ſi impedimentum non ſit legitimum. Imo nec excuſabuntur famuli & ancillæ, ſi abſque gravi incommodo, poſſint è ſervitio Domini ipſos ſine legitima cauſa, ab audiendo ſacro impedientis, diſcedere.

Similiter ab auditione Miſſæ excuſat *impotentia ſpiritualis* aut *corporalis*, *phyſica* vel *moralis*. Quia ad impoſſibile nemo obligari poteſt. Hinc 1*mò*. excuſantur fideles, ratione *impotentiæ ſpiritualis*; ſi nullus adſit Sacerdos; niſi *Interdictus*, *à Divinis ſuſpenſus*, aut *excommunicatus*. Idem eſt; ſi Parochianus ſit ipſemet excommunicatus aut interdictus, [ſuppoſitò, quòd intereà debitè ſtudeat obtinere abſolutionem] quia id tantum propriè poſſumus, quod ſine peccato poſſumus. 2*dò*. Ratione *impotentiæ corporalis*, excuſantur incarcerati; ligati; per vim, ſive juſtam, ſive injuſtam, domî detenti; navigantes in mari; lecto affixi, & ſimiles. 3*tiò*. Ratione *impotentiæ moralis* excuſantur, qui non poſſunt Sacrificio intereſſe ſine gravi detrimento vitæ, honoris aut bonorum fortunæ. Sic: 1*mò*. ob vitæ periculum, excuſatur; qui adeundo Eccleſiam, fundatè timet rixas aut inimicitias graves, ex quibus poſſet ſequi cædes, vel mutilatio membrorum. Item; qui convaleſcens ex morbo, timeret reincidere in priſtinam infirmitatem &c. Sic: 2*dò*. ob rationem *honoris*, excuſaretur puella honeſta, ex fornicatione gravida; ſi non poſſit domô exire abſque hoc, quôd ſe prodat & infamet. Sic: denique 3*tiò* Intuitu bonorum fortunæ, excuſaretur quis, ſi propter fures aut hoſtes, non poſſet è domo diſcedere. Juſta tamen non eſſet excuſatio illius, qui ob lucrum ex negotiatione captandum, Sacrum negligeret; quia aliunde mercimonia & nundinationes, diebus Dominicis & Feſtivis, ſaltem tempore Officii Divini, ſunt prohibitæ.

Porrò *Conſuetudo legitima*, à timoratis recepta, excuſare etiam poteſt. Sic paſſim excuſantur mulieres, quæ paucis poſt partum diebus, etiam bene ſe habentes, domî manent. Sic & ad breve tempus alicubi excuſantur mulieres mortem virorum ſuorum lugentes, quanquàm ſatiùs agerent, ſi audiendo Miſſam, & Eccleſiam frequentando, pro anima maritorum preces ad Deum funderent.

Non eſt autem prætereundum, quòd juxta doctrinam *Patris Marchantii*, *Tom.* 2. *Tribunal. tract.* 4. *tit.* 2 *quæſt.* 3. quam ſequitur *Sporer. tract.* 3. *in Decalog. cap.* 4. §. 4. *n.* 36. legitimè impediti & excuſati ab audienda Miſſa diebus Dominicis, teneantur tamen ſub peccato mortali, aliquo alio ſpeciali cultu interno vel externo, ſanctificare diem illum, non quidem ex vi præcepti Eccleſiaſtici, quo plus explicitè non præcipitur, quàm Miſſam audire & feriari; ſed ex vi præcepti Divini naturalis: *Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices.* & huc facit textus, quem ex *Divo P. Auguſtino*, *ſerm.* 25. *De tempore.* ſupra citavimus. *Obſervemus* (inquit *S. Pater*) *diem Dominicum Fratres & ſanctificemus illum*, *ſicut antiquis præceptum eſt de Sabbatho &c.* recole dicta ſuperiùs *n.* 14.

19. Circa impotentiam audiendi Sacrum, Quæri poteſt; qualiter quis obligetur non ponere impedimentum? Non videtur dubitandum, quin poſſit quis v. g. ad partes Hæreticorum proficiſcendo, vel mari ſe committendo; tale ponere impedimentum, tempore remoto à die feſto; v. g. triduò aut quatriduò antecedenter. *Ratio* eſt; quia tunc præ-

ceptum non obligat, neque eſt in proximo, ut obliget; proinde utitur quis jure & libertate ſuâ, adeoque, ſi modica adſit cauſa ſuſcipiendi v. g. iter, vel ponendi impedimentum; extra culpam erit, qui ſacrum neglexerit. Licet autem ideo præcisè impedimentum ponens, ne audire Sacrum poſſit, non peccet ſaltem graviter, ad inſtar illius, qui ſpontè, è loco, ubi feſtum erit, vel jejunium, diſcedit ad locum, ubi nec feriandum nec jejunandum erit; parum tamen laudandus eſſet, qui abſque alia cauſa, præcisè pro exercitio libertatis ſuæ, hujuſmodi impedimentum poneret. Cæterùm; certum eſt; neminem poſſe pro libertate ſua, impedimentum ponere, ipſo die Feſto, vel tempore proximo. Nam eodie vel tempore proximo, quòd moraliter ad eundem diem pertinere videtur (ut omnium ſenſu & conſenſu, eſt *veſpera præcedens*) urget præceptum audiendi Sacrum, & conſequenter adeſt obligatiò tollendi impedimenta, præcepti implemento per ſe obſtantia. Qui enim obligatur ad finem, etiam obligatur ad media per ſe & proximè neceſſaria ad illum finem. Ad dijudicandum autem, quódnam tempus cenſendum ſit remotum vel proximum diei feſto, ſeu potiùs; an impedimentum inculpabiliter ponatur; attendendæ ſunt circumſtantiæ, v. g. ſolemnitas Feſti, gravitas præcepti, operis neceſſitas, honeſtas, utilitas, & hominum timoratorum exiſtimatio.

20. Redeundo ad hoc tertium Decalogi præceptum, quatenus tum *naturale* tum *Divinum poſitivum* eſt; obſervandum: quòd reliqua Decalogi præcepta, *tantùm ſint naturalia*, adeóque perpetua & prorſus immutabilia; adeò, ut licet Lex *Moyſis* abrogata ſit; præcepta tamen illa populum Chriſtianum obligare non deſierint, quod ſecus eſt de Sanctificatione diei *Sabbathinæ*; eatenus enim hoc præceptum, ſi ſtatutum tempus ſpectetur, non fixum & conſtans, ſed mutabile eſt, neque ad *mores*, ſed ad *cæremonias* pertinet: non enim à natura, ad id docti vel inſtituti ſumus, ut illo die potiùs, quàm alio, externum Deo cultum tribuamus: ſed ex eo tempore, quo populus Iſraëliticus à Pharaonis ſervitute eſt liberatus, diem Sabbathi coluit. Tempus autem, quo illius diei cultus tollendus erat, planè idem eſt, quo cæteri Hebraici ritus cæremoniæque antiquandæ erant, morte ſcilicet Chriſti exclamantis in cruce: *Conſummatum eſt*.

Convenit equidem hoc præceptum cum Decalogi reliquis, quatenus illud importat, quod mores & jus naturæ poſtulant. Nam Dei cultus ac religio, quæ hoc præcepto exprimitur, à naturæ jure proficiſcitur: lumen enim rationis dictat, ut modico ſaltem tempore, in iis, quæ ad Dei cultum pertinent, verſemur. Cujus rei argumento eſt; quòd apud omnes Nationes etiam Barbaras, ſtatæ quædam, eæque publicæ feriæ, Sacris Rebus ac Divinis Officiis, conſecratæ legantur. Eſt enim naturale homini, ut is certum quoddam tempus neceſſariis rerum functionibus det, veluti corporis quieti, ſomno & ſimilibus. Quidnî & naturalis exigat ratio, ut menti etiam aliquid indulgeatur temporis, quo in Dei contemplatione ſeſe reficeret? Proinde, cùm aliqua temporis pars eſſe debeat, quo Deo & rebus Divinis debitus tribuatur cultus; utique tempus illud, ad morum præcepta, referri debet. Quam ob cauſam, Apoſtoli ex ſeptem diebus, eum, qui primus eſt, divino cultui conſecrare ſtatuerunt, quem & diem Dominicum dixêre. *Apocal.* 1. & 1. *Corinth.* 16. Vide *S. Chryſoſt. Homil.* 43. in *dict. epiſt.* 1. *ad Corinthios*.

21.

21. Sicut autem dictante Spiritu ſancto, placuit Eccleſiæ Dei; ut, ob Myſteria Nativitatis & Reſurrectionis Chriſti, Sabbathinæ diei cultus, in *Dominicam*, ſeu primam hebdomadæ diem, transferretur; ita ab Eccleſiæ incunabulis & conſequentibus deinde temporibus, Apoſtoli & Sancti Patres noſtri, inſtituerunt; ut & aliis diebus, beneficiorum divinorum memoriam piè ſanctéque recoleremus. Inter eos autem, celeberrimi habentur dies illi, qui ob redemptionis noſtræ Myſteria, Religioſo cultui conſecrati ſunt; deinde, qui Sanctiſſimæ Virgini Matri, tum verò Apoſtolis, Martyribus, cæteriſque Sanctis cum Chriſto regnantibus, dicati exiſtunt; in quorum victoria, Dei bonitas & potentia laudatur, dum ipſis debiti honores tribuuntur, & inſimul ad eorum imitationem, fidelis populus excitatur.

22. Vi hujus *tertii P*ræcepti, jam ab Eccleſia, dicto modo, determinati; obligantur omnes fideles, ſub peccato mortali, *feriari*, ſeu religioſè vivere ac vacare integro die Dominico (idem eſt de diebus Feſtivis ex præcepto Eccleſiæ celebrandis) ab omnibus operibus ſervilibus ad quotidianum uſum ac neceſſitatem vitæ humanæ non pertinentibus, quæque commodè poſſint vel ſoleant differri vel anticipari.

Dixi 1*mò*. *Sub peccato mortali*. ùt poſt aliorum Conciliorum & Sacrorum Canonum definitiones, colligitur ex *cap. Omnes. De Feriis*. Nam hæc obligatio inducta eſt, ex virtute Religionis, & originem trahit ex jure naturæ, adeóque gravis eſt ex genere ſuo; licet, ob materiæ parvitatem, poſſit tranſgreſſio effici levis. Sic, unâ horâ, ſecluſô ſcandalô, ſerviliter laborare in die Dominico, veniale peccatum reputant Doctores, maximè; ſi labor non ſit nimìs ſervilis & fatigans corpus, ùt notat *Layman*, *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. Imò, ſi *Patri Sporer* credendum; communis nunc ſententia, duarum horarum laborem permittit, citra mortalem culpam, ex *ratiône*; quòd labor unius vel duarum horarum, comparatione totius diei naturalis 24. horarum, non videatur tranſgreſſio, in parte notabili; aut ita officiens fini religioſæ vacationis, ut culpam ponat mortalem.

Dixi 2*dò*. *Feriari*. Quod hoc loco nihil aliud eſt; quàm abſtinere ab operibus *ſervilibus*, & exercere opera ſeu actiones religioſas, ad colendum Deum & Sanctificationem illius diei, ordinatas. Otioſitas enim inhoneſta, ſicut alias, ita maximè Dominicis & Feſtivis diebus prohibita eſt.

23. Quæurnt hîc aliqui, utrum peccatum die Dominico commiſſum, ſpecialem ponat malitiam. v. g. An fornicatio tali die commiſſa, inſuper importet malitiam *Sacrilegii mortalis*? Peccatum tali die commiſſum, eſſe gravius; abſtrahendo tamen, an gravitas accedens, ponat culpam mortalem vel venialem; poſt *D. Thomam*. *D. Bonaventuram*, & *S. Antoninum*, tradunt Doctores communiter. Nam peccatum longè magìs retrahit animum à cultu divino, quàm opus ſervile, quia *peccata* (ùt loquitur *Catechiſmus Concilii Tridentini*, *p.* 3. *n.* 17.) *non ſolùm animam à divinarum rerum ſtudio avocant*; *ſed*, *nos à Dei amore prorſus ſejungunt*. Unde, ſicut omnia peccata, in loco ſacro, commiſſa; etſi illum non polluant, nec ſpecialiter ab Eccleſia ibidem fieri prohibeantur; induunt tamen quandam ſaltem *venialem* Sacrilegii malitiam, ob loci ſacri violationem; ita certè ſuſtinendum, quòd peccatum die Dominico patratum, induat novam malitiam repugnantem Sanctificationi illius diei.

Tametſi autem, ob rationem datam, pecca-

Digitized by Google

peccatum die Dominico patratum, *accidentaliter* reddatur gravius; non cenſetur tamen circumſtantia diei, *ſpeciem* mutare; prout comprobat omnium timoratorum & eruditorum Confeſſariorum praxis. Nemo enim pœnitentem, qui die Dominico, fornicatus fuit, inſuper Sacrilegii mortalis reum facit. Et *Ratio* eſt; quia nullum exſtat præceptum Naturale, Divinum vel Eccleſiaſticum graviter obligans ad non peccandum, nominatim die Dominico.

24. Dices. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Joan.* 8. Peccatum igitur tanquam opus *ſervile*, eo die ſpeciatim prohibitum eſt. Resp. Peccatum eſſe opus ſervile, *impropriè* & *ſimilitudinariè*, non autem *propriè*. *Opera enim corporalia* [ùt bene obſervat *D. Thomas*. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3.] *ad ſpiritualem Dei cultum non pertinentia, in tantùm ſervilia dicuntur, in quantum, propriè pertinent ad ſervientes; in quantum verò ſunt communia ſervis & liberis; ſervilia non dicuntur.* Jam verò peccatum commune eſt ſervis & liberis, dominis & ſubditis, nobilibus & plebeis. Ergo.

Replicabis. Quivis ſpecialiter tenetur die Dominico removere id omne, quod impedit præcepti obſervantiam: atqui peccata impediunt præcepti obſervantiam. Ergo. *Reſp. Diſt. mi.* Atqui peccata, per notabile tempus, puta: toto mane, vel cum omiſſione auditionis Sacri, continuata, impediunt præcepti obſervantiam. *C.* Peccata intra modicum tempus conſummata & auditionem Miſſæ præſertim non excludentia. *N.* Quid enim, ſi quis poſtquàm interfuit Miſſæ, Concioni, Veſperis &c. peccet, ſeſe inebriando vel fornicando? dicéſne talem non ſatisfeciſſe præcepto? Certè minus impeditur cultus Dei per cogitationem impuram, cujus ſtatim pœnitet, quàm per *ſtudium ſpeculativum* trium aut quatuor horarum; quod tamen non prohibetur die Dominico. Porrò, etſi peccatum etiam retractatum, impedire poſſit, quò minùs, actus divini cultûs, ponatur cum magno affectu & ſpeciali devotione; non tamen ſemper impedit, quò minùs ponatur *abſolutè*. Si enim poſſit Sacerdos, commiſſo peccato, horas ſuas adhuc debitè legere; ùt nullus dubitat, quidnî & Chriſtianus Miſſam audire, Veſperis intereſſe, & ſic ſanctificare diem Dominicum?

Dixi 3tiò. *Integro die Dominico.* Incipit autem dies Dominicus, à prima media nocte, uſque ad alterius noctis dimidium. Sic enim dies *naturaliter*, pro tempore viginti quatuor horarum, acceptus, in Feſtorum celebratione, apud *Europæos* computari ſolet moribus hodiernis, ùt teſtatur *Abbas. in cap. De feriis. n.* 1. Olim tamen feriatio incipiebat, à primis veſperis, & protrahebatur uſque ad veſperas ſecundas, prout habetur in *cit. cap.* 1. *De feriis.*

25. Dixi 4to. *Ab omnibus operibus ſervilibus.* Pro cujus intellectu, ſciendum, triplicis generis, eſſe opera; nempe *ſervilia*, *liberalia* & *communia*. *Servilia* ſunt, quæ ex ſe famulatum quendam important, & non niſi ab iis, qui aliis inſerviunt, fieri conſueverunt; ut fodere, arare, ædificare, ligna cædere & alia mechanica, quæ principaliter conſiſtunt in actione corporis, & ideo etiam *corporalia* dicuntur. *Liberalia* ſunt; quæ non ponunt effectum materialem & corporeum, vel certè is, qui ponitur; ad exercitandum vel inſtituendum animum, principaliter ordinatur; ùt: docere, concionari, conſilium dare, cantare, legere, ſcribere, organa pulſare & hujuſmodi, quæ ordinariè ſunt actiones liberorum hominum. *Communia* ſunt; quæ dominis & ſer-

ſervis, nobilibus & ignobilibus peræquè conveniunt, ùt: iter facere, piſcari, ludere &c. Ubi

Notandum: quòd opus ſervile, ex eo non deſinat eſſe tale; quòd gratìs, vel recreationis gratiâ, vel piâ intentione præſtetur; perinde ac liberale, manet tale; licet fiat propter lucrum, ex vana intentione, aut cum magna induſtria & defatigatione. Illa ſiquidem non mutant naturam operis, & ideo, ſi independenter ab illis, ſint diebus Dominicis permiſſa aut vetita; etiam cum illis, remanebunt talia.

Prætereundum etiam non eſt; quòd ad determinandum, an opus ſit ſervile nec ne, multùm conferat uſus & conſuetudo Patriæ. Nam, cùm operis ſervilitas aut liberalitas ab hominum exiſtimatione dependeat; quid de operis qualitate, *communiter* ſentiatur; ponderandum eſt ex hominum arbitratu & regionis uſu.

26. Porrò, non ita arcta eſt prohibitio operum ſervilium, in die Dominico aut feſto, ac olim in Sabbatho, quia obſervantia Dominicæ, non ſucceſſit obſervantiæ Sabbathi, ex præcepto legis divinæ *poſitivæ*, quæ utpote *cæremonialis*, abrogata eſt; ſed ex ſola Eccleſiæ conſtitutione. Unde, non omnia ad Sabbathi obſervantiam, in veteri lege præſcripta, ad litteram & in rigore, obſervanda ſunt Chriſtianis. ſi autem

27. Quæras. Quænam opera Chriſtianis interdicta ſint diebus Dominicis aut Feſtivis? Resp. Omnia illa prohibita cenſeri, quæ juxta Religionis & Regionis conſuetudinem, reputantur ſervilia. *Ratio* eſt; quia, quæ opera ſint ſervilia, & ùt talia, ſint prohibita; hauriendum eſt tum ex Eccleſiæ declaratione, tum ex uſu fidelium & conſuetudine univerſaliter recepta.

Sic videmus 1*mo.* permitti opera *coquinæ*, ùt ſunt: cibos parare, tortas, paſtillos, placentas & ſimilia coquere; animalia minora, ùt: aves, pullos, lepores, &c. occidere; non tamen majora, ùt: boves, vitulos, oves, &c. talia enim animalia, niſi vehemens calor & putrefactionis periculum aliud ſuadeat; pridie occidenda ſunt. Idem dic, de coctione panum, niſi populi multitudo, aut Feſtorum continuatio id exigeret. Sic pariter 2*do.* videmus tolerari illa, quæ pertinent ad domûs nitorem aut familiæ commoditatem, ut: lectum ſternere, cubicula verrere, minora utenſilia lavare; veſtes purgare, corpori aptare, etſi modicum quid foret reficiendum, conſuendum vel reſarciendum, quod die præcedente, non fuiſſet prævìſum.

Econtra 3*tiò.* Die Dominico aut feſto, vetita ſunt omnia Opera ruralia, ùt: arare, ſeminare, metere, fœnum ſiccare, arbores cædere, vineam colere, *&c.*

4*tò.* Etiam prohibitum eſt in auro vel argento cælare, ſigillum ſculpere, horologium facere *&c.* quia hæc, utpote ad artem fabrilem ſpectantia, reputantur *mechanica.* idem dicendum de impreſſione librorum, ſive agatur de òrdinatione characterum, [quod negat *Layman*] ſive de impreſſione eorundem ſupra chartam (quod concedunt omnes) Quia utrumque eſt verè mechanicum & ſervile opus: cùm litterarum diſpoſitio nihil aliud ſit; quàm fabricatio inſtrumenti mechanici ad opus mechanicum ordinati. 5*tò.* Pariter inhibetur venatio, piſcatio & aucupium, ſi concurrere debeant opera ſervilia in tranſportandis, deponendis, applicandiſve magnis inſtrumentis, cum magno apparatu & labore. Si tamen talia fieri poſſent abſque notabili labore aut magno apparatu (puta: ſi quis animi relaxandi gratiâ, extra tempus Divinorum Officiorum, arundine, aut levi inſtrumento piſcaretur;

tur ; leporem v. g. cum uno aut altero cane, inſequeretur ; minutiore reti aviculas caperet) non cenſerentur, ex uſu hominum, prohibita.

28. De opere *artis pictoriæ* diſputant Caſuiſtæ ; quidam enim cum *Medina*, *Lopez*, *Tamburino* & aliis, (quos citat & ſequitur *Sporer Tract. 3. in Decalog. ſect. 3. §. 2.*) volunt : pingere in tabula, ſine apparatu & magno labore, non eſſe opus ſervile ; ideòque nec prohibitum die Dominico, per ſe loquendo, & ſeclusô ſcandalo. Quia (inquiunt) talis pictio, perinde ac ſcriptio, conſiſtit in ducendis lineis & figuris ; & pingentes, æquè ac ſtudentes, animi voluptate, verſantur in opere ; quod ſignum eſt ; artem vel actum pingendi, liberalem eſſe. Addunt tamen Doctores iſti, abeſſe debere magnum apparatum aut laborem notabilem, v. g. in terendis ac commiſcendis coloribus.

Alii tamen èontra contendunt, cum *P. Henno* ; opera artis pictoriæ, eſſe ſervilia & diebus feſtivis prohibita ; quia ſunt artefacta quædam ſenſibilia & externa, ſimilia operibus artis *ſculptoriæ*, vel *ſtatuariæ*. Quidquid ſit ; prohibitum ſaltem non videtur, die feſtô delineationes aut deſignationes picturæ facere, eò quod talia videantur eſſe magis opera ingenii, quàm corporis. Idem videtur dicendum de modicis & ſubtilibus ſculpturis, in quibus nullus fere corporis, totus autem animi & ingenii labor, invenitur. Aliud tamen rurſus, ſtatuunt Doctores quidam ; de operibus acu textoriis, ſeu pictilibus, & dicunt ; talia eſſe prohibita diebus feſtivis, quanquam *Sporer*. cum aliis, talia concedat nobilibus Matronis & puellis alioquin otioſis.

29. Cæterùm, quòd ſcribere præſertim ex proprio conceptu, non ſit opus ſervile ; concedunt omnes, & confirmat praxis. Quia ſcribere pertinet ad artem *Grammatices*, quæ prima eſt inter liberales. *Dixi : præſertim ex proprio conceptu.* Idem tamen ex uſu paſſim recepto, ſuſtinetur de tranſcriptione ; adeò, ut Notarii, Commiſſarii, Officiales Curiæ, aut ſcribæ, etiam mercede vel ſalariis, conducti, diebus feſtivis, acta vel alienos conceptus deſcribentes, non arguantur peccati mortalis ; cùm per accidens ſit, quòd ex proprio vel alieno conceptu ; ex hac vel illa intentione fiat ſcriptio. Idem ſtatuunt Doctores de ſcriptione vel deſcriptione notularum muſicarum, quæ utique pertinent ad artem liberalem *Muſices*.

30. Bellare, licet per ſe ſit opus ſervile, & olim extra caſum urgentis neceſſitatis, fuerit illicitum, prout inſinuatur, *cap. 4. De Reg. jur.* ubi ſic habetur : *Quod non eſt illicitum in lege, neceſſitas facit licitum. Nam & Sabbathum cuſtodire præceptum eſt : Machabæi tamen ſine culpa ſua in Sabbatho pugnabant.* Conſuetudo tamen in tantum, artem militarem cohoneſtavit ; ut, ſaltem abſque peccato mortali, dummodò alia rationabilis ad ſit cauſa, & abſit contemptus, liceat diebus feſtivis pugnare & militares exercitationes, luſtrationes & ſimilia inſtituere. per *l. Divus ff. De feriis.* Confer *Becanum. 2. 2. cap. 25. quæſt. 17.* Junge *Molinam. Tom. 1. Tract. 2. Diſp. 111. Zoëſ. ad tit. De feriis. n. 11.*

Ultra opera, quæ pro ſervilibus habentur ; ſpecialiter, per *cap. 1. De feriis*, die Dominico vel feſtivo, hæc quatuor prohibentur ; nempe, *Mercatus*, *Placitum*, *Judicium criminale* & *Sacramentum publicum*.

31. Per *Mercatum* intelliguntur 1*mò*. Nundinæ ſolemnes, quæ ſemel aut bis, in anno, quibuſdam in locis, fieri conſueverunt. Has quidem præfatis diebus, pro-

prohibet jus commune, ſed conſuetudo parum laudanda, introduxit & authorizavit; fruſtra interdum reclamantibus Epiſcopis & animarum curatoribus, qui id ægrè quibuſdam in locis efficere potuerunt ut ſaltem tempore ſervitii divini, ceſſent emptiones venditiones. *2dò* Nomine Mercatûs veniunt Nundinæ hebdomadariæ, **Wochen-Marck** Gallicè: *jour de marché*. Ad quas bis aut ter in hebdomada, in urbem confluunt ruſtici ſuburbani, & bajuli, vel aurigæ vendentes herbas, radices, legumena; pullos, ova; grana, *&c.* & tales nundinæ, ſaltem hic *Aquiſgrani* & in germania paſſim, non permittuntur feſtis diebus. *3tiò*. Nomine Mercatûs capi poteſt omnis emptio-venditio; locatio conductio: permutatio, aut generatim quivis contractus non gratuitus, qui cùm præveniri, vel ex poſt, fieri poſſit; meritò diebus iſtis interdicitur. Ab hac tamen regula, juxta praxin ubivis ferè toleratam, eximuntur ruſtici, quibus non niſi diebus Dominicis & feſtivis, ad urbem venire valentibus, vendi ſolent calcei, veſtes, pilei *&c.* ſecretò tamen & ſine ſcandalo, neque valvis Officinarum apertis, aut mercibus expoſitis. Excipiuntur quoque peregrini & tranſeuntes, qui ad continuandum iter neceſſaria, licitè comparant diebus feſtivis. Huc referendi ſunt; vendentes & ementes ea, quæ ad victum quotidianum neceſſaria ſunt, ut: panis, vinum cereviſia, carnes coctæ, fructus arborum, & hujuſmodi.

32. Per *Placitum* intelligitur actus *judicii civilis*, qui cum ſtrepitu exercetur. Unde diebus Dominicis, non licet litigantes audire in judicio, teſtes adducere, cauſam defendere, ſententiam ferre. Quinimo omnia vel ad formationem proceſsûs, vel ad ſententiæ prolationem expedita, ſunt ipſo jure *nulla*. Non prohibentur tamen actus *extrajudiciales*; & ideo non prohibetur advocatus cauſam privatim diſcutere, clientem interrogare, *&c.*

Per *judicium criminale* intelligitur ſententia mortis, aut alterius pænæ corporis afflictivæ. Talis ergo ſententia, regulariter, die Dominico vel feſtivo, reddi nequit. *Dico*: *regulariter*. Nam ex cauſa id licere poteſt, veluti in caſtris, ubi ad aliorum terrorem, ſtatim ſine proceſſu, ſuſpenduntur Rei, in flagranti reperti.

Denique per *Sacramentum publicum* intelligitur *juramentum judiciale*, quod die feſto (niſi fiat cauſâ pacis aut magnæ neceſſitatis) ſemper eſt prohibitum.

33. Alia opera, ſive corporalia ſive ſpiritualia, liberis ac ſervis communia, non prohibentur die Dominico aut feſtivo. Hinc abſque neglectu Divini Officii, licitum eſt cantare, organa pulſare, digladiari, itinerari, ſive pedibus ſive equo aut curru; quia hæc & ſimilia, ſunt opera omnibus communia, aut ad negotia quotidiana pertinentia. Aliud tamen eſt de conducentibus naves, currus, aut jumenta onuſta. Hæ enim occupationes propriùs accedunt ad opera ſervilia, quàm ut licere poſſint illis diebus; niſi neceſſitas publica, conſuetúdo, aut damnum notabile in diſcontinuando itinere cœpto, excuſationem præbeat.

Opera quoque ſervilia, quæ proximè ad Dei cultum pertinent, fieri poſſunt die Dominico: Siquidem per propinquitatem ad Dei cultum, quaſi libera lizantur, aut ſaltem ex conſuetudine, pro liberalibus reputantur. Quocircà, non tantùm licet Crucem, imagines aut reliquias ſanctorum deferre, thuribulum agitare, campanas pulſare, Organis inſufflare *&c.* Sed etiam, altaria candelabris, imaginibus, ſertis, & aliis ornamentis

mentis veſtire. Quò facit; quòd *Matthæi* 12. dicantur Sacerdotes, abſque reprehenſione, feciſſe omnia, quæ erant neceſſaria in templo, die Sabbathi.

Dixi: *Quæ proximè &c.* Nam, cùm opera remotiora, cultui præſupponantur; etiam diei Dominico aut Feſto, in quo cultus exhibendus eſt, debent præſup poni, & ideo ſeclusâ neceſſitate non eſt licitum, Eccleſiam lavare, ligna aut lapides ad ſtructuram templi vehere, mappas, corporalia, &c. lavare.

Hæc, licet in *theſi*, ita ſe habeant; abſque piaculo tamen, diebus Dominicis aut Feſtivis, ſerviliter laborare permiſſum; ſi 1*mò*. neceſſitas propria vel aliena; aut 2*dò*. charitas, id exigat, vel 3*tiò*, Superioris Eccleſiaſtici accedat diſpenſatio; vel denique 4*tò*. id ferat conſuetudo legitima.

Ex primo capite, Chriſtus ipſe *Matth.* 12. excuſavit diſcipulos, ſpicas evellentes in Sabbatho; eò quòd eſurirent: & Salvator ibidem, habentem manum aridam curavit, Judæóſque ipſum propterea carpentes, confutavit; ponendo exemplum de bove in foveam lapſo, quem abſque piaculo, quis in Sabbatho extraxerit. Ex quo

Sequitur 1*mò*. Poſſe quem ſecretò, auditâ Miſsâ, laborare in die Feſto; ſi non poſſit alioquin ſibi & familiæ ſuæ victum comparare.

Sequitur 2*dò*. Medicos, Chirurgos, Pharmacopolas, aut infirmis ſervientes, poſſe diebus Feſtivis in tantum circa ægrotos operari; in quantum neceſſitas poſtulat,

Sequitur 3*tiò*. Licere agricolis, ad evitandum ex imminente tempeſtate, damnum; ſegetes & fœnum congregare, ligare, avehere; item in periculo inundationis; aggeres aquis opponere; in periculo obſidionis; mœnia & fortalitia reparare, nec non in caſu neceſſitatis; vias & pontes uſui publico neceſſarios, reficere.

Sequitur 4*tò*. Etiam excuſari poſſe Sartores, abſolventes die Feſto, veſtes lugubres; ipſo die, neceſſarias pro funeralibus, ſicut & veſtes militum; ipſo die, diſcedentium; quod tamen non æquè dicendum de conficientibus veſtes ſponſorum aut aliorum, pro ſolo pompoſiore ornatu; cùm nulla tunc concurrat neceſſitas, niſi fortè alicui peſſimè verteretur, quod in natali, v. g Principis aut ſimili publica ſolemnitate, in veſtibus communibus appareret in publico.

Sequitur 5*to*. Famulos & Ancillas, qui non poſſunt alibi commodè ſervitium aut laboritium reperire, poſſe, dum à dominis coguntur, ſervilia opera diebus etiam Feſtivis peragere; quia in ſimilibus caſibus, benigna Mater Eccleſia non cenſetur ad legis ſuæ obſervantiam, adeò rigidè obligare filios ſuos aliunde bonæ voluntatis exiſtentes.

Ex capite *Charitatis*, præcepto Eccleſiæ præponderantis; licet die Dominico ſepelire mortuos, foſſam pro ſepultura diſponere, nudos veſtire; etiam veſtes, ſi opus fuerit, conſuendo, vel reſarciendo &c.

Excuſationem quoque præbet Superioris *diſpenſatio*, quam S. Pontifex dare poteſt in tota Eccleſia, Epiſcopus in ſua Diœceſi, imò & Parochus in ſua Parochia, conſuetudine id permittente; ſaltem in caſibus; ubi commodè ad Epiſcopum recurri nequit Id tamen non eſt conceſſum Confeſſariis, quà talibus; etſi, ad inſtar cujuſvis alterius viri docti, declarare poſſint, cauſam laborandi, eſſe juſtam & ſufficientem. Prælati quoque Regulares, diſpenſare hac in re non poſſunt cum ſæcularibus, in quos nullam habent juriſdictionem ſpiritualem, etiamſi in eorum monaſteriis habitarent ſervitii causâ.

No-

Notabile eſt; quòd *Alexander III. cap. 3 De feriis*, diſpenſaverit cum piſcatoribus halecum; ita, ut in Feſtis non ſolemnioribus, huic piſcationi poſſint incumbere; eò quòd piſces iſti, non niſi certo anni tempore, in mari appareant, & communi victui, ſi non neceſſarii; ſaltem valde utiles ſint. Cauſa ergo legitimæ diſpenſationis, eſt neceſſitas vel utilitas publica. Unde ferendi non ſunt, qui propter lucrum tranſitorium, nedum emptiones-venditiones; ſed & opera ſervilia, permiſſa volunt diebus Dominicis & Feſtivis, quando exinde ſperatur lucrum notabile vel extraordinarium. Non enim Dei, aut Eccleſiæ præcepta cedere debent hominum avaritiæ & cupiditati.

Porrò, ſicut conſuetudo poteſt legem introducere, ita & introductam abrogare vel moderari. Unde conſuetudo, quibuſdam in locis permittit, diebus Feſtivis, quædam opera ſervilia aut alioquin prohibita. Ut: quòd mercatores diebus iſtis, ſaltem poſt tempus ſervitii divini, publice vendant: quòd Opifices ad veſperam, præparent materiam ſequentibus diebus elaborandam; quòd Molitores molant; item Barbitonſores barbas adventantium radant, &c. Perpendendum tamen eſt; an hujuſmodi conſuetudo ſit legitima & non potiùs corruptela & abuſus. Multa enim paſſim tolerantur, quæ reverà cenſuram merentur.

Cauſæ excuſantes, ſeu ex quibus, labor ſervilis peragi poteſt diebus Dominicis aut Feſtivis, ſemper præſupponunt; quòd opera pro exemplis poſita, bonâ fide fiant, & abſque ſcandalo, neque in fraudem aut comtemptum Feſti. Quocircà; ſi opus præcedenti die commodè fieri poteſt; minimè illud expreſsè, ſeu ex intentione, differre licet in diem Sacrum; quanquam, ſi per oblivionem vel negligentiam, jam dilatum ſit; & non poſſit commodè ulterius differri; permiſſum ſit illud die Feſto peragere; tunc enim urgebit aliquantula neceſſitas, non obſtante culpâ præcedente.

Cæterùm; ſi cauſa verè excuſans ſit manifeſta, non eſt opus petere licentiam vel diſpenſationem à ſuperiore, niſi ex condecenti, ad cavendum fortè ſcandalum. Si verò cauſa ſit dubia, vel patenter non ſufficiens; tunc pro re nata; à ſuperiore Eccleſiaſtico, petenda erit diſpenſatio.

Priuſquàm ad ſequens Decalogi præceptum provehamur, coronidis loco.

35. Petes 1mò. Quare Deus initio Præcepti hujus, ſpeciatim expreſſerit: *Memento, ut &c.* Resp. Hoc ideo factum, quia hujus diei cultus ad cæremonias pertinebat, ut ideo, hac de re, populus admoneri debuerit. Etſi enim naturæ lex, aliquo tempore, Deum Religionis ritu colendum eſſe, intimet; quo tamen potiſſimùm die, id fieri debeat; non præſcripſit.

36. Petes 2dò. Cur Judæis certus dies & quidem *ſeptimus*, ad Religionis officia præſcriptus fuerit? Resp. Quia inprimis, rudi populo non expediebat liberam habere facultatem, pro arbitratu ſuo, deligendi tempus, quo divino cultui vacare deberet. Prætereà, ex ſeptem diebus, ultimus ad Dei cultum delectus fuit, quia dies ille, plenus Myſteriorum eſt. Siquidem memoriam nobis refricat conditæ hujus admirandæ univerſitatis. Signum *rememorativum* inſuper fuit Iſraëlitarum memoriæ traditum, quo admonerentur; ſe, Dei auxiliô, à duriſſimo Ægyptiacæ ſervitutis jugo, ſolutos ac liberatos fuiſſe, id quod Dominus *Deuteron.* 5. inſinuavit his verbis: *Memento, quòd & ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Domiuus Deus tuus, in manu forti & brachio extento, idcirco præcepit tibi, ut obſervares diem Sabbathi.* Cæterùm, præ-

præter diem ſeptimum, habebat populus Judaïcus & alios dies Feſtos & Sacros, divinâ lege conſtitutos, quibus maximorum beneficiorum memoria refricaretur.

37. Petes 3*tiò*. Cur jumenta, ſervos & ancillas, die Sabbathi, quieſcere voluerit Dominus? Resp. Factam eſſe & ipſorum jumentorum mentionem, quia hoc animalium genere impediuntur homines à cultu diei Sabbathinæ. Si enim die Sabbathi, jumenti uſus, alicujus operis actioni deſtinatur; concurrere quoque debebit ad id hominis opera, qui jumentum dirigat. Dein; ſi hujus præcepti lex eò etiam ſpectet, ut jumentorum laboribus, Dominus velit homines die Sabbathi parcere debere; quantò magìs Deus juſſiſſe videtur, ne Heri inhumani ſint in eos, quorum operâ ac ſervitiis utuntur.

38. Petes 4*to*. An poteſtas laïca poſſit inducere obſervationem alicujus Feſti aut alterius rei Spiritualis? Resp. Ejuſmodi actus ad ſuperiores ſpectare Eccleſiaſticos; & ſine ipſorum conſenſu, non poſſe induci per Principes, qui eatenus juriſdictionem extra forum, territoriúmque ſuum extenderent. Siquidem, ut in *cap. De Laïcis. De reb. Eccleſ. non alien.* dicitur; *Laïci in ſpiritualibus, non habent præcipiendi authoritatem*, imò dicuntur *ſubeſſe, non præeſſe*; *diſcere, non docere*, in iis, quæ ad Religionem ſpectant. Quò facit *can. Si Imperator. Diſt. 96.* & *cap. fin. De reb. Eccleſ. non alien.* Ubi inſuper additur: *Laïcos illicitè præſumere ſuper mortuariis & aliis, quæ juri ſpirituali ſunt annexa, quidpiam ſtatuere.* Et ſanè; ſi poteſtas laïca poſſet præcipere ejuſmodi actus, poſſet & per ſe prohibere, *conſequens* autem eſſet contra debitum Eccleſiæ ordinem, & gravia cauſaret inconvenientia; ergo nec ſuſtineri poteſt *antecedens*, niſi certè accedens Epiſcopi approbatio, faceret ratam obſervationem. *Abbas. in cap. 2. n. 2. De feriis.* & *Conſil. 26. n. 1.* Præcipua igitur authoritas inſtituendi dies Feſtivos, pro locis particularibus, eſt penes Epiſcopos, prout diſertè inſinuatur: *cap. 5. De feriis.* Ubi *Gregorius IX.* enumeratis quibuſdam diebus Feſtivis, in quibus judicialis ſtrepitus debet conquieſcere; ſubjicit generalem clauſulam: *ac diebus Dominicis, certiſque ſolemnitatibus, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, cum clero & populo, duxerint ſolemniter venerandas.* Conſonat *can. 1. diſt. 3. De Conſecrat.* & Concilium *Trident. ſeſſ. 25. cap. 12. De Regularib.* ubi decernit: *Dies etiam Feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit; ab exemptis omnibus etiam Regularibus, ſerventur.* Equidem; quia obſervantia Feſtorum, laïcos in multis gravare poteſt, quatenus à labore manuum, unde non pauci victum ſibi acquirere debent, ceſſare, imò Magiſtratus ab omni judiciali ſtrepitu, abſtinere coguntur; Hinc eſt; quòd locis citatis, exprimatur, ſolemnitates illas celebrandas eſſe, quas Epiſcopi *cum populo collaudaverint*, vel *duxerint venerandas.* Ex quo reſultat, populum, aut ſaltem Magiſtratum vice populi, in hujuſmodi inſtitutione, audiendum eſſe. Profectò, cùm *anno* 1642. Epiſcopi in Ducatu *Luxemburgenſi*, publicari juſſiſſent Bullam *Urbani VIII.* ſuper abrogatione quorundam Feſtorum, & nonnullorum nova inſtitutione; *Senatus Luxemburgenſis* ſeſe interpoſuit, ſuſtinens: talem abrogationem & reſpectivè inſtitutionem fieri non poſſe, ſine conſenſu Regis, quod ipſum, *Conſilium privatum*, poſtea declaravit.

39. Ob nimiam Feſtorum multiplicitatem, frigeſcente præſertim fidelium devotione, Synodus *Trevirenſis.* de anno 1549. *can.* 10. conqueritur: *Eò deventum eſſe, ut bona pars hominum, omnia Feſta ne-*

negligat; idque impunè, nec ſine Eccleſiæ dedecore. Pauperes (inquit Synodus iſta) qui non habent, unde alant uxorem & familiam, clamant, omnem fere ceſſationem ſibi damnoſam Operæ pretium proinde nobis viſum eſt, Feſtorum numerum contrahere, quò & effrenes coerceantur, & aliquid detur neceſſitati pauperum. Itaque citata Synodus enumeratis Feſtis, quæ impoſterùm celebranda declarat & præcipit, ſubjungit: *Cæterùm dies Innocentium, Cinerum, Paraſceves, Cœnæ Dominicæ, Sabbathi magni, Marci, Tres Rogationum, Commemerationis animarum, & omnes reliquos dies Stationum, quos Eccleſia noſtra Trevirenſis in diebus aliorum Patronorum vel pro ſpecialibus Rogationibus, ab antiquo introductis, in civitate noſtra Trevirenſi, vel ejus ſuburbio, obſervatis, uſque in meridiem, feriari volumus: ita, ut facto Sacro, cuique ad labores, aut negotia ſua, redire liceat.*

Similia fèſta *dimidiata*, quæ nimirum quaſi pro dimidia diei parte, celebanda ſunt, jam pridem nota apud Græcos fuiſſe, diſcimus ex Conſtitutione *Manuelis Comméni*, Imperatoris græci, ſub Rubrica: *De feriis*, ubi poſt recitatos dies, quibus integrè feriandum eſt, dicit: *Alii verò ex parte, à judiciis ceſſent, à mane videlicet uſque ad ipſum Divini Myſterii tempus: ut judicibus, precationibus atque glorificando Deo, vacare liceat, ac deinde poſt Divinum Sacrificium, juſtitiæ operam navent, ſecundúmque legum vim, injuriam paſſis auxilium ferant.* Unde multis in locis, feſta minora, in feſta. *Devotionis* abierunt; ita, ut diebus iſtis, populus Miſſam (citra obligationem tamen) audiat, & Sacerdotes ac Clerici æquè ſolemniter Officia Divina in Eccleſiis peragant, ac ſi celebrarentur in populo. De hujuſmodi feſtis citata Synodus *Trevirenſis*, poſt enumerata Feſta, tum integra tum dimidiata, ſic diſponit: *Cætera verò feſta, quacunque ratione, inſtituta ſint vel recepta; in foro libera facimus: in choro verò & Eccleſia, eadem feſta, prout ab antiquo obſervata ſunt, devotè celebrentur; ita tamen, ut Hiſtoriæ & lectiones parum probatæ, omittantur.*

Dictum atque probatum; poteſtatem Laïcam non poſſe directè & principaliter introducere dies feſtivos: ſed, nunquid videmus à Principibus vel Magiſtratibus introductas eſſe; & paſſim indici *ferias?* Pro hujus rei intellectu.

40. Sciendum: quòd *Feriæ* à *feriendis* & *immolandis hoſtiis*, nuncupatæ, aliæ ſint *Solemnes*, *Sacræ* atque *ordinariæ*: aliæ *repentinæ*, & *extraordinariæ*. Priores, vel in cultum divinum ſunt inſtitutæ; ut ſunt dies Dominici & feſtivi; vel in uſum humanum; puta; ad fructuum collectionem, quibus id commune; ut in iis, ceſſent judicia privata & publica, nemóque in jus vacari poſſit. Poſterioris generis feriæ, ex occurrente cauſa, victoria v. g., vel natæ prolis, indicuntur; & à Principe ſæculari imponuntur, ut inde vocentur *Imperiales*, *in l. 2. C. De feriis* De his feriis, ſicut & de iis, quæ cauſâ Meſſis aut Vindemiæ, introductæ ſunt, certum eſt. Poſſe à Laïca poteſtate inſtitui; aſt de inſtitutis principaliter in cultum Dei, procedit reſolutio noſtra ſuperiùs data. Siquidem actus præcipiendi ſeu indicendi hujuſmodi dies feſtivos, propriè eſt ſpiritualis & ad Religionem pertinens. *Clement. unic. De Reliquiis & vener. Sanct.* qualis non data Laïcis, *quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi. cap. Eccleſia. De Conſtitution.* Confer *Fagnan. in cap. Conqueſtus n. 59. & ſeqq. De Feriis.* & *Barboſ. part. 3. De Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 105. *n.* 3. ubi prolixè hanc materiam diſcutit.

41. Haud tamen inficiandum; quin Laïci per ſtatutum à ſe conditum, queant illis infligere pœnam ſive mulctam, qui violant dies feſtos; ab univerſali vel particulari Eccleſia [attentâ, hac in parte, *Conſtitutione* 164. *Urbani VIII. incip. Univerſa.* quæ habetur *Tom.* 4. *Bullarii Romani*] inſtitutis. Tum quia violatio Feſtorum, eſt *mixti fori* delictum, prout declaravit *S. Pius V. in Conſtitutione. incip. cum. primum*: §. 7. & habetur, *Tom.* 2. *Bullarii Rom. Conſtitutione* 5*ta.* dicti Pontificis. Tum, quia Officio Catholicorum Principum incumbit, in adjutorium Eccleſiæ; Conſtitutionum Sacrarum præcepta tueri, atque in eorum violatores animadvertere. *Can. ſi in adjutorium. Diſt.* 10. & *Can. Boni Principis. Diſt.* 96. junctô *Concilio Tridentino. ſeſſ.* 25. *cap.* 20. *De reformat.*

Quia primum ex quinque ſpecialibus Eccleſiæ Præceptis, ſic habet: *Statutos Eccleſiæ dies feſtos celebrato.* Ideo.

PETES 5*tò*. An hoc Eccleſiæ Præceptum, ſit merè *affirmativum*? *Scotus. in* 3. *Diſt.* 37. *quæſt. unic.* §. *ad quæſtionem.* & ex eo *Guiliel. Herinx*, *part.* 3. *ſummæ Theologiæ. Diſp.* 3. *De Feſtis. n.* 8. cum aliis communiter, & quidem ad mentem *Catechiſmi Romani*, *part.* 3. *n.* 7. & 21. Tradit; præceptum hoc eſſe partim *affirmativum*, partim *negativum*; ita; ut quatenus *affirmativum*, præcipiat devotam ſaltem Miſſæ auditionem; quatenus verò *negativum*; importet abſtinentiam ab operibus ſervilibus & nonnullis aliis, de quibus fit ſermo in ſæpe *cit. cap* 1. *De feriis.*

42. Monui autem ſupra, quòd, licet in capitulo iſto exprimatur; dies feſtos incipere debere à veſperis præcedentis diei, & durare uſque ad veſperas diei ſequentis; id quod in recitatione Horarum Canonicarum, etiamnum obſervatur; equidem, quantùm attinet ad abſtinentiam ab operibus ſervilibus, aliiſque ſupra recenſitis; antiquæ & rationabili conſuetudini ſtandum ſit, prout expreſsè habetur in *cap. Quoniam. eod* junctô *cap. ult. De Conſuet.* Unde, ùt ſupra inſinuavi; ex uſu Romanæ Eccleſiæ, qui per totam fermè Europam invaluit; ſolent incipere feſta, à nocte media, & terminari in ſequenti nocte media, quantùm attinet ad ceſſationem ab operibus ſervilibus. Et hæc quidem conſuetudo, ortum traxiſſe videtur, ex more Romano, in cæteris negotiis obſervari ſolito, ùt colligitur ex *l. more ff. De Feriis.* ubi dicitur: *More Romano, dies à media nocte incipit, ſequentis noctis mediâ parte finitur: ita quidquid in iis viginti quatuor horis, id eſt, duabus dimidiatis noctibus, & luce media; actum eſt, perinde eſt: quaſi qualibet horâ lucis actum eſſet.* Conſonat *cap. Conſuluit.* 24. *De Officio Delegati.* Cæterùm; ſi alicubi alia vigeat conſuetudo; ea, ùt dictum, rectè obſervatur. Nam, ùt notat *Gloſſa* 1. *in cit. l. more.* Diem *naturalem* [qui eſt 24. horarum, ac etiam noctem comprehendit] *Athenienſes* in cœperunt ab occaſu ad occaſum; *Babylonii*, ab ortu ſolis ad ortum: *Arabes* verò à meridie ad meridiem. *Artificialis* autem dies, ſeu quatenus à nocte ſecernitur, incipit ab ortu ſolis uſque ad occaſum, ſive à mane uſque ad veſperam. Juxta illud *Genes.* 1. *Factum veſpere & manè, dies unus.* & de tali die ſcilicet *artificiali*, intelligitur Hymni verſiculus: *Qui manè junctum veſperi, diem vocari præcipis.* Dictum ſupra, *Placitum*, id eſt *judicium Civile*, & à fortiori proceſſum criminalem, diebus feriatis, eſſe prohibitum.

43. Sed DUBITARI poſſet, an id ſolùm intelligatur de Feriis Sacris? *Valenſis. ad tit. De Feriis. n.* 6. *Gail. lib.* 1. *Practic. Obſerv.* 53. *n.* 7. & alii communiter, volunt: idem juris eſſe, de omnibus

Digitized by Google

nibus Feriis etiam profanis, publicâ authoritate indictis, ita, ùt earum tempore, extra caſus in jure permiſſos, nullus in jus vocari poſſit, & vocatus comparere non teneatur; adeò, ut actus in contrarium geſtus, regulariter, *ipſo jure*, ſit invalidus Et hæc ſententia apertè ſundatur in *cap.* 1. *& ult. De Feriis* & *in l.* 1 *ff. eod.* ubi ſtatuitur; quòd tempore *meſſium* & *vindemiarum*, nemo compellatur in jus venire; &, ſi judex contra *Partem* tunc abſentem & non comparentem, ſententiam tulerit; ea nullius ſit momenti, & citra appellationem, infirmetur. *Nec enim Prætoris factum juri derogare debet*, prout ſubjungitur in *cit. l.* 1. & ampliùs probatur ex textu, in *l. Si Feriatis. ff. & l.* 2. *Cod. Eod.* ubi non ſolùm diebus Dominicis aliiſque Feriatis, jubetur abſtineri ab omni ſtrepitu actúque judiciali; verùm etiam in poſteriore loco additur; *& quod contra hoc factum fuerit: omnibus modis irritatur.*

44. Dixi notanter: *extra, caſus in jure permiſſos.* Quales ſunt; ſi *Partes* renuntient Feriis ſaltem *ruſticis*, id eſt, inductis, ob neceſſitates hominum, præſertim ruri laborantium; quales ſunt feriæ Meſſium & Vindemiarum, de quibus fit mentio in *cap. ult.* §. *fin. De Feriis.* & *l.* 1. *ff. eod.* Item Feriæ, æſtivis caloribus mitigandis, deſtinatæ. *l. Omnes dies. Cod. eod.* cujuſmodi vocitantur *neceſſariæ*, utpote communibus hominum neceſſitatibus ſublevandis, deſtinatæ. Talibus enim Feriis, ſpontè à *Partibus* renuntiari poſſe, communiter ſuſtinetur, per *l. Si quis.* 29. *C. De pactis.* ubi Imperator ſic perſonat: *Regula* [eſt] *juris antiqui, omnes licentiam habere, iis, quæ pro ſe introducta ſunt, renuntiare.* Quinimò valere *Placitum* emanatum in feriis ruſticis; tenere itidem proceſſum judiciarium, ſi partes, tacitè vel expreſsè, conſenſerint; communiter tradunt juriſperiti, per *l.* 1. §. *Sed ſi Prætor ff. De feriis.* Junctâ *Gloſsâ* ℣. *Sententia valebit.* & *Bartolus. ibid.* docet; valere judicium, in præſentem; ſi non opponatur exceptio feriarum; licet in abſentem, judicium pro *nullo* ſit habendum. Idipſum evincitur per *l. Si feriatis. ff. eod.* & *cap. fin. eod.*

45. Cæterùm: actus *voluntariæ juriſdictionis*, qui nimirum abſque ſtrepitu judiciali, duntaxat in volentes, exercentur; diebus utcunque feriatis, rectè expediri; habetur ex *l. Solet. ff. De fer.* ubi dicitur: *Liberalia quoque judicia omni tempore finiuntur.* Cui concordat textus in *l. Actus omnes. Cod. eod.* Ubi diebus feriatis, emancipandi & manumittendi licentia cunctis conceditur. Unde *Baldus ibid.* in *Summario* inquit: *Actus voluntariæ juriſdictionis, poſſunt explicari quolibet tempore etiam feriato.* Proinde non ſolùm emancipationes & manumiſſiones, ùt dictum; ſed etiam diſpenſationes, adoptiones, pacta, tranſactiones, ratificationes contractuum; deſignationes Tutorum aut Curatorum, creationes Magiſtratuum, & actus conſimiles; diebus feriatis, validè expediuntur; prout ſat expreſsè inſinuatur *l. Eadem oratione. ff.* & *l. ult. C. Eod.* Ex dictis

46. Deduces 1mò. Quòd, licet feriis ruſticis, Meſſium videlicet & Vindemiarum, à *Partibus* renuntiari poſſit; aliud tamen obtineat de feriis Sacris, item de repentinis. Nam Feriæ Sacræ, utpote in honorem Dei inſtitutæ, principaliter concernunt cultum divinum (cui *Partium* conſenſu, renuntiari nequit) non autem *Partium* favorem, ſicut feriæ ruſticæ. Feriæ quoque repentinæ, ob honorem Principis, vel ob commune, de parta victoria, gaudium, indictæ; publicum potiùs, quàm privatum favorem reſpiciunt, *Arg. l. Omnes dies. Cod. De fe-*

feriis, ubi idcircò Imperator dies feriarum repentinarum appellat *ſuos dies.* ibi: *noſtris etiam diebus &c.* Confer *Gloſ. in Clement. Sæpe contingit.* ℣. *Ob neceſſitates. De V. S. Speculatorem.* ad *tit. De feriis.* §. *Nunc videamus. n.* 1. *Fagnanum in cap. Conqueſtus. n.* 7. *& ſeq. eod.*

47. Deduces 2*dò.* Ratione *neceſſitatis* ſive publicæ ſive privatæ; poſſe in omnibus feriis etiam in honorem Dei & Sanctorum introductis, judicia exerceri, ferri ſententias, & expediri cauſas, quæ celebritatem requirunt; veluti; ſi res cum tempore peritura foret; puta; ſi oriatur quæſtio circa collectionem fructuum alioquin periturorum, vel capturam piſcium raro, aut certis duntaxat diebus, apparentium. Quod & dicendum; ſi ob quamcunque cauſam, judici videatur perículoſa dilatio: cujus rei exemplum afferi ſolet in cauſis alimentorum & carceratorum, ne lite diutiùs protractâ, fame moriantur aut diutiús injuſtè vexentur. Rurſus, tempore feriato, poteſt interponi appellatio, utpote conceſſa ad naturalem defenſionem, & quæ ſine magno ſtrepitu exerceri poteſt, quamvis ejus proſecutio tunc fieri non valeat. *l.* 1. *C. De feriis.* & notat *Gloſſa* in *cap. ult.* & *Fagnanus. ibid. n.* 21. *tit. De feriis.* Porrò, ex cauſa *neceſſitatis*, poſſunt diebus feriatis, expediri actus judiciales, ipſáque ſententia promulgari, ſi alio tempore teſtes vocari, aut judex adiri non poſſit, vel ſaltem non ſine magno incommodo, aut (quò ad pauperes) non abſque jactura mercedis diurnæ, nam hæc ſatìs magna cenſeretur neceſſitas, cùm pauperes, maximè indigeant mercede diurnâ. Confer *Navarrum*, in *Manuali. cap.* 13. *n.* 13. *Tannerum. Tom.* 3. *diſp.* 5. *n.* 9. *Reiffenſtuel*, in *Theologia morali. tract.* 10. *diſt.* 1. *n.* 22.

Deduces 3*tiò.* Ratione *pietatis* ita ſuadentis; tempore feriato, rectè tractari cauſas debilium & miſerabilium perſonarum. Quia in operibus miſericordiæ, non eſt habenda diſtinctio dierum. *can. utinam. diſt.* 76. & *can. Nunquam. De conſecratione. diſt.* 5. Idem dicendum de cauſis ſpiritualibus electionum, inquiſitionum & hujuſmodi. *Joan. Andreas. in cap. Conqueſtus. n.* 22. *Fagnanus ibid. n.* 15. *De feriis.* Idque maximè procedit, in cauſis ad Religionem ſpectantibus; prout Hæretici ſolent diebus Feſtivis judicari & puniri, ad majorem tunc confluentium terrorem, fideíque Catholicæ defenſionem. Quia *ſumma eſt ratio, quæ pro Religione facit. l. Sunt perſonæ. ff. De Religioſ. & ſumptib. funer.* Vide *Pirbing ad tit. De feriis. n.* 21.

48. Deduces 4*tò.* Libellum judici poſſe offerri quocunque tempore etiam feriato. Quia oblatio libelli: non eſt actus judicialis, cùm præcedat citationem, à qua incipit judicium; neque eſt de proceſſu, ut colligitur, ex *l. Libertus. ff. De in jus vocand.* ubi porrigens Præſidi libellum, non cenſetur in jus vocare. Vide *Speculatorem. loc. cit.* §. *Sequitur. n.* 2. Aliud eſt de oblatione ſeu inſinuatio libelli facienda *Parti*, quia hæc eſt actus judicialis, ſpectátque ad ipſum proceſſum; ſiquidem oblatio libelli, *Parti* facta, vel præſupponit citationem, adeóque fit judicio jam cœpto; vel unà cum ipſa fit. Jam autem citatio non poteſt fieri die feriato. Ergo.

49. Deduces 5*tò.* In omnibus cauſis, quæ ob neceſſitatem vel pietatem, poſſunt diebus feriatis tractari, valere quoque citationem, non ſolùm ad diem feriatum, ſed etiam die feriato factam. *Ratio* in propatulo eſt; quia citatio eſt principium ipſius proceſsûs judiciarii: ergo, ubi ipſe proceſſus ritè & validè peragitur; utique valere debebit ipſa citatio. Si-

Digitized by Google

Siquidem, quando aliquid permittitur, videntur eſſe omnia permiſſa, per quæ pervenitur ad illud: út habet *Summarium l. Oratio ff. De ſponſalib.* Confer *Marantam. part. 6. ſpeculi aurei. tit. de citatione. n.* 121.

Difficultas tamen eſt de cauſis illis, quæ non poſſunt diebus feriatis expediri; an ſcilicet valeat citatio facta die feriato, vel ad diem feriatum? Quia in re triplex conſiderari poteſt actus. Primus eſt mandatum judicis, de citando. Secundus, eſt ipſemet actus citationis, ſeu executio mandati, quam facit *Apparitor* ſive *Nuntius*, citans *Partem* ad comparendum in judicio, *tali die*. Tertius, eſt proceſſus ex tali citatione inchoatus.

Priorem actum ex his tribus, ſive mandatum judicis de citando ad diem non feriatum, poſſe fieri diebus feriatis, dummodò non decernatur à judice pro tribunali ſedente, poſt *Fagnanum* in *d. c. conqueſtus. n.* 49. *& ſeqq. Vallenſem*, *Bellameram* & alios docet *Gail lib.* 1. *Practic. Obſerv O.* 53. *n.* 4. Contra *ſpeculatorem. tit. De citation.* §. 1. *n.* 15. *Marantam*, *part.* 6. *ſpeculi aurei. tit. De citat. n.* 119. & noviſſimè *Pirbing. ad tit. De feriis. n.* 28. *Ratio* eſt: quia mandatum de citando, eſt commiſſio alteri data ad citandum, quæ eſt actus *extrajudicialis* præcedens citationem, à qua incipit judicium. Et ſanè, ſi commiſſio totius juriſdictionis, vel totius alicujus cauſæ, poſſit fieri tempore feriato, per *l. quæ de tota. ff. De Rei vindic.* & facta tali tempore, non ſit invalida; cur non dicetur idem, de commiſſione citationis, quæ non niſi unum cauſæ articulun concernit?

Dixi: *Dummodo non decernatur &c.* Nam eô ipsô, mandatum citandi, eſſet actus proceſsûs judicialis, qui diebus feriatis prohibitus, per *cap.* 1. *& fin. De feriis.* Quinimò, ejuſmodi mandatum, ſententiam ſapit *interlocutoriam*, utique feriatis diebus prohibitam. Atque hac diſtinctione, commodè conciliari poteſt ſententia Doctorum oppoſitum tenentium, quia jura & rationes ab ipſis adductæ, ex *cap.* 1. & *fin.* & *l. ult. Cod. Eodem.* plus non evincunt.

Alterum actum, videlicet executionem citationis, per *Apparitorem* ſive *Nuntium* faciendam, non poſſe expediri die feriato, quantùm eſt de rigore juris communis, poſt *Baldum* in *l. Cum Clerici. n.* 3. *C. De Epiſc. & Cleric. Lanfrancum. tract. De citationib. n.* 18. Tenet *Proſper Farinacius. lib.* 2. *Deciſ.* 233. *n.* 4. citans *Rotæ* deciſionem. Conſonàtque *Gail. lib.* 1. *Pract. Obſerv. O.* 57. *n.* 6. *Vallenſis.* ad *tit. De feriis. n.* 13. & *Pirbing. eod. n.* 29. *Ratio* eſt: quia negari non poteſt, quin citatio ſpectet ad actus judicii. Et *Ratio rationis* eſt, quia ejuſmodi citatio, licet non arctet citatum ad comparendum *tunc*, tamen arctat atque afficit eum *pro tunc*, ſimúlque mentem ipſius conturbat & inquietat atque abducit in ſollicitudinem deliberandi & cogitandi ſuper cauſa factæ citationis, imò & plerumque provocat citatum ad iram & indignationem adverſus eum, qui citationem impetravit, ſicque ipſum avertit à contemplatione Dei & rerum ſacrarum, ac proinde ſubintrat finis à lege intentus; prohibendi ſcilicet diebus feriatis, *Placitum* ac ſtrepitum judicialem

Hæc autem præcipuè procedunt de Feriis Sacris, utpote, de quibus loquuntur *Canones* citati, & expreſsè agit: *l ult. Cod. De feriis.* His tamen addi poſſunt feriæ *repentinæ*, utpote, per Principem duntaxat indicibiles ad communem lætitiàm, & quæ pari veneratione cum feriis ſacris, jubentur obſervari in *cit. l Omnes dies. C. eod.* Cæterùm, in feriis *ruſticis*, Meſſis videlicet & Vindemiæ, valide fieri

ri citationem ad diem non feriatum, ultrò fatentur Doctores, & meritò tum eatenus ceſſant textus juris & rationes ſupra allegatæ. Quò facit, quod in *l.* 1. *ff. De feriis.* neutiquam prohibeatur fieri citatio in feriis ruſticis, ſed duntaxat decernatur, quòd *Meſſium Vindemiarumque tempore occupati circa rem ruſticam, in forum venire compellendi non ſint*; quæ duo ſunt valde diverſa.

Nec Obstat 1*mò*. Quòd dictum mandatum de citando, abſtrahat judicem à contemplatione Dei, ipsúmque interiùs inquietet, dum cogitur perpendere, an expediat tale mandatum concipere, & qualem terminum pro comparitione præfigere debeat? Non Obstat inquam hæc ratio; quia certè mandatum de citando non ita inquietat judicem, ſicut executio citationis, ſolet inquietare citatum. Et quamvis judex aliquantiſper intra ſe deliberare debeat; an & qualiter, mandatum iſthoc concipere debeat? Id tamen attendi non meretur: alioquin enim neque Judex neque Advocatus poſſet diebus feriatis, ulli cauſæ decidendæ vel deducendæ operam navare, cùm etiam eatenus opus ſit non modicâ interiori reflexione, aliqualiter hominem abſtrahente à rerum divinarum contemplatione.

Nec Obest 2*do*. Quòd effectus citationis, die feriatâ, ad non feriatam, dirigatur in tempus lege permiſſum, ac proinde valere debeat. *Arg. l. Si eum ſervum.* & *l. Quia in hoc. ff. De Donationib. inter vir. & ux.* Ubi donationes inter virum & uxorem, validæ reputantur, ſi *mortis causâ* factæ fuerint, eò quòd donationis eventus, in illud tempus excurrat, quo vir & uxor eſſe deſinent. *Reſp.* enim *Neg. paritatem.* Siquidem allegatæ leges ſpeciatim loquuntur de donatione inter virum & uxorem *mortis causâ*, in quo caſu, ceſſat ratio legis, donationes ſimiles *in vita* conjugatorum prohibentis, *ne videlicet mutuo amore ſe invicem ſpoliarent, donationibus non temperantes, ſed profusâ erga ſe facilitate utentes*: èontra verò, in noſtro caſu, non ceſſant rationes ob quas, diebus feriatis, unà cum ſtrepitu forenſi, *de jure* prohibita ſit citatio.

Dixi: *Quantum eſt de rigore juris communis.* ſiquidem *Abbas*, *Joan. Andreas*, *& alii*, quos citat *Fagnanus*, in *cap. Conqueſtus. cit. n.* 41. arbitrantur: hunc rigorem de conſuetudine, non obſervari. Verùm, quia conſuetudo eſt quid *facti*; in praxi examinandum erit, num in loco, de quo agitur, etiamnum talis vigeat conſuetudo.

Quantùm ad tertium actum, qui eſt proceſſus, ex citatione facta, inchoatus, indubium eſt: ipſum diebus feriatis fieri non poſſe, quia is veriſſimè eſt actus judicialis & conſequenter ſub pœna *nullitatis* prohibitus, prout probat *Fagnanus. loc. n.* 45.

Viceverſâ diſputatur: num valeat citatio facta, die non feriato, ad diem feriatum? ſed *Reſp.* breviter 1*mò*. Citationen factam diè etiam non feriato, ad diem Dominium vel alium feriatum, penitus eſſe invalidam, ita, ut citatum nullatenus conſtringat, ſed opus ſit novâ citatione. Ita poſt *Fagnanum. loc. cit. n.* 37. *& ſeq. Zoëſius. eod. tit. n.* 15. *& ſeq* contra *Gailum*, *lib.* 1. *Pract. Obſerv. O.* 53. *n.* 3. Ubi ait, quòd citatio hujuſmodi ſecundùm Canoniſtas, valeat; cùm juxta illos, procedat demum *diè ſequenti non feriatâ.* Verùm, Ratio *Reſponſionis* noſtræ eſt: quòd citatio expreſsè facta, ad diem feriatum, ſit temeraria & contra juris diſpoſitionem, ac proinde nullius debeat eſſe valoris ac firmitatis; quia *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* ùt habet *R J.* 64. *in* 6. junctô *Can. Imperiali.*

Digitized by Google

periali. cauſ. 25. *q.* 2. & *l. Non dubium. C. De legib.*

Resp. 2*dò.* Nihilominus validam eſſe citationem, quando quis citatur cum aſſignatione termini, *uſque ad talem feriam.* v. g. Si exprimatur: *Compareas coram nobis uſque ad diem Dominicum.* vel *uſque ad Feſtum Aſcenſionis Domini.* ita *Speculator. tit. De citatione.* §. 1. *n.* 13. cui conſonant cum *Fagnano. loc. cit. n.* 38. Doctores omnes, ex ratione; quòd talis termini aſſignatio, ac *ly uſque*, ſenſum habeat *excluſivum*, ut ſenſus ſit: *compareas còram nobis intra tempus*, *uſque*, id eſt; *ante feſtum &c.*

Dices cum *Gailo. loc. cit. n.* 2. in *cap. Cum dilecti.* 6. *De dolo & contum.* dicitur, quod, quando quis citatur ad totam cauſam, certo termino ſibi ad comparendum præfixo, duo ſub hac forma mandentur; primò; ut ad judicium veniat: ſecundò; ut illud die præfixo accedat, adeò, ut, ſi non poſſit venire die determinato; teneatur nihilominus ſe judici ſiſtere, quàm primùm poterit poſt lapſum terminum. Ex quo ſequi videtur, quòd citatus ad diem feriatum, teneatur ſaltem die ſequenti, comparere. Resp. cum *Fagnano.* ad *d. cap. Conqueſtus. n.* 38. textum *cap. Cum dilecti.* procedere, ubi citatio vel præceptum judicis, tenuit à principio; nam, tunc ſuperveniente impedimento, quò minus quis ad diem præfixum venire valeat; ſuſpenditur quidem citatio, non tamen ex toto relaxatur; quod ſecus eſt, quando citatio à principio fuit *nulla* ſive invalida, prout accidit in propoſito: nam, quod nullum eſt, nullum producit effectum. Cæterùm; ſi error non exprimatur in citatione, ſed dies comparitionis (utpote computandus à die factæ per Nuntium inſinuationis) per accidens incidit in diem feriatum; tunc non ſolùm tenuit mandatum judicis de citando, ſed etiam citatio. Unde non mirum, quòd taliter citatus teneatur comparere die ſequenti non feriato: ſecus eſt, ſi error exprimatur in citatione, dicendo: v. g. *Compareas die Dominico*, *coram judice.* Tunc enim nec mandatum judicis de citando, neque ipſa valet citatio. Igitur, ad obviandum altercationibus; à cautis & prudentibus judicibus, cautelæ loco, in citatione adjici ſolet hæc clauſula: *Compareas tali die: quòd, ſi illa non fuerit juridica, compareas die ſequenti juridicâ.*

Digitized by Google

CAPUT VIII.

DE

Quarto Decalogi Præcepto.

Honora Patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. *Exod.* 20.

SUMMARIUM.

1 *OMnia Decalogi præcepta charitatem pro ſine habent.*

2 Tria prioris tabulæ *præcepta, ordinant hominem in Deum*, ſeptem *verò* poſterioris tabulæ, *dirigunt hominem in proximum.*

3 Quartum *hoc Decalogi Præceptum eſt virtualiter* negativum.

4 *Quinam nomine parentum veniant?*

5 Honorare *quid ſit? & cur parentes carnales præcipuè honorandi?*

6 *Qualiter liberi amare debeant parentes, & quantoperè delinquant, ſi contra agant?*

7 *Filius in foro tum civili, tum criminali, regulariter nequit agere contra Patrem. Quod tamen limitatur.*

8 *Liberi ex naturali graviíque de ſe obligatione obedire debent parentibus non iniqua præcipientibus.*

9 *Ex levitate materiæ, aut inadvertentia; transgreſſio mandati paterni, poteſt evadere* venialis.

10 *Haud indiſcriminatè parentibus obtemperandum.*

11 *Qualiter liberi teneantur parentibus ſuccurrere in neceſſitatibus, tum ſpiritualibus, tum corporalibus?*

12 *Officia pietatis parentibus debita, operibus conſilii præferenda. Quamobrèm filius relictis in neceſſitate parentibus, nequit ingredi Monaſterium.*

Digitized by Google

13 *Parentum nomine, hac in parte, veniunt & avi & proavi; non verò conſanguinei collaterales.*

14 *An communis, aut futura parentum neceſſitas, filium præpediat ab ingreſſu Religionis?*

15 *Triplex intuitu parentum diſtingui poteſt neceſſitas.*

16 *Dicta ſuperiùs* n. 12. *limitantur & reſpectivè ampliantur.*

17 *Religioſus valens in Monaſterio cum Superiorum licentia, ſuccurrere parentum egeſtati, non poteſt exire.*

18 *Egreſſus autem, ceſſante parentum neceſſitate, regredi tenetur.*

19 *Satisfit Objectioni.*

20 *In eligendo vitæ ſtatu, ſummam Deus & natura liberis libertatem conceſſit.*

21 *Qualiter delinquant parentes, dum liberos, ad ſtatum religioſum vel matrimonialem, cogunt, vel ab eodem reſpectivè retrahunt?*

22 *Tametſi invitis etiam rationabiliter parentibus validè contrahantur Nuptiæ; peccant tamen graviter liberi, ſi regulariter eorum conſilium non explorent, conſenſúmque haud exſpectent.*

23 *Qualiter capienda* Edicta *Regum* Galliæ, *queis nuptiæ filiorum fam. invitis parentibus contractæ, irritantur?*

24 *Per Principum* Edicta *meritò exhæredari poſſunt liberi, qui ſpreto parentum conſenſu, nuptias contraxerunt. Quod tamen inſigniter* ibid. *limitatur.*

25 *Parentes culpâ non vacant, ſi ex motivis inſufficientibus, denegent, aut diutiùs differant conſenſum in nuptias liberorum.*

26 *Omnis irreverentia injuriâve parentibus illata, cæteris paribus, multò gravior eſt, ac irrogata aliis.*

27 *Liberi etiam in materia* adiaphora, *ſtudere debent, ut parentum placitum ſequantur.*

28 *Ex juſta tamen & urgente cauſa, refragari poſſunt parentum deſiderio.*

29 *Cur de obligatione parentum erga liberos, non meminerit hoc* quartum *Decalogi præceptum?*

30 *Parentes jure Divino naturali, nedum corporaliter, ſed & ſpiritualiter educare debent liberos. Et quid titulo utriúſque educationis comprehendatur?*

31 *Exemplo magìs, quàm verbo, erudiendi ſunt liberi, qui & delinquentes, diſcretè & prudenter corripiendi.*

32 *Filiorum* illegitimorum *variæ ſpecies.*

33 *Proles illegitimæ, qualiter à parentibus alendæ.*

34 *Pater etiam Eccleſiaſticus, nedum alimenta* Spurio, *ſed & filiæ* Spuriæ, *dotem congruam conſtituere debet.*

35 *Naturalis obligatio alendi* Spurios, *tranſit in hæredes parentum*

36 *Conſectaria hujus naturalis obligationis.*

37 *Parentes ſpirituales, puta: Epiſcopi, Paſtores, Superiores Eccleſiaſtici; item Patrini, quid ſuis reſpectivè filiis præſtare teneantur, quantâque hujuſmodi filios teneat obligatio reciproca?*

38 *De aliorum quaſi parentum, puta: Principum, Magiſtratuum, Tutorum, Toparcharum, Præceptorum, & Seniorum obligationibus & viceversâ agitur.*

39 *Fratribus & Sororibus aliiſque collateralibus, quid debeamus?*

40 *De officio, obligatione; item: peccatis conjugum inter ſe, proxè tractatur.*

---

1 A Sanctis Patribus traditum accepimus, Divina Decalogi præcepta, in *duas* redacta fuiſſe *Tabulas*, in quarum priore, *tria* illa continebantur, quæ jam expoſuimus, in poſteriori verò, *ſeptem* reliqua conſignabantur. *Ratio* divini ordinis horum præceptorum, inde deſumitur; quòd omnia Divina præcepta Charitatem pro fine reſpicientia, nos primò dirigant erga Deum, utpote ſummum bonum *per ſe* amabile; ſecundariò verò, erga proximum. Unde charitatem in Deum, tria priora præcepta docent: charitatem verò erga proximum, ſeptem reliqua demonſtrant. Ubi notandum, quòd illimitatè, ex toto corde ex tota anima, & ex totis viribus, Deum amare jubeamur: ita, ut noſtra erga Deum charitas, quotidie ardentior fieri debeat; at verò charitas erga proximum, ſuis limitibus circumſcripta ſit; jubet enim Deus proximum diligere, ſicut nos ipſos; adeò; ut, ſi quis hos fines egreſſus, pari paſſu ſeu gradu, Deum & proximum amaret; maximum ſcelus committeret, prout colligitur, ex *Lucæ* 11. *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores: adhuc autem & animam ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus.* In quam ſententiam (cùm quidam primùm humare vellet patrem, & poſtea Chriſtum ſequi) dictum eſt; *Lucæ 9. fine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Cujis rei dilucidior illa apud *S. Matthæum cap.* 10. expoſitio eſt; *Qui amat patrem aut matrem, pluſquàm me, non eſt me dignus.* Etſi igitur parentes vehementer amandi obſervandique ſint; equidem, ſervato pietatis ordine, in primis neceſſarium eſt; ut Deo, qui animam noſtram creavit, & effector rerum omnium eſt, præcipuus amor honor & cultus tribuatur. Proinde mortales parentes ita amari debent; ut ad cœleſtem æternúmque patrem, tota amoris noſtri vis, ultimatim referatur. Quòd, ſi interdum parentum juſſa, Dei præceptis repugnarent; indubium eſt, quòd liberi, parentum cupiditati, Dei voluntatem anteferre deberent, divinæ illius ſententiæ memores: *Obdedire oportet Deo magis quàm hominibus. Actor. 5.*

2. *Tria* quoque prioris Tabulæ *præcepta*, ordinant hominem in Deum, *in ſan-*

ſanctitate, per actus Religionis, & virtutum Theologicarum; poſterioris verò Tabulæ præcepta, dirigunt hominem ad proximum, *in juſtitia*: juſtitiam latiùs ſumendo, prout præter charitatem, etiam complectitur pietatem & obſervantiam erga majores.

3. Tametſi autem, primum hoc ſecundæ Tabulæ, præceptum, verbis *affirmativis* efferatur; virtualiter tamen & implicitè *negativum* eſt, perinde ac ſi diceretur: *Non inhonorabis Patrem tuum & Matrem tuam &c.*

4. Nomine Patris & Matris, ſeu parentum *primò* & propriè veniunt ii, qui nos ſecundùm carnem genuerunt. *2dò.* Qui in Chriſto Jeſu, per Evangelium, nobis vitam ſpiritualem dederunt, ut: Epiſcopi; Parochi, Sacerdotes *&c. 3tiò.* Tutores, Curatores, Patroni & adoptantes; eò quòd in parentum locum ſuccedant. *4tò.* Principes & Magiſtratus, qui ſunt patres populi, ùt patet ex *lib. 4. Reg. cap. 5.* ubi *Naaman Syrus*, Princeps militiæ, à ſervis ſuis vocatur *Pater.* & apud Romanos, paſſim Senatores appellati ſunt *Patres conſcripti. 5tò.* Magiſtri & Pædagogi. *6to.* Demum ſenes ætate venerabiles, de quibus 1. *ad Timoth. 5.* dicitur: *ſeniorem ne increpaveris, ſed &c.* & quanquàm hoc præceptum, ſecundùm litteram & principaliter, reſpiciat illos, à quibus carnaliter ſumus geniti; ob cohærentiam tamen materiæ, in qua juris naturalis, ſeu æquitatis ratio occurrit; de obligatione conſanguineorum collateralium, item: conjugum inter ſe, non inutilia proponemus.

5. *Honorare*, eſt de aliquo honorificè ſentire, & quæ illius ſunt, magni facere. Ideo autem parentibus ſecundùm carnem, præcipuus honor exhibendus eſt; quia ſunt immortalis Dei quaſi quædam ſimulacra, in iiſque ortûs noſtri imaginem intuemur, ab iis enim vita nobis data eſt, iiſque uſus eſt Deus, ut nobis animum mentémque impertiret. Honor autem parentibus debitus, potiſſimùm importat amorem, reverentiam, obedientiam & ſuſtentationem in neceſſitate.

6. Itaque *1mò.* liberi ſub gravi peccato, tenentur amare parentes, amore tum interno, tum externo, prout colligitur ex illo *Eccleſ. 7. Memento: quoniam, niſi per illos, natus non fuiſſes, & retribue illis, quantum & illi, tibi.* Jam verò parentes, verum & ſincerum amorem erga liberos multifariàm exhibent: ergo æquum eſt, ut parili amore, hi proſequantur parentes ſuos. Et ſanè; ſi amore tam interno, quàm externo, proximum complecti jubemur; quidnî à fortiori, parentes noſtros? Cùm his nemo nobis ſit proximior. Quocircà, liberi graviter delinquunt: ſi interiùs odio, contemptu, gravi indignatione, aut malevolentiâ ferantur in parentes, de eorum infortuniis gaudendo, de proſperitatibus dolendo; malum ipſis imprecando; aut mortem ipſorum exoptando: ſive, ut ab eis liberentur, ſive, ut citiùs hæreditatem conſequantur. Unde *Innocentius XI.* meritò hanc damnavit propoſitionem: *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.*

A fortiori in pietatem atrociter arietant, qui parentes exteriùs affligunt, qui torvis oculis, geſtibus contemptivis, eos aſpiciunt; quíque eos maledictionibus, injuriis, contumeliis impetunt; aut eos domô excludunt, aſpernantur, ſubſannant, derident, *&c.* & in hanc rem perpendi merentur ſacræ ſcripturæ comminationes. ùt *Proverb. 30. Oculum, qui ſubſannat Patrem, & qui deſpicit partum Matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & come-*

me-

medent eum filii aquilæ. & *ibid. cap.* 15. *qui affligit Patrem & fugat Matrem, ignominioſus eſt & infelix*. & *Exod.* 21. *qui maledixerit Patri ſuo vel Matri; morte moriatur*. Item: *Proverb.* 20. *qui maledicit Patri ſuo & Matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.*

2*dò*. Debent liberi parentibus, corde, verbo, ſignis & factis, ſingularem exhibere reverentiam. Nam, ùt dicitur *Eccleſ.* 3. *qui timet Dominum, honorat parentes & quaſi Dominis ſerviet his, qui ſe genuerunt*. & *S. Ambroſius lib.* 8. *in Lucam* ait: *Honora parentes tuos, quia ſuos Dei Filius honoravit: legiſti enim: & erat ſubditus illis. Si Deus ſervulis; quemadmodùm tu parentibus?* Quamobrèm liberi graviter delinquunt, ſi detrectent alloqui parentes, illos nolint ſalutare, cum ipſis converſari, ſi ipſos tales eſſe negent; tanquam ignotos tractent; aut è conſortio diſcedere jubeant, *&c.* Excipe tamen caſum, quo ob juſtam cauſam, & non invitis rationabiliter parentibus, nollet quis parentelam ſuam patefacere. Puta: ſi Pater foret infamis, adulter, fur, proditor Patriæ *&c.* declaratus, & ideo quis detectâ Patris perſonâ, grave deberet pati damnum ſive in honore, ſive in bonis fortunæ. Extra hujuſmodi circumſtantias, liberi enormiter peccant, ſi ſuos agnoſcere detrectent parentes, etſi pauperes; quia paupertas non eſt vitium, nec infirmam liberis irrogat.

7. Quinimò ex cauſa alioquin juſta, non licet filio agere aut teſtificari in foro civili aut criminali contra Patrem, niſi in caſu, quo pater injuſtè negaret filio alimenta: vel etiam in caſu, quo Pater per conſpirationem aut proditionem, eſſet Reus *Læſa Majeſtatis*; hoc enim caſu, ante crimen perpetratum ſeu conſummatum, quod tamen ſit præmeditatum & *in fieri*, (ſecus, ſi jam ſit conſummatum) teneretur Filius Patrem deſiſtere nolentem, accuſare, eò quòd bonum commune Reipublicæ prævaleat bono privato etiam parentum. Idipſum à fortiori, dicendum, ſi Pater eſſet diſſeminator Hæreſis; alióſque corrumperet: cùm honor Patris cœleſtis, præferri debeat honori Patris carnalis, Patrem cœleſtem taliter inhonorantis.

8. 3*tiò*. Liberi debent obedire parentibus, in omnibus, in quibus eis ſubſunt. Atque id ſæpius inculcat S. Scriptura, ùt: *ad Epheſ.* 6. *Filii obedite parentibus veſtris, in Domino* &: *ad Coloſ.* 3. *Filii obedite parentibus veſtris per omnia*. Sicut in cæteris, ita hac in parte, nobis præluxit lux mundi Chriſtus, qui non tantùm fuit Patri æterno obediens uſque ad mortem; ſed & perfectiſſimè obtemperavit ſuperbenedictæ Matri ſuæ *Mariæ*, & Divo *Joſepho* nutritio ſuo, tanquam vero Patri, quibus *erat ſubditus*. Inſigne quoque obedientiæ exemplum nobis dedit *Iſaac*, qui Patri ipſum immolare volenti, nedum obedivit, ſed & cooperatus fuit; prout legitur: *Genes* 22. & huc referri meretur; quòd *Rechabitæ* propter Patris ſui præceptum, ſemper à vino abſtinuerint. *Jerem.* 35. *Ratio* hujus ſuggeritur à jure naturali. Cùm enim parentes teneantur filios inſtruere & curam ipſorum gerere in iis, quæ ſunt honeſtatis & ſalutis; adeò, ut ipſi pro liberis ſæpe puniantur, exemplo *Heli* 1. *Reg.* 2. conſequens eſt; quòd viciſſim liberi teneantur obedire parentibus, in omnibus iis, quæ curam parentalem concernunt. Ubi nota: quòd *ad Eph.* 6. dicatur; *juſtum eſſe*; & *ad Coloſſ.* 3. dicatur: *placitum eſſe in Domino, ut liberi parentibus obediant.*

Hanc autem obligationem, ex jure naturali reſultantem, fore de ſe, ſeu ex genere ſuo, gravem, ſatis inſinuatur: *Eccleſ.* 3. ubi dicitur: *& ſic facite, ut ſalvi*

Digitized by Google

ſalvi ſitis. Quod idem eſt, ac dicere: quòd alioquin ſalvi eſſe non poſſint. Huc facit; quod *Deuteron.* 21. filius inobediens & contumax, jubeatur lapidibus obrui & : *ad Rom.* 1. inter traditos in reprobum ſenſum, numerentur liberi, *parentibus non obedientes*.

Dicta procedunt de liberis, ſi videlicet parentes *poſitivè* quid vetent aut jubeant; agere enim ſolùm contra ipſorum deſiderium, monitiones vel diſpoſitiones ordinarias; etſi aliunde peccatum eſſe poſſit; puta: ſi factum vel omiſſum, alioquin ſit vetitum; non tamen eſt peccatum ſpeciale contra obedientiam parentibus debitam. Sic: ſi Pater hortetur filium, ne frequentet tabernas, ob pravas inibi converſationes, ebrietates; aliáque pericula: filius autem tabernas adeat; peccabit is quidem exponendo ſe periculo ebrietatis vel luxuriæ, v. g. non tamen committet peccatum ſpeciale inobedientiæ, quale committeret; ſi ipſi talis popinarum ingreſſus fuiſſet expreſsè à Patre prohibitus.

9. Poſſet tamen trangreſſio præcepti paterni, ex levitate materiæ, vel inadvertentia vel etiam ex quadam negligentia, reddi venialis. Tum quia in re levi vel omnino indifferenti, quæ ſcilicet nec peccatum ſit, nec ad illud inducat, non poteſt Pater præcipiens, per ſe loquendo, graviter obligare; planè, ſicut de omni lege, præcepto, item voto, paſſim tradunt Doctores: adéoque filius, hujuſmodi Paterno mandato, abſque tamen formali contemptu, contraveniens; non niſi venialiter peccabit. Tum, quia ad peccatum mortale inobedientiæ, exigitur, ut quis omnino deliberatè & deſtinatâ voluntate, præcepto paterno obluctetur; ſcilicet, cum virtuali contemptu ſaltem, vel apertâ contumaciâ. Quocirca, ex inadvertentia; vel quadam negligentiâ aut ſocordiâ juvenilis præſertim levitatis; ſemel atque iterùm (non tamen ordinariè & nimis frequenter, unde virtualis contemptus & contumacia colligi poſſet) præceptum paternum tranſgredi, non cenſetur ſpeciale peccatum inobedientiæ, cùm Pater, hac ratione, non videatur graviter offendi, quamvis liberi propterea ſint reprehendendi.

Cæterùm, liberi regulariter tenentur obtemperare parentibus in iis, quæ concernunt familiæ regimen & domeſticam adminiſtrationem. Hinc, ſi Pater præcipiat filio, ut nihil de rebus familiæ donet, vendat, mutet; alienet *&c.* ut tali horâ domum revertatur; ut talem vel talem artem non addiſcat, *&c.* juxta materiæ proportionem, tenebitur ſub gravi vel levi peccato, Patri obſecundare.

10. Equidem liberi non tenentur parentibus indefinitè, ſeu in omnibus, obedire. Si enim parentum mandata repugnent Præceptis aut Conſiliis Evangelicis; tantùm abeſt, ut iis ſit obtemperandum, ut écontra, Chriſtus *Matth.* 10. & *Lucæ* 14. eatenus juſſerit odiſſe parentes, prout latiùs exponit *Divus Gregorius Homilia* 37. *in Evangel.* Quorſum & collimat illud axioma Apoſtoli. *Actor.* 5. *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus*. Ejuſdem ſenſûs eſt illud: *Deuteron.* 33. *qui dixit Patri ſuo & Matri ſuæ; neſcio vos, & fratribus, ignoro vos &c. hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt*.

Quòd, ſi igitur Mater præcipiat filiæ, ut leviuſculè ſe exornet, frequentet Comœdias; ſpectacula; Choréas; converſationes periculoſas; *&c.* ut viro nobili, ſed impio; diviti, ſed Hæretico; nubat: item; ſi Pater præcipiat filio, ut fraudulenter agat, exerceat uſuras prohibitas; alteri offerat duellum; vel oblatum ſuſcipiat: ut ſe manuteneri faciat in poſ-

ſeſſione

ſeſſione injuſta; malè parta non reſtituat; *&c.* nullatenus illis erit obtemperandum. Id quod maximè obtinere debet, ſi agatur de converſione ad veram fidem vel Religionem. Nimis enim certum eſt, quòd in his æternæ ſalutis negotiis, liberi neutiquam obedire teneantur parentibus contrarium præcipientibus aut ſuadentibus: in quam rem, poſt multa alia, celebre, habemus exemplum in *S. Hermenegildo* Martyre & Rege, quod refert *S. Gregorius. lib. 2. Dialog. cap. 13.* Quin & amplector hac in parte, ſicut multis aliis, ſententiam *Scoti in 4. Diſt. 4. q. 9.* ubi tradit: licere Principibus Chriſtianis, infantes parentum infidelium ipſis ſubditorum, ùt ùt renitentium, baptizari concurare; dummodo à parentibus infidelibus abſtrahantur, aut tanta ipſorum liberorum baptizatorum cura habeatur, ne in infidelitatem relabantur, aliáve gravia pericula incurrant. Per hoc enim, non tam Patria violatur poteſtas, quàm eripiantur liberi à Dæmonis poteſtate & parentum tyrannide, ac porrò reſtituantur libertati filiorum Dei, atque dirigantur in finem, ad quem creati ſunt.

11. *4to.* Denique liberi ſubvenire debent parentibus, in omnibus (quantùm poſſunt) neceſſitatibus, tum ſpiritualibus, tum corporalibus; prout colligitur ex *Eccleſ. 7. Honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris.... Et retribue illis, quomodo & illi, tibi.* Jam autem parentes liberis miniſtrant, tum ſpiritualia, tum corporalia. Ergo viciſſim, hi parentibus illa, in neceſſitate, ſuppeditare debent.

Unde, quantùm ad ſpiritualia; tenentur liberi; cum modeſtia tamen & reverentia, admonere parentes, ut ad corredeant, ſi fortè aliena retineant; aliis noceant; Sacramenta negligant; certa vitia familiaria habeant; aut propriæ ſalutis curam non habeant. Id quod maximè urgebit, in periculo mortis, ubi obligantur, illis proſpicere de Confeſſario, & Doctore & prudenti; tempeſtivè illis procurare Sacramentorum adminiſtrationem, atque conſolationem ſpiritualem.

Econtra, liberi graviter delinquunt ſi impediant, quò minus, parentes faciant Teſtamentum, Miſſas, eleemoſynas, aut alia pia legata, pro ſalute animarum ſuarum, relinquant; item; ſi parentis mortui debita non ſolvant, aut ſolvere diutius differant; legata non præſtent; vel malè acquiſita non reſtituant; ſi ad ea, ſufficiat hæreditas.

Loquendo de corporalibus: obligantur liberi, parentes infirmos viſitare, conſolari, & curari facere: iis itidem ſanis indigentibus, alimenta & alia ad victum & veſtitum neceſſaria, ſuppeditare, etiam in caſu, quo parentes mendicando aut operam ſuo ſtatui indecoram vel ætati inconvenientem præſtando, poſſent victum acquirere.

12. Tanta eſt liberorum erga parentes obligatio, ut, ſi parentes, ob carentiam filii, in gravem aut extremam neceſſitatem eſſent caſuri; filius nequidem poſſit ingredi Monaſterium, & ingreſſus, teneatur egredi. *Ratio* eſt; quia ingredi Monaſterium & amplecti vitam Religioſam, eſt tantùm *Conſilii*; ſubvenire verò parentibus graviter aut extremè indigentibus, eſt *Præcepti naturalis*. Quamobrèm Chriſtus, *Matt. 15.* graviter redarguit judæos, qui non attentâ parentum neceſſitate, ſuadebant liberis, ut ſub larva religioſæ obſervantiæ, Deo offerrent munera; & oſtendit ibidem Salvator, omnes oblationes voluntarias etiam Deo factas, poſtponendas eſſe parentum indigentium pietati. Igitur omnia vota, votorúmque executiones, cedere debent juri naturali fortiùs obliganti; quale eſt, juxta omnes,

nes, præceptum ſuccurrendi parentibus in gravi neceſſitate. Atque hoc præceptum adeò potenter obligat, ut Religioſus petitâ quidem, aſt etiam non obtentâ Superioris licentiâ, debeat deſerere monaſterium, ſi foris, non intus, poſſit abſque peccato aut ſcandalo aliorum, parentibus opitulari. Si enim licet ſurripere quid invito Domino, ut ſubveniatur extremæ alterius neceſſitati, quidni liceret invito Superiore, ſemetipſum ſubſtrahere monaſterio ad ſuccurrendum parentibus extremè indigentibus?

Dixi 1*mò*. Filium non poſſe ingredi aut profiteri Religionem, deſerendo parentes &c. Ubi in primis Observa: Dicta procedere in filio etiam *Illegitimo*, aut legitimo *emancipato*. *Ratio prioris* eſt, quia, ſi parens tenetur alere filium illegitimum, jure reciproco, hujuſmodi filius tenetur alere patrem indigentem. *Ratio poſterioris* eſt: quia hæc obligatio non oritur ex patria poteſtate, quatenus hæc, quò ad ſpeciales effectus, à jure Civili introducta, ſed ex intimo ſanguinis vinculo.

13. Observa etiam; parentum nomine, hîc quoque venire, Avos aut Proavos, quia ſunt vera principia, licet *mediata*, liberorum. Unde & his, in neceſſitate, ſuccurrendum: quanquàm primò ſuccurrendum ſit proximis parentibus. Diverſa igitur eſt ratio, in fratribus & ſororibus, extra curam parentum, exiſtentibus, propter horum enim neceſſitatem non tenetur quis abſtinere ab ingreſſu Religionis. Quia obligatio ſuccurrendi fratribus aut ſororibus, tantùm eſt *charitatis*; licet majoris, quàm reſpectu extraneorum. Charitas autem non obligat cum gravi ſuo incommodo, præſertim ſpirituali. Satiùs equidem in tali caſu, ingreſſus differetur, imò & omittetur, maximè, ſi ſoror graviſſimè indigeat, eò quòd fœmina difficiliùs poſſit ſibi conſulere, & aliunde majoribus exponatur periculis. Cæterùm; ſi fratres aut ſorores ſub cura & educatione parentum exiſtant; eorum neceſſitas, cenſeretur eſſe neceſſitas parentum, quibus incumbit obligatio alendi liberos. Unde & parentes relictis in paupertate liberis, nequeunt Religionem ingredi.

14. Dixi 2*dò*. Et locutus ſum, de gravi aut extrema neceſſitate. Nam propter *communem* parentum neceſſitatem, non tenetur filius ab ingreſſu Religionis abſtinere, aut egredi monaſterium: eò quòd talis neceſſitas, reputetur levis, adeóque, poſtponenda ſit actui tam generoſo & perfecto, qualis eſt ingreſſus Religionis. Idipſum obtinet de qualibet neceſſitate, quæ non eſt actualis, ſed tantùm futura; quia non tenetur filius parentum neceſſitatem prævenire; ſiquidem, ut 1. *Corinth*. 12. dicitur: *Filii non debent Parentibus theſaurizare*. Id eſt: bona, pro futura neceſſitate, colligere, ſed *parentes filiis*, idque ob diſcriminis rationem. Quia Pater tanquam principium, tenetur *per ſe*, filio proſpicere, filius autem, cùm non ſit principium, non tenetur parenti providere aut ſuccurrere, niſi *per accidens*, in caſu ſcilicet indigentiæ & quidem præſentis, ùt docet *D. Thomas*. 2. 2. *q*. 101. *art*. 4. Quanquàm non ſit inficiandum, ob communem aut etiam futuram tantùm parentum neceſſitatem, ſæpè conſultum eſſe (non tamen obligatorium) ab ingreſſu Religionis abſtinere, id quòd maximè verum eſt, ſi parentes ſint ære alieno gravati, vel onuſti prolibus, ſignanter puellis, quarum pudicitia & honor, ſine ſubſidio, periclitatur. Quinimò ſatiùs egerint Superiores; ſi hujuſmodi filios, ad ordinem, non ſuſcipiant; cùm ſit periculum, ne Profeſſi, ob parentum neceſſitatem, in-

inquietè vivant, ac alios præſertim Superiores moleſtent, ut parentibus ſuis ſubſidium ferant. Ex dictis

15. Colliges 1*mò*. Reſpectu parentum triplicem diſtingui neceſſitatem, ſcilicet: extremam, gravem, & communem. *Extrema* intelligitur, quando parens, ſine filii ſubſidio, deberet fame mori, eo quòd ſit infirmus, incarceratus, aut ab omnibus derelictus. *Gravis* reputatur; quando non poteſt ſine gravi vitæ aut famæ incommodo, etiam parcè vivere, puta: ſi teneretur cum ſtatûs indecentia, ſtipem colligere, aliis inſervire; artem ſuæ ſorti probroſam vel ætati haud congruam, exercere. *Communis* porrò eſt; ſi abſque ſtatûs ſui dedecore tenuiter vivere poteſt, licet interdum, nedum ſuperfluis, ſed etiam convenientibus carere cogatur.

16. Colliges 2*dò*. Dicta de prohibito ingreſſu filii in Monaſterium, limitanda fore. 1*mò*. Si filius remanens in ſæculo, deberet in occaſione proxima peccandi mortaliter verſari, hanc verò occaſionem, ingrediendo Monaſterium, evitare ac ſuperare poſſet. Tenetur enim unuſquiſque ex ordinata charitate, magìs ſalutem propriam ſpiritualem curare, quàm parentum temporalem. 2*dò*. Si aliæ adſint proles, quæ poſſint & velint parentibus ſuccurrere. 3*tiò*. Si non appareat vera & fundata ſpes, parentibus, in ſæculo, ſuccurrendi. 4*tò*. Si Religioſus factus, poſſit æquè facilè, aut faciliùs, parentibus ſubvenire; quod accidere poteſt in Monaſteriis locupletibus, ſi Prælatus cum Capitulo, ad id, ſe obſtrinxerit.

Colliges 3*tiò*. Econtra ſuperiorem reſolutionem procedere, licet quis voviſſet ingredi Religionem. Vel enim quis vovit, dum parentes actu indegebant; & votum, ùt ùt validum, non obligat durante indigentiâ, utpote incompoſſibile cum præcepto naturali, ſuccurrendi parentibus: vel vovit quis, antequam indigebant; & tunc ſuperveniente mutatione, ſuſpenditur ejus obligatio, ſicut ſuſpenderetur in eo, qui voviſſet jejunare in pane & aqua, & fieret infirmus. Cæterùm; ſicut prædicto modo valeret, aſt illicitum eſſet votum, durante vel etiam probabiliter prævisâ parentum egeſtate, emiſſum; ſic etiam Profeſſio Religioſa foret valida, aſt illicita.

17. Colliges 4*tò*. Si filius remanens in Monaſterio, poſſit ſubvenire parentibus, modo, ſtatui ſuo non diſconvenienti, teneri Prælatum Religioſo profeſſo ad id licentiam concedere, ſive interim in receptione ipſius, nota fuerit parentum neceſſitas, ſive non; & ideo, ſi Superior injuſtè illam licentiam negaret; poſſet inferior occultè & ſine ſcandalo, huic obligationi ſatisfacere, v. g. Scribendo, laborando, eleemoſynas particulares ſollicitando. Aſt, ut obvietur cunctis inconvenientiis; diſcretus Prælatus debebit præſcribere & adinvenire modum, quo filius ſine vitæ regularis diſpendio, parentibus ſuccurrere poſſit.

18. Colliges 5*tò*. Mortuis parentibus, aut aliunde ceſſante ipſorum neceſſitate, teneri filium ad omnia vota, exercitia religioſa & obligationes, ad quas ſeclusâ parentum neceſſitate, fuiſſet obligatus; quia tantùm ſuſpenſa fuit illorum executio, in quantum erat incompoſſibilis cum præcepto ſubveniendi parentibus. Quamobrèm, Profeſſus non tantùm debet regredi in Monaſterium, ſi fuerit egreſſus; ſed etiam is, qui tempore indigentiæ parentum, vovit Religionem, illam ingredi debet. Neque

19. Dicas: Votum hujuſmodi fuiſſe invalidum; ſi enim maritus, qui vovit Religionem, teneatur illam ingredi, defunctâ

functâ conjuge, votúmque ejus reputetur validum; quidnì idem dicendum in noſtro caſu? cùm votum illud ſit de meliori bono? Tametſi autem pro tunc impleri nequeat; inde tamen plus non ſequitur, quàm quòd pro illo tempore, ſuſpenſa ſit ejus executio. Quòd, ſi ideo votum eſſet invalidum, quia impedit impletionem præcepti naturalis ſuccurrendi parentibus; utique à fortiori, invalida foret Profeſſio Religioſa in iiſdem circumſtantiis, cùm hæc æquè, imò magis impletionem illam impediat.

20. Hic indagari meretur, quantùm parentibus debeant liberi in eligendo vitæ ſtatu? Profectò, licet parentibus competat, ſuadere & conſulere liberis, circa electionem ſtatûs vitæ; rationi quoque ſit conſentaneum, ut liberi viciſſim, hac ſuper re, conſulant parentes, eorùmque rationabilem ſequantur voluntatem; nihilominus hac in parte, non tenentur liberi abſolutè obtemperare aut acquieſcere parentum voluntati; quia in eligendo vitæ ſtatu, ſummam Deus & natura, liberis libertatem conceſſit, adeóque

21. 1*mò*. Peccant mortaliter parentes, ſi filios aut filias invitas, ad ingrediendum Monaſterium, vel aſſumendum ſtatum Clericalem, metu, vi, fraude, aut quovis modo, etiam *indirectè*, compellant; quia valde injuſtum eſt cogere aliquem ad id, reſpectu cujus, Deus ſpecialiter unicuique liberam reliquit facultatem. Unde Concilium *Trident. ſeſſ*. 25 *c*. 18. *De Regularib*. rigidiſſimâ prohibitione tulit ſententiam excommunicationis in eos, qui quomodolibet virginem, viduam aut aliam mulierem invitam, ad vitam Religioſam ſeu clauſtralem cogunt, aut ad id favorem, auxilium, authoritatémque præbent. Quinimò dictum Concilium *cap*. 17. permittit omnibus, per vim aut metum in Religionem intruſis, intra quinquennium, coram competente judice, cauſas deducere & re probatâ diſcedere.

2*dò*. Econtra mortaliter delinquunt parentes [idem eſt de aliis] ſi filios filiáſve, à Religionis ingreſſu, injuſte retrahant, etiam ſine vi aut fraude; puta: importunis precibus, ſuaſionibus, blanditiis. Qua de re videri poteſt *Molina, Tom*. 4. *tract*. 4. *De juſtitia. diſp*. 51. *n*. 2. Cæterùm, ſi parentes filium v. g. cujus indolem noverunt, quémque ad vitam Religioſam ineptum ſciunt, ab ingreſſu retrahant, tantùm abeſt, ut peccent; ut ècontra obligationi ſuæ non ſatisfaciant; ſi quantum poſſunt, non obſiſtant. Optimè igitur egerint parentes, ſi prolium ſuarum vocationem ſeriò examinent; conſtantiam propoſiti experiantur, & probent; num voluntas ipſarum, ex Deo ſit, an verò ex levitate aut aliorum doloſa inductione ſit profecta?

3*tiò*. Non minus malè agunt parentes, ſi abſque rationabili cauſa, liberos compellant ad incundum Matrimonium; quia in Matrimonio, eſt ſervitus quoque perpetua & ideò (inquit *Sanchez. lib*. 4. *De Matrim. diſp*. 22. *n*. 4.) cùm homo ſit liberæ conditionis, nequit à Patre, ad hanc ſervitutem compelli. Quòd ſi Arguas; poſſe filium à Patre in neceſſitate conſtituto, vendi, & ita ſuâ libertate privari; dic: diſparem eſſe rationem: quia hæc ſervitus, non exigit mutuum amorem, neque eſt perpetua: poteſt enim redimi, quæ ſecus ſe habent in Matrimonio. Nolim tamen inde Inferas; parentibus eſſe inhibitum, ob rationabile motivum, filium vel filiam ad nuptias invitare ac inducere; puta: ex cauſa familiæ propagandæ, facultatum conſervandarum aut ampliandarum &c

22. His præmiſſis, quantum ad jus naturale de honorandis parentibus attinet; catholica & vera ſententia eſt; quòd liberi

Digitized by Google

beri volentes, inire matrimonium, teneantur [ſi commodè poſſint] parentum conſilium & conſenſum poſtulare & exſpectare, quanquàm ipſis invitis, *validè*: & injuſtè diſſentientibus, etiam *licitè*, queant nuptias contrahere.

Quod parentum conſilium conſenſúſq; ſit expetendus, ſatis inſinuatur in Sacra Scriptura, *Eccleſ.* 7. ubi cura parentibus imponitur, ut nuptui tradant filios & filias. Idem ipſis inculcatur, *Geneſ.* 24. & 28. Item: 1. *Corinth.* 7. Quomodò autem parentes, poſſent proles in matrimonium debitè elocare; ſi his invitis & inconſultis, ipſæ poſſent nuptias contrahere? Abſque dubio igitur, graviter contra reverentiam & pietatem peccant liberi, non petitô (ſi commodè petere poſſunt) aut juſtè denegatô parentum conſenſu, nubentes. Et quanquàm liberi non teneantur abſolutè ſequi parentum conſilium; attamen, cùm parentes optimè ſemper præſumantur velle proſpicere liberis ſuis, & meliùs noverint, quid ipſis conducat, quàm liberi ipſmetq, ſæpe, cæco amore abrepti, ad nuptias anhelantes; ideo non video, quo fundamento *Pater Sporer. tract.* 3. *in Decalog. cap.* 5. §. 4. *n.* 25. contendat; liberos non obligari ſub gravi peccato, hac in parte conſulere parentes.

Equidem; quia liberi in eligendo vitæ ſtatu, & præſertim contrahendo Matrimonio, jure naturæ, liberam habent facultatem; ideo nec ullâ lege Canonicâ, ſtatutum; quòd defectu conſensûs Parentum nuptiæ ſint invalidæ; quin potiùs *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 24. *De reformat. Matrim. cap.* 1. graviter reprehendit illos, *qui falsò affirmant, Matrimonia à filiis-familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes, ea rata vel irrita facere poſſe.* Quapropter in toto Romano Imperio & in vicino *Belgio*, Matrimonia filiorum aut filiarum-familias, invitis aut non conſultis parentibus, inita, pro validis habentur.

33. Equidem in *Gallia*, ſi *Edicta Regia* in rigore verborum accipiantur, hujuſmodi Matrimonia irrita & invalida pronuntiari videntur; ſaltem ſi probari queat, quòd ſeductio, quæ ſpeciem *raptûs* præſeferat, interceſſerit, prout bene exponit & obſervat *Claudius De Blondeau, in Bibliotheca Canonica. Verb. Mariages. pag.* 84. Ut ita invaliditas Matrimonii, non tam in defectum conſensûs parentum, quàm in crimen raptûs, refundatur. Quidquid ſit de illhoc *Edicto Regio* & obſervantia *Gallicana*; hoc certum eſt, quòd hujuſmodi liberorum Matrimonia, ſancta Dei Eccleſia, ex juſtiſſimis cauſis, ſemper prohibuerit & deteſtata ſit, prout loquitur Synodus *Tridentina. dict. cap.* 1.

24. Nequaquam proinde, menti Eccleſiæ contrariantur Principum leges, dum hujuſmodi nuptias rigosè prohibent, atque contrahentes, vel ea in re quomodolibet concurrentes, puniunt; quin & effectibus civilibus, ſimiles nuptias evacuant. Unde culpandus non eſt *Henricus II. Galliæ Rex*, qui *Anno* 1556. per Edictum publicum, *art* 1. ſtatuit; *Quòd filii-familias, qui contraxerint aut contrahent impoſterùm Matrimonia clandeſtina, invitis aut inſciis Patre & Matre, poſſint propter commiſſam hanc ingratitudinem, vituperium & contemptum ſuorum dictorum parentum, tranſgreſſionem legis Divinæ, & læſam honeſtatem publicam, à ſuis reſpectivè parentibus, exhæredari, & excludi ab ipſorum ſucceſſione, abſque ſpe alicujis querelæ, adverſus hujuſmodi exhæredationem, recipiendæ; quin & liberum ſit parentibus, revocare omnes & ſingulas donationes liberis ſuis factas.*

Statuit quoque idem Rex, quòd liberi ſic Matrimonio juncti, in caſum factæ exhære-

Digitized by Google

redationis , ſint incapaces omnium jurium & emolumentorum , vi Matrimonialium ſeu antenuptialium contractuum , teſtamentorum , legúmve aut conſuetudinum municipalium beneficio , illis alias quærendorum. Subjunctâ tamen limitatione , *quòd iſthoc edicto ſuo , non intendat comprehendere Matrimonia contracta , à filiis-familias , excedentibus annos* triginta , *aut filiabus excedentibus annos* viginti quinque *modò ſaltem requiſiverint conſilium parentum. Item , quòd à Matre , quæ ad ſecundas nuptias tranſierit , ſufficiat petiviſſe conſilium.* Hac de re , pro Regionibus Chriſtianiſſimo Regi parentibus , videri poteſt Edictum *Henrici III. de Anno* 1579. *Bleſis editum. art.* 40. ubi inhibetur Parochis , Vicariis aliiſque , qui ſolemnizationi Matrimonii aſſiſtunt , ut , ſi conjungendi ſint filii-familias aut aliorum poteſtati ſubjecti ; ne ad ſolemnizationem procedant , niſi ipſis conſtet de conſenſu parentum , Tutorum aut Curatorum , alias puniendi , ùt fautores criminis *raptûs*

Cùm Edictis Regis Galliæ , coïncidunt illa , quæ *Carolus V. 4tâ. Octobris* 1540. & *Philippus IV. 29. Novembris* 1623. tanquam Reges Hiſpaniæ , pro Belgicis Provinciis , divulgârunt , & quorum primum habetur , *parte* 1. *Edictorum Flandriæ lib.* 3. *Rubr.* 1. poſterius vero , *part.* 2. *lib.* 3. *Rubric.* 1. Tenor Edicti poſterioris ſic ſonat : *Filii-familias minores* 25. *annis , qui inſciis aut invitis parentibus , & omnes minores , qui ſine conſilio & conſenſu proximorum conſanguineorum paterni & materni lateris , & Tutorum ſeu Curatorum , cujuſcunque ſint qualitatis , contraxerint ; incapaces ſint omnium lucrorum , quæ directè vel indirectè , alter ab altero , petere poſſet per conventiones , donationes inter vivos aut causâ mortis , teſtamenta , ſucceſſiones , conſuetudinem , ſeu alium quemcunque modum , declarando irritas quaſcunque conventiones & donationes in alterutriùs utilitatem pactas ; eáque diſpoſitio vigeat , quamvis poſteà parentum conſenſus ſuperveniat.. Poſſint hujuſmodi etiam filii-familias à patre & matre exhæredari , nec recipiatur querela , ſub prætextu ,* legitimæ , *dotis , alimentationis aut conſuetudinariæ devolutionis , quò ad bona profecta à latere ſuperſtitis , qui ex eis , filio inobedienti , jus adimere poterit : non aliis tamen , quibus ex eadem devolutione , jus aliquod debitum ſit.*

Ubi vides hoc *Edicto* non comprehendi filios-familias *majores* 25. *annis* , dummodò conſilium parentum requiſiverint , quod etiam à matre , quæ ad ſecundas nuptias tranſiit , requiſiviſſe ſufficit.

Itaque *Edicta* hæc , licet Matrimonia filiorum familias etiam *minorennium* , ſine conſenſu parentum inita , non irritent , aut invalida reddant , in ratione Sacramenti , verúmque vinculum Matrimoniale inter taliter conjugatos conſiſtat ; ſunt tamen hujuſmodi nuptiæ quodammodò *nullæ* , qùo ad effectus *civiles* , quibus vi horum Edictorum , deſtituuntur.

Neque hos effectus , hujuſmodi Matrimonia obtinebunt ; tametſi prætendatur , contractis jam nuptiis , parentes *irrationabiliter* contradixiſſe , niſi judex ipſe , jam prius de hac irrationabilitate cognoverit & pronuntiaverit , atque ita authore judice , Matrimonium celebratum fuerit. Edictum enim *Caroli V.* ad quod & illud *Philippi IV.* ſe refert ; diſſenſum parentum , ad cenſuram judicis remittit , qui rationes exiget & ponderabit ; quæ , ſi legitimæ non fuerint ; Magiſtratus parentum Officium ſupplebit , & authoritate ſuâ , contrahendi facultatem dabit , abque tunc ceſſabunt pænæ ſupra enumeratæ , quia id , quod authore judice factum , pænam non meretur. Ubi

Nota ſub Magiſtratu ſeu judice , tam

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiaſticum, quàm Civilem, intelligi; quod (inquit *Zypæus in notitia Juris Belgici. tit. De ſponſalib. n.* 8.) tantò magìs apud *Belgas* rationabile eſt, quòd apud *Batavos*, Miniſtri Hæretici, hac in parte, vìcem Magiſtratús obeant, prout teſtatur *Grotius in Iſagoge ad Jus Hollandicum. lib.* 1. *part.* 5. Sed quidquid ſit, cùm hìc præcipuè agatur de valore Matrimonii, quò ad effectus merè civiles, & de obſervantia, aut violatione, Edictorum Regiorum, utique conſultiùs erit, & Judicis Regii authoritatem interponere, quod & *Zypæus* agnoſcit, verbis relatis ſubjungens: *Ad vitandas tamen calumnias, ſuaſero; ut Civilis etiam Magiſtratûs judicium interveniat.*

25. Dum ſuæ, hac in re, obligationis admonentur filii-familias; parentes quoque inſtruendi ſunt de culpa, quam incurrunt, ſi conſenſum ſuum negando aut nimium protelando, prolium ſuarum Matrimonia, & quidem ex motivis humanis ſæpe inſufficientibus, ac parum Chriſtianis, cauſa ſint; quòd proles in peſſima quæque ruant. Sciant ergo parentes, cauſam ſufficientem denegandi conſenſum ſuum, non ſemper eſſe; ſi filius nobilis velit ducere ignobilem, dives pauperem *&c.* ſi aliunde bona indoles, egregiæ qualitates, aut amor ſincerus & honeſtus, compenſent id, quod natura aut fortuna negavit; quanquàm aliud dicendum foret, ſi inde familia graviter inhonoraretur; aut, ſi contrahens, poſſet per aliud Matrimonium æquè aut magìs commodum ac conveniens, pacificare familias diſſidentes, aut familiam paternam, ab aliqua notabili neceſſitate liberare.

26. Ex dictis facilè intelligitur, odium, contemptum, irreverentiam, omnémque injuriam parentibus illatam, cæteris paribus, multò graviorem eſſe, quàm, ſi aliis proximis, etiam propinquis, inferatur. Excipitur tamen furtum; quia parentes, à quibus liberi quid auferunt, non adeò cenſentur inviti, quàm, ſi furtum ab extraneis committatur.

27. Ob amorem igitur reverentiam & obedientiam, quam liberi parentibus, debent, ſequitur; quod, ſi abſque juſta cauſa, aliquid agant vel omittant, etiamſi alioquin de ſe malum non ſit, ex quo tamen ſciant parentes graviter offendendos: conturbandos, contriſtandos vel ad iram provocandos; ipſo factô vel omiſsô, lethaliter peccare. Sic: *Eſau*, quia ſciebat Patrem ſuum *Iſaac*, graviter contriſtandum, ſi acciperet uxorem de filiabus *Chanaan*; etſi id per ſe malum non fuerit; attamen id faciendo & quidem abſque omni juſta cauſa, ex communi Patrum & interpretum conſenſu, peccavit *mortaliter*. Unde noverint liberi, ſe ſæpe peccare graviter, ſi in materia *de ſe* non graviter mala, vel etiam *adiaphorâ*, parentum voluntati refragentur, v. g. ſi ſine licentia, domô exeant, ſerò redeant, cum perſonis certis loquantur *&c.* & hinc in dubio, an ſit juſta cauſa agendi aliquid, ex quo parentes offendendi vel contriſtandi prævidentur: tenentur liberi abſtinere à tali facto; imò, etſi quandoque juſta ſubſit cauſa, ſi tamen nulla urgeat neceſſitas tale qui agendi; valde laudabile erit, ſi parentibus obſecundent & placere ſtudeant.

28. Dixi: *ſi abſque juſta cauſa.* Nam, ſi juſta cauſa omnino urgeat, & certò conſtet, offenſionem vel contriſtationem parentum, ex mera eorum moroſitate, melancholiâ, apprehenſione vel etiam malitiâ, irrationabiliter vel iniquè, orituram; non peccabunt liberi, illud agentes, id quod maximè obtinet, in ſequenda vocatione divina, per textum *Matth.* 1. *Qui amat Patrem aut Matrem pluſquàm me, non eſt me dignus.* Quò facit & exemplum

plum ipſius obedientiſſimi *Jeſu*, inſciis & triſtiſſimis parentibus, in templo remanentis, item illud *Jonathæ* [egerrimè licet ferente Patre ſuo *Saul*] *David* adhærenti. Ut meritò dixerit *S. Gregoris Homil.* 7. *in Evangelia*: *Quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus.* & *S. Hieronymus*: *Epiſt.* 1. *ad Heliodorum*: *licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat, Mater oſtendat; licet in limine Pater jaceat; per calcatum perge Patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola: ſolum pietatis genus eſt, in hac re, eſſe crudelem.* Rurſus tamen ruminandum, an non mentiatur iniquitas ſibi, & num vocatio verè ex Deo ſit, & num ob parentum neceſſitatem, non præponderet præceptum naturale? Vidimus; quantùm liberi parentibus debeant; reciprocè, quid hi liberis præſtare teneantur; conſequenter diſquiremus.

29. Cur de obligatione parentum erga liberos, non meminerit hoc præceptum Decalogi, *Ratio* eſt: quia ad amorem liberorum, natura ſatis ſtimulat genitores, qui ſolius generationis & proprii ſanguinis memores, ſuæ erga genitos obligationis, ſatis admonentur. Quoniam autem quidam genitores reperiuntur, qui, quod in ipſorum corde ſcriptum, legere contemnunt; ideo illos exhortatur Apoſtolus: *ad Epheſ.* 6. *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.*

30. Jure autem Divino *naturali*, obligantur parentes, liberis ſuis exhibere amorem & educationem duplicem, *corporalem* ſcilicet & *ſpiritualem*; hæcque obligatio ex ipſis, naturalis legis, viſceribus proficiſcitur. Unde & bruta animantia fœtus ſuos diligunt & educant. Homini autem rationis compoti & ad finem ſupernaturalem creato, duplex debetur educatio, una corporalis, ad *eſſe naturæ*, altera ſpiritualis, ad *eſſe gratiæ*, inque ordine ad ultimum finem, qui Deus eſt.

Obligatio amoris parentum erga liberos poſtulat, ut ipſis bene velint, ſaltem *negativè*, excludendo omne odium, averſionem, rancorem, omnémque pravum affectum; item: ut quantùm poſſunt & opus eſt, ipſis *poſitivè* benefaciant; multò magis omne malum vel damnum corporale vel ſpirituale avertere ſatagant.

Peccant ergo parentes pro ratione materiæ, etiam mortaliter; ſi liberos gravi & injuſto odio proſequantur, domo expellant, eorum aſpectum ferre nolint; quique, ut uni faveant, alios tanquam adulterinos, negligunt: item; ſi prolibus maledicant, ſeu mala imprecentur, ſeriò ſcilicet, ſeu animo, ut iis mala eveniant: ſi iis in gravi vel extrema neceſſitate non ſuccurrant; aut damna vel mala ab iis avertere non conentur.

Educatio corporis, quam parentes liberis ſuis impendere debent; tria involvit; ſcilicet providentiam *vitæ*, *victûs* & *ſtatûs*.

Ex primo capite, à primo momento conceptionis, imò & ante, tenentur parentes ſedulò curare, ne quidquam agant, quod vitæ prolis, ejúſque ſanitati aut naturali perfectioni obeſſe queat.

Proinde peccant 1*mò*. & quidem mortaliter parentes, ſi tempore *menſtrui*, aut alias, impuris, importunis, & inordinatis commixtionibus vacent, cum periculo abortûs, aut prolis vitiandæ. 2*dò*. Peccant juxta materiæ proportionem, Matres; ſi poſt prolem conceptam: immoderatè itinerentur, ſaltent, currant, nociva bibant aut edant; ſi ſibi, fructuíque, quem portant, in lecto vel alibi, non proſpiciant; ſi de obſtetricibus peritis, ſibi tempeſtivè non provideant; item: ſi tempore lactationis, ſe ipſas non obſervent; aut, ſi abſque cauſa rationabili, pro-

proprio lacte, proles non nutriant. Quòd, ſi juſta deſit cauſa, & ſolius commoditatis gratiâ, vel, ut pulchriores maneant: proles nutricibus committant; ad minimum delinquunt *venialiter*, cùm ipſa bruta, partus ſuos nutriant, naturâ id ſuggerente. Unde, ùt dicitur: *can.* 4. *diſt.* 5. *Prava, in conjugatorum moribus, conſuetudo ſurrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eóſque ad nutriendum, aliis mulieribus tradant.* Quòd; ſi nutrices adhibeant infecti ſanguinis, pravorum morum & indolis corruptæ; ita, ut exinde periculum exurgat, ne infans in vitæ, ſanitatis aut morum corruptionis diſcrimen incidat; peccati mortalis labem non effugient, & ipſis occini poterit illud: *Thren.* 4. ℣. 3. *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi Struthio in deſerto.* 3*tiò.* Peccant graviter Mariti, qui cum periculo abortûs, vel fructûs extinguendi aut ei notabiliter nocendi, conjuges crudeliter tractant, vexant; exaſperant; trudunt aut percutiunt. 4*tò.* Sub gravi peccato, diligenter curare debent parentes, ne infantes nimium plorando ſibi noceant; ne in ignem aur aquam cadant; ne ſuffocentur; & ideo nunquam debent cum ipſis in eodem lecto, ſaltem ante primum ætatis annum, dormire; alioquin ſuffocato per ipſos infante, *infanticidii* reatum, coram Deo, contrahent. 5*tò.* Enormiter delinquunt parentes, qui ullâ ratione infantes educare valent, dum illos in Eccleſiis, pauperum xenodochiis, aut alibi exponunt; tenentúrque Magiſtratui, Eccleſiæ, aut pauperum domibus reſpectivè, omne damnum inde cauſatum reſarcire.

Ex ſecundo capite, ſeu loquendo de alimentis; tenentur parentes liberis præſtare neceſſaria, quò ad victum & veſtitum, donec ad robuſtam ætatem pervenerint; ita, ut ſeipſos arte, opificio, officio vel ſervitio, pro ratione ſtatûs ſui, alere & ſuſtentare valeant. Quòd, ſi pater bonis careat; polleat autem mater; huic, hæc incumbet obligatio; utroque autem non ſufficiente; Avi, aliíque Aſcendentes paterni, & his rurſum deficientibus vel non ſufficientibus, Avi & Progenitores materni, & in horum omnium defectu, conſanguinei collaterales proximi, ipſâ naturali ratione id ſuadente, & ordine charitatis poſtulante, ſubire debebunt hoc onus, quantùm, conſideratis conſiderandis, facere poterunt.

Ex tertio capite; tenetur pater plebejus curare, ut liberi addiſcant honeſtam artem, opificium vel diſciplinam ſtatui ipſorum competentem, adeóque ſuppeditare expenſas (quantùm facultas bonorum patitur) ut filius ingenuus ad ſtudia animum habens, ſcholas & Academias frequentet, gradus ſuſcipiat &c. Quinimò Apoſtolo docente; 2. *ad Corinth.* 11. Parentes liberis ſuis *theſaurizare* debent, quantùm fieri poteſt, ſalvâ juſtitiâ, ut in futurum, honeſtè & ſtatui ſuo congruenter, vivere poſſint. Qua in parte bifariàm ſæpe peccant parentes, videlicet: aut *per defectum*; negligendo & diſſipando bona temporalia, unde liberis nedum egeſtas, ſed & multorum malorum occaſio paratur: aut *per exceſſum*; nimiâ ſcilicet cupiditate, per fas & nefas divitias congregando, unde ſibi & liberis ſuis, potius ignes æternos parant, quàm temporaliter proſpiciant.

Differendo de educatione ſpirituali liberorum; certum eſt, parentes præprimis & rigorosè obligari ad inſtruendum per ſe, vel per alios, in omnibus ad ſalutem neceſſariis & utilibus, liberos ſuos; prout colligitur ex S. Scriptura: *Deuteron.* 11. *Docete filios veſtros* (verba mea) *ut illa meditentur.* & *Eccleſiaſticis* 30. *Do-*

ce

Digitized by Google

ce filium tuum & operare in illo. Id quod egregiè præſtitit *Tobias*, dum filio dixit: *cap.* 4. *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum: & cave; ne aliquando peccato conſentias & prætermittas Præcepta Domini Dei noſtri .... Omni tempore benedic Deum & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. Ratio* eſt: quia Parentes, liberos mundo producunt, non propter mundum ſed propter cœlum, adeóque tenentur ipſis procurare media, ut eò pertingere valeant. Quocircà, tenentur parentes, mores verè Chriſtianos, prolibus à prima juventute inſpirare, eorum vitia & exorbitantes inclinationes extirpando, virtutis ſtudium inculcando; fidei Myſteria, Dei & Eccleſiæ præcepta, eas edocendo; ad Divini Officii, Catechiſmi, Conciones & Sacramentorum frequentationem exhortando, & à pravis conſortiis abſtrahendo. Huc facit illud *Eccleſ.* 7. *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos, à pueritia illorum.* Nam: *Adoleſcens ambulans juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Proverb.* 22.

31. Quia tamen exempla efficaciùs movent, quàm verba; idcirco parentes, præcipuè ſatagere debent, ut in omnibus, ſe ipſos præbeant exemplum bonorum operum. Unde *D. Hieronymus. Epiſt.* 7. *ad Lætam*, ipſos ſic exhortatur: *Mementote vos Parentes* Virginis, *magìs eam exemplo docere poſſe, quàm voce. Ratio* eſt: quia verba mox evaneſcunt, exempla autem firmiùs cordi imprimuntur. Videant ergo parentes, quantoperè peccent, dum coram infantibus impudica loquuntur vel tractant; dum execrationes, maledicta, blaſphemias, evomunt; dum uxores, proles, domeſticos, injuriis aut imprecationibus impetunt; dum ſectantur ebrietatem, concubinas domì, vel alibi alunt; Eccleſiam raro frequentant, rarius Conciones audiunt, & Sacramenta rariſſimè percipiunt.

Inſuper tenentur parentes diſcretè & prudenter corripere filios delinquentes. Nam, ùt dicitur: *Proverb.* 13 *Qui parcit virgæ, odit Filium ſuum, qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* & *cap.* 23. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Item *Eccleſ.* 30 *Tunde latera ejus, dum infans eſt, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Obligationis hujus gravitas, colligitur ex ſupplicii gravitate, quod Deus inflixit parentibus hac in re negligentibus & incuriis. Sanè, *Heli* hanc ob cauſam, cadens retro ſum, *fractis cervicibus mortuus eſt.* 1. *Regum.* 4. & duo filii ejus *Ophni* & *Phinees*, uno die interempti, tranſlatumque ex ejus domo fuit *Sacerdotium*, multáque mala ejus poſteris illata.

Dixi: *diſcretè & prudenter.* Ut nimirum auſteritate nimiâ, in odium, puſillanimitatem aut deſperationem non abducantur, nec indulgentiâ nimiâ, proles in vitia ruant: & ideo; ſicut peccat Pater, qui liberos raró corripit; ita & Mater, quæ ex nimia teneritudine, [quæ potiùs crudelitas dici meretur] eorum caſtigationem impedit; adeóque uterque peccat; dum loco verberum, adhibet lenia verba. Nam, ùt ait *S. Chryſoſtomus, Homil.* 9. *in Epiſt.* 1. *ad Timoth. Heli, propter filios periit. Illos quippe, cùm acriùs coërcere debuiſſet, verbis tantùm levibus monuit: quocircà, dum illis moleſtus eſſe ſeverâ increpatione recuſat, illos, & ſeipſum unà perdidit. Audite hæc Patres!*

Speciatim hìc examinari meretur: quid parentes debeant filiis *illegitimis*? Ante reſolutionem.

32. Noveris: Filios generatim dici *illegitimos*, qui non naſcuntur ex Matrimonio

monio *legitimo*, vel ſaltem *putativè tali*, bona ſcilicet fide, ſaltem ex parte unius, in facie Eccleſiæ contracto. Ita, ut illegitimi reputentur, non tantum illi; qui extra omne Matrimonium; ſed etiam, qui ex Matrimonio (*invalido* tamen, & malâ amborum parentum fide, contracto) gignuntur.

Illegitimi autem alii ſunt, & dicuntur *Naturales*, alii *Spurii*, alii *ex damnato coïtu procreati*. *Naturales* de jure communi *Canonico* dicuntur omnes, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos, tempore conceptionis vel ſaltem nativitatis, poterat eſſe legitimum Matrimonium, ſive dein Mater fuerit Meretrix publica, ſive concubina Patris. De jure *Civili* autem, *Naturales* dicuntur illi ſoli; qui ex ſoluto & ejus concubina unica, domî, loco uxoris, retentâ, atque tali, ut cum ipſa, tempore conceptionis aut nativitatis, potuiſſet ſubſiſtere Matrimonium, progeniti ſunt. *l.* 1. *& ſeq. ff. De Concubin.* Illi verò, qui ex Meretrice pluribus expoſita, naſcuntur; *vulgò quæſiti*; item *Spurii*, vocantur. *l. Vulgò quæſiti. ff. De ſtat. homin.* itidem *Manzares*. Quia autem hodie, per ſacratiores Eccleſiæ leges, concubinatus ſublatus & reprobatus eſt. *can. Nemo. cauſ.* 32. *q.* 4. junctô *Concilio Trident. ſeſſ.* 24 *De reformat. Matrim. cap.* 8. Ideo jure Eccleſiaſtico, quo *in foro* utimur, ad dijudicandum, an quis ſit filius *naturalis*, non attenditur, an Mater fuerit Concubina nec ne. *Baſtardi* tamen nomen, illis ſolis utroque jure attribui ſolet; qui ex *ſoluta* (quæ nec concubina, nec publica Meretrix fuit) ſed alias honeſtâ & ſeductâ, prodierunt.

De jure Canonico, *Spurii* vocantur omnes, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos nec tempore conceptionis neque nativitatis, poterat ſubſiſtere Matrimonium; quanquàm de jure Civili, non tantùm tales, ſed & ii, *Spurii*, dicantur, qui à meretrice ſeu ſcorto publico, ita ut certus Pater demonſtrari nequeat, progeniti ſunt. *Arg. l. Vulgò.* 23. *ff De ſtatu homin.* ibi: *Vulgò quæſiti ſunt, qui Patrem demonſtrare non poſſunt: vel poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet, qui &* Spurii *appellantur*.

Ex *damnato* [ſpecialiter ſcilicet per leges, *coitu*] nati, de jure *Canonico*, cum Spuriis conveniunt, imò etiam de jure *Civili*, præterquàm quòd nati ex Meretrice, hoc etiam jure, *Spurii*, non item *ex damnato coitu* procreati, vocentur. Dicuntur autem utroque jure nati ex damnato coitu, qui geniti ſunt ex parentibus, inter quos, nec tempore conceptionis, nec tempore nativitatis, conſiſtere potuit Matrimonium. *Novell.* 74. *cap.* 6.

Hujuſmodi Spuriorum, ſeu natorum ex damnato coitu, alii ſunt, & vocantur *Adulterini*, qui videlicet ex Adulterio gignuntur. *can. Nemo. cauſ.* 32. *q.* 4. Alii *Sacrilegi*, qui ſcilicet ex Religioſo aut Clerico in Sacris conſtituto, vel Moniali profeſſa, generantur. Alii *Inceſtuoſi*, nati nempe ex parentibus, affinitate vel conſanguinitate collaterali, conjunctis. §. *Inter eos. Inſtit. De Nuptiis.* Alii porrò *Nefarii*, qui videlicet ex Patre & filia, aliorúmve aſcendentium & deſcendentium copula, procreantur. §. *Ergo Inſtit. Eod.*

Quia illegitimi, hac in conditione, à culpa propria immunes & commiſeratione digni ſunt; ideo in eorum favorem, jura invenerunt *legitimationis* remedium, quod duplex eſt, ſcilicet ſubſequens Matrimonium, & Principis Reſcriptum, de quo Canoniſtæ agunt, *ad tit. Qui filii ſint legitimi*, Theologi *in tract. De Matrimonio* Civiliſtæ verò, *ad tit. Inſt. De nuptiis. & tit. Cod. De naturalib. liberis.* His præmiſſis

Cer-

Digitized by Google

Certum eſt, parentes quibuscunque filiis, illegitimis perinde ac legitimis, exhibere debere amorem, inſtructionem, bona exempla, & correptionem, cùm militet eadem ratio, quia non deſinunt eſſe filii, eò quod ſint illegitimi. De alimentis autem, præcipua hic quæſtio eſſe poteſt. Ubi Notandum, quòd alimentorum nomine, veniat non tantùm victus, veſtitus & habitatio; ſed etiam comprehendantur medicamenta infirmis & funeralia mortuis, exhibenda.

Loquendo de Matre; tenetur hæc Sobolem, ſive Naturalem ſive Spuriam, alere uſque ad triennium completum, niſi lacte careret, aut non lactandi, juſtam haberet cauſam; quo caſu, ad lactationis expenſas teneretur Pater. per *l. 6. Cod. De patria poteſt.* Si tamen Pater non eſſet ſolvendo; deberet in hac obligatione, Patri ſuccedere Mater; quæ tamen rurſus à Patre divite, non poteſt æſtimationem ſui laboris in lactando, repetere; quia jure naturæ, hunc gratis impendere cogitur. Quod ſi tamen Mater paupercula, intra triennium, quo Sobolem ſuam lactat, nutrit & curat; ab ordinario laboritio, unde victum ſibi acquirere ſolebat, impediatur; non eſt dubitandum, quin Pater hanc jacturam, Matri recompenſare deberet. Idem eſt dicendum de cunis, linteaminibus & aliis neceſſariis ultra lactationem infanti præſtandis.

Tranſactô trienniô, Pater tenetur proli, tum *naturali* tum *ſpuriæ*, alimenta præbere; ita tamen, ut ipſo deficiente, Mater hanc obligationem ſubire debeat. per *l. 5. ff. De liberis agnoſcendis.* Quòd, ſi etiam deficiat Mater; ad id tenebuntur Avi & alii Aſcendentes. Nec Obeſt, quòd infans ex copula per leges improbatâ natus ſit; quia æquitas non patitur, ut filius inſons propter crimen parentum penitus deſeratur. Unde leges Civiles, Patri inhibentes, ne ſpurio aliquid, etiam *mortis causâ*, donet, aut hæreditatem relinquat, unde legitimis hæredibus aliquid decederet; eatenus per Sacros Canones ſunt correctæ, quatenus videntur prohibere, ne Pater, filio *Spurio*, alimenta ſubminiſtret, quia eatenus juri *naturæ* repugnant.

34. Pater etiam tenetur filiæ *Spuriæ* conſtituere *dotem*, alimentis, poſt triennium præcisè neceſſariis, *correſpondentem*. Unde non poteſt illam exceſſive, ultra conditionem ſtatûs, dotare; ſed, ut duntaxat convenienter nubere poſſit. Nam exceſſum dotis congruæ, ipſa filia ſpuria ac ejus maritus, etiam ante judicis ſententiam, reſtituere tenebitur legitimis hæredibus. Confer latè *Molinam. Tom 2. De juſtit. d.* 168. & *Sanchez. lib* 4. *De Matrim. diſp.* 16.

Alimenta ſpuriis, & filiæ ſpuriæ dotem conſtituere & dare debet Pater, non tantùm ex bonis propriis *Patrimonialibus*, ſed & in horum defectu, ex fructibus *beneficii Eccleſiaſtici*, ſi Pater ſit Beneficiatus. Si enim ex his poſſit & teneatur pauperibus ſuccurrere, quidni & propriæ proli? Unde Conſtitutio *Pii V.* prohibens ejuſmodi ſpuriis alimenta præberi, intelligenda eſt in caſu; quo aliunde ali poſſint. Idem dicendum de Religioſis, qui certorum bonorem liberam adminiſtrationem habent, ſecus de aliis, & ideo veſana *Bertha* ſibi imputare debet, quòd commercium carnale habuerit cum illo, à quo nec ſibi, nec proli, ſubſidium ſperare potuit.

35. Adeò potens & ſtricta eſt juris naturalis obligatio utriuſque parentis, alendi liberos ſuos, etiam *ex damnato coitu* procreatos; ut tranſeat ad hæredes illius, ſicut & ad illos, quibus Pater & Mater, univerſa bona per teſtamentum aliámve diſpoſitionem reliquerunt, nec hac in parte,

Digitized by Google

te, audiendi ſunt juris Civilis interpretes; quinimò, quantùm ad portionem bonorum, alimentis ſuppeditandis neceſſariam, parentum diſpoſitio in contrarium, invalida, ſaltem in foro conſcientiæ, cenſeri debet, ut proinde illi, qui bona parentum conſecuti ſunt, aut teneantur Spurium alere, aut partem alimentis correſpondentem, extradere obligentur. Ex quo

36. Resultat 1mò. Patrem debere debita ſolvere, quæ pro alimentis aliiſque neceſſariis uſibus, filius contraxit, niſi is laborando, vel alio honeſto modo, ſibi providere potuerit. Quia Pater non tenetur filio ſuccurrere, niſi indigeat & ſe ipſum alere nequeat. Quòd, ſi tamen Patre alimenta negante, filius debuiſſet mendicando, victum conquirere; non ſolùm graviter deliquiſſet Pater; ſed etiam tantumdem deberet pauperibus erogare, niſi ipſemet inops eſſet.

Resultat 2dò. Matrem, ſi ultra triennium, vivente Patre vel exiſtente Tutore, filium filiámve aluerit, poſſe alimenta repetere, ſi legaliter proteſtata ſit, ſe animo repetendi, illa præbere. *l.* 34. *ff. De liberis agnoſc.* Si autem non fuerit proteſtata *legaliter*; ſaltem in *foro fori*, nihil repetere poterit, quia amore Patris aut filii, id gratìs feciſſe præſumitur.

Dico: *in foro fori*; quia, ſi abſque proteſtatione, palàm factâ, animo poſitivo repetendi impenſas, aluit; in *foro poli*, adhuc illas repetere, vel eatenus occultâ compenſatione ſibi conſulere poterit, quod tamen rurſus limitandum; ſi ſcilicet Pater vel Tutor, vel alius, filium gratìs, vel minoribus expenſis, alere voluiſſet.

Hîc Notandum; quòd ob eaſdem vel alias graviores cauſas, propter quas liberi etiam legitimi exhæredari poſſunt, *Authent. De Appellat. cognoſcendis.* §. *cauſas autem.*, etiam parentes, filiis alimenta, & filiabus dotem, licitè & juſtè denegare poſſint, prout tradit agmen Doctorum apud *Bonacinam. Tr.* 2. *D.* 4. *in* 4*tum Præceptum Decalogi. quæſt. unic. Propoſit.* 6. §. 3. *n.* 1. Licet autem *Molina* & alii, cum *Sanchez lib.* 4. *De Matrimonio. diſp.* 26. *n.* 1. ſuſtineant; tali caſu, Patrem poſſe filio denegare omnia prorſus alimenta, etiam ad vitam ſuſtentandam neceſſaria; hunc tamen rigorem rejicit *Covarruvias* citatus apud *Sanchez loc. allegato.* & meritò; quia filius, ùt ùt dyſcolus & ingratus, *phyſicè* non deſinit eſſe talis, adeóque major obligatio tenet Patrem ſuccurrendi hujuſmodi filio, quàm alteri extraneo.

Significatu largiore, ùt inſinuat *Catechiſmus Romanus*, *part.* 3. *cap.* 5. *n.* 4. veniunt poſt carnales parentes, animarum noſtrarum Paſtores, Epiſcopi ſcilicet, Parochi, Superiores Eccleſiaſtici &c. Item: Patrini, qui nos in Baptiſmo vel Confirmatione ſuſceperunt.

37. Paſtoribus ſanè incumbit, ùt nominis ethymon indigitat, oves paſcere, quam obligationem, ut *Chriſtus* ipſis inculcaret; in *Petri* perſona, dixit ipſis tertiò: *Paſce oves meas. Joan.* 21. quaſi dixiſſet (ùt exponit Divus *Bernardus lib. de colloquio Simonis ad* Jeſum. §. 11. *Paſce exemplo converſationis, verbo prædicationis & fructu orationis.* De exemplo Converſationis, loquitur *Apoſtolus* 1. *ad Timoth.* 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* &: *ad Titum* 2. *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.* Econtra enim inquit *Divus P. Auguſtinus De Doctrin Chriſt. cap.* 4. *Omnis qui malè vivit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, occidit.... oves &c.* ut ad mentem Magni *Patris Auguſtini*, bene ſcripſerit *Gregorius. part.* 3. *Curæ Paſtoralis. Admonitione* 5*tâ. Scire*

Digitized by Google

***Prælati debent*, *quia ſi perverſa unquam perpetrant*, *tot mortibus digni ſunt*, *quot ad ſubditos ſuos*, *perditionis exempla tranſmittunt*: *unde neceſſe eſt*, *ut tantò ſe cautiùs à culpa cuſtodiant*, *quantò*, *per prava*, *quæ faciunt*, *non ſoli moriuntur*. De *verbo prædicationis* loquitur ſimiliter *Apoſtolus*. 2. *ad Timoth*. 4. *Prædica verbum*, *inſta opportunè importunè : argue*, *obſecra* ; *increpa in omni patientia & doctrina*. Unde *Concilium Tridentinum ſeſſ*. 5. *De reformat*. *cap*. 2. ſtatuit & decrevit : *Omnes Epiſcopos*, *Archiepiſcopos* , *Primates* , & *omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſe ipſos*, *ſi legitimè impediti non fuerint*, *ad prædicandum Sanctum Jeſu Chriſti Evangelium*. *Ratio* eſt ; quia, cùm animarum Curatores, *ex officio* teneantur ignorantes docere, peccantes corrigere, & à via iniquitatis reducere ; juſtos in via ſalutis confirmare ; utique debent in hunc finem, Concionem, Catechiſmum, Exhortationéſque tum publicas tum privatas inſtituere. Quocircà ; ſi Paſtores in ſuo diſtrictu, habeant Hæreticos aut peccatores publicos, puta Concubinarios, Uſurarios, Blaſphemos, Mœchos, Ebrioſos &c. debent cunctis modis allaborare, ut ipſos à viis peſſimis retrahant, prædicatione controverſiſticâ, verbi divini expoſitione , privatâ itidem inſtructione , adhortatione, obſecratione , increpatione, imò cenſuris, ſi neceſsè fuerit. Porrò ; quòd Paſtores teneantur, pro ovibus ſuis, preces offerre Deo ; ſatis inſinuat Scriptura : *Hebræ*. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus*, *pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum*, *ut offerat Dona & Sacrificia pro peccatis*. Unde *S. P. Auguſtinus*. *lib*. *De Doctrina Chriſtiana*. de Paſtore , inquit : *ſit Orator*, *antequàm dictor*.... *priuſquàm exerat proferentem linguam* ; *ad Deum levet animam*. Et *Ratio* eſt ; quia Sacerdos vices Chriſti gerens, conſtitutus eſt mediator inter Deum & homines, ut populi neceſſitates tum corporales, tum præſertim ſpirituales repræſentet , Divinamque imploret clementiam & miſericordiam.

Sicut autem Paſtores , prædictis modis, oves ſuas paſcere debent ; ita Chriſti fideles nutritiis ſuis ſpiritualibus. 1*mo*. Tenentur exhibere obedientiam in iis ſcilicet, quæ ad ſalutem conducunt , juxta illud *Hebræ*. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis*, *ipſi enim pervigilant*, *quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. 2*dò*. Præſtare ipſis debent *Reverentiam* ; ſiquidem, dicente *Apoſtolo* : 1. *ad Timoth*. 5. *Qui bene præſunt presbyteri*, *duplici honore digni habentur*. 3*tiò*. Tenentur eis ferre *ſubſidium*, dando ipſis, ſine fraude, juxta Patriæ tamen conſuetudinem, *Decimas*, de omnibus fructibus præſertim prædialibus. Dicit enim ibidem Apoſtolus*: Non alligabis os bovi trituranti*, & *dignus eſt operarius mercede ſua*. Porrò, fideles viciſſim tenentur Paſtores ſuos ſincerè amare, ut proinde ſpecialiter contra pietatem peccent, qui animarum ſuarum, Curatores, odio, contemptu, irreverentiâ, detractione, contumeliâ, aut injuriis perſequuntur, quin & contra juſtitiam delinquunt , qui ipſis *Decimas*, *jura ſtolæ*, aut alia debita, ſolvere recuſant.

Quantùm ad Patrinos ; hi in defectu Parentum, Paſtorum, aut Pædagogorum ; ſub gravi reatu , tenentur filios ſpirituales erudire in Myſteriis fidei , & materia Religionis , virtutum , & morum Chriſtianorum. Qua de re audiri meretur, *Divus P. Auguſtinus* : *Serm*.215. *De tempore*. *Filios* (inquit) *quos in Baptiſmo excipitis* ; *ſcitote*, *vos fideijuſſores pro ipſis apud Deum extitiſſe* , & *ideò tam illos* , *qui de vobis nati ſunt* , *quàm illos* , *quos de fonte excepiſtis*, *ſemper caſtigate & corrigite* , *ut caſtè*, *juſtè* , & *ſobriè vivant*. *Ratio* itaque

que eſt; quòd Patrini aſſumpſerint in ſe Officium Pædagogi, reſpectu filiorum ſpiritualium, ac proinde debeant illos in omnibus ad ſalutem neceſſariis imbuere, à quo tamen onere in partibus Catholicorum, ubi nec Paſtores nec Catechiſtæ aut Præceptores deſunt, liberati, cenſentur, ſicut & tunc, ubi filii ſpirituales adoleverunt, ut non indigeant amplius Pædagogo. Quòd, ſi tamen filius ſpiritualis etiam adultus, vitam duceret diſſolutam, aut in Hæreſin prolapſus eſſet; deberet adhuc Patrinus in defectu parentum aut Paſtorum, adniti; ut ipſum à via iniquitatis avocaret, aut etiam ad Gremium S. Matris Eccleſiæ reduceret.

In vicem hujus obligationis, filii ſpirituales tenentur Patrinis ſuis amorem, ac reverentiam ſpecialem, imò & obedientiam proportionatam exhibere; ita, ut in his deficientes, ſpecialiter peccent contra pietatem.

38. Alii quaſi parentes, juxta *Catechiſmum Romanum. loc. cit.* ſunt: Principes & Magiſtratus, Tutores; Domini locorum; Præceptores & ſenes. De ſingulis pauca.

Inprimis Principes & Magiſtratus, debent ſubditis ſuis prælucere bono exemplo, eorum ſaluti obſtantia, è medio tollere; ipſos itidem temporaliter conſervare; ac juſtitiam eis rectè adminiſtrare. Audiamus iterum *Divum P. Auguſtinum. lib. 5. De civit. Dei. cap. 24. Neque enim* (inquit) *nos, Chriſtianos quoſdam Imperatores, ideo felices dicimus, quia diutiùs, imperârunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt, ſed felices eos dicimus: ſi juſtè imperant.... Si ſuam poteſtatem, ad Dei cultum maximè dilatandum, Majeſtati ejus famulam faciunt; ſi Deum timent, diligunt; colunt, &c. Ratio* eſt; quia Reges & Magiſtratus, inſtituti ſunt, non tantum, ut temporali, Reipublicæ bono & in columitati, tanquam Patres proſpiciant; ſed maximè, ut Religionem, Eccleſiæ diſciplinam, moréſque Chriſtianos conſervent & promoveant: quæ fideliter exequi non poſſunt munera, niſi è medio auferant publicam præſertim corruptelam, quæ ſubditorum æternæ ſaluti adverſatur, & peccandi illecebra eſt. Quamobrèm, Magiſtratus è ſuis territoriis eliminare debent Meritrices, exterminare lupanaria; lenones, & turpis amoris concliatrices, acriter punire; comœdias & inhoneſta juvenum ſpectacula inhibere, in uſurarios, blaſphemos, perjuros, duellantes *&c.* pro rei gravitate, animadvertere.

Porrò; quia ad ſalutem tum temporalem tum æternam ſubditorum, plurimùm confert juſtitiæ adminiſtratio; ſine qua Reſpublica potiùs erit congregatio furum & latronum, quàm ſocietas Chriſtianorum; hinc Principes & Magiſtratus, præcipuè allaborare debent; ut unicuique tribuatur, quod ſuum eſt. Unde *ſap.* 1. dicitur: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.* & *Iſaiæ* 5. *Væ.... Qui juſtificatis impium pro muneribus & juſtitiam juſti aufertis ab eo.* Haud dubiè igitur Principes & Magiſtratus, graviter peccant; dum juridicundo præponunt judices ignaros, injuſtos, avidos habendi, paſſionatos *&c.* ſibi enim illud, quod habetur *Exod.* 18. dictum eſſe, nôſſe debent: *Provide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas & qui oderint avaritiam.* Quinimò & ipſi judices [ſi Officium ambiant vel ſuſcipiant, ſine debita legum peritia, ſcientia & prudentia] verſantur in continuo ſtatu æternæ damnationis, quam diu illud non dimittunt. A fortiori, tam advocati, quàm judices, enormiter delinquunt, qui pauperum: viduarum, pupillorum, miſerabiliúmque perſonarum cauſas negligenter tractant; quique ſine juſta ratione, lites protrahunt, ju-

juris Ordinem pervertunt, perſonarum acceptores ſunt; ſontes abſolventes, inſontes condemnantes.

Sicut autem Principes & Magiſtratus, jure naturali & Divino, ſubditis ſuis, prædicto modo, proſpicere & prodeſſe tenentur; ita ſubditi ipſis debent 1*mò. Honorem*: juxta illud: 1. *Petri* 2. *Regem honorificate.* 2*do. obedientiam*; quia poteſtatem à Deo acceperunt. Unde *ad Rom.* 13. dicitur: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal &c.* 3*tio. Fidelitatem*; ita ut nefas ſit, quidquam contra Principem Magiſtratúmve moliri.

Quantum, ſecundùm leges *Civiles*, Tutores & Curatores obſtricti ſint ſuis pupillis & clientibus, tradunt Civiliſtæ, *ad tit.* 21. *inſtit. De Authoritate Tutorum*, cui conſonat, *tit.* 8. *ff. lib.* 26. & *tit.* 59. *Cod. lib.* 5. itidem: *ad tit.* 23. *inſtit. De Curatoribus.* cui concordat *tit.* 10. *ff. lib.* 28. & *tit.* 70. *Cod. lib.* 5. Nos hîc de plano & generatim, juris naturalis æquitatem conſiderantes, ſolùm obſervamus: quòd Tutores (utpote, qui *perſonis* regendis, magìs, quàm *bonis* adminiſtrandis, dantur; ad differentiam Curatorum, qui bonorum adminiſtrationi præcipuè præponuntur) pupillorum educationi, tum ſpirituali, tum corporali invigilare debeant; ita, eatenus deficientes, ad inſtar parentum, quorum vices publicâ authoritate tenent, peccent: ſecundariò etiam, & *in conſequentiam*, teneantur diligentem habere Curam bonorum ad pupillos ſpectantium; ita, ut juxta materiæ proportionem: delinquant; ſi illa dilapident, ſibi uſurpent, culpabiliter perire vel deteriorari ſinant; item: ſi illa non augeant, dum commodè poſſunt; aut, ſi tempore debito, *rationes & reliqua*, præſtare recuſent.

Pupilli viciſſim, Tutoribus ſuis in iis, quæ ad ipſorum Tutelam ſpectant, tenentur exhibere amorem, honorem & obedientiam: cùm eatenus, vices obeant parentum.

Toparchæ quoque, id eſt Oppidorum & Pagorum Domini, pariformiter ſubditorum ſuorum, quantum poſſunt, curam habere debent, nedum in temporalibus, ſed & ſuo modo, in ſpiritualibus. Unde in primis, nec opprimere, nec ultra modum, ſubditos ſuos, operis, exactionibus, ſervitiis &c. gravare; eorum ſegetes, herbas, agros &c. venationibus conculcare, aut devaſtare debent. Deinde; ſi jus *Patronatus* habent; curare debent; ut Parochi, docti, prudentes & exemplares aſſumantur: juventus tam in bonis moribus, quàm litteris imbuatur; abuſus contra Dei aut Eccleſiæ Præcepta tollantur; compotationes & choreæ in tabernis aut alibi, præſertim diebus feſtivis, & tempore ſervitii divini, inhibeantur, contravenientes puniendo, & ſæculare brachium, Paſtori imploranti, impertiendo &c.

Porrò, Patres familias. ſeu Domini domeſtici, debent 1*mò.* famulos ſuos diligere, juxta, illud *Eccleſ.* 7. *ſervus ſenſatus, ſit tibi dilectus, quaſi anima tua.* & *cap.* 33. *ſi eſt tibi ſervus fidelis, ſit quaſi anima tua: quaſi fratrem, ſic eum tracta. Ratio* eſt; quia, ſi quemvis proximum, diligere tenemur, quantò magis illum, qui ſerviendo & obediendo, conatur nobis prodeſſe & placere. Et hinc eſt, quòd Apoſtolus moneat Dominos, ut ſervis minas remittant, cúmq; iis, tanquam ejuſdem naturæ conſortibus, benignè agant. Neque enim [inquit *S. P. Auguſtinus lib.* 19. *De Civit. Dei. cap.* 14.] *Dominandi cupiditate imperant, ſed Officio conſulendi, nec principandi ſuperbiâ, ſed providendi miſericordiâ.*

2*dò.* Cùm Dominus, ſervo ſit inſtar *Patris*; tenetur ipſum de fidei Myſteriis, Re-

Religione & moribus Chriſtianis, per ſe, vel per alium, inſtruere. Nam; *ſiquis ſuorum & maximè domeſticorum, curam non habet; fidem negavit, & eſt infideli deterior*. 1 *ad Timoth*. 5. Sedulò igitur Dominus famulis & ancillis invigilare debet: an Dei & Eccleſiæ præcepta noverint, an Chriſtianorum rudimenta calleant; Sacramenta frequentent; manè & veſperi, preces fundant; diebus Dominicis & feſtivis Miſſam audiant; & de reliquo Chriſtianè vivant. Ex quo ſequitur: quòd Dominus teneatur, famulos & ancillas delinquentes corrigere, imò & caſtigare; ſi delicti gravitas id poſtulet. Quòd, ſi adhibitâ moderatâ correctione, non emendentur; ſed pergant aliis ſcandalo eſſe; è domo & ſervitio expelli debebunt.

3tiò. Tenetur Dominus famulis ſuis ultra alimenta, labori & obſequio proportionata, ſine fraude & dolo, mercedem conventam præſtare. Quia *dignus eſt operarius mercede ſuâ*. 1. *ad Timoth*. 5. Conſequenter, juxta materiæ gravitatem, delinquunt Domini, qui famulis & operariis ſuis neceſſaria ad victum, mercedémve condignam denegant, aut ſolvere, abſque cauſa, differunt; qui hujuſmodi homines, infra infimum pretium, conducunt, aut nullâ factâ conventione, quod æquum eſt, ipſis dare recuſant, item; qui ægrotos negligunt, & in ſervitio ſenes & invalidos effectos immiſericorditer è domo ejiciunt. Tametſi enim famulis tempore infirmitatis, non debeatur merces, neque ex burſa Domini, faciendæ ſint expenſæ in medicos, chirurgos, Pharmacopolas; ſi famulis ſuppetant propria media; equidem, his deficientibus aut non ſufficientibus; ſaltem ex charitate, ſuccurrere deberet Dominus, maximè in locis, ubi non exiſtunt hoſpitalia publica.

Jure correlativo, tenentur famuli, Dominis ſuis exhibere *1mò. Reverentiam ac honorem 2dò. Obſequium rationabile. 3tiò. Obedientiam. 4tò. Fidelitatem*. De reverentia loquitur *D. Paulus* 1. *ad Timoth*. 6. inquiens: *Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur*. Proinde, ſpecialiter contra obſervantiam, delinquunt famuli & ancillæ, qui, quæve Heros, Heráſve ſuas contemnunt, derident, calumniantur, proſtituunt, proſcindunt. De obſequio *rationabili*, agit Apoſtolus, *ad Epheſ*. 6. & mandat famulis; ut non ſint *ad oculum ſervientes, ſed ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus*. & quid juſtiùs eſt; quàm, ut is, qui pro famulatu; victum & ſtipendium accipit, etiam reddat *rationabile obſequium*. Quocirca, qui ſegniùs laborant, quàm ſoleant alii ejuſdem conditionis mediocriter ſeduli, minus, pro rata, ſtipendium accipere debent, & quod ultra acceperint, reſtituere tenentur, quin & Domino reſarcire debent *intereſſe*, ſi quod inde paſſus eſt. *Obedientiam* inculcat Apoſtolus, *ad Epheſ*. 6. *ſervi obedite Dominis carnalibus*. & *ad Tit*. 2. *Hortare..... Servos, Dominis ſuis, ſubditos eſſe*. Quod, ne de ſolis Dominis piis & probis intelligeretur; ideo dicitur: 1 *Petri* 2. *ſervi ſubditi eſtote in omni timore, Dominis non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis*. Quod tamen non ita illimitatè capiendum, quaſi iis indiſcriminatim obtemperandum foret, etiam in iis, quæ legibus Divinis aut Eccleſiaſticis adverſantur. Unde *Innocentius XI*. meritò hanc eliminavit propoſitionem: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris, ſcienter adjuvat herum ſuum, aſcendere per feneſtras, ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalas, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando; non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta: ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domô expellatur*. Denique, de *fidelitate*,

agens Apoſtolus, *ad Tit.* 2. præcipit; ut famuli Dominis ſuis ſerviant, *non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes.* Ex quo reſultat; quod reſtituere teneantur, quæ vel clam ſurripiunt, aut culpâ ſuâ, Dominis perire, aut per alios, auferri ſinunt.

Loquendo de Pædagogis, Præceptoribus aut gubernatoribus juniorum; debent hi diſcipulos clientéſve ſuos amare, erudire, corrigere, & exemplis bonis, ad virtutis & honeſtatis ſtudium animare. Videant ergo hujuſmodi conditionis homines, quantoperè delinquant, dum diſcipulis aut clientibus ſuis, falſa, ſcandaloſa, ſuperſtitioſa aut Pſeudopolitica rudimenta, loco Chriſtianæ doctrinæ, tradunt; illóſque in omnem vitæ licentiam prolabi ſinunt; unde præſertim, inter nobiles, hodie maxima corruptela, & quaſi *Atheïſmus* invectus cernitur; ita, ut perſæpe parentes, filios ſuos exteris e Regionibus, cum Gubernatoribus eorum reverſos, ob genii perverſitatem, vix amplius recognoſce valeant. Cæterùm, recta ratio poſtulat, ut diſcipuli aut clientes, præceptores & Gubernatores ſuos bonos, viciſſim diligant, revereantur, & iiſdem decenter obtemperent; ut écontra peccent ſpecialiter, ſi illos oderint, derideant, deſpiciant, convitiis, dicteriis, calumniis, detractionibus, lacerent, vel iiſdem in, ſtudiis, aliíſque eorum curæ commiſſis, obluctentur.

Tandem, ſicut ſenes debent ad exemplum *Eleazari*, junioribus prælucere bono exemplo, ne ſcandalizentur; ita vice verſâ, hi ſenioribus, præſertim, ſi ſint probatæ vitæ exhibere debent amorem & reverentiam, idque juxta legem Dei, *Levit.* 19. *Coram cano, capite conſurge, & honora præſentiam ſenis & time Dominum &c.* Unde, 1. *ad Timoth.* 5. ſcriptum: *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem. &c.* Quanquàm autem per *omiſſionem* talis amoris & reverentiæ, citra caſum contemptûs raro peccetur, pluſquàm venialiter; nihilominus per *commiſſionem* deliberatam, ſenes deridere, ſubſannare; provocare; laceſcere; affligere; vel alia quavis notabili injuriâ afficere; ſpeciale peccatum, contra pietatem; eſſe; rectè concludit *Marchantius tract.* 5. *tit.* 7. *q.* 4. *in fine.*

39. Parentibus carnalibus, vicini ſunt: fratres & ſorores, avunculi, Materteræ, nepotes, neptes aliíque conſanguinei & affines. Neque dubium eſt, quin conſanguinei collaterales, maximè, qui ſecundum computationem, Canonum jure, receptam, *primo* ac *ſecundo* gradu continentur; ſibi invicem debeant amorem, honorem, & in neceſſitate ſuſibdium. Pietas enim naturalis dictat: quòd plus debeamus, obſtrictique magis ſimus iis, qui nobis carnis cognatione, aut affinitate, conjuncti ſunt; quàm extraneis, & quòd proinde ſpeciali amore debeamus illos proſequi; illos itidem adjuvare ac honorare.

Dixi: *Maximè, qui primo ac ſecundo gradu continentur.* Qui enim *tertio* aut *ulteriori gradu* ſe contingunt; *moraliter* loquendo, non adeò arctè conjuncti cenſentur, ut conſanguinitas illa videatur inducere circumſtantiam *mortaliter* aggravantem, ſi quis defecerit in amore, reverentia aut ſubſidio; quanquàm negandum non ſit; quòd exinde ultra peccatum ordinarium, inducatur culpa *venialis*, contra pietatem.

Porrò, conjuges, licet, *quà tales*, nec conſanguinei nec affines ſint; equidem tenentur ſibi mutuò exhibere 1*mò. Amorem.* Cùm enim quivis teneatur diligere proximum, quantò magis conjugem, quo nemo proximior, cùm conjuges, ſint duo, in carne una. Unde Apoſtolus exhor-

tatur maritos, his verbis: *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam Ad Epheſ.* 1. & ad *Tit.* 2. uxores monet; ut *viros ſuos ament.* 2*dò. Honorem*: Siquidem mulier maritum tanquam caput, maritus verò uxorem, tanquam ſociam ſibi à Deo datam, revereri ac reſpicere debet. 3*tiò. Obedientiam*, reſpectivè. Sicut enim mulier obtemperare debet viro in iis, quæ pertinent ad domûs regimen, bonorum adminiſtrationem & familiæ gubernationem; ita maritus obſecundare debet uxori in reddendo debito conjugali, de quo alias. 4*tò. Societatem conjugalem*, id eſt cohabitationem, puta regulariter; quò adthorum æquè ac domicilium. 5*tò. Alimenta*; quia, ſunt duo in carne una: jam verò, *nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam. Ad Epheſ.* 5. Ex quibus.

Fluit 1*mò*. Conjuges, contra mutuò debitum amorem, enormiter delinquere; ſi ſeſe maledictionibus, contumeliis, imprecationibus, injuriis; convitiis, rixis; odiis gravibus, afficiant. Item: ſi maritus uxorem; & à fortiori, ſi uxor maritum, graviter percutiat. Confer *Sporer Filiucium*, & *Babenſtuber*, quos citat & ſequitur *P. Benjamin Elbel. in ſua Theologia Morali. part.* 3. *conferentiâ* 21*mâ n.* 608.

Fluit A 2*dò*. gravi delicto excuſandam non eſſe mulierem, quæ maritum ſolet deridere, ſubſannare, verbis aſperis, inobedientiâ contumaci vel capitoſitate nimiâ, eundem ad execrationes aut blaſphemias provocare. Item: ſi extra caſum infirmitatis, vel periculi abortûs, aut abſque alia legitima ratione, detrectet reddere debitum conjugale, præſertim eo fine, ut maritum ſuum mortificet; quo eventu, ſæpe præter inobedientiam, poterit ſe peccato alieno coïnquinare, dando occaſionem aut anſam marito, adulterium perpetrandi, aut ſe polluendi. Vide *Matthæuci. in cautela confeſſariorum. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 16. *Buſenbaum*, apud *La Croix lib.* 3. *part.* 1. *n.* 708.

Fluit 3*tiò*. Mulierem habitâ materiæ conſideratione, delinquere; ſi detrectet ea exequi, in quibus de cætero, ſubditur marito, puta: quò ad familiæ regimen, bonorúmve adminiſtrationem. Quanquàm non foret culpanda mulier, quæ, viro prodigo, bona dilapidante, clam pecunias colligeret, ad ſui & prolium ſuſtentationem in futurum. Abſque piaculo, poterit quoque uxor quidpiam ſeponere, ad elargiendas eleemoſynas, conditioni ſuæ proportionatas; ſi maritus immitti pectore, detrectet pauperibus ſuccurrere.

Fluit 4*tò*. Societatis conjugalis vinculum poſtulare, ut uxor maritum aliò migrare volentem, ſequatur; præterquàm, ſi contracto Matrimonio, factus eſſet vagabundus; aut; ſi ex emigratione, conſurgeret mortis vel gravis peccati, probabile periculum; aut; ſi etiam pactis dotalibus cautum eſſet, de non mutando domicilio. Quod poſtremum rurſus limitationem reciperet; ſi marito juſta & improviſa ſuperveniret migrandi neceſſitas; puta infirmitas, mandatum Principis, *&c.* Alioquin, nec indefinite, mulier tenetur ſequi maritum pro lubitu ad regiones remotiſſimas, puta: ad *Indias*, proficiſci volentem; talis enim obligatio gravior eſt, quàm ut generali vocabulo cohabitationis & ſequelæ, comprehenſa videatur. Cæterum, & ipſe maritus, hujus ſocialitatis nexum violat; ſi invitâ conjuge, ad notabile tempus, aliò ſe conferat, abſque urgenti vel inevitabili cauſa, qualis eſſet: juſſio Principis, Reipublicæ utilitas, familiæ neceſſitas.

Fluit 5*tò*. Maritum regulariter ſub gravi peccato, teneri competentia alimenta

Digitized by Google

menta præſtare mulieri, tametſi pro iis ſuppeditandis laborare debeat; nedum enim id exigit amor conjugalis, ſed & ratio capitis familiæ. Idque obtinet; licet mulier, dotem, abſque ſua culpa, non attulerit, puta: quia vel eſt pauper; vel quia ipſe maritus, Patre dotem conſtituere nolente, filiam duxit; tunc etenim cenſetur uxoris perſonam, dotis locô, accepiſſe. Quod ſi uxorem locupletem duxerit, non factâ dotis ſtipulatione; non tenebitur ipſam, ſine dotis præſtatione, alere; quia tali caſu, ſaltem tacitè, de dote conſtituenda, conventum videtur. Idem eſt: ſi quis viri divitis conſentientis, duxerit filiam, nullâ factâ dotis mentione. Tenetur enim pater, pro modo facultatum ſuarum, patriæque morem, dotare filiam; adeò, ut ad id, officio judicis, cogi poſſit. *Fontanella. De pactis dotal. Tom. 2. clauſulâ 5. Gloſſ. 1. p. 1. n. 32. & ſeqq. Stryck. De cautelis contract. ſect. 2. cap. 8. §. 13.*

Porrò, ſi pater dotem filiæ promiſſam, non ſolvat, cùm poſſit; maritus ipſam ſuſtentare non tenebitur; quia, ùt dicitur: in *l. 20. Cod. De jure dotium.* dos conſtituitur eum in finem, ut maritus exinde ſuſtineat onera Matrimonii. Equidem, ſi tam ſocer, quàm uxor, non ſolvendo ſint: & abſque dolo, dos fuerit promiſſa, non ideo maritus ſubrahere debebit aut poterit alimenta uxori, quam tanquam *aliquid ſui*, & omnium proximam, diligere debet. Rurſus tamen maritus alere non tenetur uxorem, quæ pro lubitu ſuo, aliò migravit, vel ob levem mariti exceſſum, in ipſius correptione commiſſum, aliámve futilem ob cauſam, diſceſſit. Dico *aliamve cauſam futilem.* Si enim ob nimiam & intolerabilem mariti ferociam, ejúſve morbum contagioſum vel venereum, diſceſſerit; utique ipſam alere compellitur. Cæterùm, nec alimenta uxori ſuppeditanda (ſaltem de rigore juris poſitivi humani) ſi ipſa crimen commiſerit, propter quod, bona dotalia Fiſco ſint addicta: aut ſi inſcio, invitóve marito, dotem ſuam dilapidaverit; dote enim per uxoris culpam pereunte, perinde erit, ac ſi illata non fuiſſet.

Fluit 6tò. Amoris cunjugalis teneritudinem poſtulare, ut uxor, ex bonis, dotalibus, paraphernalibus aut aliunde acquiſitis, teneatur alere & ſuſtentare maritum, licet ex propria culpa ſit incarceratus, ad triremes damnatus; proſcriptus ſeu bannitus; infirmatus &c. ſi videlicet indigeat, ſibíque neceſſaria comparare nequeat.

Digitized by Google

CAPUT IX.

In quo expenditur quintum Decalogi præceptum.

NON OCCIDES. *Exodi* 20.

SUMMARIUM.

1 Manichæi *à D. P.* Auguſtino *refutati adeò delirârunt, ut arbitrati fuerint, hoc præcepto nedum homicidium, ſed & animalium cædem, imò & plantarum deſtructionem prohiberi.*

2 *Homicidii enormitas.*

3 *Nomine homicidii, quid veniat?*

4 *Quis ſit Reus homicidii?*

5 *Homicidium quotuplex, ſeu; quot ejus ſpecies?*

6 *Cujuſvis homicidii voluntarii & injuſti, pœna eſt* capitalis.

7 *Jure Canonum, quæ pœnæ in Laïcos & Clericos ſtatutæ?*

8 *Homicidium, ex opere illicito, ſecutum, non ſemper eſt voluntarium* in cauſâ; *neque ſemper eſt* merè caſuale, *quod præter intentionem directam, ſequitur ex actione de ſe licita.*

9 *Dubius de homicidio à ſe commiſſo, debet ſe habere pro* irregulari. *Ubi laudatur* Proſper Fagnanus, *ex SS. Canonibus refutans Neotericorum opiniones*, de ſequenda ſententia probabili, relictâ probabiliore.

10 *Enormitas homicidii, ex pœnis à Concilio* Tridentino *decretis, colligitur.*

11 *Ad incurrendas pœnas à Concilio* Trident. *decretas, qualiter homicidium debeat eſſe voluntarium?*

12 *Difficulter*, *in* irregularitate, *ex homicidio injuſto, incurſa, diſpenſatur à S. etiam Pontifice.*

13 *Homicida non ſolùm eſt perpetuò inhabilis ad Beneficia Eccleſiaſtica*

ſtica obtinenda, ſed & obtentis privari poteſt.

14 *Clericus homicida occultus, qualiter Beneficium retinere poſſit?*

15 *Clericus homicida iteratus, eſt degradandus & brachio ſæculari extradendus, ut ultimo afficiatur ſupplicio.*

16 *Mandans occidi, quatenus revocato mandato immunis ſit à pœnis juris?*

17 *An* Mandans *obnoxius ſit pœnis, ſi ipſe* Mandatarius *occidatur?*

18 *Mandans, non ſubſecutâ cæde, an immunis ſit ab omni pœna?*

19 *Efficaciter Conſulens, ad inſtar Mandantis, ſubjacet pœnis.*

20 *Diſcrimen inter Mandantem & Conſulentem, revocato conſilio*

21 *Paribus pœnis obnoxii ſunt, alii efficaciter & propinquè ad homicidium concurrentes.*

22 *Quid, ſi plures conſiliô factóve, ad idem homicidium concurrant?*

23 *Quid, ſi in rixa ſubitò exorta, pluribus concurrentibus cædes facta, & neſciatur, quis dederit ictum lethalem?*

24 *Non impediens homicidium, dum poteſt & ex juſtitia, tenetur, efficitur* irregularis.

25 *Quid de ratihabente homicidium, ſe inſcio, ab alio patratum?*

26 *Vulnerans, ſi de lethalitate vulneris conſtet, homicidii pœnas incurrit, licet vulneratus ex intervallo moriatur.*

27 *In dubio de lethalitate vulneris, non habent locum pœnæ ordinariæ, jure* Civili *ſtatutæ; jure tamen* Pontificio, *ſic vulnerans, pro* irregulari *habetur.*

28 *Injuſtè alium multilans in membro principali, extraordinem, jure* Civili, *puniendus; & reſarcire debet omnia damna inde ſecuta aut ſecutura. Jure* Canonico, *fit* irregularis, *quod tamen limitatur.*

29 *Membrum etiam minus principale proprii corporis abſcindens,* irregularis *efficitur.*

30 *Pœnæ homicidii qualificati, variant pro atrocitate criminis.*

31 *Malefactores, authoritate publicâ, licitè occidi poſſunt.*

32 *An & quatenus Magiſtratus vel Princeps ſupremus malefactores banniſare poſſit:* Vogel frey geben? *Item: quatenus in bannum:* In die Oberacht. *Declaratus, à quovis privato occidi poſſit?*

33 *Haud facilè Magiſtratum ad pœnam* Banni *procedere debere, rectè monent Theologi.*

34 *Canonum jure, ex defectu* perfectæ lenitatis, *irregularitas contrahitur etiam ab iis, qui authoritate publicâ, Malefactores juſtè occidunt vel mutilant; aut, ad id efficaciter concurrunt.*

35 *Inſignes adducuntur limitationes pro caſibus & perſonis, quæ authoritate publicâ, Malefactores ad mortis ſupplicium condemnan-*

nantes, aut condemnari facientes, ab irregularitate præſervantur.

36 *Pro neceſſaria ſui defenſione occidere licet* injuſtum, *imò* non juſtum *invaſorem, puta: furioſum, amentem* &c.

37 *Ut quis injuſtum aggreſſorem licitè poſſit occidere, requiritur periculum præſens, licet primus ictus non ſit neceſſariò expectandus:*

38 *Præveniri poteſt inſidiator, ſi aliter periculum declinari nequeat.*

39 *Præventivè occidi poteſt, qui alteri principale membrum amputare intendit, & aliter repelli nequit.*

40 *Servandum ſemper eſt* moderamen inculpatæ tutelæ.

41 *Quæ requirantur ad iſtud moderamen?*

42 *Etiam iniquus aggreſſor propinquorum, imò extraneorum, occidi poteſt.*

43 *Amplectimur ſententiam* S. P. Auguſtini *docentis: non licere virgini occidere violentum ſtupratorem.*

44 *Tuta & pia eſt ſententia, volens: non eſſe licitum, occidere invaſorem bonorum temporalium. Ubi indagatur mens.* S. Auguſtini.

45 *Alii Doctores communiter ſuſtinent: licere occidere hujuſmodi invaſorem, ſi certæ adſint conditiones. Veriorem infra, in fine* n. 44. *amplectimur Divi* P. Auguſtini *ſententiam.*

46 *Cur potiùs furem nocturnum, quam diurnum occidere permiſſum?*

47 *Reprehenditur* Grotius.

48 *Quem præſentem licebat occidere raptorem, illum & fugientem interimere licet.*

49 *Sed quid, ſi fur res ablatas, domi ſuæ, jam teneat?*

50 *Nunquam licet viro nobili, etiam militari, interimere aggreſſorem famæ aut honoris.*

51 *Diluuntur objectiones.*

52 *Detegitur* Puffendorfii *error.*

53 *Refellitur opinio* R. P. Ignatii Schwartz.

54 *Nequidem viro honorato, fuſte aut manu percuſſo, licet percutientem repercutere, vindictæ cauſâ.*

55 *Tenetur vir etiam nobilis, potiùs fugere quàm occidere illum, à quo pugnis aut verbis injurioſis impetitur.*

56 *Utrum non fugiens, dum abſque gravi incommodo poteſt, ſed occidens injuſtum invaſorem, peccet non ſolùm contra* Charitatem, *ſed etiam contra* juſtitiam?

57 *Erravit* Grotius, *putans: lege Evangelicâ, Chriſtiano interdictum eſſe, defenſione occiſivâ tueri vitam propriam aut bona fortunæ.*

58 *Econtra graviùs hallucinatur* Puffendorf. *qui de jure Naturæ*

Digitized by Google

ræ, ob levem etiam injuriam, dat læſo facultatem, lædentem, lædendi in infinitum.

59 Thomaſius, Kommerïchius & Fleicherus *perſtringuntur,*

60 *Etſi jure Naturæ permiſſa ſit ſuî bonorúmque ſuorum defenſio occiſiva, nemo tamen regulariter cogitur uti tali defenſione.*

61 *Occurritur Pſeudo - Ethicorum modernorum* paralogiſmis.

62 *Injuſſu Dei, nunquam licita eſt ſuî ipſius directa occiſio.*

63 *Ampliatur hæc reſolutio & refelluntur* Thomaſii *argutiæ.*

64 *Referuntur caſus, quibus* Autochiria *indirecta, extra culpam eſt.*

65 *Si juſta verò deſit cauſa, lethaliter delinquunt, ad mortem propriam etiam indirectè tantùm concurrentes.*

66 *Quæ pœnæ in ſuicidas ſtatutæ?*

67 *An Teſtamenta ipſorum ratihabenda?*

68 *Amentes & furioſi ſe interficientes, non ſubjacent pœnis.*

69 *Quid, ſi dubitetur de amentia?*

70 *Quid, ſi non conſtet, an quis ſeipſum occiderit, an ab alio ſit occiſus.*

71 *Quid, ſi ſuicida, ante exſpirationem repertus, dederit ſigna doloris?*

72 *Quid, & quotuplex ſit* duellum?

73 Duella, *quantoperè ſint utroque jure probibita?*

74 *Quandonam* duellum *legibus probibitum committatur?*

75 *Illicitè quoque initur* duellum *ad probandam innocentiam.*

76 *Quibus caſibus licitè ſuſcipiatur?*

77 Diffidatio *quid, quando exorta, ac porrò ſublata fuerit?*

78 *Occiſor vel mutilator injuſtus, cui, quid & quantum reſtituere teneatur?*

79 *Provocatus occidens provocantem, vel eundem mutilans vulnerânſve, nihil ei tenetur reſtituere.*

80 *Ante judicis ſententiam, pro damno naturali ex homicidio, mutilatione vel vulneratione, reſultante, nihil eſt reſtituendum.*

81 *Injuſtus occiſor vel mutilator reſarcire debet omnia omnino damna realia ex occiſione vel mutilatione orta.*

82 *Cui hæc reſtitutio facienda? An & facienda, ſi homicida ultimum paſſus ſit ſupplicium?*

83 *Quid ſi lethaliter vulneratus, ante mortem alteri nedum injuriam perſonalem, ſed & omne damnum reale remiſerit?*

Digitized by Google

1 Vi hujus quinti præcepti, per ſe & primariò prohibetur omnis injuſta *hominis* occiſio. Delirârunt proinde olim *Manichæi* contendentes, hoc præcepto nedum prohiberi occiſionem hominis, ſed & cæterorum animalium, imò & deſtructionem plantarum & herbarum. Delirium hoc ſatis refutatur, ex *Geneſis* 1. ubi herbæ & legumena; & *Genes. cap.* 9. ubi animalia nobis ſunt in cibum conceſſa. Unde *Magnus Pater Auguſtinus*, hunc nimis craſſum errorem reprehendens, *lib.* 1. *De civit. Dei. cap.* 20. ait: *Cùm legimus non occides, non accipimus hoc dictum eſſe de frutetis, quia nullus eſt iis ſenſus: nec de irrationabilibus animalibus, quia nulla nobis ratione ſociantur.* Confer. F. *Sylvium* à *Brania Commentar.* in 2*dam* 2*dæ*. *S. Thomæ Aquinatis Quæſt.* 64. *art De Homicidio. pag mihi* 407. ubi præclarè occurrit objectioni, & mox reſolvit: quòd ante diluvium, eſus carnium non fuerit jure naturæ vel etiam Divino *poſitivo* prohibitus. Siquidem *Genes.* 9. declaravit Deus, ſe omnia viventia, quæ homine ſunt inferiora, tradidiſſe homini in eſcam. Licitè itaque poterit homo ſua, vel quæ *nullius* ſunt, animalia occidere. Aliena verò occidere non licet, non quia occiſio ipſa ſit peccaminoſa, ſed quia occidendo, damnum infertur proximo.

2. Cæterùm, enormitas homicidii præcipuè inſinuatur: *Genes.* 9. ubi hanc Deus tulit ſententiam: *Quicunque fuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* Quinimò belluam, quæ hominem læſerit, ibidem Deus occidi imperavit. *Ratio* eſt; *quia homicidæ ſunt, humani generis atque* adeò naturæ hoſtes acerbiſſimi, qui quantùm in iis eſt, univerſum Dei opus evertunt, cùm hominem tollunt, cujus causâ, is omnia, quæcunque procreata ſunt, ſe feciſſe teſtatur. Quinimò, cùm ex hac *cauſali* prohibeatur cædes hominis, quia illum Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit; conſequens eſt, quòd inſignem Deo irroget injuriam, quaſique *ipſi*, violentas manus inferre videatur, qui ejus imaginem è medio tollit. *Catechiſm. Rom. part.* 3. §. 9

3. Nomine, homicidii, propriè venit occiſio vel exanimatio hominis ab homine facta. Nam; ſi non intervenit exanimatio, eſto facta ſit mutilatio membri alicujus, aut vulneratio, cum copioſa etiam ſanguinis effuſione; non cenſetur perpetratum homicidium. Putant aliqui, exanimationem debere fuiſſe violenter factam, ut ponat homicidium; aſt ſatis eſt; ſi fuerit culpabilis *Theologicè*. Non enim dubium eſt: quin medicus aut chyrurgus pretiô conductus, in foro *poli*, Reus ſit homicidii, ſi ex ejus negligentia imperitiáve, homo moriatur. Perinde quoque eſt; cujus demum ætatis, ſexûs, conditioníſve ſit homo, qui occidatur; adeò, ut fœtum animatum in utero matris adhuc exiſtentem interimens, pro homicida habeatur. *L. Necare.* 4. *ff. De agnoſc. liber.* Debet tamen cædes fuiſſe facta ab homine: ſi enim à fera vel bruto, occidatur homo: non homicidium, ſed *pauperies* in jure dicitur.

4. Equidem ad homicidium propriè dictum, neceſſum non eſt, ut exanimatio fiat ſemper *Phyſicè* ab homine; puta: per propriam actionem & realem influxum, v. g. transfixione gladii, trajectione ſclopeti, &c. Sed ſufficit: ſi fiat influxu *morali*,

rali, puta: conſulendo, ſeu efficaciter perſuadendo, vel etiam mandando. Quocirca *David* dicitur occidiſſe *Uriam Hethæum*, gladio filiorum *Ammon*. 2. *Reg*. 12. ℣. 9. Quinimò; qui poteſt & ex juſtitia tenetur alterum à morte liberare vel eripere, homicidii reatum contrahit, ſi alterum mori ſinat. *Dico*: & *ex juſtitia tenetur*, ut judex, medicus, pretio conductus, *&c*. Nam, ſi quis ex charitate, quempiam, dum facilè poteſt, è flammis vel aquis non eriperet; in rigore, homicidium non committeret.

5. Ut methodice & non mancè procedamus; non pigebit hîc repetere; quòd homicidium à Canoniſtis & Theologis, diſtinguatur in *voluntarium* & *Caſuale*. Primum eſt quod culpabiliter & dolosè perpetratur. Alterum eſt; quod accidit abſque culpa & dolo, veluti; ſi venator, in abdito nemore, emittens globum in feram, occidat hominem inibi latitantem vel ſubitò tranſeuntem.

Homicidium voluntarium aliud eſt *directè*, aliud *indirectè* tale. *Directè voluntarium* eſt, quod verè, per ſe ac directè intenditur. veluti: ſi quis animo & intentione occidendi, hominem gladio transfigit, aut ſclopeto trajicit. *Indirectè*, ſeu *in cauſa*, *voluntarium* eſt: dum quis mortem alterius non intendit quidem *expreſsè*, ponit tamen talem cauſam, facítve aliquid, ex quo *moraliter certò* prævidet mortem ſecuturam. Veluti: ſi quis graviter percutiat, aut pedibus trudat prægnantem fœminam, & inde ſequatur abortus; vel: ſi quis in locum hominibus pervium, explodat ſclopetum, & exinde homo occidatur. Tale homicidium ſanè non poteſt reputari *merè caſuale*, quia *caſus*, ut loquitur Philoſophus: 2. *Phyſicor*. *eſt cauſa agens præter intentionem*: ita, ut homicidium *caſuale*, ſit illud: quod nec *directè* nec *indirectè* intenditur, ſed præter omnem intentionem ac exſpectationem, fortiutò contingit. Veluti: ſi quis putans ſclopetum non eſſe oneratum, explòdat ipſum, & ita explodendo, præter omnem cogitationem occidat hominem. Confer *R. P. Pauwels* in *Tract. Theol. De caſib. reſervatis cap*. 10. §. 1.

Homicidium voluntarium diſpeſcitur in *licitum* ſeu *juſtum*, & in *illicitum* ſeu *injuſtum*. Primum (quod Civiliſtis audit homicidium *neceſſarium*) illud eſt, quod vel pro neceſſaria ſuî defenſione, *ſervato moderamine inculpatæ tutelæ*, vel ex voluntate, aut præcepto ſuperioris jus gladii habentis; aut lege jubente; proindéque neceſſariò, aut ſaltem licitè fit. Alterum (quod homicidium *in ſpecie*, & *doloſum* vocitatur) eſt quod contra Divinæ, naturalis, vel etiam humanæ legis prohibitionem, animo & intentione occidendi, malitiosè perpetratur.

Homicidii doloſi & illiciti, variæ ſunt ſpecies. Aliud enim eſt 1*mò*. *ſimplex*; quod videlicet abſque ſpeciali aliqua qualitate aut circumſtantia quapiam aggravante, in rixa ex improviſo exortâ, ſubitóve iracundiæ impetu, cum advertentia tamen rationis, committitur. 2*dò*. Aliud *Qualificatum*, quod ſcilicet ratione modi occiſionis, loci vel perſonæ, ſpeciali aliquâ veſtitur malâ circumſtantiâ. Hujus claſſis ſunt: homicidium *proditorium* & aſſaſinium. Quorum primum ſub ſpecie amicitiæ; alterum conductâ pretio perſonâ intermediâ, patratur. Huc ſpectant: *Homicidium ſacrilegum*: puta: dum: quis perſonam Deo ſacratam v. g. ſacerdotem, Religioſum *&c*. vel perſonam Laïcalem, in loco ſacro, dolosè interimit. *Parricidium*, puta ſi quis patrem vel matrem, prolem aut quempiam ex aliis aſcendentibus vel deſcendentibus, imò collateralibus, uſque ad quartum gradum in-

cluſivè, occiderit. Quanquàm, ſi in rigore loqui velimus, Parricidium propriè dictum, non habeat locum, niſi in liberis, parentes ſeu aſcendentes primi & ſecundi gradûs, vel parentibus, occidentibus propriam ſobolem. Per *l. unic. Cod. De his qui parentes aut filios occid.* & *l.* 1. *ff.* & *l. Pæna parricidii. ff Ad legem Pompejam. De parricidiis.* Cæterùm, peræquè crimen hoc patratur, ſive quis parentes *legitimos* ſive *naturales tantùm*, occiderit, aut ab horum aliquo occiſa ſit proles etiam incæſtuoſa, adulterina, aut ſacrilega. Confer *Julium Clarum in prax. crimin.* §. *Parricidium. n.* 2. *Farrinac. in praxi* pariter *criminali. p.* 5. *q.* 120. *ſect.* 5. *n.* 105. Porrò; parricidium impropriè tale, ac largè loquendo, complectitur occiſionem cujuſvis conſanguinei etiam collateralis, affinis, item conjugis, prout videre eſt, in cit. *l.* 1. *ff. Ad l. Pompej. De parricid.* Quin & eò reducitur homicidium novercæ, ſponſi itidem aut ſponſæ. *l. ſciendum* 3. *ff. eod. Homicidium veneficum*, ſeu *maleficium*, quod tunc committitur, dum quis alteri venenum causâ occidendi dat vel propinat, atque exinde mortem conciliat. *Homicidium inſidioſum*, quod patratur, ſi quis inimico ſuo, occultè, certo in loco invigilet, eúmque ex improviſo, per ſtratagema, occidat. Porrò, ſi Papa, Imperator, Rex aut Princeps ſupremus doloſè vel malitioſè occideretur, crimen committeretur *Læſæ Majeſtatis.* De quibus omnibus plenè legi merentur. *Julius Clarus. Farinacius.* & ſignanter *Carpzovius* in ſuis tractatibus, quos circa praxin criminalem, commentando *Conſtitutionem Caroli V. criminalem*, ediderunt.

Prætereundum haud eſt, quòd homicidium, *caſuale*, non ſemper ſit *merè tale* ſeu *inculpoſum.* Contingere enim poteſt, quòd quidem præter omnem intentionem, aliquâ tamem interveniente culpâ, cædes fiat; veluti, ſi quis dando operam rei illicitæ, cauſam mortis præbeat, etſi ad eam evitandam, diligenter invigilaverit, aut: ſi quis det operam rei quidem licitæ, aſt cum tali negligentia; aut imperitia, ut exinde mors alterius cauſetur. *Carpzovius. Prax. Crim. q.* 27. *n.* 8. Igitur homicidium *merè caſuale* ſeu *inculpoſum*, eſt; quod prorſus inopinatò & fortuitò, nullâ prorſus culpâ interveniente, contingit.

6. Quodvis voluntarium atque injuſtum homicidium, lege tum Divinâ tum humanâ civili, ſecum trahit pænam mortis. *De lege divina*, conſtat tam ex veteri, quàm novo teſtamento. Si quidem *Levitici. cap.* 24. ℣. 17. dicitur: *Qui percuſſerit & occiderit hominem, morte moriatur.* & *Matth.* 26. ℣. 52. *Omnes qui gladium acceperint, eóque percuſſerint, gladio peribunt.* Item: *Apocalyp. cap.* 17. ℣. 10. *qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Idem ſtatutum *lege civili*: ùt liquet ex §. *item lex Cornelia. Inſtit. De publicis judic.* junctâ *l. unicâ* ℣. & *merito. C. De raptu virg.* & *l.* 6. *C. De vi publica.* Olim quidem, homicidæ, nobilis conditionis, loco pænæ capitis, plectebantur pænâ *deportationis, per l. ejuſdem.* 3. §. 5. *ff. Ad legem Corneliam. de Sicariis*; ipſa tamen hæc lex correcta conſpicitur, in *l. quoniam.* 6. *C. De vi public.* ubi, cuivis homicidæ, indiſtinctè, *capitalis* pæna impoſita, inverbis: *& non jam relegatione aut deportatione Inſulæ, plectatur; ſed ſupplicium capitis excipiat.* Quò facit in Imperio noſtro *Romano Germanico*; *Conſtitutio Caroli V. Criminalis. art.* 37. & 137. ubi omnes homicidæ, indiſcriminatim, ſubjiciuntur ultimo ſupplicio. Confer *Jul. Clarum* ℣. *Homicidium.* 18. *Blumlacher. ad cit. art.* 137. *n.* 9.

Tametſi autem ultimi ſupplicii pæna, gladiô ſoleat inferri, ſi homicidium eſt *ſimplex*

Digitized by Google

plex, in rixa factùm; equidem, ſi eſt *qualificatum* & unum ex iſtis ſpeciebus, ſupra enumeratis; exaſperari ſolet pæna, ita; ut *gladius* in ***rotam***, *furcam*, aut *rogum*, convertatur, adjunctâ præviâ adu ſtione, per ferrum candens, truncatione membrorum *&c* juxta citatam Conſtitutionem criminalem, qua de re vide *Carpz. Prax. criminal. q.* 24. *n.* 16.

7. Canonum jure, in homicidas Laïcos, ſtatuta eſt pæna *excommunicationis*, non quidem *ipſo facto* incurrenda, ſed per judicis ſententiam infligenda; niſi pœnitentiæ ſatisfactione, crimen commiſſum diluerint. Prout expreſsè dicitur in *Can. itaque.* 20. *Cauſ.* 24. *q.* 3. Deinde Laïci homicidæ, fiunt *irregulares* & inhabiles ad officia vel beneficia Eccleſiaſtica.

In Clericos injuſtè occidentes hominem, ſequentes pænæ ſtatutæ ſunt. I. *Depoſitio* ab Ordine & officio. *Can. ſi Epiſcopus Diſt.* 50. *Can. Presbyter. Diſt.* 81. *cap. inquiſitio* 21. *De accuſat. cap. ſicut.* 6. *§. fin. De homicidio &c. cap. Tuæ.* 6. *De pænis.* juncto Concilio *Tridentino: ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *De reformat. II.* In arctum Monaſterium *detruſio. cit. Can. ſi Epiſcopus.* & *cap. Tuæ.* In hujus tamen pænæ locum, hodiè ſucceſſiſſe videtur incarceratio perpetua, aut condemnatio ad Triremes, teſte *Farinacio. in prax. crimin. q.* 119. *n.* 149. *&* 155. *III. Irregularitas*: quæ ipsô factô contrahitur, occulto licet manente homicidio. Quinimò, peractâ etiam pœnitentiâ, Clericus homicida, nequit abſque Papali diſpenſatione, novos Ordines ſuſcipere, vel ſuſceptos exercere. *Can. Miror.* 4. *Can. Clericum.* 5. *Diſt.* 50. *cap. ſicut* 6. *cap. De cætero.* 7. *De homicidio &c Clementinâ unic. eod.* Junge Concil. *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *& ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *De reformat.* Ubi nota: *Clementem V. loc. cit.* fuiſſe primum, qui claris terminis deciderit, nullam irregularitatem incurri ab eo, qui mortem aliter evitare non valens, ſuum occiderit, vel multilaverit invaſorem. Quanquàm hæc *Clementis* Conſtitutio ùt bene obſervat *Fagnanus. ad cap. interfeciſti. De homicidio. Ultra caſum expreſſum, nequaquàm ſit extendenda, adeò, ut homicidium, non pro defenſione* vitæ, *ſed famæ, honoris, aut rerum temporalium; hac Conſtitutione, non eximatur ab irregularitate. Cum (inquit celebris ille & pius Author) regula ſit; quòd irregularis efficiatur, qui aliquem interficit aut mutilat, nec ab hac regula reperiantur excepti, niſi caſus furioſi, infantis, ſeu dormientis & illius, qui mortem aliter vitare non valens*, ſuum *occidit vel mutilat invaſorem, ùt in dicta* Clementina; *ſtabimus regulæ, quamdiu non probatur exceptio.* Unde non tantùm homicidium directè, ſed & indirectè, ſeu in *cauſa*, voluntarium, inducit irregularitatem.

8. Hîc fortè incidenter PETES: num homicidium cenſeatur ſemper *in cauſa* voluntarium, ſi ſequatur ex opere illicito? *Reſp.* autem, *Negativè.* Neque ſemper homicidium eſt *merè caſuale*, aut planè involuntarium, etſi præter intentionem *directam*, ſequatur ex actione de ſe licita. Poteſt enim contingere, actionem quampiam fuiſſe de ſe illicitam, adeóque omittendam. aſt non ideo omitti debuiſſe; ne ex ea oriretur homicidium, quod huic actioni potuit adeò remotè & inſolitè fuiſſe connexum, ut actio hujuſmodi, ob ejus periculum, ideo præcisè nullatenus omitti debuerit, homicidiúmque ex ea ſecutum, *merè caſuale* ſit reputandum. Exemplum obvium habemus in Clerico venatore. Si enim is, inter venandum, cogitans occidere feram occidat hominem, idque omnino præter intentionem; nihil ſimile prævidens aut prævidere valens; homicidium non cenſebitur ipſi *in cauſa* voluntarium, proin-

Digitized by Google

de nec irregularitatem incurret. Ut ùt enim venatio ſit ipſi prohibita, & fuerit tanquàm illicita, omittenda; nequaquam tamen fuit ipſi interdicta, ob periculum *homicidii*. Alioquin ob eandem rationem, interdicta deberet eſſe & Laïcis. Exemplum oppoſitum habemus in Clerico, contra Canonum ſanctiones chyrurgiam exercente. Si enim talis, operationem chyrurgicam exercendo, alteri, licet præter intentionem, cauſam mortis præbeat, indubiè efficietur irregularis, homicidiúmque ipſi reputabitur in cauſa voluntarium, eò quòd chyrurgia, ob periculum mutilationis & occiſionis, ſpecialiter ſit Clericis interdicta, atque actio hujuſmodi, ideo debuerit omitti. Si tamen tales occurrerent circumſtantiæ, ut ſalus proximi ipsáque Chriſtiana charitas poſtularent hîc & nunc Clerici operam, indubiè fieri poſſet, ut Clericus, ob ſimile periculum licitè operam ſuam impendens, nequaquam irregularitatem contraheret, ſi exinde præter ejus intentionem, mors ſequeretur, utpote ipſi Clerico, nec in *cauſa*, voluntaria.

Præmiſſo fundamento innititur reſolutio Pontificis in *cap.* 3 *De homicidio. in* 6. ubi definit, *quod is, qui mandat aliquem verberari, licet expreſsè inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur: irregularis efficiatur: ſi mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat. Ratio* quia mandatum hoc omittere debuiſſet, & *cogitare debuerit, hoc evenire poſſe* ùt ratiocinatur *ibid.* Pontifex.

Ex eodem principio, prudenter judicandum de variis caſibus, de quibus à Canoniſtis & Theologis indagatur, an homicidium ex aliqua actione ſecutum, ſit voluntarium in *cauſa* inducátque irregularitatem. Expendendum enim erit; an actio *ex ſe* fuerit non ſolùm licita vel illicita; ſed; an, ſi etiam illicita; fuerit præcisè omittenda, ob periculum homicidii. Confer *D. Huygens.* in *obſervationibus brevibus. De actibus humanis. cap.* 4. ubi doctè & ſolidè notat ea, quæ perpendi debent, ad diſcernendum; an aliquid ſit voluntarium *in cauſa*, & unde iſta voluntarietas potiſſimùm haurienda ſit?

9. Non eſt hîc prætereundum: quòd, licet irregularitas non incurratur, niſi in caſibus jure expreſſis; equidem in dubio, num quis ſit Reus homicidii vel mutilationis? Ipſe dubitans de ſuo ſcilicet facto, debeat ſe pro irregulari gerere, & ab executione Ordinum (donec diſpenſationem obtinuerit) abſtinere, prout ſummâ ratione, reſolvit Pontifex in *cap.* 12. *De homicidio.* huic ſecuriſſimo innixus principio: quòd in dubiis, ſemitam debeamus eligere tutiorem: vel prout loquitur in *cap. De Clerico excom. miniſt.*: Quia *in dubiis, via eſt eligenda tutior.* Confer *Fagnanum ad cit. cap.* 12. *ubi n.* 7. deplorat: quòd inſignem hanc ſacrorum Canonum Regulam, de electione tutioris partis, complures ex recentioribus Theologis, tot limitationibus ita extenuent; ut illam ferme in nihilum redigere videantur. Vide rurſus eundem præſtantiſſium Doctorem, ad *cap. Ne innitataris. De Conſtitutionib. à n.* 44. ubi plurimas Neotericorum opiniones, de ſequenda probabili ſententia, relictâ probabiliore, ùt *improbabiles*, & diſpoſitioni ſacrorum Canonum minimè conſonas, latiſſimè confutavit. Confer, quæ ſupra late diſputavimus *cap.* 3. *à n.* 16. uſque *ad n.* 115.

10. Adeò enorme eſt homicidii crimen, ut Concilium *Tridentinum*, *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *De reformat.* ſtatuerit, eum, qui per induſtriam & per inſidias, occiderit proximum ſuum; ab altari avelli debere ad normam præcepti divini olim no-

poulo Judaïco inſinuati, *Exod. cap.* 21. *ſi quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias; ab altari meo evelles eum.* Quæ verba referuntur & canonizantur *in cap.* 1. *De homicid.* Statuit etiam *Concil. Tridentinum, loco cit. Ut is, qui ſuâ voluntate, homicidium per petraverit, etiamſi crimen illud nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, ſed occultum fuerit; nullô tempore, ad Sacros Ordines promoveri poſſit, nec illi aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat. ſed omni ordine ac Beneficio & Officio Eccleſiaſtico, perpetuò careat.* Deinde idem Concilium, poſtquàm *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *De reform.* declaraverat: Epiſcopum poſſe diſpenſare in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, ſubjunxit hanc clauſulam: *exceptâ eâ, qua oritur ex homicidio voluntario.*

Notandum tamen; quòd homicidium voluntarium, ad mentem Concilii, ſit, & intelligatur illud, quod per induſtriam, inſidias, & ex propoſito perpetratum eſt, prout deciſum refert *Garzias. De Beneficiis. part.* 7. *cap.* 11. *n.* 44. & *Barboſa. De offic. Epiſcopi. part.* 2. *Allegat.* 39. *n.* 49. ubi dicit: à S. Congregatione reſolutum; quòd, ſi quis mandaverit aliquem verberari, cum expreſſo mandato, ne occidatur aut mutiletur; ſi mandatarius fines mandati excedens, occiderit vel mutilaverit, mandantem quidem incidiſſe in irregularitatem, ſed tamen non cenſeri homicidam *voluntarium*, ad ſenſum ſcilicet Concilii *Trid.* quod requirit ad incurrendam pœnam, de qua in textu citato, ut cædes ſit commiſſa *per inſidias & per induſtriam.* Vide *Zypæum. conſult. unic. De homicidio.*

12. Tanta eſt homicidii inſidioſi enormitas; ut Epiſcopis per Concilium *cit.* adempta ſit omnis diſpenſandi facultas, etiam ad Ordines minores ac beneficia etiam ſimplicia; & quamvis Pontificia diſpenſatio non cenſeatur excluſa, ob enixam tamen Synodi declarationem, ut hujus criminis Reus, omni Ordine & beneficio perpetuò careat; Pontifex *in diſpenſationibus hujuſmodi concedendis, non parum difficilem ſe reddit, nimiſque ab eis abhorret; cùm abominabile ſit, quòd effundens ſanguinem humanum, offerat ſanguinem Chriſti & Hoſtiam immaculatam, vel Officium Deo ad altaris Miniſterium præſtet.* Inquit *Pyrrus Corradus in praxî Diſpenſ. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 3. junge *Fagnanum. ad cap. Henricus. De Cleric. pugn. in duello. n.* 41.

13. Ex quibus liquet; quòd *Quarta* pœna in Clericos homicidas ſtatuta, ſit *perpetua inhabilitas* ad omnia Beneficia & Officia Eccleſiaſtica. Licet autem hujuſmodi facinoroſus Clericus privari poſſit & debeat Beneficiis prius ritè obtentis; illis tamen ipsô jure & factô, non eſt privatus, ùt cum aliis communiter tradunt *Jul. Clarus V. Homicidium. n.* 21. *Garzias. part.* 11. *De Benefic. cap.* 10. *n.* 39. *Farinacius. loc. cit. q.* 119. *n.* 153. *Pirbing. ad tit. De homicid. n.* 20.

14. Unde ſequitur; quòd Clericus homicida occultus, Beneficio ſuo priùs ritè obtento, validè & licitè frui poſſit, niſi hujuſmodi Beneficium præter recitationem Horarum Canonicarum, poſtulet perſonale exercitium Ordinis Sacri, tunc enim ob irregularitatem, *ipsô factô* contractam, ab exercitio Ordinis Sacri omnino abſtinere, & pro obtinenda diſpenſatione apud S ſedem inſtare; aut, ſi illam obtinere nolit, vel non poſſit; Beneficium, urgente conſcientiæ obligatione, ultrò dimittere deberet. Ut bene tradit *Covarruvias in Clement. ſi furioſus. p.* 2. §. 3. *n.* 7.

15.

Digitized by Google

15. Quòd, ſi Clericus ſit iteratus homicida; graviùs plectendus erit; utpote Anathematizandus, degradandus, & brachio ſæculari, ad luendam ultimi ſupplicii pœnam, extradendus. Juxta *textum in cap. cùm non ab homine. 10. De judiciis.* Ex quo *textu*, Doctores colligunt: ob ſimplex, non reïteratum homicidium, Clericum non poſſe tradi brachio ſæculari.

Qui vel ſuperficialem utriùſque juris tincturam habet, facilè noverit: quòd non ſolùm irregularitatem, ſed & cæteras reſpectivè pœnas peræquè incurrant: *Mandans* & *Conſulens* homicidium, per *l nil intereſt 15. ff. Ad legem Corneliam. De Sicariis.* ibi: *Mandator cædis pro homicida habetur.* junge *Can. Si quis* 8. *Diſt.* 50.

16. Sed, quid; ſi *Mandans* revocaverit mandatum, pœnitentiâ ductus? *Reſp.* Aut ante cædem perpatratam, revocatio facta innotuit *mandatario*, vel non? Si primùm; non: incurris pœnas juris, etiamſi mandatarius cædem poſtea committeret. *Ratio*; quia ſic non ex voluntate mandantis; ſed proprio nomine, alter occidiſſe cenſeretur. Si ſecundùm; mandans adhuc reus maneret homicidii, proindéque pœnas juris non evaderet. *Navarrus. in Manual. cap.* 27. *n.* 237. *Diana part.* 2. *Tract. Miſcell. reſolut.* 17. *Pirbing.* & authores communiter ad *tit. De Homicid.*

17. Quid; ſi ipſe occidatur *Mandatarius*? *Reſp. Mandantem* tali eventu effici irregularem, teſte *Avila. p.* 7. *Diſt.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 5. *concluſ.* 4. cui junge *Sylveſtrum. Verb. Homicidinm.* 1. *q.* 7. *dicto* 7. *Pirbing. loc. cit. n.* 22. Sicut enim is, qui ſeipſum temerariè & abſque ſufficienti ratione exponit propinquo mortis periculo, cenſetur morte ſubſequente, ſuicida; ita etiam, qui mandat & conſulit, ut alter tali diſcrimini ſe exponat, cenſetur cauſa homicidii. Et licet præter directam ejus voluntatem, mors mandatarii ſequatur; ſatis tamen reus cenſetur; eò quod cogitare potuerit & debuerit, illam accidere poſſe. *Arg. cap. fin. De Homicid. in* 6. Ex hac enim eadem ratione, mandans aliquem verberari, cum expreſſa inhibitione, ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur; irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilaverit vel occiderit.

18. Dicta tamem limitanda ſunt in caſu; quo homicidinm reapſe ſubſecutum non fuerit; ſiquidem regulariter loquendo, irregularitas vel alia ordinaria juris pœna, in homicidas ſtatuta, non incurritur; ſi cædes actu non committatur; niſi aliter in jure ſit expreſſum, prout expreſſum eſt, de *Aſſaſſinio*: licet enim mors ſubſecuta non fuerit, equidem graviſſimas juris pœnas incurreret tam mandans quàm mandatarius *Aſſaſſinus*, per *text. expreſſum, in cap.* 1 *De homicid. in* 6. ibì: *quanquam mors ex hoc forſitan. non ſequatur.* Confer *Avilam. loc. cit dub.* 3. *Pirbing. loc. cit. n.* 13.

19. Cæterum; ſicut mandans, ita & conſulens homicidium, irregularitatem aliáſque pœnas, cæde ſubſecutâ, incurrit s ſi efficaciter influxerit; id eſt: ſi vi hujus conſilii, alter homicidium injuſtum commiſerit, illud alioquin non commiſſurus. *Ratio* eſt; quia homicidium efficaciter ſuadens, etiam illius vera cauſa *moralis* eſt. Quò faciunt varii utriuſque juris textus. puta: in *cap.* 2. *De Clerico pugnante in duello. Can. ſi quis viduam.* 8. *Diſt.* 50. *cap. ſicut.* 6. §. *qui verò.* & §. *fin. De homicid.* & *in l.* 1. *princ.* & *l.* 3. §. 4. *ff. Ad legem Corneliam. De Sicariis.*

20. Hoc procedere, Theologi cum juris-peritis tradunt: licet conſulens, conſilium revocaverit & retractaverit; ſi videlicet alter, ſemel rationibus ſibi ſuggeſtis, perſuaſus, cædem perpetraverit: verè

verè enim tali caſu, conſilium adhuc influit, ut exinde pateat diſcrimen inter conſilium & mandatum, quo ſemel revocato, tota cauſa moralis homicidii, ſublata cenſetur. Addunt tamen Doctores: conſulentem evadere pœnas; ſi omni conatu, conſilii dati rationes refutaverit, & alterum, in ſua pervicacia perſiſtentem, impensè dehortatus fuerit. Quinimò *Pirhing. loc. cit. n.* 32. illum ab irregularitate immunem facit, qui conſulit minus malum, v. g. percuſſionem duntaxat aut mutilationem, ei, qui alias occidere ſtatuerat. Confer *Avilam. p. 7. De cenſuris. diſp. 6. ſect. 2. dub. 3. Concl.* 1.

21. Pariformiter, qui efficaciter & propinqué cooperantur ad homicidium; ita; ut illud abſque eorum cooperatione, non fuiſſet ſubſecuturum; pœnas ordinarias homicidii, ab utroque jure ſtatutas, incurrunt. Prout fuſiùs videre eſt, apud *Jul Clarum. loc. cit. q. 90. n. 1. Maſcard. De probation. concl.* 159. *Barboſ. in cap. Sicut. 6. De homicid. n. 44. Farinac. in Praxi Crimin. p. 3. q.* 131. *Ratio* eſt; quia generatim, qui efficaciter ad delictum concurrit, eâdem pœnâ, quâ ipſe delinquens, plectitur. *Arg. l. unic. C. De raptu Virg. l. Si pignore. §. qui ferramenta. ff. De furtis. l. nihil. 15. ff. Ad legem. Cornel. De Sicariis. l. ſciente ff. Ad legem. Pompejam. De Parricid. cap. fin. De pœnis. in 6.*

22. Pluribus, communicatô conſiliô aut propoſitô, ad alterius homicidium concurrentibus, ſi cædes ab uno duntaxat fiat, ita ut ignoretur, quiſnam individualiter occiderit, ſeu cujus ictu, percuſſione aut vulneratione, mors ſubſecuta fuerit; omnes peræquè pro homicidis habentur, & ordinaria homicidii pœnâ plectendi veniunt, per textum expreſſum, *in l. Item Mela. 11. §. 2. ff. Ad legem Aquil.* ſúntque omnes *irregulares. cap. Significâſti.* 18. §. *quod ſi. De homicid.* juncto *Can. fin. cauſ. 23. q.* 8. Tametſi enim in tali caſu, unus tantùm reapſe occiderit; reliqui tamen cauſam mortis præbuerunt, dum præſentiâ & aſſiſtentiâ ſuâ, ſe invicem, & præſertim homicidam, audaciorem; occiſum verò timidiorem, reddiderunt. Quò facit *l. Nihil. cit.* ibi: *Nihil intereſt, occidat quis, an cauſam mortis præbeat.*

Quòd, ſi præfato modo plures conſpirent; ſed unus tantùm vulneret, aut percutiat, vel plures quidem, ſed unus tantùm *lethaliter*, alii *non lethaliter*; idque conſtet; de jure Civili, ille ſolus ordinariam ſubibit homicidii pœnam, reliquis pœnam extraordinariam luentibus, per textum perſpicuum, in *cit. l.* item *Mela.* §. 2. in foro tamen *poli*, & de jure Canonico, res aliter ſe habet, ſi enim omnes occidendi animo, impugnaverint vel invaſerint alterum; aut etiam ſolùm præſtò fuerint; omnes ſunt *irregulares*, & coram Deo, qui cor reſpicit hominis, rei ſunt homicidii, ùt ùt conſtet, unum duntaxat lethaliter, reliquos verò non lethaliter, imò nullatenus percuſſiſſe. Atque ita deciſum, in *can. fin. cauſ* 23. *q.* 8. ubi etiam illi, qui non vulnerârunt, occidere tamen cogitârunt, peræquè pœnitere, parémve pœnam ſubire coguntur, iis ſolùm demptis, *qui nec vulnerabant, nec impugnabant, nec conſilio nec auxilio cooperatores fuerunt; ſed tantùm adfuerunt.*

23. Si in rixa ſubitò exorta, ſine præmeditata occidendi cogitatione, pluribus interim concurrentibus, quiſpiam occidatur, neſciatúrque, à quonam determinatè, cædes perpetrata fuerit; de jure *Civili*, omnes quidem extraordinariè caſtigandi, nullus tamen ordinariam, ultimi ſcilicet ſupplicii pœnam luet, prout poſt *Julium Clarum & Criminaliſtas* paſſim deducit *Menochius. De arbitr. judic. lib.*

lib. 2. *Caſu* 362. *n.* 19. *Argum. l* 1. §. 3. *ff. Ad legem Cornel de Sicar.* item *l. fin. ff. eod.* De jure autem *Canonico*, tali eventu, pro foro etiam externo, omnes ſunt *irregulares*; prout pluribus, pro more, probat *Barboſa*, in *cap. ſignificaſti.* 18. §. *quod ſi. De homicid. n.* 9. junctâ *Gloſsâ*, *in can fin. Cauſ.* 23. *q.* 8. ℣. *quicunque.* Equidem; ſi pateat, quis illorum occiderit vel lethaliter percuſſerit; ille ſolus erit *irregularis*, non verò reliqui. *cit. cap. ſignificâſti.* §. *Nos in promiſſo.*

Dixi: *in foro externo*; Nam in foro *poli* ſeu *conſcientiæ*, quiſque ſtare debet animi ſui judicio; ita, ut is, qui certò novit, ſe nec lethaliter vulnerâſſe, nec etiam leviter percuſſiſſe, imò neque animo occidendi adfuiſſe; ſe neutiquam pro irregulari habere teneatur; prout bene obſervat *Barboſa. loc. cit. n.* 10. cui jungi meretur *Avila De cenſuris. p.* 7. *Diſp.* 6. *ſect.* 4. *dub.* 3. ℣. *ſed quid, quando plures.*

24 Dicta *ampliantur*, ut etiam ii, qui poſſunt & ex juſtitia tenentur impedire homicidium, fiant illô patratô, *irregulares*. Confer *Navar. in Manuali*, *cap.* 24. *n.* 22. & *cap.* 27. *n.* 232. *Barboſ. in cap. ſicut* 6. *De homicid. n.* 17. & *ſeq.* Tales enim, *moraliter* loquendo, cenſentur occidere. & *contra juſtitiam* peccantes, damnorum inde exortorum reſarcitioni ſunt obnoxii. Quod ſecus eſt, ſi *ex ſola charitate*, homicidium impedire tenebantur, etſi alioquin tales, cædem facili negotio impedire valentes, graviter coram Deo delinquant. *Ratio* eſt; quòd homicidium rigorosè dictum, ſit delictum *contra juſtitiam.* Vide *Navarrum* & *Barboſam loc. cit.*

25. Quinimò, præcisè approbans, ratúmve habens homicidium injuſtum ab alio perpetratum, nullô ad id prævìè præſtitô conſiliô, irregularitatem, aliáſve pœnas utriuſque fori externi, non incurrit, licet ipſius nomine, (ipſo tamen inſcio) cædes commiſſa fuerit, prout contra *Navarrum. Man. cap.* 27. *n* 233. *Felinum* & paucos alios, demonſtrant *Covarruvias.* in *Clement. Furioſus. p.* 2. §. 1. *n.* 4. *Avila. loc. cit. p.* 7. *Diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 6. *Layman lib.* 3. *Tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 4. *n.* 6. *Pirbing. Ad tit. De homicid. n.* 28. *Zoëſius. eod. n.* 22. Nec deeſt ſana *ratio.* Siquidem irregularitas non contrahitur, niſi in caſibus à jure expreſſis, ùt ſæpius dictum; aliunde etiam homicidium jam patratum præcisè laudans, nullatenus illud causâſſe videri poteſt: cùm in illud non influxerit, *Phyſicè* vel *moraliter.*

Dices: Juxta Regulam 10. *Jur. in* 6. Ratihabitio retrotrahitur & abſque dubio, mandato comparatur: quod verum & in delictis, *per l.* 1. §. 14. *ff. De vi armata.* Cui conſonat *textus*, *in cap. ſicut. De Simonia*: ibi: *Niſi poſtea conſenſeris.* ac ſignanter *text. in cap.* 23. *De ſent. excom. in* 6. ubi ille, qui percuſſionem Clerici, ſuo nomine, ſe etſi inſciô, factam, poſteà ratihabet; *Excommunicationis* Reus declaratur, per *cit. Regulam* 10*mam.* Resp. Ratihabitionem quidem comparari mandato, quò ad culpam & in foro *poli*, ubi perverſæ voluntatis habetur judicium; non verò ſemper in foro *fori*, quò ad pœnam, ſignanter illam, quæ ſpecialem expreſſionem in jure requirit, cujuſmodi eſt *irregularitas. cap. is qui. De ſent. excom. in* 6. Ad textus alios *Reſp.* illos neutiquam procedere in pænalibus & odioſis, utpote haud extendendis, ad caſum non expreſſum. Vide quæ olim *in Moravia* ſcriptitavi in *Elementis juris Pontificii.* ad *Regulam: Odia reſtringi* &c. *pag.* 24. *n.* 5.

De vulnerante Quæri poteſt; An & is ordinarias homicidii pœnas incurrat? Pro reſolutione hujus quæſiti.

26. Resp. 1*mò.* Conſtitô, vulnus eſſe *lethale*; injuſtè vulnerans, ordinarias homicidii

Digitized by Google

micidii pœnas utroque in jure taxatas incurrit, ſive brevi, ſive longo ex intervallo temporis, ex vulnere iſto mors ſubſequatur, ita quidem, ut vix haberi debeat ratio malæ curationis, negligentiæve Chirurgorum aut medicorum, vel circumſtantiarum, quæ cæteroquin non accepto vulnere, mortem non cauſâſſent. Qua de re, videndus eſt *Gailus. lib. 2. Obſerv. 111. n. 7. & ſeqq.* & *Socinus Conſil. 178. vol. 2. Argum. l. Ait lex. 21. ff. Ad legem Aquil.* & *cap. ſignificâſti.* 18 *De Homicid. Ratio* eſt; quòd taliter vulnerans, ut ſupponitur, verè præbuerit & quidem injuſtè, cauſam mortis, proindeque homicidii pœnas incurrerit.

Resp. 2dò. Si liquidò pateat, aut moraliter certis probationibus demonſtratum ſit; vulnus non fuiſſe de ſe lethale; ſed vulneratum, ex imperitia negligentiáve Medici, aut Chirurgi; aut propria vulnerati culpâ, vel incuria; aut etiam ex accidente extrinſeco, obiiſſe; ab Ordinariis homicidii pœnis eximendus erit vulnerans, ex ratione; quòd etſi vulnerans malè egerit; equidem cauſam mortis non præbuerit. Confer *Baldum. in l. Qui occidit.* 30. §. 4. *ff. Ad leg. Aquil.* junge *Socinum. loc. cit.*

27. Cæterùm; num vulnus reapſe fuerit *lethale*; ex peritorum Medicorum & Chirurgorum judicio, metiendum eſt, per *text. in cit. cap. Significâſti.* junctâ *Conſtit. crimin. Caroli V. art.* 147. *& ſeq.* Quòd, ſi ambiguum appareat ipſiſmet Medicis & Chirurgis, aut iis non vocatis vel interrogatis, aut ad inſpectionem faciendam non authoriſatis, dubium oriatur de lethalitate vulneris; verius eſt, vulnerantem ordinariis homicidii pœnis non eſſe plectendum, prout, poſt alios *Criminaliſtas*, egregie tradit *Benedictus Carpzovius. in ſua praxi Crimin. part. 1. q. 26. n.* 28. ex ratione; quòd ad pœnam mortis inferendam, dubiæ probationes non ſufficiant ſed requirantur certæ & luce meridianâ clariores, *per l. fin C. De probationib.* Tum etiam; quòd in dubio, mitior ſententia ſit amplectenda. Canoniſtæ tamen, paulò ſcrupuloſiùs loquuntur, talitérque vulnerantem, *irregularem* faciunt. *Arg. dict. cap. ſignificaſti. §. Quod ſi.* ubi Sacerdos in dubio, an ictus ipſius fuerit lethalis, pronuntiatur *irregularis*, ex ratione inibi ſubjecta; his verbis: *in dubio tanquàm homicida, debet haberi Sacerdos, etſi fortè homicida non ſit, & à Sacerdotali Officio abſtinere debet: cùm in hoc caſu, ceſſare ſit tutiùs, quàm temerè celebrare; pro eo, quòd in altero nullum, in reliquo verò, magnum periculum remaneat.* Si.

Sciſciteris, Qualem pœnam inducat mutilatio *non lethalis*? Noviſſe præviè oportet, per mutilationem, hîc intelligi amputationem membri cujuſdam partíſve principalis, peculiarem ſcilicet in corpore humano functionem habentis, cujuſmodi ſunt: manus, pes, oculus, auris *&c.* Ut proinde hîc loci, non habeatur ratio abſciſſionis v. g. digiti, cartilaginis *&c. Arg. ſæpe cit. cap. ſignificâſti.* & *l. 10. ff. De Ædilitio edicto & redhibitoria.* Hoc prænotato.

28. Certum eſt, injuſtè mutilantem, nedum jure *Civili*, extra ordinem eſſe puniendum, ſed & utroque in foro, teneri ad reſarcienda omnia damna, ex injuſtâ mutilatione ſecuta aut ſubſecutura. Jure quoque *Canonico*, injuſtè mutilans, ipsô factô *irregularis* efficitur. Nam, quò ad effectum inducendi irregularitetem, mutilatio æquiparatur homicidio, prout obſervat, & pro regula tradit. *Gloſſa* communiter recepta, *in Clement. unic. De homicid. verb. mutilet.* Quo facit, *cap. fin. eod. in 6. cap. in Archiepiſcopatu. 4. De raptorib. cap. Clericis. 5. Ne Clerici* vel

vel Monachi &c. junctô *Can. fin. Diſt.* 55 Ubi tamen.

Observandum; Quòd irregularitas non incurratur, ſi membrum alienum, peculiarem à natura functionem habens, inutile quidem reddatur, aſt realiter & penitus non ſeparetur à corpore, uti contingit, ſi v. g. oculi alicujus lædantur, non tamen eruantur, cujus *Ratio* eſt, quòd in pænalibus, ſtrictè ſit facienda interpretatio, per *cap. in pœnis. & cap. Odia. De Reg. jur. in* 6. Quòd præſertim obtinet in irregularitate, quæ non incurritur, niſi in jure exprimatur. *cap. ii qui. De ſentent. excom. in* 6.

29. Dixi; *Membrum alienum &c.* Nam, qui ſeipſum mutilat, aut mutilationem abſque juſta cauſa procurat, *irregularis* efficitur. non tantùm, ſi membrum principale, ſed etiam, ſi minus principale, v. g. digitum vel articulum ipſius, aut aliam corporis partem abſcindat; prout tradunt Doctores, ad *tit. De corpore vitiatis.*

Porrò, ex rationis paritate, communiter volunt Doctores, quòd in illis caſibus, quibus injuſtum homicidium *conſulens*, *mandans*, aut ad illud *cooperans*, irregularis efficitur; in iiſdem etiam, irregularis fiat conſulens, mandans &c. mutilationem.

30. In homicidio *qualificato*, pro diverſitate atrocitatis & malæ qualitatis adjunctæ, exaſperari pœnas, praxis, utriuſque fori, curiarum docet. Homicidium *proditorium* illud ſpeciale habet: quòd privet jure *Aſyli*, quo etiam privat homicidium *aſſaſinum*, quod inſuper inducit *excommunicationem* ac *depoſitionem ab officio & beneficio*, ipſô factò imò *diffidationem perpetuam*, prout videre eſt, in *cap.* 1. *De homicid. in* 6. ibi: *ſit etiam cum ſuis bonis mundanis omnibus, tanquàm Chriſtianæ Religionis æmulus, à toto Chriſti populo, perpetuò diffidatus.* & *poſtquam probabilibus argumentis conſtiterit, aliquem ſcelus tam execrabile commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis vel depoſitionis vel diffidationis adverſus eum ſententia requiratur.* Articulatiùs pro foro *Civili* & *criminali* confer criminaliſtas ſupra citatos.

31. Differendo de homicidio voluntario, authoritate publicâ, commiſſô; certa & Catholica veritas docet: licitum eſſe authoritate publicâ occidere malefactores, prius legitimè convictos aut confeſſos. Tametſi enim alioquin ſolus Deus, ſit Dominus vitæ & membrorum hominis, juxta illud *Sapient.* 16. ℣. 13. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem*; licet etiam Dominis, in vitam ſervorum propriè talium, id eſt *mancipiorum*, poteſtas hodie jure Civili ſit adempta, *per l.* 1. *ff. De his qui ſui vel alieni juris. cum concordantiis:* equidem, quòd Deus tam in veteri. *Exodi* 21. & 22. ℣. 19. quàm nova lege, *Ad Rom.* 13. ℣ 4. legitimo Magiſtratui dederit poteſtatem in vitam malefactorum, non eſt dubitandum. Sicut enim pro conſervatione totius corporis humani, putrida & nociva reſecanda ſunt membra, ita à corpore *politico*, malefactores velut membra noxia & putrida, tollenda ſunt, ne reliquam compagem inficiant. Confer *F. Sylvium* in 2*dam.* 2*dæ. D. Thomæ. quæſt.* 64. *art.* 2. *pag. m.* 408 ubi ex eodem Doctore *Angelico*, ſolidè redarguit *Scotum*, qui *in* 4. *Diſt.* 15. *q.* 3. contendit: *eos ſolos poſſe occidi, quos Deus ſuâ lege excepit: & propterea neque furem* ſimplicem, *neque adulterum, poſſe morte puniri* Audiamus hîc Divum Patrem *Auguſtinum* cujus verbis, *lib. De civit. Dei cap.* 21. obiter perceptis, *Scotus* videtur nixus fuiſſe. *His* [inquit Ethicorum Princeps] *exceptis, quos vel lex juſta generaliter vel ipſe fons juſtitiæ ſpecialiter*

ter, occidi jubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit; homicidii crimine innectitur. Audiamus (inquam) *Auguſtinum*, non tam *aſceticè*, quàm *juridicè*, ſeſe explicantem *ibid.* his formalibus: *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum eſt*: Non occides, *qui Deo authore, bella geſſerunt, aut perſonam gerentes publicæ authoritatis, ſecundùm ejus leges, hoc eſt: juſtiſſimæ rationis Imperium, ſceleratos morte punierunt*. Porrò, quatenus privato, publicâ authoritate munito, liceat interimere *proſcriptum* ſeu *Bannitum*; vero & apud Juriſperitos recepto intellectu, *ibid.* præclarè exponit *Sylvius* recens quidem, ſed præclarus Author, qui hoc cum reliquis, etiam ſanctis ſcriptoribus, commune habet, quòd in ſententiarum ſuarum delectu, non placeat cunctis: ſed quis hoc miretur; cùm, ùt vetus fert proverbium: *Ne Jupiter omnibus placeat*.

32. Cæterùm, Magiſtratus vel Princeps ſupremus, nedum malefactores apprehenſos & quos jam in poteſtate ſua habet, mortis ſupplicio plectere, ſed & abſentes aut profugos, ita *banniſare* id eſt, publicè proſcribere (vulgò *Vogelfrey geben*: *in die Acht erklären*) poteſt ut cuivis etiam privato, talem impunè liceat interimere. Circa quod tamen.

Sciendum eſt, quòd ad hujuſmodi proſcriptionem ex parte Magiſtratus requiratur 1*mò*. Ut de delicto *capitali*, talem pœnam promerente, ſufficienter conſtet; 2*dò*. Ut Reipublicæ graviſſimum immineat periculum ex malitia *banniſandi*. Veluti; ſi eſſet proditor patriæ, perduellis, prædo armatus, inſidiator vitæ Principis, veneficus &c. 3*tiò*. Ut ordinariâ procedendi viâ, contra præſentem, executio fieri nequeat. Obſtaret enim alioquin juris regula, *in l. Non eſt*. 176 *ff. De R. J.* quæ ſic habet: *Non eſt ſingulis concedendum, quod per Magiſtratum publicè fieri poſſit, ne occaſio ſit majoris tumultûs faciendi*.

Notandum Quoque, quòd ex parte privatorum, *banniſatum* occidere volentium exigatur 1*mò*. Ut ſententia *banni*, per appellationem legitimè interpoſitam, non ſit ſuſpenſa. 2*dò*. Ut occiſio præcisè fiat, ex zelo juſtitiæ & intuitu boni publici; non verò, ex odio, paſſione privata, vel affectu vindictæ, aut lucri perſonalis. 3*tiò*. Ne extra Territorium proſcribentis, occiſio fiat. Cùm enim ipſi Magiſtratui non liceat extra Territorium ſuum, exercere imperium vel juriſdictionem; à fortiori, id privatis interdictum cenſeri debet. Confer *Farinacium in pract. crimin. p.* 3. *q.* 103. *arg. l. fin ff. De juriſdict. omn. judic.* 4*tò*. Ut perſona ſic proſcripta, non ſit ſpeciali jure, conjuncta privato occidere volenti, v. g. Pater, Filius, Conjux: hos enim haud aliter occidere licet, quàm, ſi ad delendam patriam veniant, & aliter deterreri vel averti nequeant; per ea, quæ ſupra tetigimus & prolixiùs tradit, *Jul. Clarus*. §. *Homicidium. n.* 52. cui junge *Layman. lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 2.

33. Interim, Theologi rectè monent perraro & non niſi ob graviſſimam & præſentiſſimam cauſam, licere Magiſtratui, dicto modo, quempiam proſcribere; tum; quia exinde plerumque multa incommoda ſequi nata ſunt: tum; quia ſic ex improviſo occiſi, corpore & animâ pereunt, quod utique Chriſtianæ menti magnam deliberationem adferre debet.

Non diſcutiemus hîc, An & qualiter in bello, tum *defenſivo*, tum *offenſivo*, hoſtem, aut hoſti ſubſervientes, occidere liceat; quia has, cum multis aliis, quæſtiones remittimus ad librum ſecundum, quem Deo dante, *de jure gentium*, compilabimus.

Digitized by Google

Propoſiti noſtri ratio quoque non poſtulat, ut de pœnis Canonicis, in homicidas ſtatutis, ſigillatim tractemus; quia tamen Ethica; quam elucubramus, *Chriſtiano-Catholica* eſt; & ſciſcitari quis poſſet: num præter ſupra recenſitos, irregularitatis notam quoque contrahant, qui authoritate publicâ, atque ex cauſa juſta, per leges comprobatâ, malefactores licitè occidunt aut mutilant; ideo ſummariè.

34. Resp. Canonum jure, ex defectu (ùt ajunt, *perfectæ lenitatis*) irregulares eſſe, authoritate etiam publicâ, malefactores juſtiſſimè occidentes, aut mutilantes; imò & illos, qui propinquè & notabiliter, vel alioquin reapſe concurrunt ad juſtam hominis occiſionem vel mutilationem; cujuſmodi ſunt: accuſatores & delatores; item: judices, ejúſque Aſſeſſores & Conſultores; Advocati, Teſtes, ac Notarii ſententiam ſcribentes, dictantes, ſubſcribentes, promulgantes in loco ſupplicii: nec non lictores, miniſtri juſtitiæ ſententiam exequentes. Quanquàm enim hi omnes, nullum committant delictum: nihilominus; quia ſanguinem alienum fundunt, vel ad id concurrunt; cenſentur Pontificio jure, perfectâ carére manſuetudine & lenitate Chriſtianâ, ut eam ob cauſam, præcisè inhabiles reputentur, ad offerendum in altari, incruentam, pacificam & immaculatam Deo hoſtiam, repræſentandámque mitiſſimi ſalvatoris noſtri perſonam; qui, ceu agnus manſuetiſſimus, proprium pro nobis ſanguinem fudit. Quò facit; quòd & in lege veteri Deus, non à *Davide*, qui multum ſanguinem humanum fuderat; ſed à filio ejus *Salomone*, templum ſibi voluerit ædificari, prout habetur, 1. *Paralip. cap.* 22. ℣. 8.

Objici Quædam poſſent, quæ ſoluta reperies apud *Covarruviam. in Clement. unic. De homicidio. p.* 2. §. 5. *Avilam. De cenſuris. p.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *dub.* 9. *Barboſam. ad cap. Prælatis.* 2. *De homicid. in* 6. *Pirbing. ad eund. tit. n* 103. *& ſeq.* Ubi authores illi, inſuper caſus adferunt: quibus accuſans vel denuntians malefactores, non efficitur *irregularis.*

35. Inſignes, hac in parte, limitationes, non piget adnotare. 1*mò.* enim ſummus Pontifex, liber eſt ab omni irregularitate, jure humano inducta, quin & ab ea liberatur, ſimul ac ad *Papatum* elevatur. *cap. licet vitanda. De election. cap. ubi periculum. eod. in* 6. Confer *Majolum. De irregularit. lib.* 2. *cap.* 4. *pr.* & *Pirbing. loc. cit. n.* 96. 2*dò.* Favore fidei, ex privilegio *Pauli IV.* & *Pii V.* Inquiſitores hæreticæ pravitatis, eorúmque Commiſſarii, Conſultores & Aſſeſſores, immunes ſunt ab irregularitate, etſi hæreſis reos, ad pœnas jure definitas, condemnent. Vide *Palao Tract.* 29. *Diſp.* 6. *punct.* 14. §. 1. 3*tiò.* Excipiuntur Judæi, Saraceni & alii infideles: quia hi legibus non ſubſunt Eccleſiaſticis, ut proinde ad fidem converſi, non patiantur hujuſmodi irregularitatis lituram, etſi priùs fuiſſent judices criminales, & ipſimet, juſtè vel injuſtè, hominem occidiſſent. Vide *Pirbing. loc. cit n.* 99. junge *Suarez. De cenſuris. diſp.* 40. *ſect.* 7. *n.* 3. 4*tò.* Ab irregularitate eximuntur Epiſcopi, *S. R. Imperii Principes*, aliíque Prælati juriſdictionem temporalem habentes, & in cauſis criminalibus, judices conſtituentes, cum mandato; ut pro qualitate delictorum, malefactores puniant etiam mortis ſupplicio. *Arg. cap. fin. Ne Clerici vel Monachi &c.* Ubi id expreſsè conceſſum habetur. Confer *F. Sylvium in* 2*dam.* 2*dæ. D. Thomæ queſt.* 64. *art.* 4. §. *ſed quæritur.* Neque *obſtat* regula juris: *Quod quis facit per alium, perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum. cap.* 72. *De R. J. in* 6. Hæc

enim

enim Regula exceptionem patitur, in caſu; quo quid per alium facere permiſſum à jure, quod *per ſe* facere prohibitum Jam autem in *dict. cap. fin* primum, miniſterio aliorum, Epiſcopis facere licet: imò judici Eccleſiaſtico, licet Clericum ob crimina patrata degradatum, brachio ſæculari extradere, per *cap. Ad abolendam.* 9. §. *Præſenti. De Hæretic. & cap. Novimus* 27 *De V. S.* Confer *Pirbing loc. cit. n* 100 *Avila. De cenſur. diſp.* 5. *ſect.* 2. *dub.* 4 *Palao. loc. cit n.* 3. ubi quoque exceptionem ponit in teſtibus, qui citati venire recuſantes, coguntur per judicem teſtificari; tales enim, perinde ac advocatus, non liberè, ſed coactè, contra Reum agens, probabiliùs, ab irregularitate, immunes habendi. Neque valet retorſio de judice & aliis Officialibus juſtitiæ; ſiquidem, hi ab initio voluntariè Officium ſuſceperunt, licet poſteà fortè renitentes & contra propriam inclinationem, juſtitiam adminiſtrent, Reum ad mortis ſupplicium condemnantes, vel mortem ipſam inferentes Vide omnino *F. Sylvium* in *2dam. 2dæ. D. Thomæ. quæſt.* 64 *art.* 4 §. *ſed quæritur pag. mihi* 410.

36 Cuivis licitum eſſe pro neceſſaria vitæ ſuæ defenſione, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere injuſtum aggreſſorem; certa eſt omnium, tum Theologorum, tum juriſperitorum ſententia; eò quòd jure naturali, divino & humano, permiſſum ſit, vim injuſtam, vi repellere, per textum expreſſum in *cap. ſignificâſti.* 18. §. *fin. De homicid.* ibi: *vim vi repellere, omnes leges & omnia jura permittunt.* Idque adeò verum eſt, ut liceat etiam occidere; *non juſtum* aggreſſorem, qui inſaniâ aut inſomniis agitatur; cùm ex inſania vel delirio alterius, alteri non tollatur jus ſe defendendi, non magis, quàm, ſi à bellua aliena, periculum immineret. Imò propter naturalem amorem ſuî ipſius, homo in pari cum altero, periculo conſtitutus, ſibi potiùs, quàm alteri conſulere & poteſt & debet, quia alioquin, non eſſet tam charitas in proximum; quàm crudelitas in ſeipſum. Confer *F. Sylvium loc. cit art.* 7. § *quæritur 3tiò. concluſione* 2.

37. Ut tamen quis alterum occidere poſſit, requiritur periculum mortis *præſens*, & quaſi *in puncto* Non tenetur autem quis exſpectare primum aggreſſoris ictum; ſed, ſi inſultator arma arripiat, & quidem ita; ut appareat; eum id facere, occidendi animo; præoccupari poterit facinus, & melius eſt, tali caſu, prævenire, quàm præveniri, ùt cum aliis communiter tradit *Grotius de jur Belli & pac. lib.* 2. *cap.* 1. §. 5. *n.* 1 Conſonat *Sylvius loc. cit.* §. *quæritur 6tò.*

38 Quòd, ſi quis, non quidem vim præſentem intentet, conjurâſſe tamen aut inſidiari compertus ſit; ſi aliter periculum evadi non poteſt; conjuratos, inſidiatores aut venenum ſtruentes, præventivè occidi poſſe, veriùs eſt. Neque aliud vult *Grotius. loc cit.* §. 5. *n* 2. ubi negat hujuſmodi inſidiatorem interfici poſſe, ſi aut aliter evadi periculum poteſt; aut non certum ſatis eſt, aliter evadi non poſſe. Cui ſententiæ & nos ſubſcribimus; quis enim dixerit: metum qualemcunque, vel ſuſpicionem, ad jus præoccupandæ interfectionis, ſufficere?

39. An & mutilare tentantem, prævenire & occidere licet? Sanè, cùm damnum membri præſertim principalis, & ſpecialem functionem habentis; ſit admodùm grave, & vitæ quaſi æquiparabile; víxque ſciri queat: an non ejus amputatio, periculum mortis, poſt ſe trahat, veriùs eſt: ſi periculum aliter declinari nequeat; intentantem mutilare, occidi poſſe. Atque ſic docet *Covarruvias. in* Cle-

Digitized by Google

Clement. ſi furioſus. De homicid. p 3 §. 1. *n.* 2. & *Sylveſter. verb. Homicidium* 3. *q.* 4. & eò facit, *l.* 4 §. 1. *in fin. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* ubi mutilatio talis membri, non minoris æſtimatur; quàm, ſi vita adimeretur. Vide *Sylvium. loc. cit.* §. *Quæritur 7mò. pag. mihi* 421. ubi dicit: dicta procedere etiam in defenſione proximi innocentis, cum hac tamen limitatione, quod interficiens invaſorem proximi, licet non peccet, immunis tamen non ſit ab irregularitate.

40. Dixi Notanter ſuprà: *Servato moderamine inculpatæ tutelæ.* Hoc enim moderamine non ſervato: homicidium, etiam ob ſuî defenſionem commiſſum, non vacare culpâ; apud omnes, in confeſſo eſt. *Arg. cap. ſignificâſti. cit.* ibi: *tamen id fieri debet, cum moderamine, tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam.* Cæterum; tunc cenſetur quis adhibere moderamen inculpatæ tutelæ, dum quis occidit vel alterum lædit, quando ſine fraude & dolo, perpenſis perpendendis, cogitat, hîc & nunc ſe non poſſe aliter evadere; ſed alioquin vitâ & corpore periclitari.

41. Ad diſcernendum verò, an moderamen inculpatæ tutelæ, obſervatum fuerit; Doctores paſſim tria requirunt, videlicet: 1mò. *Cauſam* 2dò. *Modum* 3tiò. *Tempus.* Per *cauſam* intelligitur injuſta invaſio; ſi quis enim ante hanc, occidat; jam non ſuî defenſio, ſed alterius aggreſſio erit. Quanquàm, ut ante dictum, non ſit necesſè, primum ictum exſpectare; ſed liceat prævenire injuſtè aggredi volentem, præſertim, ſi quis meritò timet: quòd, niſi præveniat; adverſario mox certò aggreſſuro ſufficienter reſiſtere non poſſit. Confer *Navarrum lib.* 5. *conſiliorum. ad tit. De homicidio. Conſilio* 31. & *in Manuali: cap.* 15. *n.* 2. Debet autem invaſio præcedens, aut certè imminens, eſſe *injuſta.* Quocirca, pro defenſione vitæ ſuæ, non licet interficere invadentes Miniſtros juſtitiæ; quia hi obtemperantes Imperio Magiſtratûs, juſtè agunt; prout poſt alios, bene obſervat *Pirhing. ad tit. De homicid. n.* 92. *Modus* debitus defenſionis, poſtulat; ut defenſio injuſtæ invaſioni aut offenſioni ſit proportionata, *Arg. cap. ut famæ.* 35. *De ſent. excomm.* ibi: *Dum tamen non amplius eorum violentia ſe extendat, quàm defenſio exigit.* Junctâ *l. ſcientiam.* §. 4. *ff. Ad leg. Aquil.* Ex quo reſultat: illum excedere moderamen inculpatæ tutelæ, qui pugno cædentem aut leviter aggredientem, gladio repellit, mutilat, vulnerat, vel occidit. Idem eſt de eo, qui interimit illum, quem vulnerando vel mutilando, aut exarmando, repellere, sicque vitam propriam, aut membrorum ſuorum incolumitatem, tueri poterat. Id ipſum de eo judicandum, qui ſine ſuo gravi incommodo aut periculo, fugere; vel clamando, auxiliúmque implorando, evadere valens, aggreſſorem occidit. Per *tempus*, indigitatur, requiri; ut occiſio ad ſuî defenſionem, *in continenti* fiat; id eſt; mox ac quis injuſtam vim vel aggreſſionem occiſivam patitur; aut ſaltem certò imminentem agnoſcit, non verò poſteà, & ex intervallo; poſtquàm ſcilicet aggreſſor abiit, aut nocere & aggredi deſtitit, periculúmque ceſſat. *Arg. cap. ſi vero. De ſent. excomm.* ibi: *Si in continenti, vim vi repellat.* cui conſonat textus in *l. Quod eſt.* §. 9. *ff. Divi armata.* Alioquin enim non erit neceſſaria ſuî defenſio, ſed vindicativa offenſio. Qua de re latè *Jul. Clarus.* §. *Homicidium. n.* 34. & *Farinacius. in prax. crim. q.* 125. *à n.* 336. Quod tamen rurſus limitandum; ſi aggreſſore quidem aufugiente aut tantiſper ceſſante, certum appareat periculum novæ invaſionis. Quia tali caſu, præventio, non foret

ret vindicativa aut injuſta offenſio, ſed licita defenſio, per ea, quæ ſupra diximus. *n.* 38. Vide *Pirbing. loc. cit. n.* 92. & *Navarrum. in Man. cap.* 15. *n.* 2. *in fin.*

Porrò *Farinacius*, & criminaliſtæ cum Theologis, aſſerunt; prudentis judicis arbitrio relinquendum eſſe; num hîc & nunc recenſita tria, ad moderamen inculpatæ tutelæ requiſita, fuerint obſervata. Quia de factis particularibus, ob varias circumſtantias, certa & definita regula tradi nequit.

42. Data reſolutio, ex communi, ſententia Doctorum, *Ampliatur*: ut etiam pro defenſione vitæ & membrorum, parentis, uxoris, prolis, fratris, ſororum, aut aliorum conjunctorum, imò & extraneorum, injuſtam vim patientium, ſervato ſemper moderamine inculpatæ tutelæ, iniquum aggreſſorem interimere ſit permiſſum. *Arg. Can. Fortitudo.* 5. *cauſ.* 23. *q.* 3. ibi: *Fortitudo, quæ vel in bello tuetur à Barbaris Patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus, ſocios; plenæ juſtitiæ eſt.* Cui concordat *can. Non inferenda.* 7. & *Can. Qui poteſt.* 8. *ibidem.* juncto *cap. Dilecto.* §. 6. *De ſent. Excomm. in* 6. ubi quadantenus injuriæ & criminis Reus pronuntiatur; qui, dum poteſt, innocentem non defendit. Adſtipulatur *l.* 1. §. 4. *ff. Ad legem Cornel. de Sicar.* favétque ſæpe citata Conſtitutio *Carolina. art.* 150. §. *Item So einer.* & huc facit; quòd *Exodi. cap* 2. ỷ. 11. laudetur Moyſes, eò quòd *Ægyptium*, injuſtum aggreſſorem cujuſdam *Hæbrei* occiderit & abſconderit *in Sabulo. Ratio* eſt: quia non tantùm poſſumus; ſed & jubemur diligere, proin & defendere proximum, ſicut nos ipſos. Confer *F. Sylvium. loc. cit.*

Aliæ circa hanc materiam ſuperſunt quæſtionies, quæ à *Grotio*, *Puffendorffio*, *Oſiandro*, *Gronovio*, *Bœclero*, *Vitriario* & eorum ſectatoribus, aliter, quàm à *Romano*: *Catholicis* ſcriptoribus reſolvi conſueverunt. Has, per ordinem, hîc libabimus.

Prima ſit *Quæſtio*, Num liceat virgini interficere violentum ſtupratorem, ſi non ſuppetat, alia via conſervandæ pudicitiæ. *Ubi* (inquam) *non ſupereſt alia via*, indubium enim eſt, quòd antea poſſit & debeat aufugere, ſicut etiam verbis, minis, precibus, lachrymis, clamoribus, repulſu, percuſſione; imò & læſione non lethali; invaſorem à ſe excutere teneatur: ne, tum alterius peccato cooperetur; tum probabile ſubeat periculum conſentiendi in rem veneream.

43. Ad quæſtionem propoſitam *Affirmat* (?) *Grotius lib.* 2. *De jure Belli & pac.* §. 7. (cui & quidam ex Doctoribus Catholicis ſuffragantur, ùt videre eſt apud *Sylvium loc. cit.* §. *Quæritur IX.* ubi hanc communem dicit & tenet ſententiam) pro tuenda pudicitia licere virgini occidere ſtupratorem, *cùm* (inquit) *non tantùm communis æſtimatio, ſed & lex divina, pudicitiam vitæ adæquet*? Legis quidem divinæ, nullum adfert indicium, adducit tamen in *Notis* ibidem, textum *Senecæ. lib.* 1. *De Beneficiis. cap.* 11. ſic loquentis: *Proxima ab his ſunt, ſine quibus poſſumus quidem vivere; ſed, ut mors potior ſit; tanquam libertas, & pudicitia, & bona mens.* Adducit præterea textum *Pauli J. Cti. lib.* 5. *ſententiar. tit.* 23. §. 3. ſic loquentis: *Qui latronem, cædem ſibi inferentem, vel alium quemlibet ſtuprum inferentem, occiderit; puniri non placuit. Alius enim vitam, alius pudorem publico facinore defendit.* Quinimo opinionem ſuam fulcire contendit, verbis *Divi P. Auguſtini* quem in hæc verba diſſerentem producit: *lib.* 1. *De libero arbitr. Lex dat poteſtatem vel viatori, ut latronem, ne ab eo ipſe occidatur, occidat: vel cuipiam viro aut fæminæ, ut violenter ſibi ſtupratorem* ir-

irruentem, *aut* [poſt] *illatum ſtuprum*, *ſi poſſit*, *interimat*. Verùm his argumentis non moveor, ut huic opinioni ſubſcribam, & ex dicendis patebit, eorum ſolutio. Solùm hîc monitum volo: quòd *loc. cit. cap.* 5. non dixerit *S. P. Auguſtinus. poſt illatum*, ſed *ante illatum ſtuprum*, prout, tum vetuſtior, tum recentior & ultima *Pariſina Monachorum Benedictinorum Congregationis S. Mauri* habet *editio*. Cæterùm, quòd lex Civilis, in tali caſu, virginem homicidam non puniat; ex eo non proficiſcitur, quòd hujuſmodi cædem laudet vel approbet; ſed, quia factū præſumitur, ex nimia animi perturbatione; aliunde etiam non videatur rationabile, ut puniatur virgo occidens illum, qui ob ſtuprum violentum, ultimum ſupplicium, authoritate publicâ, ſubire debuiſſet. Aliud ergo eſt; an occiſio talis, culpâ, coram Deo, careat; aliud; an per legem humanam, non vindicetur. Primum non videtur dicendum, alterum verò ſuſtinetur; ne authorizentur ſtupra; ſed, ut coërceatur beſtialis impetus in puellas & honeſtas mulieres.

Noſtra ergo & verior ſententia eſt: non licere virgini, in caſu poſito, occidere ſtupratorem. *Ratio* eſt 1. Quia non licet quempiam occidere, niſi ex Dei mandato aut conſenſu, cùm ipſe ſolus ſit vitæ humanæ Dominus, nullibi autem reperitur mandatum aut conſenſus Dei, ut virgo occidere queat ſtupratorem. Ergo.

Si Dicas lege naturali id eſſe permiſſum. Contra eſt; quia vita per ſe, & ex natura ſua, eſt bonum altioris ordinis & æſtimationis, quàm ſit corporis integritas.

Ratio eſt 2. Quia, ſive dixeris; pudicitiam ſeu virginitatem conſiſtere in integritate ſeu incorruptione corporis; ſive in virtute animi; non licebit pro ea conſervanda, homicidium committere. Siquidem corporis integritas, eſt bonum inferioris ordinis, quàm vita: virtus autem animi, per violentam corporis oppreſſionem, non poteſt corrumpi: quandoquidem nulla vis externa, poſſit violentiam per ſe inferre voluntati, in qua virtus illa reſidet. *Quis* enim (inquit *S. P. Auguſtinus. lib.* 1. *De civit. Dei. cap.* 18.) *Sanâ mente putaverit*, *ſe perdere pudicitiam*, *ſi fortè in apprehenſa & oppreſſa carne ſua*, *exerceatur & expleatur libido non ſua? Si enim hoc modo pudicitia perit*, *profectò pudicitia virtus animi non erit*. Et infra: *Nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ*, *quam ſervat perſeverentia continentiæ ſuæ*.

Nec Obest, quòd idem *Magnus Ethicus. lib. De libero arbit. cap.* 5. aſſerat, ſtuprum eſſe immanius delictum occiſione ſtupratoris. Non *obeſt* inquam dictum illud; quia, cùm occiſio ſtupratoris minus ſit voluntaria, utique minus eſt culpoſa, quàm ſtuprum. Confer Egregium noſtrum *Piette part.* 4. *cap.* 4. *De homicidio. quæſt.* 3.

Neque *contra* facit, quòd virgo non occidens ſtupratorem, fortè ſit conſenſura in peccatum. *Nam* non debet eligi peccatum certum, quale eſt occiſio hominis, quò ad animam quoque perituri; ut evitetur incertum. Hîc iterum audiri meretur aurea *Magni Aurelii* ſententia: *Nullo modo* [inquit: *lib.* 1. *De civitate Dei. cap.* 25.] *hoc faciet animus*, *ut conſentiat libidini carnis ſuæ*, *aliena libidine concitatæ*, *qui Deo potiùs ejúſque ſapientiæ*, *quàm corporis concupiſcentiæ ſubjectus eſt*. Tantum quoque abeſt, violenta virginis defloratio, ipſi auferat *aureolam* virginitatis; ut è contra ingenuè *S. Lucia* reſponderit Tyranno: *Si invitam juſſeris violari*, *caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*. Igitur; ſi SS. Patres interdum pudorem

dorem ſeu pudicitiam, vitæ æquiparent, vel anteferant; intelligendi ſunt: de ejus amiſſione, conjuncta cum peccato libidinis, quatenus præſtat mori, quàm peccato inquinari ac per hoc patet R*ſio.* ad dictum *Senecæ* ſupra.

Quæstio 2*da.* eſt: An liceat occidere invaſorem bonorum temporalium?

Quæstio hîc non eſt, de rebus levioris momenti; has enim, vitæ proximi, poſtponendas eſſe; naturalis & patula dictat ratio, ut meritò *Innocentius XI.* hanc proſcripſerit propoſitionem: *Regulariter, occidere poſſum furem, pro conſervatione unius aurei.*

44. Valde probabilis quoque & pia eſt ſententia, quam poſt *Silveſtrum. Verb. Homicidium* & plures alios, apud *Filliucium. Tract.* 19. *cap.* 10. *q.* 6. defendit *P. Franciſcus Henno. Tract. in Decalogum diſp.* 5. *quæſt.* 4. *art.* 5. pro bonis ad conſervandam vitam minimè neceſſariis, licet aliunde pretioſis; non licere invaſorem occidere: *ex ratione*; quòd bona temporalia, ſint longè inferioris ordinis, quàm vita hominis, quæ ſemel amiſſa, eſt irrecuperabilis, cùm illa ſint recuperabilia. Quò facit; quòd nequidem liceat homicidium committere, pro conſervatione famæ, quæ bonis fortunæ præponderat. Huic ſententiæ plurimùm favet *Divus Pater Auguſtinus*, qui *lib.* 1. *De libero arbit. cap.* 5. ſic ait: *Quo modò enim apud Deum ſunt iſti à peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt?* Sed quid mirum, quòd Patriarcha noſter, adeò extaticus fluxarum rerum contemptor & divinarum contemplator, ratus ſit: non licere, hominem, pro conſervatione bonorum temporalium, interimere; cum ibidem paulò ante dixerit; *ſe non invenire, quo pacto illos defendat, qui interficiunt* (*ne interficiantur*) Audiamus ulterius *Magnum Patrem*, hac in parte ſingularem. En! *Epiſt.* 154. *Ad Publicolam.* ſic effatur: *De occidendis hominibus, ne quis ab eis occidatur, non mihi placet conſilium, niſi fortè ſit miles, aut publicâ functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis vel pro civitate, ubi etiam ipſe eſt, acceptâ legitimâ poteſtate, ſi ejus congruat perſonæ.* & *lib.* 1. *De lib. arb. cap.* 5. *Non ergo lex juſta eſt* [inquit] *quæ dat poteſtatem vel viatori, ut latronem, ne ab eo ipſe occidatur, occidat, vel cuipiam viro vel fæminæ, ut violenter ſtupratorem ſibi irruentem, ante illatum ſtuprum, ſi poſſit, interimat.* Item infra: *Quapropter, legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, ſed quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Equidem, tametſi *Divus Pater* à cædibus humanis abhorrens, in aliam ſententiam propendiſſe videatur, nihil tamen abſolutè reſolvit, ſed hæſitanti propior, fuit prout ſinè præventione *Evodii interrogata* & *Auguſtini Reſponſa* ponderanti in animum occurret. Huic argumento eſt: quòd dixerit: *ſe non invenire, qualiter excuſet*, cùm alioquin dicere debuiſſet, *ſe ſcire, qualiter accuſet.* Adhæc; cur dubitâſſet, an exiſtat lex ſecreta, quæ vindicet id, quod lex humana circa cædem permittit? Cur inquam aſſeruiſſet, *ſe non reprehendere* leges humanas, homicidia in ſuî neceſſariam defenſionem permittentes? Cùm lex permitttens peccatum [niſi ad evitenda majora mala, qualia hîc non occurrunt] ſit abſolutè reprehenſibilis. Huc refer: quòd *Magnus Pater*, qui maxima ex parte, ſine Magiſtro, perpetuo ſtudio, eximius Eccleſiæ Doctor evaſit, *lib* 1. *Retractationum. cap.* 9. fateatur, ſe in *lib.* 1. *De libero arbitr.* quem *junior* conſcripſerat, multa inquiſiviſſe, quæ invenire aut planè ſolvere non potuit, inter quæ videtur eſſe quæſtio ſupra agitata.

Nec Obest 1*mò*. Quòd S. Doctor *cit. lib.* 1. *cap.* 9. mentem ſuam non retractaverit aut clariùs non expoſuerit. Quia non erat opus retractatione, ubi nihil aſſertivè reſolverat. Neque Obest 2*dò*. quod jam factus *Epiſcopus*, ejuſdem ſententiæ fuerit, ùt apparet ex *Epiſtola* ejus 154. ubi ad *Publicolam* reſcribens: *De occidendis hominibus* [inquit] *ne ab eis quiſpiam occidatur, non mihi placet conſilium.* Non obeſt inquam, illud *Divi Patris* Reſcriptum, quia *Publicola* non interrogavit: an Chriſtianus invaſus à Barbaro aut Romano, *poſſit*: ſed, an *debeat* illum occidere, ne ipſemet occideretur? Libenter enim contra *Grotium. lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 1. §. 3. *Pufendorffium lib.* 2. *cap.* 5. §. 3. *Vitriarium, inſt. jur. nat. & Gent. lib.* 2. *cap.* 1. §. 8. & alios damus, non eſſe jure naturæ præceptum, ut quis invaſorem, pro tuenda vita ſua, occidere debeat. Fatemur inquam cum veriori & communiori ſententia, invaſum, præcipuè, ſi credat ſe eſſe in ſtatu gratiæ, *non debere* occidere, ſed poſſe corpus ſuum pro ſalvanda invaſoris vita exponere. Præterea, potuit meritò conſilium de occidendis hominibus non placuiſſe S. Doctori, tum quia conſilium debet eſſe *de meliori bono*, in noſtro autem caſu, ùt ùt liceat; occidere tamen non eſt bonum meliùs. Tum quia difficilè eſt exactè ſervare moderamen inculpatæ tutelæ, ut videlicet non admiſceatur aliquis affectus vindictæ. Igitur, licet *Divus Pater* nec det, nec approbet hujuſmodi conſilium; equidem non negat abſolutè, quòd licitum ſit, invaſorem vitæ noſtræ interimere ùt patet ex iis quæ ſcripſit: *quæſt.* 84. in illud *Exodi* 22. *Si effringens fur domum ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis.* dicit enim ibi: *Intelligitur ergo nunc non pertinere ad homicidium, ſi fur nocturnus occiditur, ſi autem diurnus; pertinere: hoc eſt enim, quod ait, ſi oriatur ſuper eum* Sol, *poterat quippe diſcerni, quòd ad furandum, non ad occidendum veniſſet.* Ubi ad ſenſum textûs *cit.* à piaculo excuſat homicidium *nocturnum.* Clariùs mentem ſuam expreſſit idem Magnus Doctor. *Epiſt.* 54. *Ad Macedonium* ibi: *Cùm homo ab homine occiditur, multùm diſtat, utrum fiat nocendi cupiditate, vel injuſtè aliquid auferendi, ſicut fit ab inimico, ſicut à latrone; an ulciſcendi vel obediendi ordine, ſicut à judice, ſicut à carnifice; an evadendi vel ſubveniendi neceſſitate, ſicut interimitur latro à viatore, hoſtis à milite.* Ubi liquidò indigitat *primo caſu* occiſiones eſſe vetitas, in 2*dò*. autem & 3*tiò*. *caſu*, eſſe innoxias. Unde magis pietatem, quàm ſuadendam in praxi *probabilitatem* ſapit, ſententia, quàm pro laudabili more ſuo, aſceticè, in contrarium defendit ſupra laudatus Pater *Piette. part.* 4. *cap.* 4. *quæſt.* 4. §. 2. *pag. mihi.* 244.

45. Parumper digreſſi, animo perſcrutandi veram *Divi Patris* ſententiam, circa homicidium, pro tuenda vita propria, commiſſum vel committendum; ad propoſitam quæſtionem *Reſp.* pro tuendis bonis temporalibus ad conſervationem vitæ valde neceſſariis aut admodùm conducibilibus, quæ alioquin *judicio* recuperari nequeant; plurimi Authores Claſſici nedum juris periti, ſed & Theologi cum *Sylvio loc. cit.* §. *Quæritur.* 8*vò*. docent: licere furem vel raptorem ſeu invaſorem injuſtum, ſervato moderamine occidere *Ratio* ipſorum eſt: Quia jus defendendi vitam ſuam, extendi debet, ad ea tuenda, ſine quibus vita commodè ſervari non poteſt. Quid enim; ſi viro nobili ſurriperentur facultates, ſine quibus cogeretur aut mendicatum ire aut ignominiosè vivere? Quid, ſi inopi neceſſaria auferren-

rentur victualia, aut ſæviente frigore, veſtimenta? Quid; ſi militi, aut alteri per viam latronibus infeſtatam profecturo, extorquerentur arma? Sanè, ſecuritas & tranquillitas ſocietatis civilis & generis humani; non poſſet ſubſiſtere; ſi hujuſmodi rerum raptores, ſervato ſemper juſto moderamine, non liceret interimere. Nónne enim pleráque bella geruntur; non, ut aliis vita eripiatur; ſed, ablata recuperentur?

Hæc concluſio multis & mihi adeò vera viſa alias fuit, contra *P. Franciſcum Henno: loc. cit. art. 5.* & paucos alios: ut non dubitaverim eam prorogare ad quævis alia bona temporalia, gravis momenti, ſi hæc aliter ſervari, aut recuperari, nequeant. Neque ſolus ita ſenſi, ſed hujus opinionis dudum fuerunt: *Sotus*, *Navarrus*, *Molina*, *Leſſius* & alii, quos citant *Layman. lib. 3. Tract. 3. p. 3 cap. 3. n. 4.* & *Tamburinus. lib. 6. Decalog. cap. 1. §. 2. n. 1.* addentes: id nedum in Laïcis, ſed & Clericis & Religioſis, procedere. *Arg cap. 6. De ſent. Excom. in 6.* Ubi dicitur: licuiſſe Decano *Aurelianenſi* ſe defendere contra *Ballivium*, illius bona auferre præſumentem. Accedit ratio juris naturalis, qua vim vi repellere licet, quantùm opus eſt, ad ſe ſuáque defendenda. Ex qua ratione, hujuſmodi cædem permittunt leges civiles, ne alioquin improbis detur occaſio, bonos & innocentes ſpoliandi. *l. ſi furem. ff. Ad legem. Corneliam de Sicariis.* & *l. 4. ff. Ad legem. Aquil.* conſonante jure Canonicò. *cap. interfeciſti. 3. De homicid.* & *cap. Dilecti. eod. Ratio* rationis eſt: quia id non refragatur *charitatis*, cùm hæc tantùm jubeat præponere vitam proximi, propriis bonis temporalibus, non omnino ad propriæ vitæ, aut familiæ ſuæ ſuſtentationem neceſſariis; dum videlicet proximus neceſſitate premitur, nequaquam verò, dum ſponte & deſtinatâ malitiâ, alterius facultates ſurripere pertentat. Sed nec idipſum repugnat *juſtitiæ*; ſiquidem nemini ſua fraus aut injuſta patrocinari debet; & per accidens eſt; quòd raptori gravius damnum, ſcilicet mortis, eveniat; quia, id ſibi imputare debet, dum contra fas & æquitatem naturalem, alterius bona, infinitis fortè curis parta, rapere pertentat.

Nec (vim Ajebam alias) in contrarium habet ratio à *Patre Henno* & aliis adduci ſolita, ſcilicet: quob bona temporalia ſint longè inferioris ordinis, quàm vita hominis. Nam ea, quæ inter rem & vitam eſt inæqualitas, ea *favore* innocentis, & raptoris *odio*, compenſatur, & quod minus eſt in re, quàm eſt in hominis capite, id ſupplet lædentis injuria. Quin & boni authores, hominum patrimonia, facultates, ſeu pecuniam, & vitam, parum inter ſe differre rati ſunt: ùt *Heſiodus* dixerit:

Spiritu haud levior, miſeris mortalibus eſt res. & *Antiphanes* apud *Stobæum:*

Anima atque ſanguis, pecunia eſt mortalibus:

Hac ſi carebis, ſine parendi copia,
Non vivis, umbrâ vivis mortuâ in terris.

Sic & veteres, ſanguinem, nervos, viſceráve, pro patrimonio uſurpârunt, illúmque comedi, cædi, concidi, perire que dixêrere, qui bona amittit. Quid, quòd homines maria transfretent, ſyrtibus & ſcopulis ſe exponat, militaria diſcrimina ſubeant, in undarum abyſſum, ad piſcandas margaritas ſeſe dimittant, periculoſiſſimáſque alias artes exerceant, ut divitias acquirant? Qui autem quadantenus vitam ſuam projecerunt in acquirendo, an parcent alienæ, in eo, quod tanto labore & pretio acquiſiverunt, tuendo?

Neque rurſus peremptorium contra me ren-

Digitized by Google

argumentum eſſe putavi quod citatus *P. Franciſcus Henno* ex *cap.* 22. *Exodi.* ſic deducit : Furem nocturnm occidere licet , non diurnum , ex ratione , quam adducit *Auguſtinus. quæſt.* 84. *in Exod.* Quia ſcilicet non poteſt diſcerni , an fur *nocturnus* veniat ad furandum , an ad occidendum ; de *diurno* autem poſſit diſcerni ; ut proinde talis , ſi duntaxat ad furandum venerit ; ex mente *Magni Patris*, interimi nequeat. Tametſi enim fur *nocturnus* ex ratione iſta , præſertim , ſi homines clamore acciri nequeant , impunè occidi poſſe dicatur [quod neque liceret , ſi alias repelli vel capi , vel periculum averti poſſet] id verò reſpectu furit *diurni* non inveniatur permiſſum , niſi is *telo* ſe defendat ; equidem , juxta bonos authores , hoc poſtremum intelligitur , in caſu , quo fur inermis aut ſurriperet minoris momenti bona ; aut : quo , ſine læſione , abigi vel capi poſſet ; aut porrò res ablatæ aliter recuperari valerent. Alioquin enim licere furem etiam *diurnum* occidere , nedum à juriſperitis , ſed & Theologis receptum , ùt videre eſt , apud *Layman. cit. cap.* 3. *n.* 4. *in fine.*

46. Licet autem omnes leges in hoc conveniant , quòd furem nocturnum à diurno diſtinguant ; & primum , non ſecundum , occidi permittant ; attamen de ratione diſcriminis , non eſt una omnium opinio. Rectiùs mihi videntur ſentire , qui dicunt : legum conditores, utrobique voluiſſe , *directè* rerum temporalium causâ , neminem occidi debere , quod fieret , exempli gratiâ : ſi fugientem inermem telo proſternerem , ut illo interempto , rem meam reciperem : ſed ſi ipſe in periculum vitæ adducar ; tunc mihi licere, à me avertere periculum , etiam cum periculo vitæ alienæ : nec obſtare mihi , quod in id diſcrimen, quaſi propriâ culpâ me conjecerim , dum rem meam nitor retinere , aut ſurreptam extorquere , aut furem capere ; ſiquidem in his omnibus, nihil mihi poteſt imputari , cùm verſer in actu licito , nec cuipiam injuriam faciam , utendo jure meo. Diſcrimen igitur nocturni & diurni furis , in hoc poſitum eſt: quòd noctu, vix ſit copia teſtium adhibendorum; atque ideo , ſi fur interemptus reperiatur; faciliùs credatur ei , qui à ſe, vitæ tuendæ causâ , dicit furem fuiſſe occiſum , repertum ſcilicet cum aliquo inſtrumento , quo nocere poſſet *cum aliquo* (inquam) *inſtrumento* , ſine quo vix intelligi poteſt fur nocturnus. Quia enim noctu , omnia occluſa eſſe ſolent ; quomodò nudis manibus , effringet januam, perfodiet parietem , dimovebit arcarum & armariorum ſeras ? Ad hanc interpretationem nos ducit *lex XII. Tabb.* quæ furem diurnum occidi vetat , additâ exceptione : *niſi ſe telo defenderit.* Ubi *teli* nomine , ferrum , malleus , fuſtis , aut lapis , venit , prout notavit *Cajus in l. ſi pignore.* 54. §. *furem* 2. *ff. De furtis.* Cæterùm , egregiè *Ulpianus. l. furem.* 9. *ff. Ad legem Cornel. de Sicariis.* obſervavit : illum , qui furem nocturnum occiderit , impunè id ferre , ſi videlicet parcere ei , ſine periculo ſuo , non potuit , nimirum rem ſuam ſervando. Stat ergo *præſumptio juris* , pro eo , qui fûrem noctu occidit : ſi tamen fortè teſtes adfuerint , ex quibus conſtet , non fuiſſe eum , qui furem occidit , adductum in vitæ ſuæ periculum , jam præſumptio iſta ceſſabit , ac proinde is , qui occidit , homicidii tenebitur. Quò facit , quòd tam interdiu , quàm noctu , *lex XII. Tabb.* requirat , ut is , qui furem deprehendiſſet ; *cum clamore , id teſtificaretur* ; prout ibid. adnotavit *Cajus* (Vide tamen *Clariſſ. D. Noodt. Obſerv. jur. Rom. lib* 1 *cap.* 18.) idque in hunc finem ; ut , ſi fieri poſſet , concurrant vigiles , aut vicini ad auxilium ,

aut

aut teſtimonium. Proinde; quia talis concurſus de die, faciliùs habetur, quàm de nocte; ideo de nocturno periculo aſſerveranti faciliùs creditur. Huic ſimile eſt id, quod *Deutor.* 22. ℣. 23. *& ſeqq.* habetur de puella, quæ ſe vi oppreſſam dixerit, nimirum: quòd ei de vi illata *in agro*, non item *in urbe*, credendum ſit, quia ſcilicet in urbe, concurſum ciére potuit ac debuit. Ad ſuperiora & hoc accedit: quòd etiamſi cætera eſſent paria; attamen quæ noctu accidunt, minus explorari, & qualia, quantáque ſint; cognoſci haud poſſint, eóque ſint terribiliora. Maneat ergo, quod tam lex *Hebræa*, quàm *Romana*, id quod charitas ſuadet, civibus ſuis præceperit; ne videlicet ideo duntaxat interficiant quempiam quia rem furatur; ſed, ut id ita demum impunè liceat; ſi is, qui rem ſuam ſervare voluit, ipſe in diſcrimen venerit.

47. Miror autem, quòd *Grotius Calviniano ritu* (ubi ſcilicet de oppugnandis *Catholicis ſcriptoribus*, occaſio occurrit) *ſcrupuloſè Evangelicus*, *lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 1. §. 13. ex textu & verbis Chriſti *Matth.* 5. contra id, quod dixit ſuperiùs §. 11. inferat, *Chriſtum*, in lege nova, plus à nobis exigere quàm, à Judæis, exegerit *Moyſes*. *Nam, ſi* (inquit author ille) *tunicam & pallium deſeri jubet* Chriſtus. & Paulus *damnum aliquod injuſtum tolerari potiùs, quàm litigari, quæ incruenta contentio* (id eſt; lis ſine ſanguinis effuſione) *eſt; quantò magis vult, res etiam momenti majoris, deſeri potiùs, quàm interfici à nobis hominem, Dei effigiem, eodem nobiſcum ſanguine ortum?* Quis non ſentiat *Grotium*, ſub ſpecie recommendandæ perfectionis majoris Evangelicæ, verum Evangelii ſenſum adulterare? Sanè verba Chriſti, *Matth.* 5. non præſtant furibus ſecuritatem, neque demunt metum graſſatoribus; minus verò exponunt bonos, impunitiori audaciæ facinoroſorum. Cæterùm, ſicut propter *àlapam*, utpote contumeliam levem, ipſe *Grotius ſupra.* § 10. *n.* 3. cenſuit, injuriantem interimere non licere; ſic nec licebit atrocius quid committere in eum, qui pallium aut tunicam, utpote resexigui pretii abſtulerit. Aſt, fur nocturnus non petit tunicam aut pallium; ſed aurum & argentum; & ſi poteſt, præcipuas facultates Patris familias. Itaque, quod *Deuteron.* 19. dictum eſt Magiſtratibus: *Oculum pro oculo, &c.* id non abrogavit Chriſtus, quemadmodùm non abrogavit: *Non occides. Non Mœchaberis.* quorum præceptorum antea meminerat; ſed hæc omnia vindicat à pravis interpretationibus Judæorum, qui illud, de quo agitur, ſibi privatim & publicè, perperàm applicabant. *Privatim* quidem; cùm exinde ſibi jus ſtruere voluerint, ob minimas injurias, minimáque damna, immortale odium gerendi. *Publicè* verò; quia (licet ſub jugum *Romanorum* redacti) dum quid grave ab his patiebantur; mox rebelliones coquebant, & cœlum clamoribus ferientes, jactitabant; ſe fore *Abrahami ſemen*, *populum electum & Deo fœderatum*; immemores; ſe fœdus iſtud, divináque promiſſa, tum aliis peccatis tum non agnoſcendo *Meſſiam præſentem*, irrita feciſſe. Igitur Chriſtus carnali huic populo præcepit; ne obſiſtat injurioſo, prout nempe ſolebat, lædendo magìs conſcientiam propriam, quàm propulſando injuriam; & magìs ſtudendo privatæ vindictæ, quàm juſtæ delinquentium punitioni. Proinde; ſicut Chriſtus antea Judæis dixerat; *ne jurarent omnino*; ſcilicet, ùt ſolebant: leviter & abſque neceſſitate; ſic: dum jubet; tunicam auferenti, & pallium tradi; maxillam dextram ferienti, & lævam porrigi; item angarianti ad milliare unum, addi & al-

te-

Digitized by Google

terum ; nequaquam præcipit, ut ita patienter feramus injurias, ut improbi non puniantur, dum per legitimum Magiſtratum puniri poſſunt ; ſed, ut patienti & æquo animo ſuſcipiamus bene meritas Dei caſtigationes, quas Deus per ſceleratos & improbos judices ſeu ſuperiores exerceri ſinit, quatenus anguſtiis preſſi, porrò agnoſcamus, hæc nobis evenire, ob peccata noſtra occulta, & Deum per potentûm hominum injuſtitiam, juſtiſſima & ſanctiſſima decreta ſua exequi, proindeque non efferamur impatientiâ adverſus iſtas virgas Dei ; ſed, ſi alterum tantum, de bonis famæ, vitæ aut fortunæ, perdendum ſit : ſi duplicetur contumelia, ſi geminetur injuria ; parati ſimus ſuſtinere & contrito corde dicere : *iram Domini portabo, quia peccavi ei. Mich.* 7. ℣. 9. Itaque tantum abeſt, eatenus quid perfectiùs à nobis exigat Evangelium, ſano & Catholica ſenſu intellectum, ut idipſum jam olim expleverint veteris teſtamenti Patres ſancti. Sic *David.* 2. *Reg. cap.* 16. vetuit occidi *Semei*, à quo maledicebatur his verbis : *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. David* inquam *Abiſai*, filio *Sarviæ*, maledictorem invadere & occidere volenti, reſpondit : *Quid mihi & vobis eſt filii Sarviæ ? Dimittite eum, ut maledicat : Dominus enim præcepit ei, ut malediceret* David, *& quis eſt, qui audeat dicere : quare ſic feceris ?* Poterat utique *David* occidi facere maledictorem ſuum ; ſed quia agnoſcebat, tempus eſſe, ut ſe coram Deo offenſo humiliaret ; ideo maledicta iſta, juſto Dei judicio, æquo animo tulit. Sic & *Job. cap.* 1. Divinam agnoſcens voluntatem, visâ domûs ſuæ ruinâ, effatus eſt : *Dominus dedit, Dominus abſtulit ; ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.*

48. Supra poſitis reſolutionibus inhærendo, cum *Leſſio, Sanchez, Layman* & *Tamburino*, quos citat & ſequitur *Sporer. Tract.* 5. *in Decalog. cap.* 2. *ſect.* 3. § 3. *n.* 156. plures cenſent, non ſolùm licitè occidi poſſe actualem violentum aggreſſorem inſignium bonorum, ſi is res ſuas retinere vel liberare conanti, vi vel armis reſiſtat ; verùm etiam, licitum eſſe, hujuſmodi raptorem jam cum rebus ablatis fugientem inſequi, & inſequendo (ſaltem, ſi præmonitus ſubſiſtere réſve ablatas dimittere noluerit) interimere. Durante enim actuali fugâ, res cenſetur adhuc *moraliter* auferri, nondum ablata penitus, proindéque cenſetur *moraliter* durare aggreſſio. Aliud eſſet, ſi intervallo intercedente, fur res ablatas pacificè domî ſuæ jam teneret. Si quis enim tunc furem domî ſuæ exiſtentem occideret, non tam ſe ſuáque defenderet, quàm illicitam vindictam exerceret. Volunt tamen *Sylvius, Navarrus, Molina, Leſſius* & *Layman loc. cit.* item *Vaſquez* & alii, quos citat & ſequitur *Diana. p.* 8. *tract.* 7. *Reſolut.* 47. Quòd, ſi ſpes nulla ſit, per viam juſtitiæ, ablata recuperandi ; vel ; non niſi cum magna difficultate & periculo ; poſſit adhuc Dominus invadere locum, ubi res ipſius in individuo repoſita eſt, eámque vindicare, & raptore reſiſtente, vim vi repellere, quantum opus fuerit, *uſque ad occiſionem.* Quia tunc [Ajunt] raptor injuſtè reſiſtit & moraliter *æquivalenter* adhuc Dominum aggredi cenſetur, ipſique in re violenter retenta, vim injuſtam infert, quam vi repellere, fas eſſe videtur.

49. Cæterùm ſemper, ùt ſupra monuimus, hujus ſententiæ Doctores ſupponunt : bona, pro quorum conſervatione, liceat injuſtum invaſorem occidere ; debere eſſe, *reverà* magni momenti, ſaltem *reſpectivè*, quod ex circumſtantiis dimetiendum erit. Unus enim vel alter nu-

aureus, magni cenſetur momenti reſpectu inopis operarii &c. cujus tota fere ſubſtantia in eo reſidet; ècontra verò, decem vel viginti aurei exigui reputantur momenti reſpectu viri valde opulenti; ut proinde pro iis conſervandis, invaſor occidi nequeat. Tametſi autem certa, hac in parte, regula tradi nequeat; certum tamen videtur: requiri longè majorem, quantitatem; quàm, quæ ſufficiat ad furtum mortale. Confer *Molinam. Tom. IV. tract. 3. Diſp. 16.*

Hîc prudens lector non obiter obſerva; quòd ſecutus ſim communem tum juris peritorum tum Theologorum ſententiam, quæ habet; licitum eſſe, & abſque homicidii reatu, ab homine privato, interimi poſſe furem etiam diurnum, vel telo ſeu vi armatâ obſiſtentem, vel ita aufugientem; ut res magni momenti ablata, nullatenus alioquin recuperari poſſit. ſi tamen limitatiùs perpendam, veriorem *Magni Patris noſtri Auguſtini* ſententiam: non multitudini Doctorum aliter ſentientium; ſed parti, in praxi, tutiori ingenuè & reverenter caput inflectere debeo, & concludenter DICO: Abſque homicidii reatu, non poſſe privatâ authoritate occidi invaſorem vel raptorem bonorum temporalium, niſi illa *abſolutè* hîc & nunc, forent neceſſaria ad conſervationem vitæ illius, cui auferuntur. *Ratio peremptoria* eſt; quia Author vitæ & necis, nuſpiam, neminíque conceſſit facultatem, auſu privato, occidendi hujuſmodi furem vel raptorem, quin potiùs, talis occiſio *homicidii* arguitur in ſacra pagina. *Exodi 22. ℣. 2.* ubi ſic habetur: *ſi effringens fur domum, vel effodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit; percuſſor non erit reus ſanguinis; quòd, ſi orto ſole, hoc fecerit; homicidium perpetravit, & ipſe morietur.* Quem textum expendens Doctorum Aquila, *quæſt.* 84. ſuper *Exodum* ita colligit: *intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, ſi fur nocturnus occiditur; ſi autem diurnus; pertinere: hoc eſt enim quod ait: ſi orietur ſuper eum* SOL: *poterat quippe diſcerni* (en rationem) *quòd ad furandum, non ad occidendum veniſſet. Hoc* (proſequitur Divus Pater) *& in legibus antiquis ſæcularibus, quibus tamen iſta eſt antiquior, invenitur, impunè occidi nocturnum furem quoque modo, diurnum autem, ſi ſe telo defenderit:* JAM ENIM PLUS EST, QUAM FUR. Ex quibus S. ſcripturæ verbis, interprete *Magno Patre Auguſtino*, reſultat illum perpetrare homicidium, qui occidit illum, de quo diſcerni poteſt, quòd bonorum duntaxat, non vitæ ſit invaſor. Igitur; tunc ſolum, fur diurnus impunè occidi poteſt; ſi ſe telo defenderit; quia, ùt ait S. Doctor relatus, in *cap. Si perfodiens. De Homicid.* " *Jam plus eſt quàm fur.* Id eſt: quia non eſt merus invaſor bonorum temporalium, ſed ipſius etiam vitæ invaſor eſt.

NEC OBEST: quòd citata lex, *Exodi* ſit *judicialis*, quódque Deus inibi judicibus præſcripſerit modum, quo in foro externo, procedere debeant contra malefactores, quò ad impoſitionem pœnæ. Non obeſt inquam, quia lex iſta, non eſt merè judicialis, ſeu arbitrii divini, ſed ſimul *Divina moralis* ſeu *naturalis*, cui argumento eſt, quòd Deus ipſe diſtinxerit inter illum, qui furem occidendo, homicidii culpam committit vel non committit. Inſinuat enim Author vitæ & necis, quòd furem nocturnum lethaliter vulnerans, non ſit reus ſanguinis, ídque ex præſumptione: quòd fur nocturnus, æquè poſſit ad occidendum, quàm furandum venire; èontra verò occidens furem diurnum, de quo conſtat, quòd non ſit ſimul vitæ invaſor ſeu latro; homicidium perpetret, & morte puniendus ſit.

Adeó-

Adeóque Deus neutiquam homini privato dedit authoritatem occidendi talem invaſorem ſeu bonorum raptorem; ſi enim talem conceſſiſſet facultatem; utique culpâ & pœnæ reatu vacaret, qui hujuſmodi furem trucidâſſet. Quò facit: quòd *Divus Pater Auguſtinus* latè diſputans, an liceat occidere invaſorem vitæ; qua de re anceps hæſit; nequaquam dubitaverit: an liceat occidere invaſorem bonorum fortunæ; hanc enim quæſtionem indubitanter, ut ſupra viſum, determinavit. Quinimò nec ipſe *D. Thomas*, ùt obſervat *noſter Egregius* & *Pius P. Aurelius Piette. part.* 4. *Elucidationis Difficiliorum Theol. Quæſtionum. cap.* 4. §. 1. *pag. Mihi.* 214. Cæteroquin in movendis quæſtionibus admodùm fuſus; ullam, hac de re, quæſtionem inſtituit, ſupponens & pro indubitato habens; hujuſmodi occiſionem fore illicitam, & jure naturali divino prohibitam. Unde ſcitè colligit prælaudatus *Pater Piette*: quòd in *foro conſcientiæ*, nequidem is immunis foret ab homicidii reatu, qui occideret furem nocturnum, quem ſciret, non niſi ad furandum, non verò ad occidendum, veniſſe. Tum: quia cognitâ veritate, ceſſat præſumptio, de qua ſupra; tum: quia talis fur licet nocturnus, *non eſt plus quàm fur.*

Adhæc: Non licet ſe defendere defenſione occiſivâ, ſi invadantur bona *ſperata*, & ad quæ jus habemus: ſimiliter, non licet interimere illum, qui injuſtè impedit, quò minus hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur. Utrumque *aſſumptum* probatur ex damnatione harum duarum propoſitionum: *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſivâ, quæ actu poſſidemus, ſed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* eſt 32*da.* inter damnatas *ab Innocentio Papa XI.* Hæc vero eſt 33*tia. Licitum eſt tam hæredi, quàm legatario, contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas vel legata ſolvantur; ſe taliter defendere; ſicut & jus habenti ad Cathedram vel Præbendam, contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.* Jam verò, ſi pro conſequendis bonis, ad quæ jus inchoatum, ſeu *ad rem* habemus, v. g. pro adipiſcenda pingui *hæreditate*, *legato &c.* non licet occidere injuſtè impedientem nos à conſecutione talium bonorum, quæ poſſunt eſſe graviſſimi momenti; cur liceat occidere invaſorem bonorum jam poſſeſſorum minoris exiſtimationis & valoris, præſertim, cùm certa ſpes conſequendæ magnæ hæreditatis, nobis ex teſtamento vel ab inteſtato obventuræ; communi hominum opinione, pluris habeatur; quàm rei, minoris valoris, poſſeſſo præſens & habita? Aut fortè, pro retinenda poſſeſſione rei minoris, licebit occidere invaſorem, & nefas erit, occidere injuſtè impedientem nos ab adipiſcenda poſſeſſione rei notabiliter majoris? Hoc certè, ſanâ ratione, dici non poteſt.

Præterea; ſi, ùt mox dicemus, non licet occidere invaſorem famæ & honoris, non attento, quòd fama & vita, ùt *JCti* loquuntur: pari paſſu ambulent, & bona fama præſtet divitiis multis; cur culpâ vacet, occidere invaſorem fluxorum & contemptibilium bonorum? Itaque nimia eſt diſproportio inter caduca fortunæ bona, & vitam atque ſalutem hominis: adeóque pro iis conſervandis, vita & ſalus hominis non eſt perdenda. *Adde*: quòd vix quid firmi, pro praxi, ex oppoſita ſententia hauriri queat: ſi enim dixerimus; fas eſſe, occidere invaſorem bonorum temporalium? meritò *quæres*; reſpectu quorum, id inculpatè liceat? Quod id non liceat, contra raptorem *unius aurei*, jam conſtat ex propoſitione ab *Innocentio XI.* damnata, adeóque ſaltem

tem indefinitè, non licet occidere invaſorem cujuſcunque boni temporalis. Quòd ſi dicamus: id porrò licere, quando agitur de conſervandis aut eripiendis bonis magni momenti; rurſum rectè *ſciſcitaberis*: quàm magni ergo momenti eſſe debeant? Certè jam valor *unius aurei* non ſufficit, ùt mox vidimus; an ergo valor *duorum*, *trium* aut *quatuor aureorum* ſufficiet? Nec hoc tutò & cum ſolido fundamento aſſeritur; quia, quanticunque momenti, ſint bona fortunæ; ſemper manent inferioris ordinis, quàm vita; adeóque vitæ ſalutíque humanæ æquiparari non poſſunt.

Oppones. Neminem ſtringit lex *juſtitiæ* vel etiam *charitatis*, ut ſinere debeat auferri res ſuas ſæpe magnâ induſtriâ comparatas, & ad competenter atque frugaliter vivendum, ſuſtentandámque familiam ſuam neceſſarias, ut iniqui raptoris vitæ parcat, qui non tam eſt in neceſſitate, quàm perverſa voluntate conſtitutus. Ergo &c. *Reſp. Neg. Antec. quò ad utramque partem. Juſtitia* enim vetat defenſionem occiſivam, *non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ*: jam verò occidens invaſorem boni temporalis, haud ſervat moderamen inculpatæ tutelæ: ſiquidem illud moderamen, non ſolùm poſtulat, ut non adhibeatur major defenſio, quàm opus ſit ad repellendum adverſarium; verùm etiam præſertim requirit; ne defenſio fiat cum offenſione ſeu læſione proximi, in re altioris ordinis, ſicuti contingit in noſtro caſu; ubi pro re, fortè uno alteróve aureo valente, adimeretur raptori vita nedum corporis, ſed & ſalus animæ: à fortiori autem *Charitatem* violat, qui hujuſmodi invaſorem trucidat: cùm enim quiſque teneatur proximum ſuum diligere, ſicut ſemetipſum; quis non intelligat, illum mortaliter peccare contra præceptum charitatis, qui pro conſervanda re vili & tranſitoria, nedum eripe ret raptori vitam nunquam reſtituendam; ſed & eundem præcipitaret in gehennam.

Inst Vim vi repellere, omnes leges & omnia jura permittunt, ùt dicitur in *cap. Dilecto. De ſentent. Excom. in 6.* Atqui invaſor vim adfert, ùt ſupponitur. Ergo. Resp. *imò.* Argumentum probare nimium, adeoque nihil. Profectò, ſi argumentum iſtud indiſtinctè procederet; concludi deberet, quòd non ſolùm pro conſervando vel recuperando *uno aureo*, ſed etiam *pomo*, licitum eſſet occidere furem, quod nemo ſanæ mentis dixerit. Igitur Resp. *2dò.* Licitum quidem eſſe vim vi repellere, ſed vi ordinatâ, & per media licita, qualis non eſt occiſio, ſicut nec *mendacium*, ut enim occiſio foret medium defenſionis licitum; deberet actio offenſiva raptoris vel invaſoris, pariter eſſe conjuncta cum cædis periculo; alioquin enim defenſio longè excederet invaſionem, ſi fur invaderet tua bona, tu verò ejus vitam.

Replicabis. Ex praxi hujus ſcrupuloſioris ſententiæ, reſultaret; quòd optimus quiſque, qui infinitis curis & laboribus ſibi bona acquiſivit; patére deberet nequiſſimorum hominum injuriis, furtis, & rapinis, cum ingenti Reipublicæ perturbatione. Resp. *Neg. illatum.* Juſtitiæ enim publicæ incumbit, ſedulò invigilare, ut ad terrorem aliorum, fures, pro delicti qualitate, puniantur, & malis hominibus civitas expurgetur. Quòd, ſi verò quid curam & vigilantiam Magiſtratûs interdum effugiat; id rarius eſt, & per accidens contingit, adeóque attendi non debet. Adhæc; ſi cuivis permiſſum foret, invaſorem occidere, & in propria cauſa agere partes judicis, teſtis, accuſatoris, imò & tortoris; utique gravior perturbatio in Republica orietur.

Urgebis. Si vetita foret occiſio raptoris bonorum temporalium, foret ideo; quia non eſt proportio inter vitam & bona fortunæ: jam autem hæc ratio nimium probat; quia exinde evinceretur, inordinatè agere judices, quando fures morti adjudicant; eò quòd inferrent pœnam non proportionatam delicto. Nec Dicas: diſcrimen eſſe, quòd unum fiat publicâ, & alterum authoritate privatâ; culpa enim ſupponitur utrobique eadem, nec pœna minuitur per hoc, quòd authoritate publicâ infligatur, quin potius augetur; eo quòd ei accedat ignominia ſupplicii publici.

Resp. Singulis non eſſe indulgendum quod Magiſtratui à Deo poteſtatem ſeu gladium, ad animadvertendum in facinoroſos habenti, eſt conceſſum. Igitur; quia publica Magiſtratûs authoritas, in hunc finem eſt conſtituta, ut bono publico invigilet, pacem & tranquillitatem inter cives procuret; unicuique, quod ſuum eſt, reddi & conſervari faciat; & ea crimina puniat, quæ pacem publicam perturbant, qualia ſunt: rapina, furtum, homicidium & id genus alia; idcirco Princeps aut Magiſtratus, gladio munitus; non tam ſuâ, quàm Divinâ authoritate, plectit fures, pro delictorum atrocitate; id quod homini privato nullibi conceſſum legitur. Et quanquam non ſit proportio inter vitam, quæ furi eripitur, & inter temporalia bona, quæ abſtulit; eſt tamen proportio inter tranquillitatem publicam, quam Magiſtratus intendit, & vitam, quam furi, tanquam noxio Reipublicæ membro, adimit; quinimò, tranquillitas publica, longè præſtantius bonum eſt quàm vita unius hominis privati. Quò facit: quòd *phyſicè* loquendo inter unum & quinque boves, non ſit proportio; & tamen juxta legem *Exodi* 22. fur unius bovis, per judicem damnari potuerit ad reſtituendos quinque boves, pro uno ablato; item quatuor oves, pro una. Quia enim reprimenda erat etiam in veteri lege, hominum alienis bonis inhiantium cupiditas; ideo Divinâ voluntate conſtitutum fuit, ut fur unius bovis, in *quintuplum* condemnari potuerit: adeoque, licet non fuerit ibi proportio rei ablatæ & reſtituendæ; erat tamen proportio inter furtum, quà perturbativum pacis publicæ, & inter pœnam inibi præſcriptam. Ex quibus liquet: publicam Magiſtratûs poteſtatem, cui competit, juſtitiam *vindicativam* exercere, & ultore gladio animadvertere in facinoroſos Reipublicæ exitiales; non iis coarctari limitibus, quibus ſingulorum privatorum facultas circumſcripta eſt. Unde *noſter Eruditiſſimus P. Aurelius Piette. loc. cit.* meritò.

Colligit 1mò. Standum eſſe pro generalitate Præcepti: *Non occides.* quamdiu idonea exceptio non probatur. 2dò. Juxta Doctrinam SS. *Auguſtini* & *Thomæ*, non eſſe licitum; furem, rem ablatam domi ſuæ poſſidentem interficere; licet alioquin viâ *juris* vel aiâ *facti* recuperari nequeat. 3tiò. Te non poſſe interimere litigatorem iniquum, qui per calumnias & falſos teſtes, conatur in judicio, *te* rebus tuis ſpoliare. Id quod ſatis eruitur ex cenſura propoſitionis 8væ. ab *Alexandro VII.* damnatæ, quæ ſic ſonat: *licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ, non poſſit innocens, damnum evitare.* Confer latiùs prælaudatum *P. Piette loc. cit.* Porrò hanc noſtram ſententiam contra Leſſium egregiè tuetur *Paulus Voet* libro ſingulari *De Duellis licitis & illicitis. cap.* 27. ubi ſupra *cap.* 24. pariter nobiſcum probat, pro defenſione pudicitiæ, non licere per ſe loquendo, occidere violatorem.

Quæ

Digitized by Google

Quæſtio 3tia. Num pro defenſione honoris ſeu famæ, liceat occidere aggreſſorem? Laxiores Caſuiſtæ, quos citat *Diana. p. 5. tract. 4. Reſolut.* 11. & *p. 2. tract. 15. Miſcell. reſolut.* 15. propoſitam quæſtionem *affirmativè* reſolverunt; verùm poſt damnatas à Sede Apoſtolica propoſitiones infra adducendas, ex rationum graviſſimarum momentis.

50. Resp. Nunquam licere viro nobili, etiam *Principi*, aut *militari*, ad honoris aut famæ conſervationem, aggreſſorem occidere. Ita poſt *Sotum*, *Bannes*, *Molinam*, *Vaſquez*. *Turrianum* & alios, quos cirat *Lugo*. *Tom.* 1. *De juſtit. tract.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 10. *n.* 190. *P. Franciſcus Henno. in Decal. Diſp.* 5. *q.* 4 *art.* 7.

Hanc ſententiam præprimis tenuit *Magnum Pater Auguſtinus* tantoperè, ùt ſupra oſtenſum, à cæde humana abhorrens. *lib.* 5. *De civit. Dei. cap.* 17. inquens: *Non ſic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius eſt ponderis, fumus.* Ut meritò dixerit *Vaſquez*: contrariam ſententiam, ſapere *Gentiliſmum*.

Ratio à priori & *peremptoria* eſt; quia occiſio vel reſpectivè percuſſio privata, numquàm culpâ vacat, niſi fiat ob neceſſariam vitæ aut alterius rei, magni momenti; defenſionem, quam aliter ſervare nequeas, cæteroquin enim non tam erit innoxia defenſio, quàm vindicta & culpabilis offenſio, nunquam permiſſa, privato. Jam verò, in caſu noſtro; occiſio vel etiam percuſſio, non conducit ad conſervationem vel defenſionem honoris [quia acceptâ alapâ vel contumeliâ, honor in vulgi opinione, jam labefactatus eſt] ſed duntaxat deſervit ad acquirendum vulgò novum honorem, quatenus quis egregiè, juxta, corrupti ſæculi, loquendi morem, generoſo pectore, vindicaret acceptam injuriam, quod utique viro, Chriſti manſuetudinem ſequenti, & *Matth.* 5. prædicanti: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Non congruit; licet leges civiles; humanæ fragilitatis in dolem conſiderantes, parcendum ei, non abs ratione cenſeant, qui juſtum non potuit temperare, ſeu vincere animi ſui honeſti dolorem. Profectò non omnes capiunt, aſſertoris noſtri, non *hominis* ſolùm, ſed & *Dei*, perfectiſſimam exhortationem, *Matth.* 5. *Orate &c.* Orare pro perſecutoribus & calumniatoribus; ad apicem Chriſtianæ ſpectat virtutis, & majoris meriti eſt; aſt perſecutoribus aut calumniatoribus, pro re nata, reſiſtere, nullo jure vetitum. Redeundo ad argumentum.

Rem cape exemplo ad hominem. Fur tibi abſtulit centum aureos, quos in flumen abjecit: nunc, ſi furem trucidares; poſſes ab alio accipere aureos totidem. Poſſéſne ſine *crimine vindictæ*, furem interimere? Non ſanè. Qua igitur ratione occidere poſſes, per atrociorem vindictam, illum; qui tibi contumeliam intulit?

Neque valet argumentum *à ſimili*: de fure quem fugientem inſequi, & pro re nata occidi poſſe, ſupra (ex aliorum ſententia) diximus. Nam res tua, ùt ſupponitur; adhuc in individuo, eadem numero, apud furem exiſtit, ac ideo tunc percuſſio vel occiſio eſt medium utile, imò neceſſarium, ut rem tuam à fure extorqueas: ad verò in noſtra hypotheſi, in vulgi opinione, honor tuus jam labefactatus & ablatus eſt, ut inſecutio, percuſſio, vel occiſio non ſit ullo modo utilis ſive ad honorem perditum, viâ juris naturalis recuperandum, ſive obtinendam ſatisfactionem. Aut fortè, à te percuſſus vel occiſus novo te afficiet honore, vel contumeliam reſarciet?

Quid? (Inquies) ſi res mea ablata non ampliùs reperiatur apud raptorem, nón-

 ne

Digitized by Google

ne poſſum mihi ex bonis ipſius, compenſatione conſulere, ſi officio judicis nequeam conſequi indemnitatem? Resp. Poſſe *te* hac viâ quærere indemnitatem; quia nimirum ſic accipis rem ipſius, non quatenus id ei malum eſt; ſed quatenus, tibi bonum debitum eſt: at verò in caſu poſito, nil prorſus accipis à contumelioſo, ſed eligeres occiſionem ipſius præciſè; quatenus pro vindictâ ipſi malum adfers, abſque tuo commodo. Vides ergo palmarem diſparitatem.

Confirmatur allata ratio. Si tibi liceret occiſio in caſu poſito, liceret utique ideo; quia non poſſes aliter honorem tuum conſervare vel recuperare: atqui hoc eſt falſum; quia per occiſionem invaſoris, non habetur, quòd ea, quæ dicta ſunt vel facta, ſint falsò dicta vel injuſtè facta; ſed quòd fueris impatiens, vindicativus & pro bono inferioris ordinis, quòdque *civiliter* reparari poteſt (cujuſmodi eſt honor aut fama) intuleris alteri malum ſuperioris ordinis, ſcilicet mortem, contra quam nulla ſuperſunt remedia.

51. Oppones 1mò. *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ. Proverb.* 22. Atqui propter divitias conſervandas, licet occidere invaſorem, ùt ſupra concluſum, ergo *&c.* Resp. *Diſt. mi.* Atqui propter divitias conſervandas, licet occidere invaſorem, *regulariter*, & dum aliter recuperari poſſunt; *Neg.* in caſu ſingulari, & dum alioquin penitus recuperari non poſſint. *Transeat. Vide ſupra dicta. n.* 49.

Oppones 2dò. Fac: quòd quis militi ſtrenuo exprobret puſillanimitatem, ignaviam vel imperitiam in armis contrectandis. Nònne hæc injuria præſertim publica, & in opinione adſtantium commilitonum, gravis, reparari poterit per alterius occiſionem? Resp. Nequaquàm. Aut enim impetitus, ab aliis dignoſcitur tanquam miles cordatus & rei militaris peritus, vel non? Si primum, nihil operabitur *alterius* exprobratio; niſi, quòd ab audientibus *pro calumniatore* habeatur. Si ſecundum; parum aut nihil nocebit, ſicque fruſtra ad arma recurret, cùm ſuccumbere poſſit. Uſuvenit hic monitum politico-morale *Maximiliani Del fredro: Aut fortior te læſit aut imbecillior ſi imbecillior; parce ipſi: ſi fortior; parce tibi.* Adhæc: aut laceſſitus, confeſtim, non præparatum trucidabit calumniatorem; & hoc etiam inter militares, nec glorioſum, nec impunè habetur: vel provocabit ad duellum; in quo crebrina & diabolica conſiſtit plurimorum gloria: verùm & hoc ſemper illicitum eſt, atque execrandum, prout infra fuſiùs exponetur, à *n.* 73. uſque ad 83.

Dices. Exinde ſequeretur; quòd vir honeſtus non poſſet contra calumniatores, famam ſuam tueri. *Reſp. Neg. Aſſumptum.* Poterit enim coram legitimo judice, per juris remedia, injuriarum agere, calumniatorémque cogere ad *Palinodiam.* Quòd ſi autem accideret, quòd vel ob defectum probationum, vel aliam ob cauſam, non poſſet quis honoris umbratilis integritatem recuperare, dicat cum Apoſtolo: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* 2. *ad Corinth.* 1.

52. Faceſſat igitur *Puffendorfius lib.* 2. *De J. N. & G. cap.* 5. §. 3. *pag. mihi* 253. *& ſequenti*, ſic garriens: *eò ipsò, dum quis ſeſe hoſtem mihi profitetur, id quod ſit, quando injuriis me laceſſit, dat mihi, quantùm in ſe, adverſus ſe, licentiam*, in infinitum. *Ac tunc demum reverà, vita redderetur inſociabilis, ſi licentiæ reſiſtendi, aliquis terminus ſtatueretur inter eos, qui naturali libertate vivunt. Qualis enim eſſet vita, ſi alter me ſemper modicis infeſtare verberibus ſeu injuriis pergeret, cujus malitiam aliâ ratione reprimere non daretur, niſi morte ipſi intentatâ? Cùm enim ſocia-*

Digitized by Google

ſocialitas ad ſalutem univerſorum ſpectet, non ſunt ejuſmodi leges fingendæ, per quas modeſtiſſimo cuique ſemper miſero eſſe, neceſſum foret, quotieſcunque pravo cuipiam, jus naturæ violare placeret. Pari halitu fœtido, loquitur Author iſte *loc. cit.* §. 12. ibi: *In ſtatu naturali* (*inquit*) *non poſſet ab aliquo exigi patientia etiam modica injuriæ præſertim continuatæ, quò minus per extrema quæque repellatur.* Unde ſupra concludit: *abſurdè, in ſocietate humana ſtatui neceſſitatem perferendi injurias.*

Quis ſenſatus, non palpat manibus, *Puffendorfianæ* licentiæ, *in infinitum* extenſæ, abſurditatem? Cæterùm, ſicut tranquillitas ſocietatis humanæ poſtulat, ne cuivis liberum ſit, pro famæ ſuæ defenſione, privatâ vindictâ, interimere calumniatorem (quia exinde innumeris cædibus turbaretur ſocietas humana) ita ejuſdem proſperitas exigit, licitam eſſe defenſionem ac reparationem famæ quaſi publicam, quæ ſcilicet fiat vel authoritate Magiſtratûs, vel illius, qui in ſtatu naturali, familiæ moderator eſt, quatenus hac viâ, calumniandi licentia caſtigetur. Ex doctrina hactenus tradita.

53. Deduces 1mò. Contra *Cardenam.* in *criſi Theologica. Diſſert* 21. *cap.* 2. *art.* 4 & noviſſimè *P. Ignatium Schwartz, in inſtitutionibus juris univerſalis Naturæ & Gentium. part.* 1. *tit.* 4. *De Officiis hominis, erga ſeipſum.* §. 4. occiſivam famæ defenſionem, nullo caſu, jure naturæ, fore permiſſam, adeóque hujuſmodi defenſionem, nedum *practicè*, ſed & *ſpeculativè* loquendo, fore illicitam; prout ſat manifeſtè inſinuat damnatio propoſitionis ſequentis facta ab *Innocentio XI. Fas eſt viro honorato, occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam vel ictum fuſtis, fugiat.* Quorſum & collimat hæc ab *Alexandro VII.* proſcriptio propoſitionis: *Eſt licitum Religioſo vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit.*

Neque Dicas cum *Cardena*, quem ſequitur *P. Ignatius Schwartz loc. cit.* quòd non ſit proſcripta licentia occidendi invaſorem famæ, ſpectato ſcilicet jure naturali *negativo* ſeu *permiſſivo*, & in caſu: quo honor aliter non ſervabilis, per occiſionem invaſoris verè poſſit defendi. De jure enim naturali & *negativo* inquit. *P. Schwartz* nihil memorat propoſitio damnata.

Contra enim eſt. Nam, ſi jure naturali *negativo*, licitum foret interimere calumniatorem; æquè parum Pontifex damnâſſet allegatas propoſitiones, quàm parum damnaverit; licitum eſſe, occidere aggreſſorem vitæ, vel furem nocturnum, quod jure naturæ *permiſſum*, ſed *non præceptum*, ùt poſtea dicemus. Parum igitur officioſa parúmque propriis ejus dictis cohærens eſt interpretatio Patris *Schwartz*, & metuo, ne ſibi, quam refutare aut declinare contendit, attrahat cenſuram, *perſonati Paſchalis*, in litteris *Provincialibus. Dialago. De diſtinctione probab. in ſpeculat. & pract. fol.* 396. Proinde ſatiùs *P. Schwartz* inhæſiſſet ſententiæ *P. Illſung* confratris ſui *tract.* 4. *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *n.* 69. ſic diſcurrentis: *Undenam certum eſt, quòd calumniator ſit illaturus injuriam, & nullo modo mutaturus mentem? Undenam eſt certum honoris diſpendium, cùm ſæpe contingat, ut calumniatori fides non habeatur, ſicque creſcat potiùs honor, quàm minuatur? Undenam eſt certum, quòd injuriantis cæde, honorem ſuum quis defendat & non potiùs lædat ac diminuat? Sanè, cùm ejuſmodi cædes ordinariè latere non poſſit; occiſor ob*

ob hanc ipſam cædem, *de honore ſuo periclitatur*, *imò tanquam homicida*, *eundem perdit & probabiliùs etiam ob illud ipſum crimen*, *quod à calumniatore objiciendum ſibi timuerat*; *ſiquidem curioſitas humana*, *dum cauſam cædis indagat*, *facilè in notitiam illius*, *aut fortè in ſuſpicionem pejoris*, *veniet*; *cum multa imminutione honoris illius*, *qui cædem patravit*. Alias rationes vide ſupra *n.* 50. Quocirca, ſi non *ſpeculativè* falſa, ſaltem *Metaphyſica* eſt ſuppoſitio *Molinæ* & aliorum, quos ſequitur *P. Schwartz* quòd quis nempe aliter, quàm occidendo non poſſit famam tueri vel recuperare: ſemper enim aliter famam tuam tueri poteris contra calumniatorem, quippe, cui incumbit probatio, uti ex *Azorio*, *Leſſio* & aliis rectè obſervat *Tamburinus. lib. 6. Decal. cap.* 1. §. 3. *n.* 6. Hoc equidem damus; quod, ſicut in aliis: ita maximè in hoc noſtro caſu, indeliberatio & præcipitantia actûs, ex vehementiſſima commotione & paſſione iræ, juſtique doloris & indignationis ſenſu proveniens, non tantùm in foro *poli* perſæpè excuſet à peccato, reſtitutione, irregularitate, vel cenſura; ſed etiam in foro *fori* à pæna ordinaria homicidii. Porrò, *ex communi Doctorum*, abſque piaculo, quis calumniam vel verbum injurioſum retorſerit, dicendo: *mentiris*. aut: *ſis ipſe talis*, *quouſque dictum probaveris*.

54. Deduces 2*dò*. Nequidem licere viro honorato, fuſte aut alapâ, percuſſo, percutientem repercutere, quia illud non tam in defenſionem, quàm vindictam fieret. Unde *Grotius. lib. 2. De J. B. & p. cap.* 1. §. 10. perperàm quidem [uti & alibi ſolet] *conſilium perfectionis*, cum *lege* aut *præcepto* confundens, ſat orthodoxè dicit, à patienter ferente talem injuriam, potiùs augeri honorem, quatenus ſe *excellenter* patientem oſtendit; ut proinde immeritò *parvus Vitriarius*, magnum ſuum *Hugonem Grotium. lib. 2. inſtit. J. N. & G. cap.* 1. §. 20. corripiat, his verbis: *Verùm ejus Philoſophiam* (hac in parte utique Chriſtianam) *mos vitæ civilis non fert*, *neque propterea excellenter patiens dicendus eſt*: *nam quævis ferre*, *& à quovis*; *virtus non eſt*, *ſed ignavia*. Cæterùm hoc rurſum damus; quòd, ſi invaſor ulteriùs percutere attentaret; invaſus, ipſum repercutere poſſit, non tam in defenſionem honoris, quàm corporis.

55. Deduces 3*tiò*. Teneri etiam Ducem, aut virum nobilem, potiùs fugam capere, quàm occidere illum; à quo pugnis, baculo vel verbis injurioſis impetitur. *Ratio* eſt, quia etſi hoc videatur probroſum & ignominioſum hominibus ſæculi vanitate imbutis; glorioſum tamen id eſt, apud Deum & Angelos. Itaque ut ait *Grotius. d.* §. 10. *n.* 3. *falſa hæc eſt ignominiæ opinio aſperanda ab omnibus iis*, *qui virtutem & ſapientiam ſectantur*; *quia fuga ùt ſupponitur*, *non ſuſcipitur ex ignavia*, *aut neglectu officii*; *ſed*, *quia ratio hic nullam fortitudinis materiam invenit*. Vide *Paulum Voet*. libro ſingulari. *De Duellis licitis & illicitis cap.* 32. ubi ſolidiſſimè probat, omni jure, prohibita eſſe duella, injuriarum illatarum causâ, aut honoris defendendi prætextu, ſuſcepta.

56. Diſputari hîc video, num is, qui abſque gravi incommodo, fugere potuiſſet, ſolummodò peccet contra *charitatem*, an verò ſimul contra *juſtitiam*, ſi invaſorem occidat? Hoc ſecundum vult cum aliis, *Lugo. Diſp.* 11. *ſect.* 3. *n.* 55. Primum veroſimiliùs volunt cum aliis, *Leſſius* & *Molina*, ex ratione; quòd injuſtus invaſor, non habeat majus jus actu invadendo, quàm ante habuerit in invaſum; ante autem non habuerit jus, quo in-

invaſum obligare potuerit ad fugam; proinde neque ex poſt, habeat. Ex quo ſequi videtur, quòd, ſi invaſus nolit fugere, utatur jure ſuo, proinde in hac hypotheſi, in neceſſariam vitæ ſuæ defenſionem, occidens invaſorem, non peccet contra juſtitiam, ſed duntaxat contra charitatem. Et ſanè; ſi, juxta ipſum *Lugonem*, injuſta invaſio prævisa, non poſſit quempiam obligare, ne domò exeat; quantumvis domî ſe continendo, poſſet præcavere vim & occiſionem injuſti aggreſſoris; qua ratione, injuſta actualis invaſio, titulo *juſtitiæ* obligare poſſet invaſum, ad capeſſendam fugam forte parum honorificam? Aut forte majus jus competit invaſori ad impediendum alterum à cœpto itinere, quàm ad cohibendum eum ab itinere incipiendo?

57. QUÆSTIO 4*ta*. An & quanta ſit obligatio ſe ſuáque defendendi? *Hugo Grotius. lib. 2. De J. B. & P. cap. 1. §. 4. & §. 10. ad 13.* arbitratur: lege Evangelicâ, illicitam fore, ſuî bonorúmve ſuorum defenſionem, præſertim *occiſivam*, eò quòd Chriſtiani obſtringatur ad patientiam juxta illud: *percutienti dextram, porrige ſiniſtram quoque maxillam, auferenti pallium, da quoque tunicam.* Verùm ſupra jam meminimus, *Grotium* ſibi interdum *antilogum* & aliunde obſcurum, ſæpiùs confundere *conſilia* Evangelica cum *præceptis*, quod & loco *cit.* facit. Dic ergo: quòd patientia illa ſit *conſilii*, non *præcepti*. Putat quoque *Grotius loc. cit. cap. 2. §. 10. n. 3.* defenſionem cum interfectione, fore quidem licitam jure *naturæ*, aſt non *Divino*. In quo *Magnus* apud Catholicos *Grotius*, magnoperè errat, ſiquidem jure naturali, nihil permiſſum, quod apud Deum, qui eſt author naturæ, permiſſum non ſit, ſaltem, ſi de Divinis præceptis *Moralibus* non verò *judicialibus* aut *merè cæremonialibus* loquamur. De hac quæſtione, pleniùs actum ſupra *n. 49.*

58. Non minus cum *Grotio* hallucinatur *Puffendorfius lib. 2. De J. N. & G. cap. 5. §. 16.* dum pro regula ſtatuit: quòd ſpectato jure naturæ, lædens det læſo facultatem quandam moralem contra lædentem, *in infinitum*, id eſt: ut ait *Puffendorf. talem; ut lædens nullum jus retineat, quo minus extrema quæque, ab altero, ipſi inferri queant.* Ex quo inſulſo principio idem author colligit *loc. cit. §. 12.* in ſtatu naturali, nullam a læſo, poſſe exigi patientiam etiam modicæ injuriæ, præſertim continuatæ; quò minus, per extrema quæque repelli poſſit. Quàm heterodoxa hæc ſit doctrina, nemo ſanæ mentis, non advertit. Quis enim dixerit: infinitam hujuſmodi poteſtatem, lædentem lædendi, jure defenſionis legitimo niti? Cùm defenſionis jus non poſſit cenſeri legitimum, niſi quatenus comitem habet moderamen inculpatæ tutelæ? Ut ùt enim juſta defenſio non poſtulet æqualitatem inferendi mali *phyſicam*, poſtulat tamen *moralem*; manétque penes lædentem, jus ne ob quamvis levem injuriam, extrema quæque in ipſum ſtatui queant; quin & charitatis lex, læſum obligat, ne ſæviat ultra modum, illatæ injuriæ proportionatum.

Neque DICAS cum *Puffendorfio. De offic. hom. & Civis. cap. 5. §. 13.* Quòd ideo quidvis in lædentem pertentare liceat; quia à levibus injuriis, ad majores, hoſtis tranſire poſſit. Si enim hæc ratio valeret; quævis, majoris mali, ſuſpicio, ſufficeret ad truculentiſſimam defenſionem.

59. Alii ejuſdem fæcis ſcriptores, in errores, hac in parte, atrociores prolapſi conſpiciuntur. Siquidem *Thomaſius*, licet, *in ſua juriſprudentia Divina. lib. 2. cap. 2. n. 136.* haud indefinite, in omnibus

Digitized by Google

bus legibus Divinis, neceſſitatis exceptionem admittat, & eatenus mitigaverit *Claudiani* ſententiam, dicentis: *lib. 2. in Eutropio. Verſ. 596. ſuprema pericula, ſemper dant veniam culpæ*, attamen, in quibuſdam legibus Divinis, hanc ſtatuit exceptionem: quòd ſcilicet neceſſitas excuſet à legis obſervantia. Sic (certum ſtatuit) tyranno cultum publicum prohibente ſub pœna mortis, Chriſtianum non obſtringi ad legis Divinæ obſervantiam, ex ratione hac: *quòd exempla martyrum ſint heroica & ſpecialem inſtinctum Divinum præſupponant.* Parili halitu, loquitur *Kemmerichius. in Element. cap. 5. n. 74.* inquiens: *in caſu neceſſitatis, contra Deum non peccari, quòd animus peccandi abſit, & reluctante voluntate fiat, quod caſu neceſſitatis admittitur: Deus autem animum ac voluntatem reſpiciat.* Quaſi verò in quovis caſu neceſſitatis, ſemper abeſſet, vel abeſſe poſſet peccandi animus, & non potiùs eſſet obediendum Deo, quàm hominibus *intrinſecè* malum præcipientibus. Porrò inſipidiſſimè moralizat *Fleiſcherus in inſtit. J. N. lib. 2 cap. 2. n. 66. & 68.* aſſerens: *neceſſitatem adeò non habere legem, ut licita ſit trangreſſio etiam intentata in contumeliam Dei.* Siquidem [inquit] *inde nihil aliud ſequitur, quàm quòd homo meliùs faceret, ſi mortem præ conſervatione vitæ, in hoc caſu eligeret, haud tamen peccet; ſi conſervationem vitæ præferat; cùm propter imbecillitatem naturæ humanæ, omnino excuſationem promereatur.* His præmiſſis.

60. Ad Quæſtionem Resp. Jure Naturæ permiſſam quidem eſſe juſtam, id eſt ſervato debito moderamine, ſuî bonorúmve ſuorum defenſionem; nullam tamen, *regulariter loquendo*, proditam eſſe obligationem, ſe ſuáve defendendi cum occiſione injuſti aggreſſoris. *Ratio* eſt: quia licet ſuî, cum alterius interemptione, defenſio, culpâ vacet, haud tamen *poſitivè* à Deo, ùt authore naturæ, præcepta intelligi poteſt, alioquin enim ſtatutum foret, quod latro vel fur, qui utique in ſtatu lethalis peccati præconcepti reperitur, nedum corpore, *in terram*; ſed & animâ, *in Gehennam* mittendus eſſet ab injuſte invaſo, quod nemo ſana ratione dixerit. Quò facit; quòd nemo teneatur uti favore ſibi conceſſo; nemóque obſtringatur vitam bonáve ſua defendere mediis tantoperè atrocibus & extraordinariis, puta: trucidatione invaſoris, in æternæ damnationis diſcrimine, verſantis. Alioquin ſanè multi Sanctorum, ſæpius in jus naturæ arietâſſent, dum in virtutis meritum, interimi potiùs, quàm injuſtos invaſores interimere maluerunt. Vide quæ dixi ſupra *n. 44.* afferens verba *Divi Patris Auguſtini.* Negandum itaque non eſt, virtute heroicâ præditum eſſe, qui prodit, ſe fortiorem eſſe ſemetipſo, & generoſa victoriâ, iram dictamini ſaniori ſubjicit. Confer *Sylvium loc. cit. art. 7. §. Quæritur. 1.* ubi pro noſtra ſententia citat *Dominicum Soto, Bannes, Salonium & Molinam.*

Dixi: in *Reſp. Regulariter loquendo.* Puta: dum è morte propria, alteri, v. g. Reipublicæ, uxori, liberis, *&c.* non exurgit grave damnum. Si.

Petas. An ſaltem virgo non teneatur occidere illum à quo ſibi violentum ſtuprum inferri metuit? Resp. aut abeſt periculum conſensûs, aut adeſt; primo caſu, laudabiliùs fecerit virgo, ſi vim ſuſtineat, quàm ut in orcum tranſmittat veneris mancipium. Altero caſu, ocidere tenebitur aggreſſorem, ne anima magis cum offenſa Dei, quàm corpus fœdetur, prout bene tradit *Dicaſtillo. De juſt. & jur. lib. 2. tract. 1. Diſp. 10. dub. 5. n. 65.* Vide ſupra dicta. *n. 43.*

Contra Reſolutionem noſtram, Pſeudo-

do-Ethici noſtri temporis multa oggerunt, quæ ſuccinctè referam & refutabo.

61. Ajunt : 1*mò*. Gravem exſtare obligationem ſalvandi vitam propriam, abſque aggreſſoris iniqui interfectione, non ſervabilem; tum, qua jus naturale, quemvis obligat, ut per media licita, cujuſmodi eſt aggreſſoris occiſio, ſalvet vitam propriam. Tum; quia natura non fruſtra nobis indidit inſtinctum nos defendendi, nec fruſtra dedit manus, ùt arguit *Plutarchus*. Tum denique; quia ordo charitatis poſtulat & præcipit, ut vitam propriam, qua nil in mundo præſtantius, præferamus incolumitati alienæ. Ita ferè diſcurrunt: *Grotius. lib. 2. De J. B. & P. cap. 1. §. 3. Zieglerus. ad Grotium. ibid. Puffendorfius. lib. 1. cap. 5. §. 5. &* ex his *Vitriarius. inſtit. J. N. & G. lib. 2. cap. 1. §. 7. &* 8.

Resp. *Negando aſſumptum.* & quamvis: naturali jure obſtricti ſimus ad ſalvandam vitam propriam, etiam cum interfectione iniqui aggreſſoris, dum ex amiſſione vitæ propriæ, grave reſultaret damnum vel præjudicium Reipublicæ, vel familiæ; nihiloſecius tamen obſtricti non ſumus, ad præferendam vitam propriam, vitæ aggreſſoris iniqui, dum defenſionis alioquin licitæ, omiſſio vergit in proximi, nedum temporale, ſed & ſpirituale commodum maximúmque propriæ virtutis meritum. Tametſi etiam natura manibus nos munerit, ad licitam noſtrî defenſionem; non tamen præcipit; ut citra damnum tertii, iis utamur ad necem alterius Neque porrò ordo charitatis abſolutè præcipit; ut, extra caſum mox poſitum, vitam propriam præferamus ſaluti alienæ, ſed permittit duntaxat, niſi videlicet aliena incolumitas foret ſummoperè utilis aut neceſſaria bono publico, ſive temporali, ſive ſpirituali. Cæterum, non erraveris, ſi dixeris: in ordine charitatis *præcepto*, eſſe, communicare extremè indigenti bona temporalia; ſaluti item illius ſpirituali, cum periculo vitæ, in caſu neceſſitatis, ſuccurrere: ordine verò charitatis *permiſſo*, eſſe caſum, de quo procedit noſtra aſſertio.

Ajunt 2*dò*. Hominem non eſſe Dominum, ſed duntaxat cuſtodem vitæ ac membrornm ſuorum, adeòque ipſum tam parum poſſe ſe exponere periculo vitæ aut mutilationis, quàm parum poſſit ſeipſum occidere vel mutilare. Pro Reſponſione Nota: præceptum, de non occidendo, fore *negativum*, obligans *ſemper & pro ſemper*, ùt ſupra dictum, Præceptum verò, de conſervanda vita, adhibendíſque mediis ad illius conſervationem neceſſariis, fore *affirmativum* obligans quidem *ſemper*, aſt *non*, *pro ſemper*. Itaque *Negatur conſeq. ejúſque probatio.* Cæterum; licet homo non poſſit *directè* & poſitivè ſe exponere periculo vitæ aut mutilationis; poterit id tamen interdum *indirectè* & *negativè*, permittendo ſe occidi vel mutilari, ob inſigne commodum proximi, majúſque virtutis propriæ meritum.

Qæſtio 5*ta*. An & quatenus *Autochiria* ſeu ſuî occiſio, ſit licita? *Indirectam* ſuî occiſionem, interdum fore licitam; habemus ex dictis. Occiſio enim indirecta, nihil aliud eſt; quàm omiſſio, vel poſitio actionis, qua omiſsâ vel poſitâ, mors non intenta, aliunde conſequitur. Ad quæſitum igitur

62. Resp. Injuſſu Dei, vitæ & necis Domini, nunquam licitam eſſe directam ſuî occiſionem, ponendo ſcilicet actionem, aut de ſe ordinatam, aut poſitivâ intentione, directam ad ſuî necem. Hæc vera Catholicáque aſſertio eſt, quam Divus *P. Auguſtinus* contra Circumcelliones ſeu circuitores tradit, *lib. De Hæreſibus. Hæreſi* 89. & *lib* 1 *De civit. Dei. cap.* 20. & ex eo *Doctor. Angelicus* 2. 2 *quæſt.* 64. *art.* 5.

Digitized by Google

Ratio eſt ; quia , ſi proximum nemo privatâ authoritate occidere poteſt, multò minus ſeipſum ; quilibet enim ſibi ipſi maximè proximus eſt, & ſeipſum ad minus , ceu proximum, amare debet. Accedit ; quòd *ſuicidium*, nullo rationabili fine cohoneſtari poſſit ; & ab illo natura animalis abhorreat ; & meritò : quia vita in bonis reputatur , mors autem cenſetur extremum malorum. Igitur *Autochiria* adverſatur proprio ac innato amori : amori item Creatoris, ratione Dominii, ipſi ſoli, reſervati. Repugnat quoque juſtitiæ *legali* ; quatenus communitati demitur membrum ipſi natum.

63. Reſolutio noſtra *ampliatur* ; ut contra erroneam *Thomaſii* opinionem , in ejus *Juris prud. Divina lib.* 2. *n.*74. & *ſeq* procedat ; etiam in caſu ; quo quis certò præviderct , ſe deinceps victurum in probrum Dei : item in caſu ; quo ſciret ; ſibi ab hoſte vel tyranno , mortem inferendam , cum crucitatu intolerabili. *Ratio* eſt. 1. Quia Deo ſingulis momentis, mille ſuppetunt modi , probrum illud impedendi , & gloriam ſuam manifeſtandi. 2. Quia tametſi quis vitam ſibi adimendo, impediret probrum, quod in Deum redundaret ; equidem non ſequitur , quòd hujuſmodi actus eſſet bonus & licitus , quia ad hoc etiam requiritur medium licitum ; quale non eſt ſuî directa occiſio *intrinſecè mala*. 3. Quia voluntas Dei , non poteſt præſumi ; cùm oppoſita Dei voluntas , de non interficiendo ſeipſo , ſit revelata. *Adhæc :* Qui viveret in probrum Dei ; vel viveret , ex propria , vel aliena malitia : at neutrum, eſt motivum legitimum, ad mortem ſibi inferendam ; alioquin enim obdurati in malo , & ob fidem orthodoxam , ludibriis expoſiti ; licitè ſibi mortem conſciſcerent.

Dices. Cum *Thomaſio* apud *Puffendorf. De J. N. & G. lib.* 2. *cap.* 4. §. 19. Talis eſt cèrtus , quòd conſervatio vitæ nec ſibi nec aliis , ſit profutura. Dein ; non ſemper plus boni, eſt in vita , quàm mali , in doloribus exquiſitiſſimis.

Contra eſt. Quia , etſi per accidens, vitæ prolongatio , nemini utilitatem afferre poſſit ; nihilomagìs tamen , mortis arbitrium , in hominis erit poteſtate ; quia hæc licentia per ſe loquendo , vergeret in maximum , tum creatoris , tum ipſius hominis ; tum denique ſocietatis humanæ , præjudicium. Quò facit quòd præceptum naturæ *negativum* de *Autochiria directa* , fundetur nedum in præjudicio reſpiciente perſonam ſingularem , quod forſitan in aliquo particulari caſu , ceſſare poſſet ; verùm maximè *in periculo præjudicii* communis ex tali licentia emergere nati. Quivis enim per imaginariam infamiæ vel acerbioris fati apprehenſionem & pertædiorum & cruciatuum horrorem vivaciter præfiguratum , facilè ſibi perſuaderet ; licere ſibi mortem conſciſcere. Quocircà, cùm hæc lex fundetur, præcipuè in periculo præjudicii communis ; quod abſolutè & per ſe, etiam in caſu particulari , permanet ; nullus unquam haberi poteſt finis rationabilis , quo objectum hujus legis prohibitivæ cohoneſtari poſſit , ut proinde natura *ſemper* & *pro ſemper* indefinitè hac ſuâ lege cunctos obſtringat. Repete hîc quæ in *Diſſertatione Polemica. De jure Naturali , Divino , & humano. Anno* 1728. *Brunæ in Moravia* impreſſa, *ſect.* 3. §. 20. *n.* 227. de *ceſſatione legis.* Dixi : ſcilicet ; quòd ſi cauſa finalis, in aliquo tantùm caſu , aut perſona particulari , videtur deſinere ; nequaquam eò ipsô deſinat lex obligare etiam reſpectu illius. Id quod latiùs probat *Zoëſius. ad tit. De legib. SCtis & longa conſuet. n.* 38. Si.

Replices : Quòd ad mortem damnatus , videatur tam Deo , quàm ſocietati hu-

humanæ ac Reipublicæ periiſſe ; nec ullius interſit, tantillo tempore, mortem anticipari, ad præcavenda opprobria, reſpectu ſuî ſuorumque immerita: item, ad ſe ſubtrahendum acerbiſſimis cruciatibus, quêis ferendis impar, in deſperationem conjici poſſet.

Contra eſt : quia ob periculum *præjudicii communis*, tam Dei, quàm ſocietatis humanæ intereſt ; ne quis ſibipſi necem inferat, etiam ludibriorum & acerbiſſimorum dolorum antevertendorum causâ. Itaque *Thomaſius* oppoſitum probare allaborans, veterum *Stoicorum*, in hoc paſſu, reſuſcitat delirium. Si.

Urgeas, dicáſque : non repugnare juri naturæ, ſeipſum interimere ; caſu quo malum morte majus, alioquin ſuſtinendum foret, v. g. infamia, ærumnæ perpetuæ, cruciatus lenti *&c* Neque id ipſum repugnare juri divino, caſu quo, morti, adjudicatus, per judicem, Dei Vicarium, juberetur eſſe executor ſententiæ, venenum ſumendo, ſeipſum ſuſpendendo, gladio pectus transfigendo &c. Neque repugnare juri communitatis, quæ ejuſmodi membrum, per mortis ſententiam, jam reſecuit.

Contra eſt. Quia mors eſt extremum malorum, in Dei, non hominis, poteſtate poſitum. Dein, licet ſuîcidium non repugnaret juri Reipublicæ ; repugnat tamen juri naturæ & nativo etiam belluarum inſtinctui, dicitanti : neminem debere in ſeipſum ſævire, ſibi mortem conciliando. Neque hujuſmodi poteſtas, à Deo indulta intelligitur Magiſtratui, ut facinoroſo etiam homini mortis ſupplicium promerito, imperare poſſit ſuî interemptionem. Si porrò.

Replices iterum ; & ab exemplis *S Apoloniæ* Virginis ultrò in rogum proſilientis ; *Samſonis* dirutâ columnâ ; *Eleazari* item, confeſſo elephante, ſeipſos perimentium, argumentum ducas. Resp. ex & cum *magno Prtriarcha Auguſtino. lib. 1. De Civit. Dei cap 21 Nec Samſon aliter excuſatur, quòd ſeipſum cum hoſtibus ruinâ domûs oppreſſit ; niſi, quia ſpiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat.* & *cap. 26. ibidem Sed quædam (inquiunt) ſanctæ fæminæ, tempore perſecutionis, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum ſe flumen projecerunt, eóque modo defunctæ ſunt, earúmquu martyria, in Catholica Eccleſia, veneratione celeberrimâ frequentantur. De his, nihil temerè audeo judicare. Utrum enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, ut earum memoriam ſic honoret, divina perſuaſerit authoritas, neſcio ; & fieri poteſt, ut ita ſit. Quòd, ſi enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed divinitùs juſſæ, nec errantes* [ſcilicet vincibiliter] *ſed obedientes, ſicut de Samſone, aliud nobis ſas non eſt credere. Cùm autem Deus jubet ſéque jubere, ſine ullis ambagibus, intimat ; quis obedientiam in crimen vocet? Quis obſequium pietatis accuſet. . . . Qui ergo audit, non licere, ſe occidere ; faciat, ſi juſſit, cujus non licet juſſa contemnere. Tantummodò videat, utrum divina juſſio, nullo nutet incerto... Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere ; velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas : neminem propter aliena peccata, ne hoc ipsô incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum : neminem propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hac vitâ opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari : neminem velut deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur ; quia reos ſuæ mortis, melior, poſt mortem, vita non ſuſcipit* Hucuſque *Magnum Lumen Eccleſiæ*. Igitur ſupponendum eſt: divino inſtinctu, mortem ſibi conſciviſſe, quot-

quot *Sancti* vel *Sanctæ*, in Sacris ſcripturis, vel hiſtoriis Eccleſiaſticis, commendantur, ut *Samſon*. *Judic*. 16. *Eleazarus*. ſub elephante. 1. *Machab*. 6. ℣. 45. *Razia*, qui, ùt refertur 2. *Machab*. *cap*. 14. ſenex, & magnanimus Judæus, ſe ab hoſtibus jam capiendum videns: elegit potiùs conſtantiſſimo animo, ſibi mortem inferre, quàm indigna pati ab hoſtibus, in quos propriis manibus, ſua inteſtina projecit. Quanquàm hoc *Raziæ* exemplum, non probet *Doctor Angelicus*, eò quòd Patriæ prodeſſe non potuerit: *Divus* verò *P. Auguſtinus*, impatientiæ condemnet. *Lyranus* quidem hoc factum excuſat velut patratum, per ſpecialem Dei inſtinctum, ad exercendum heroïcum actum fortitudinis. Aſt in *Lyrani* ſententiam, non videtur concedendum, eò quòd ſcriptura, *Judic*. 16 & 1. *Machab*. *cap*. 6. item 2. *Machab*. *cap*. 14. *Raziæ* generoſitatem ad mundanam gloriam referre videatur. Vide D. *P. Auguſtinum Epiſt*. 61 ubi de *Razia* dicit: *Non fuit iſte vir eligendæ mortis patiens, ſed ferendæ humilitatis impatiens.* Adde Divum *Thomam* 2. 2. *quæſt*. 64. *art* 5. *ad* 5. Porrò, *S. Apolinia* in ignem proſiliens. *S. Pelagia*, *Sophronia* & aliæ *SS*. fæminæ, quæ, ne ſtuprum paterentur, ſeipſas interemerunt; aut ſpeciali Dei inſtinctu id fecerunt; aut certè, propter *ignorantiam inculpabilem*, *in ſubtilitatibus juris Naturæ*, generoſæ actionis ſuæ; finem honeſtum reſpicientis, meritum non amiſerunt. Confer. *Franciſc. Sylvium loc. cit. art*. 5. *pag*. 412.

Exempla, quæ de *Lucretia*, *Catone* & aliis, Romanorum Faſti enarrant, & dilaudant, minimè probantur *Magno P. Auguſtino*, qui de *Lucretia* ob illatum ſibi ſtuprum ſemet perimente *lib*. 1. *De Civit. Dei. cap*. 19. ſic perſonat: *Lucrecretiam certè Matronam nobilem veterémque Romanam, pudicitiæ magnis efferunt laudibus. Hujus corpore, cùm violenter oppreſſo, Tarquinii Regis filius libidinosè potitus eſſet; illa ſcelus improbiſſimi juvenis, Marito* Collatino, *& propinquo* Bruto, *viris Clariſſimis & fortiſſimis indicavit, eóſque ad vindictam conſtrinxit. Deinde fœdi in ſe commiſſi ægra atque impatiens, ſe peremit. Quid dicemus? Adultera hæc, an caſta judicanda eſt? . . . Si non eſt illa impudicitia, quâ invita opprimitur, non eſt hæc juſtitia, quâ caſta punitur. . . . Quid ſi enim (quod ipſa tantummodò nôſſe poterat) quamvis juveni violenter irruenti, etiam ſuâ libidine illecta conſenſit, idque in ſe puniens, ita doluit, ut morte putaret expiandum? Quanquàm nec ſic quidem occidere ſe debuit, ſi fructuoſam poſſet apud Deos falſos agere pœnitentiam. Verumtamen, ſi fortè ita eſt, falſúmque eſt illud, quod duo fuerunt, & adulterium unus admiſit, ſed potiùs ambo adulterium commiſerunt, unus manifeſta invaſione, altera, latente conſenſione, non ſe occidit inſontem: & ideo poteſt à litteratis ejus defenſoribus dici, non eſſe apud inferos inter illos qui ſibi letum inſontes perperére manu. Sed hæc cauſa ex utroque latere coarctatur, ut, ſi extenuatur homicidium, adulterium confirmetur, ſi purgatur adulterium, homicidium cumuletur: nec omnino invenitur exitus, ubi dicitur: ſi adulterata, cur laudata? Si pudica, cur occiſa?* Ita de *Lucretia Auguſtinus*. De *Catone*! qui victoriam Cæſaris ferre non valens, ſeipſum interemit, idem *Magnus Pater loc. cit. cap*. 23. ſic moralizat. *De cujus* [ſcilicet Catonis] *facto, quid potiſſimùm dicam, niſi quòd amici ejus etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentiùs diſſuadebant, imbecillioris, quàm fortioris animi facinus eſſe cenſuerunt, quo demonſtraretur non honeſtas turpia præcavens, ſed infirmitas adverſa non ſuſtinens? Hoc & ipſe Cato in*

ſuo

Digitized by Google

ſuo cariſſimo filio indicavit. Nam ſi turpe erat ſub victoria Cæſaris vivere, cur author hujus turpitudinis Pater filio fuit, quem de Cæſaris benignitate omnia ſperare præcepit? Cur non & illam ſecum coëgit ad mortem.

An ergo neque Virgo ſe occidere poteſt, ne pudicitiam amittat? In tali caſu Virginem ſe poſſe perimere, non pauci olim arbitrati ſunt, & his adhæſiſſe aut præluxiſſe videtur *D. Hieronymus.* in *cap.* 1. *Jonæ*, textu relato *cauſ.* 23. *q* 5. ibi: *In perſecutionibus non licet propriâ perire manu, abſque eo, ubi caſtitas periclitatur* Verùm, iterum præ ſexcentis aliis, audiamus *Auguſtinum lib.* 1. *De Civit. Dei. cap.* 18. *At enim* (inquit) *ne vel aliena polluat libido, metuitur? Non polluet, ſi aliena erit: ſi autem polluet, aliena non erit.... Quis eadem ſanâ mente putaverit ſe perdere pudicitiam, ſi fortè in apprehenſa & oppreſſa carne ſua, exerceatur & expleatur libido non ſua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non eſt.... Neque enim eo corpus ſanctum eſt, quòd ejus membra ſunt integra, aut eo quòd nullo contrectantur attactu, cùm poſſint diverſis etiam caſibus vulnerata, vim perpeti, & medici aliquando ſaluti opitulantes, hæc ibi faciant, quæ horret aſpectus.* & ſub finem: *Quamobrém non habet quod in ſe morte ſpontaneâ, puniat fæmina, ſine ulla ſua conſenſione violenter oppreſſa, & aliena compreſſa peccato: quantò minus antequàm hoc fiat? Ne admittatur homicidium certum, cum ipſum flagitium, quamvis alienum, adhuc pendet incertum.* Igitur, cúm illa, quæ vi ſtupratur, mente virgoſit (mens enim peccat, non corpus, & ubi conſilium deeſt, ibi crimen abeſt) ideo mors exſpectanda non occupanda. Confer *Grotium. De J. B. cap. P. cap.* 19. §. 5. *n* 4. ubi in fine dicit, operæ pretium eſſe ut indagetur, quid ſententiat hoc de re Auguſtinus *lib.* 1. *De Civit. Dei. cap* 26. & *Epiſt.* 61. & *lib.* 11. *contra ſecundam Gaudentii Epiſt. cap.* 23.

Ob rationes ſupra adductas, contra *Leſſium* & alios, concludendum eſt cum *Franciſco Sylvio commentar.* in 2. 2*dæ. quæſt.* 64. *art.* 5. *pag. mihi* 412. non licere ſe occidere vel occidi mandare, ne in hoſtis poteſtatem perveniat, à quo timetur cruciatus ingens & mors ignominioſa. Pariformiter contra *Leſſium. De J. & J. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 6 *n.* 34. ſtatuendum eſt, non licere, ſaltem injuſſu Principis aut belliducis, pulvere nitrato, aut alias accendere navem, ne in hoſtium præſertim barbarorum, cum Reipublicæ damno, perveniat. Porrò, nemo ab hoſtibus captus examinatúſque ad evitanda tormenta, quibus ſufferendis ſe imparem agnoſcit, ſe interimere poteſt, ne arcana Reipublicæ ſibi concredita, cum evidenti damno ſuorum concivium, prodere cogatur.

Abſolvendo quæſtionem de *Autochiria* directè intenta, iterum audiamus *Magnum Patrem Auguſtinum. Neque enim fruſtra* [inquit] *lib.* 1. *De Civit Dei. cap.* 20. *in Sanctis Canonicis libris, nuſpiam nobis divinitus præceptum permiſſúmve reperiri poteſt, ut vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, vel illius carendi cavendive mali causâ, nobiſmetipſis necem adferamus. Nam & prohibitos nos eſſe intelligendum eſt, ubi lex ait, non occides; præſertim quia non addidit: proximum tuum: ſicut falſum teſtimonium, cùm vetaret,* Falſum *inquit* teſtimonium non dices adverſus proximum tuum. *Non ideo tamen ſi adverſus ſeipſum quiſquam falſum teſtimonium dixerit, ab hoc crimine ſe putaverit alienum. Quoniam regulam diligendi proximum, à ſemetipſo dilector accepit: quandoquidem ſcriptum eſt, Diliges proximum tuum tanquam teipſum.*

Porrò

Porrò, ſi falſi teſtimonii non minus Reus eſt, qui de ſeipſo falſum fatetur, quàm ſi adverſus proximum hac faceret. ... Poſsitque non rectè intelligentibus videri non eſſe prohibitum, ut adverſus ſeipſum quiſque falſus teſtis aſſiſtat: quantò magìs intelligendum eſt, non licere homini ſeipſum occidere, cùm in eo, quod ſcriptum eſt Non occides, *nihil deinde addito, nullus, nec ipſe utique, cui præcipitur, intelligatur exceptus? Et quicunque* (pergi Divus Doctor infra: *cap.* 22. *hoc* (ſcilicet ſuicidium) *in ſeipſis perpetraverunt, animi magnitudine fortaſsè mirandi, non ſapientiæ ſanitate laudandi ſunt. Quanquàm, ſi rationem diligentiùs conſulas; ne ipſa quidem animi magnitudo rectè nominatur, ubi quiſque non valendo tolerare, vel quæque aſpera vel aliena peccata, ſe ipſe interemerit. Magìs enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non poteſt vel duram ſui corporis ſervitutem vel ſtultam vulgi opinionem: majórque animus meritò dicendus eſt, qui vitam ærum noſam magìs poteſt ferre, quàm fugere, & humanum judicium, maximéque vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur præ conſcientiæ luce ac puritate contemnere.... At enim multi ſe interemerunt, ne in manus hoſtium pervenirent? Non modò quærimus utrum ſit factum? Sed utrum fuerit faciendum? Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt, cui quidem & exempla concordant, ſed illa Nb quæ tantò digniora ſunt imitatione, quantò excellentiora pietate. Non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apoſtoli: quia & ipſe Dominus Chriſtus, quando eos qui perſecutionem paterentur, fugere admonuit de civitate in civitatem, potuit admonere, ut ſibi manus inferrent, ne in manus perſequentium pervenirent... Quælibet exempla opponant gentes, quæ ignorant Deum; manifeſtum eſt, hoc non licere colentibus verum Deum. His igitur exceptis* (verba ſunt ejuſdem Magni Doctoris ſupra *cap.* 21. *in fin.*) *quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quiſquis hominem vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

Quòd ſi igitur cum *Thomaſio* vel quocunque alio Dicas: habere poſſe in *ſuicidio* rationabilem finem, puta ad puniendum proprium crimen, ad impedienda majora pluráve ſua peccata, ad ſervandam continentiam ſe mutilando, ad vitandam pudicitiæ violentiam ſe occidendo, ex motivo virtutis heroicæ ac fortitudinis honeſtate ſe transfodiendo. Resp. cum *Magno Patre Auguſtino. cit. lib.* 1. *De Civit. Dei cap.* 27. *Utile putatur, ut ſe quiſquè interficiat ſcilicet ne in peccatum irruat, vel blandiente voluptate, vel dolore ſæviente. Quàm cauſam ſi voluerimus admittere, eò uſque progreſſa perveniet, ut hortandi ſint homines tunc ſe potius interimere, cùm lavacro ſanctæ regenerationis abluti, univerſorum remiſſionem acceperunt peccatorum. Tunc enim tempus eſt cavendi omnia futura peccata, cùm omnia ſunt deleta præterita. Quod, morte ſpontaneâ rectè fit, cur non tunc potiſſimum fit? Cur baptizatus ſibi quiſque parcit? Cur liberatum caput tot rurſus vitæ hujus periculis inſerit, cùm ſit facillimæ poteſtatis, illatâ ſibi nece, omnia divitare.... Porrò, ſi quiſquis hoc aggrediendum & ſuadendum putat, non dico deſipit, ſed inſanit... Hoc quia nefas eſt dicere, nefas eſt profectò ſe occidere. Nam, ſi hoc ſpontè faciendi ulla cauſa juſta eſſe poſſet, procul dubio juſtior quàm iſta, non eſſet* [ſcilicet ne quis in grandia peccata labatur] *Quia verò nec iſta eſt; ergo nulla eſt* Si.

Dicas: Mortem licitè optari poſſe ob finem ſcilicet bonum, puta: ad vitandas hujus vitæ calamitates: ergo & poſſe inferri. Resp. Mortem debito modo obventuram

turam optari poſſe, non verò ut obventuram, modo indebito Sic Divus *Paulus* modo licito cupiebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Vide *F. Sylvium loc. cit. art. 5. pag.* 411. Ex dictis igitur.

RESULTAT falſum eſſe, quòd ad vitandum incendium, vel piratas hæreticos, vel Turcas infideles, poſſit quis ex alto ſe dare præcipitem, niſi ſaltem tenuis affulgeat ſpes evadendi. Hæc enim ſi affulgeat, præcipitatio non tam ad mortem, quàm fugam ordinaretur.

64. Porrò, non obſtantibus ſupradictis, omnium Doctorum calculo probata eſt ſententia, quòd interdum licita ſit indirecta ſui occiſio, ob cauſam honeſtam & legitimam. Sic ob fidei & orthodoxæ Religionis profeſſionem, dum videlicet hoc urget præceptum, licitum eſt vitam ſuam exponere. Sic & vel charitatis, vel juſtitiæ præcepto [puta intuitu Parochi, ad ſervandam vel procurandam vitam proximi ſpiritualem] licitè quis ſubit mortis periculum. Quin & teſte *Divo Thoma.* 2. 2. *q.* 26. *art.* 5. *ad* 3. juſta cauſa ſubeundi mortis diſcrimen poteſt eſſe conſervatio vitæ corporalis proximi, eò quòd bonum pietatis præſtantius ſit bono vitæ corporalis. Unde filius cum certo ſubmerſionis periculo, patri tabulam cederet. Inter juſtas indirecti ſuïcidii cauſas, Doctores numerant conſervationem pudicitiæ, bonum diſciplinæ regularis, majorem ſpiritûs perfectionem, item bonum publicum. Sic (ajunt) poſſet puella potiùs mori, & ab impudico amaſio velle trucidari, quàm fœdari. Sic Carthuſianus in periculoſo morbo, poſſet abſtinere à carnibus, quarum eſu curandus eſſet. Quia majus bonum eſt conſervatio diſciplinæ religioſæ, quàm prolongatio vitæ. Sic & novitius non tenetur deſerere religionem, nec Profeſſus expetere diſpenſationem à communi Ordinis rigore, etſi alioquin ſubeat periculum morbi, vel vitæ certò abbreviandæ. Siquidem id non eſt ſibi *poſitivè* mortem conciliare, ſed non impedire quibuſvis remediis, quod ſæpe licitum eſſe, habemus ex hiſtoria de *S. Caſimiro*. Sic porrò poteſt quis ſeipſum pro Rege interponere medium globo trajiciendum; & licitum, imò ſæpe obligatorium eſt militi vitam exponere & mortem potiùs oppetere, quàm ſtationem ſuam deſerere, quia hoc fit intuitu boni publici, & authoritate publicâ. Confer *F Sylvium loc. cit. art.* 5. *ad* 2*dum*.

65. Quòd ſi autem rationabilis & juſta deſit cauſa, qualis eſt charitas erga Deum; item: charitas vel juſtitia erga proximum; certum eſt; neminem etiam indirectè, ſe poſſe occidere, ad mortem ſuam proximè cooperando, aut illam permittendo, aut ſeſe certo mortis periculo exponendo. Nam quotieſcunque opus aliquod directè fieri illicitum; toties illud indirectè fieri prohibitum cenſetur. Quamobrèm, lethaliter delinquunt. qui gravi & periculoſo morbo laborantes, noxia & vetita ſumunt, ac exinde mortem ſibi conciliant vel notabiliter accelerant: item, qui intemperanter victitantes, cum certò prævíſo, vel à peritis medicis prædicto mortis periculo, abdomen ſuum cibo potúve nimio farciunt Confer *Dianam p.* 1. *tract.* 2. *reſolut* 29.

Mortaliter quoque peccant imperiti *funambuli*, *agitatores taurorum*, *gladiatores*, *Torniatores* aut hoſtitiludia equeſtria cum probabili mortis ſuæ periculo exercentes. *Cum probabili* inquam *mortis ſuæ periculo*, ut aliud dicendum ſit de artis vel ludi hujuſmodi probè peritis. Qua ratione non peccant ſaltem graviter, qui venenum ſumunt, à vipera ſe ſinunt mòrderi, aut graviter ſeſe vulnerant, ut theriaci vel medicamenti ſui alias ſat probati & mox ſumendi, efficaciam demonſtrent.

tis.

Digitized by Google

Quia tunc cenſetur abeſſe periculum mortis. Vide *Dianam. p. 5. tract. 4. reſolut.* 38.

Ex eadem ratione, à gravi piaculo non excuſantur, qui in gravi & periculoſo morbo conſtituti, detrectant adhibere remedia ordinaria & commodè parabilia, & iis neglectis ſe mori ſinunt. Cùm enim non ſimus Domini, ſed cuſtodes tantùm vitæ noſtræ: tenemur vitam noſtram conſervare mediis ordinariis & per ſe ordinatis ad vitæ conſervationem, non item mediis extraordinariis valde inſolitis multúmque difficilibus, aut *ob crucitatum*, v.g. abſciſſione brachii, tibiæ &c. aut *ob pretium*, puta medicinâ nimis ſumptuosâ, habito reſpectu condſtionis perſonæ. *Ratio*: quia præceptum conſervandi vitam propriam, *affirmativum* eſt, ideóque non *pro ſemper*, ſed certo tantùm tempore & modo obligat. Unde concludunt Doctores, puellam honeſtam & pudicam, poſſe medicinam & medicum repellere, ſuíque morbi curationem omittere, ne videatur & tangatur in partibus verecundis, eò quòd nemo teneatur admittere curationem, à qua non minus abhorret, quàm ab ipſo morbo aut morte ipſa. Huc pertinens eſt.

66. Quæstio 6ta. Quænam pœnæ in *ſuicidas* ſtatutæ ſint? Resp. Præter pœnam *fori divini*, æternæ ſcilicet damnationis: etiam *jure humano Canonico*, acerbiſſimæ ſtatutæ ſunt pœnæ in illos, qui voluntariè & deliberatè ſibi mortem conſciverunt. Tales enim privantur ſepulturâ Eccleſiaſticâ & omnibus Eccleſiæ ſuffragiis, ita, ut nec Miſſæ, nec vigiliæ, imò nec commemoratio in Miſſa pro ipſis fieri debeant. *Can. Tu dixiſti* 10. *can. placuit.* 12. *cauſ.* 23. *q.* 5. *Jure Civili criminali.* invaluit, ut talium cadavera, furcâ è pedibus, vel alio inverſo modo, ſuſpendantur, in exemplum aliorum. Qua de re, poſt alios criminaliſtas, videri poteſt *Farinac. in prax. crimin. p.* 1 *q.* 10. *n.* 76. *& ſeq.* Si hîc incidenter.

67. Petas: An teſtamentum ipſorum ſit habendum ratum? Ante reſolutionem.

Suppono: quòd jure *civili Juſtinianæo*, non tantùm ad ultimum ſupplicium damnatorum, verùm & eorum, qui pro damnatis habentur, bona publicentur; veluti eorum; qui conſcientiâ capitalis criminis, mortem ſibi conſciverunt. *L.* 1. *Cod. De bonis eorum, qui ante ſent. &c.* Quanquàm crimen ſit probandum. *l. qui res.* 3. *§. ergo.* 3. *ff. eod.* & ad defenſionem, hæredes admittantur. *dict. l.* 3. *in fi.* Hoc præſuppoſito, occurrit quidem ratio dubitandi, quod non videatur ſanæ mentis extitiſſe, qui ſibi lethiferas intulit manus. *Arg. l. Quidam. pen. ff. De condit. inſtit.* ubi habetur parum mentis compos, qui ſcripſit aliquem hæredem, ſub conditione: *Si reliquias ejus in mare projecerit.* & rejecto hærede ſic inſtituto, admittitur hæres *ab inteſtato.* Id quod multò magìs dicendum videtur de eo, qui paulò antequàm ſibi ipſi manus inferret, teſtamentum fecit. Dicendum tamen, ex ea cauſa tantùm, non poſſe dementiam convinci. Quoties enim alicujus rei complures ſunt cauſæ, non poteſt eidem una certa attribui. Poteſt autem ex variis contingere cauſis, ut quis ſibi violentas manus inferat; puta: ex tædio vitæ, propter pudorem æris alieni; item, ob valetudinis adverſæ impatientiam; aut ob furorem; aut jactantiam. Quibus caſibus, ſi *furor* excipiatur, non eſt ratio, cur teſtamentum *à demente* factum dicatur. Unde dicenti, teſtamentum factum à non habente ſenſum, incumbit ejus rei probatio, & talium teſtamenta valere dicuntur *l.* 6. *§. ejus. ff. De injuſto, rupto &c.* junctâ *l. Eorum.* 1. *C. De bonis eorum, qui ante ſent.*

68. **Redeundo quæſtionem principalem, Notandum eſt; quòd illi, qui ex amentia, furore aut exceſſu melancholiæ** hypochondriacæ, ſeipſos interemerunt; prædictis pœnis non plectantur. Contingere enim non raro ſolet, ut ejuſmodi vehementiſſimæ paſſiones furoris, triſtitiæ, ita animum & phantaſiam hominis occupent; ut uſum rationis adimant, & hominem omnino inſanum, amentem & conſequenter peccati, adeóque & pœnæ illius, incapacem conſtituant.

69. Equidem, ſi conſtet, quòd ſibi ipſi quis necem intulerit, dubitetur autem, an deliberatè, an verò ex amentia vel *errore invincibili*, factum ſit commiſſum? jura volunt & Eccleſia obſervat, quòd talis ſepulturâ & ſuffragiis Eccleſiaſticis privatus ſit: quia, ſicut in aliis criminibus, ita etiam in hoc, inſpicitur factum externum per ſe malum, cenſetúrque voluntariè admiſſum & pœnâ ſtatutâ dignum, niſi in contrarium adſit præſumptio vel probatio, qualis haurienda eſt ex hominis interempti probata vita, religione, probitate & ſcientia alias exhibita; ita ut exinde evincatur, nullatenus credibile eſſe, hujuſmodi hominem, facinus adeò horrendum, deliberatè committere potuiſſe. Idem eſt; ſi èċontra per viros prudentes aut alias omni exceptione majores doceri poſſit, quod is qui ſibi lethales manus intulit, ob antecedentes animi vel corporis affectiones, fuerit amentiæ vel furori obnoxius.

70. Quòd ſi non conſtet, num quis ſeipſum occiderit; an verò ab alio occiſus ſit; vel caſu præcipitatus, oppreſſus ſubmersúſve fuerit? Cenſeri non debet ſeipſum culpabiliter occidiſſe vel præcipitâſſe, niſi magna & evidentia ejus rei indicia vel conjecturæ aliud ſuaderent. Nam, ùt juriſperiti ad *l. Neque natales. C. De probat.* ajunt: *non probat hoc adeſſe, quod contingit quandoque abeſſe.*

71. Cæterum, ſi is, qui voluntariè ſibi ipſi mortem conſcivit, ante exſpirationem repertus, vera contritionis ſigna dedit, poterit, imò ſi confeſſus & abſolutus fuerit, debebit in loco ſacro, cum conſuetis ſuffragiis ſepeliri, prout ex praxi & doctrina Eccleſiæ, atteſtatur *Diana. p. 5. tract. 4. reſolut. 30.* Quamquàm in foro *ſæculari forenſi*, propter talem pœnitentiam, non remittatur pœna legibus decreta, v. g. confiſcatio bonorum: ſi reus delatus, metu ferendæ ſententiæ, ſibi mortem conciliavit, prout liquet ex *l. 1. & 2. Cod. De bonis eorum qui ſibi mortem conſciv.* ubi *Antoninus Imperator* diſtinguit inter eos, qui conſcientiâ delati admiſsíque criminis, metúque futuræ ſententiæ, manus ſibi intulerunt, & eos, qui dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, vel inſaniâ, vitam finierunt; decernendo: *illorum* bona à Fiſco vindicanda eſſe, *horum* non item, ſed hæredibus relinquenda. Ob materiæ connexionem, hîc libet agere.

De *Monomachia* ſeu Duello.

72. DUelli nomine, in rigore Scholaſtico non venit quæcunque duorum rixa, neque ſingulare quodvis certamen inter duos ex condicto ſuſceptum, ſed: *Singulare certamen, ex privatis cauſis, ab utraque parte ſponte & ex condicto ſuſceptum, deſignato loco & tempore ad occiſionem, mutilationem aut gravia vulnera infligenda.* Ita *Eligius Baſſæus, in floribus Theolog. pag. 246. Bonacina. Tom 1. pag. 597. n. 2. & ſeq.* & Moraliſtæ communiter. Sed Observa, quòd deſignationem loci & temporis non tam requirant ad eſſentiam ſeu ſubſtantiam duelli, quàm ut duellantes incidant in pœnas, per Bullas Gregorii XIII. & Clementis VIII. ſta-

tutas in taliter dimicantes. Confer *Barboſam* in *Collectaneis* ad Concil. *Tridentinum ſeſſ.* 25. *De reformat. cap.* 19. conſtat enim duellum ſive licitè ſive illicitè poſſe committi, ſine determinatione temporis & loci, veluti: ſi duo in rixa, ſubitò ad arma decurrant; aut à latrone invaſus, gladio ſe defendat. Minus accuratè duellum definivit Vaſquez *lib.* 1. *controverſ illuſtr. cap.* 11. *n.* 36. dicens, duellum eſſe *ſingulare certamen aut pugnam æquis legibus dimicantium*. Præterquam enim quod non omne duellum ex pacto aut mutua oriatur voluntate. Veluti, ſi Sicarius alium ſeſe defendentem adoriatur; non omne duellum mutuo etiam conſenſu initum, æquis ſemper fit utrimque conditionibus, aut paribus armis. Ut cùm quis nimiâ ſuî fiduciâ, pugione provocat cinctum frameâ, aut pedes equitem; exercitatus pugil, alium gladiandi imperitum &c. Generica igitur & adæquata hæc eſt duelli definitio; ſcilicet; certamen duorum de victoria, citra formam belli decertantium. Hac enim definitione comprehenditur omne duellum etiam gloriæ causâ, exercitii gratiâ, aut luſûs ergô ſuſceptum. Vide *Paulum Voet* lib. ſingulari *De Duellis licitis & illicitis. cap.* 1. *& ſeqq.*

Duellum aliud eſt ſolemne, aliud privatum. *Solemne* eſt: quod fit ſervatâ certâ formâ & ſolemnitate, circa tempus & locum ſecuritatis privilegio munitum (vulgò, *campum francum*) adhibitis etiam *Patrinis*, qui paſſim *ſecundantes* audiunt. *Privatum* eſt; quod quidem etiam ex condicto, ſtatutóque tempore & loco, abſque aliis tamen ſolemnitatibus & citra ſecuritatem loci, fit.

73 Regulariter loquendo, duellum utroque modo acceptum, nedum jure naturali divino, ſed & humano, tam Civili, quàm Eccleſiaſtico, prohibitum eſt; eò quòd Deus, ùt author naturæ, titulo creationis & conſervationis, ſibi ſoli reſervaverit jus vitæ & membrorum; aliunde etiam duellum utriuſque vitam & ſalutem æternam in diſcrimen adducat, & viam ſpatioſam pandat ad innumeras cædes, cum incredibili confuſione, perturbatione & præjudicio ſocietatis humanæ. Unde Concilium Trident. poſt canonem *Monomachiam*. 22 *cauſ.* 2. *q.* 4. in hæc verba ſtatuit: *ſeſſ.* 25. *De reformat. cap.* 19. "„ Deteſtabilis duellorum uſus fabricante „ Diabolo introductus, ut cruentâ cor„porum morte, animarum etiam per„niciem lucretur, ex Chriſtianorum or„be penitus exterminetur. Imperator, „ Reges, Duces, Principes, Marchio„nes, Comites & quocunque alio no„mine Domini temporales, qui locum „ ad Monomachiam in terris ſuis, inter „ Chriſtianos, conceſſerint; eô ipsô ſint „ excommunicati, ac juriſdictione & „ dominio Civitatis, Caſtri aut loci, „ in quo, vel apud quem, Duellum fieri „ permiſerint, quod ab Eccleſia obti„nent, privati intelligantur: &, ſi *feu„dales* ſint, *Directis* Dominis ſtatim ac„quirantur. Qui verò pugnam commi„ſerint, & qui eorum Patrini vocantur, „ excommunicationis ac omnium bono„rum ſuorum ac perpetuæ infamiæ pœ„nam incurrant, & ùt homicidæ, jux„ta Canones, puniri debeant. & ſi *in „ conflictu* deceſſerint, perpetuò careant „ ſepulturâ Eccleſiaſticâ. Illi autem, qui „ conſilium in cauſa Duelli, tam in ju„re, quàm facto dederint, aut aliâ qua„cunque ratione ad id quempiam ſuaſe„rint; nec non *ſpectatores*; Excommu„nicationis ac perpetuæ maledictionis „ vinculo teneantur, non obſtante quo„cunque privilegio aut conſuetudine „ etiam immemoriali." Ubi.

Observa 1mò. Eum, qui moritur ex vul-

vulnere accepto, ſi vivus è loco diſceſſit aut aliò deductus vel portatus fuit, non eſſe privandum ſepulturâ Eccleſiaſticâ. *Buſenbaum. lib. 3. tract. 4. cap. 1 dub. 1 in fine*. Quod verum, ſi vulneratus in duello, moritur poſt notabile intervallum, v. g. poſt unum vel alterum diem. *Caraffa. De duello tract. 2. ſect. 3. q. 19. n. 9. Konig. ad tit. De Cleric. pugn. n 20. Ratio:* quia talis, licet decedat *ex* duello, non tamen *in* duello. *2dò. ſpectatores ex occulto* non incurrere iſtas pœnas, cùm non cenſeantur animare duellantes, aut iis authoritatem præſtare. *3tiò*. Pœnas & verba *Tridentini* non habere locum, in pugna ſuſcepta ratione juſtæ defenſionis contra injuſtum invaſorem. *4tò*. Bono etiam publico, hoc genus certaminis ſubeuntes, videri eſſe extra culpam, puta: ſi quis cum hoſte publico, ad evitandas Belli calamitates, congrediatur. Hoc enim non eſt tentare Deum, quod lex divina vetat, nec hoſtem tollere, eſt homicidii reatum lege vetitum committere, ſed officio boni & cordati militis fungi. Itaque *Zoëſius ad tit de Clericis pugnantib. in duel. n 6.* cum aliis communiter non improbat duellum, quo unus cum uno, vel plures cum pluribus in ſingulare certamen deſcenderent, eâ lege, ut victoria ſit penes illum exercitum, cujus pars vicerit, dummodò per tale duellum, victoria non magìs redderetur dubia, quàm, ſi totus utrimque confligeret exercitus. *Rationem dant*. Quòd ſi licitum eſt integros committere exercitus, multò magìs licitum eſſe debeat, controverſiam ad duorum aut paucorum certamen reducere, ùt conſtat exemplo *Davidis* & *Goliathi* Quò facit, quod, ùt refert *Zoëſius. loco cit.* authoritate *Martini V.* Pontificis, *Carolus Andegavenſis* & *Petrus Tarraconenſis*, controverſiam ſuper regno *Siciliæ*, hoc modo ſopire decreverint; quamvìs communiter ea res non careat temeritate, dum ſumma rerum unius atque alterius periculo committitur. Faciliùs tamen in militibus, duella cum hoſte provocante ſuſcepta, accedente authoritate ſupremi Principis, tolerari poſſent, non tam vanæ gloriæ causâ, quàm ad oſtentandam & quaſi recommendandam totius exercitûs fortitudinem. Confer *Vaſquez. controv. cap. 49. n. 15. & 16. Azor. Inſtit. Moral. p 3. lib. 2. cap. 5. q. 4*. Sic poſt *Zoëſium* refert author libri inſcripti: *les delices de pays-bas* quod *Anno* 1600. prope *Sylvam-Ducis*, viginti milites *Germani* provocati à totidem Gallis, adeò feliciter pugnaverint; ut ad unum omnes profligaverint, ipſorum tantùm quinque deſideratis. Quidquid ſit, nos illicita arbitramur duella, ſi milites utriuſque oppoſiti exercitûs, ex cauſa oſtentationis virium ſe provocent & dimicent. Ratio eſt, tum quia finis hujuſmodi pugnæ eſt ineptus & vanus, cujus gratiâ non licet ſanguinem humanum fundere (Vide *cap. 1. De Torneamentis*, ubi deciſum; quòd vulnerato in torneamentis ſeu haſtiludiis, concedi quidem debeat pœnitentia, id eſt, abſolutio Sacramentalis, mortuo tamen ex vulnere accepto, deneganda ſit Eccleſiaſtica ſepultura) Tum, quia ideo ſuſcipi poſſet duellum, ut patria, ſine copioſiore ſanguinis profuſione poſſet ab hoſtium copiis liberari. Verùm hujuſmodi congreſſibus vix eſt ut diminuantur hoſtium incurſus aut vires frangantur; quia pauciſſimi inter ſe confligunt, nec cæteris ſpem, metúmve conciliant. Vide tamen Clariſſimum *Dominum Paulum Voet loc. cit. cap. 11. pag. mihi 56.* ibi contendit; hujuſmodi conflictus ſingulares iniri poſſe ad conſervandam bonam famam fortitudinis in exercitu hoſtili.

Non minus jure Civili tam veteri, quàm

Digitized by Google

quàm recentiore, prohibita ſunt Duella. Siquidem *Conſtantinus M.* ſaluberrimâ Sanctione, cruenda ſpectacula omnino prohibuit. *l. unic. C. De Gladiator.* ad quam legem *Brunnemannus* tradit, Duella ineuntes, *Læſæ Majeſtatis* Reos cenſeri, id eſt: ſimili pœnâ plecti, ac ſi crimen Læſæ Majeſtatis commiſiſſent. & recentiore jure, *Leopoldus Imperator*, pœnam capitis ſtatuit in illum, qui in duello alterum (ſaltem provocatum) occiderit; quæ conſtitutio in *Comitiis Imperialibus. Anno* 1668. ratihabita & confirmata fuit. Galliæ *Arreſtis*, quilibet duellantium, cujuſcunque ſit dignitatis, gradûs, conditionis aut nobilitatis, ignominioſo iubetur affici ſupplicio, ex quo effectum, quòd monſtrum illud tantò magìs jam quærat latere, quantò magìs olim gloriabatur ſe prodere, teſte *Diodoro Siculo. lib.* 5. *cap.* 28

Pœnas Canonicas ex Concilio *Tridentino* recenſitas, in ſolemnitèr duellantes, exaſperavit *Pius IV. Anno* 1560. *Conſtit.* incip. *Ea quæ &c.* ſtatuendo pœnas in Reos Læſæ Majeſtatis alioquin decretas, puta: inhabilitatis ad condendum teſtamentum *&c.* Quinimò, *Gregorius XIII. Anno* 1582 *Conſtit. Ad tollendum.* & *Conſtit. Illius vires. de Anno* 1592. itidem, *Clemens VIII.* pœnas illas prorogârunt ad duella *privata*, prout latiùs videre eſt in *Dicæomachia Seyboldiana. part.* 2. *& apud Reiffenſtuel. ad tit De Clericis pugn. in Duello* ubi *n.* 7. adducit tenorem integrum Bullæ *Clementis VIII.* Adde R. P. *Pauwels.* in *Tract. Theologico. De caſibus reſervatis. cap.* 10. *quæſt.* 2. *n.* 392. *& ſeqq.*

Notant tamen Doctores paſſim, ad id ut prætactæ pœnæ incurrantur, requiri 1*mò*. Ut Duellum fiat ab utraque parte, *deliberatè* & *ex condicto*, ſeu ex pacto duellantium. 2*dò*. *Cum deſignatione certi loci & temporis*, adeò, ut ſi ſolus condicatur locus, & non tempus, vel tempus & non locus; duellum propriè dictum non ſit, loquendo de pœnis, ipſo jure ſtatutis: prout cum communi aliorum, hanc probat, *Pignatelli. Tom.* 9. *Conſult.* 88. *à. n.* 87. ex verbis conſtitutionis *Gregorianæ* ſupra citatæ, ubi præfatæ pœnæ ſtatuuntur in illos, *qui ex condicto, ſtatuto tempore, in loco convento, Monomachiam commiſerint.* Ex quo Doctores Theologi & Canoniſtæ.

74. Colligunt 1*mò*. Illicitè quidem agi & peccari, non tamen duellum ita rigorosè dictum committi, proinde nec pœnis duellantium locum eſſe, in caſu, quo quis injuriatus, præſenti irâ excandeſcens, vel vindictâ & rancore erga inimicum obvium, vel alia ex cauſa, inordinatè commotus, alterum ad pugnam provocat, & arreptis armis, ſtatim congreditur cum illo. *Ratio* eſt. Quia ejuſmodi pugna non fit *ex condicto*, nec *præfixo. loco. & tempore*, ut non ſit tam Duellum, quàm rixa & provocatio ad illam.

Colligunt 2*dò*. Non committi Duellum rigorosè dictum, neque pœnas duellantium incurri ab his, qui in loco ad pugnam minus apto, v. g. in Eccleſia, Aula Principis, vel etiam in convivio, ſaltu *&c.* contendere vel rixari incipiunt, & unus alterum, ſine, vel cum determinatione certi loci, plateæ, v. g. vel prati, provocat, dicendo: *Veni foras.* vel: *exeamus & dimicemus gladio, ſclopeto &c.* ita tamen, ut durante calore iracundiæ aut vindictæ, nullo morali intervallo interveniente, illicò ad locum certaminis progrediantur & dimicent *Pignatelli, cit. Tom.* 9. *conſult.* 88. *n.* 87. *Riccius. in praxi rerum forenſ. Eccleſiaſtic. Deciſ.* 634. *Konig. ad tit. De cleric. pugn. in Duel. n.* 10. *Ratio* eſt: Quia ſi provocatio & pugna in uno continuo, ex ſubito iræ calore pro-

procedant; non duæ, ſed una moraliter actio cenſebitur, nec reputabitur pugna *ex condicto & ſtatuto tempore*, proinde nec Duellum rigoroſè dictum, ſed potiùs rixa. Aliud eſſet, ſi quis ab aliquo inermi injuriâ affectus, diceret illi, quære enſem & revertere quàm primùm; ego te reverſurum hîc exſpectabo. Ille enim qui loco ſtatuto exſpectat adverſarium, ex condicto cum eo pugnat, neque neceſſariam habuit pugnandi cauſam, cùm potuiſſet aliò iviſſe. Ille verò qui domum ivit petiturus enſem, non tenebatur reverti, quinimò in conſcientia tenebatur domî manendo, hoc periculum evitare. Vide *Gail. De pac. publica. lib.* 1. *cap.* 16. Adde *Fragoſ. part.* 1. *Reipubl. Chriſt. lib.* 1. *diſp.* 2. *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 9. *p.* 94. *Voet loc. cit. cap.* 33. *pag.* 172. ubi *cap.* 34. adducit *motiva*, contra duella, & *cap.* 35. ubi agit de remediis contra hanc rabiem.

Præthereà, ad Duellum propriè acceptum, requiritur, ut fiat vel inſtituatur *cum periculo vitæ*, ſeu tali pugnandi modo & armorum genere, ut pugnantibus periculum vitæ immineat *Pignatelli. loc. cit. n.* 92. *Filiucius. Tract.* 15. *cap.* 5. *q.* 5. *n.* 107. *Ratio* eſt: quia Duellum ſub adeò gravibus pœnis prohibetur, ob grave periculum mortis, mutilationis aut vulneris, indeque ſubſequi natam animarum ruinam, prout indigatur: *cap.* 1. *De Torneamentis.* & ex ſupra allegato textu concilii *Trident.* ergo. Ex his.

Resultat; non eſſe propriè dictum duellum pœnis prædictis ſubjectum, ſi fiat provocatio ad certamen, ſolis pugnis, virgâ, vel levi baculo, ineundum, etſi per accidens., mors inde ſequatur.

Pignatelli loc. cit. arbitratur etiam illos duellum propriè non committere, nec pœnis duellantium ſubjacere, qui non animo offendendi, ſed honoris defendendi, provocant, vel provocati comparent, etiamſi ex condicto ac ſtatuto tempore & loco, ad pugnam veniant, morali tamen cum certitudine & conventione mutuâ, quòd neuter alterum ſit læſurus.

Videtur quidem textus conſtitutionis *Clementinæ* §. 5. obſtare, quatenus ibidem ſic habetur: *Nec non iiſdem pœnis decreto & conſtitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ ſunt de dirimendo certamine, cùm primum alteruter vulneratus fuerit, ſeu ſanguinem effuderit, aut certus ictorum numerus utrimque illatus fuerit.* Verùm textu illo tantum videntur illi comprehendi, qui quidem ſimilibus cum pactionibus, animô tamen offendendi, vel ſaltem ſine pacto vel intentione mutua, de non lædendo congrediuntur, & conſequenter incerti ſunt, an non unus ex determinatis ictibus, lethalis ſit futurus: non verò concludi illos, qui ex intentione invicem inſinuata, præcisè honorem defendere, & ad apparentiam, ùt in Theatris fieri ſolet, aliquos ictus invicem laxare, nullatenus verò ſe invicem lædere intendunt. Ut ùt autem hæc *Pignatelli*, opinio, pro foro interno, valde probabilis appareat, & in praxi multum ſervire poſſit militibus eorúmque Officialibus & Ducibus, qui non rarò ad Duellum provocare vel oblatum acceptare, pro neceſſaria [ùt ajunt] honoris ſui defenſione debent; ne alias tanquàm pavidi deſpiciantur, vel nullam amplius paritionem haberent (nihilominus in foro externo, ubi judicatur ſecundùm externa, etiam taliter concertantes, obnoxii forent pœnis duellantium, prout fatetur ipſe *Pignatelli*.

Cæterum; ſi de vero & non ficto Duello, ſermo ſit; certum eſt, illud etiam jure naturæ, pro tuendo honore vel ignominia vitanda, illicitè ſuſcipi; eò quod Duellum ſit medium ineptum atque inutile ad honoris defenſionem, neque defen-

tenſio honoris ex erronea vulgi & hominum, in omnem temeritatem projectorum, opinione; ſed à publico prudentum judicio, ſit haurienda; aliunde etiam facilè ſuppetant legitima media honorem ſuum defendendi, maximè in ſtatu civili, in quo per leges & legum pœnas, Duellô non defenditur, ſed amittitur honor; nec removetur, ſed conſciſcitur ignominia; ſive quis vincat ſive vincatur. Adde: quòd nec in ſtatu naturæ, deſit quædam via juris, quaſi publica, cùm non deſit quædam ſubordinatio familiæ & conſanguinitatis, & in ſtatu etiam meræ libertatis naturalis, commodo honoris privati præponderare debeat bonum commune ſeu incolumitas humanæ ſocietatis, quam præprimis læderet duellandi effrenis licentia. Unde meritò *Alexander VII. Anno* 1665. hanc, ùt ſcandaloſam & exemplo pernicioſam proſcripſit propoſitionem: *Vir equeſtris ad Duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Sed.

75. Quid de Duello *judiciali*, quod ad veritatem probandam, ſeu ad litem dirimendam, ſeu ad innocentiam demonſtrandam, aut ad objecti criminis culpam expurgandam, utrimque ſuſcipitur? Resp. cum *Zoëſio loc. cit. n.* 2. *Sporer.* & aliis communiter; hujuſmodi Duellum, omni jure, eſſe prohibitum & illicitum. Tum, quia hoc nihil aliud eſt, quàm exponere juſtam cauſam, uti & innocentis vitam, evidenti periculo, cùm æquè inſons, ac Reus, poſſit in Duello ſuccumbere; neque juſtior, ſed fortior peritiórque ſoleat vincere. Tum, quia hoc eſt tentare Deum, quaſi per ejuſmodi crudele certamen cogeretur Deus manifeſtare veritatem. Tum denique, quia hujuſmodi judicium à ſacris Canonibus reprobatum eſt. *Can. Monomachia. cauſ.* 2. junctô conciliô *Trident.* ubi *ſupra.* Itaque, quiſquis bonis & honeſtis moribus imbutus eſt; meritò hujuſmodi feralem pugnam deteſtatur ùt temerariam, fallacem & everſivam ordinis judiciorum, & juſtitiæ violtivam. Quò facit; quòd plurimi, quorum cauſa bona & vera fuit, ſtolidiſſimo *Martis* arbitrio, pugnantes occuberint, & ejuſmodi infamis aleæ jactu, vitam non tantùm temporalem ſed & æternam amiſerint: uti & nequaquam in bello victoriam ſemper conſequitur juſta cauſa, quia non rarò, occulto Dei judicio, declinat ad eum, qui peſſimam cauſam fovet, ſecundùm illud effatum *Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni* & hujus rei triſte non ita pridem exemplum vidimus, ut nihil dicam de illo, quòd ſacra pagina memorat *Jud. cap.* 20. Itaque Duellum ſemper eſt illicitum, niſi Deo jubente, aut pro cauſa Dei, aut orthodoxæ Religionis, vel bono publico, ſuſcipiatur. Quam ob cauſam, juſtificatur Duellum quod 1. *Reg. cap.* 12. *David* inivit contra *Goliath.* item quod *Eduardus III.* Angliæ Rex, Obtulit *Philippo VI. Valeſio*, *Carolus V. Imperator Franciſco I. Galliæ Regi*, *Carolus Ludovicus*, *Elector ad Rhenum*, Comiti *Turenio*; ac porrò *S Wenceſlaus Dux Bohemiæ*, obtulit Duci *Curimenſi*; in quo conflictu dicuntur Angeli, *Divo Wenceſlao* arma miniſtrâſſe & dixiſſe: adverſario: *Ne ferias.* Confer *Clariſſ. Dominum Paulum Voet*, *De duellis licitis & illicitis. cap.* 10. Si ergo

Dicas 1. Duellum eſſe intrinſecè malum ac jure naturali prohibitum, adeòque pro omni caſu etiam ſalutis Reipublicæ, perinde eſſe illicitum, ac illicita eſt occiſio innocentis etiam in caſu interminati à Tyranno excidii. Resp. Duellum ex *fine privato causâve profana*, fore intrinſece malum, non verò ex *fine publico causâve graviſſima* Deum aut Religionem orthodoxam reſpiciente. Si èontra.

Dicas

Dicas 2dò. Officialem bellicum aut virum equeſtrem ab altero ignominioſiſſimè laceſſitum, non modò timiditatis notam, ſed & famæ ac honoris poſſe jacturam incurrere, niſi acceptaret Duellum, ac proinde ex hac cauſa graviſſima, eò inculpabiliùs ſuſcipi aut offerri poſſe, quò conſtat, ex leviore cauſa, ſcilicet ob conſervationem bonorum fortunæ, licitam eſſe defenſionem etiam *occiſivam*. Resp. *Neg. aſſumpt.* & dico; jacturam *famæ* eſſe quidem graviorem, jacturâ bonorum *fortunæ, in Theſi* & *de ſe* loquendo, non verò in hiſce circumſtantiis, eò quòd Duellum ſit medium tam *inutile* (cùm honor aliter conſervari aut recuperari poſſit) quàm *ineptum*, cùm, ùt dictum, exinde honor non tam conſervetur aut recuperetur, quàm deperdatur majórque ignominia contrahatur. Vide latè *Reiffenſtuel loc. cit. n.* 23. *& ſeqq.* Adde *Paulum Voet loc. cit. cap.* 32.

76 Licitum autem eſſe Duellum pro neceſſaria defenſione vitæ, ſi videlicet mors vel periculum illius aliter vitari nequeat, cum communi docent *Maſtrius. Diſp.* 11. *n.* 113. *Leſſius. lib.* 2. *De J. & J. cap.* 9 *n.* 8. & 49. *Pignatelli. Tom.* 9 *conſult.* 88. *n.* 36. Ex ratione; quòd in tali caſu, offerre vel acceptare Duellum, nihil aliud ſit, quàm neceſſaria vitæ defenſio, quæ omni jure licita eſt. Si igitur quis ab inimico vel adverſario ſuo, vel alio quodam deſperato homine his verbis impeteretur: *aut Duellum, more conſueto, mecum ini, vel illicò te occidam, aut certè per alios te trucidari faciam* Tali caſu, invaſus utique poterit Duellum acceptare, imò & offerre illud, ſi (ùt ſupponitur) aliter periculum declinare nequeat, puta: fugiendo, aut accuſationem apud judicem inſtituendo. Conſonat *Grotius. lib.* 2. *c.* 1. *§.* 15.

Pariter licitum eſt offerre vel acceptare Duellum pro defenſione rerum fortunæ magni momenti alioquin non recuperandarum. Si enim, ùt ſupra oſtenſum, pro conſervatione bonorum fortunæ magni momenti, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, juxta plurimos, liceat interimere iniquum aggreſſioem; cur non liceret pro eorundem bonorum conſervatione, cum iniquo aggreſſore vel aggreſſionem minitante, duellare? Confer *Caſtro-Palao. Tract.* 6. *Diſp.* 5. *puncto.* 7. *n.* 9. *Leſſium loc. cit. Dub.* 8. *n.* 49. Nec.

Obstat: quòd Duellum offerens vel acceptans exponat ſe periculo vitæ, quæ utique tanquàm bonum majus, præpoſterè poſtponitur jacturæ bonorum temporalium.

Contra enim eſt; ſiquidem talis abſolutè non poſtponit vitam bonis fortunæ, neque propter hæc, abſolutè eligit periculum vitæ; ſed dubium duntaxat vitæ periculum tanquam minus malum eligit, ad evitandam certam bonorum magni momenti jacturam, quod aliis caſibus licitum eſſe vidimus.

Quæri poſſet, an licitum ſit Duellum, ſi Magiſtratus duobus ad mortem, ob delicta condemnatis, illud eâ lege injungat, ut victor, vitæ gratiam habeat? Resp. Quòd tali caſu unicuique licitum ſit arripere ſpem ſalutis, & alter alterum occidere poſſit. Cùm alteruter in alterum quaſi conſtituatur miniſter juſtitiæ ad exequendam mortis ſententiam, & ſic authoritate publicâ alterum occidat. Equidem, Magiſtratus id jubens, minus rectè Officio ſuo functus videtur, cùm ſatiùs feciſſet (ſi unius ſupplicium ſufficere videbatur) ut ſorte mandâſſet elegi moriturum, quemadmodùm fieri ſolet in *decumatione*, cujus uſus frequens in bello. Ita *Grotius. loc. cit. c.* 15. §. 15. cui contradicit *Zieglerus*, eò quod id videatur involvere quandam Numinis & Divinæ pro-

providentiæ tentationem, cùm ſceleratiores ſæpe evaſiſſe per ſortem, experientiâ conſtet.

Indagari meretur, num omnes pœnæ per Concilium *Tridentinum* & ſupra citatas conſtitutiones Apoſtolicas in Duellantes decretæ, obtineant in Imperio *Romano-Germanico?* Resp. Tametſi jura allegata, *per ſe loquendo*, univerſum ſtringant orbem Chriſtianum; attamen *quò ad pœnas temporales*, puta: perpetuæ infamiæ, confiſcationis bonorum, privationis juriſdictionis *&c.* pleno rigore, non videntur uſu recepta *in Germania* & partibus *ſeptemtrionalibus*; teſtibus *Layman lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 5. *n.* 4. *Pirbing. ad tit. De Clericis pugn. in duel. n.* 3. *König. ad eund. tit. n.* 19. cum *Gobath* & alius, id multiplici experientiâ & praxi probantibus. Vix enim conſtat, quem Duellantium, has ſubiviſſe pœnas. Dixi: *quò ad pœnas temporales*. Siquidem, quò ad pœnas ſpirituales, excommunicationis, privationis ſepulturæ, beneficiorum; item inhabilitatis ad illa; dictas conſtitutiones eſſe receptas, nemo dubitat. Pro complemento & coronide hujus materiæ paucis agendum:

De Diffidatione privata.

77. Diffidatio, *Gallicè*: *defi* Ethymologiam nominis traxiſſe videtur a vetuſto Germanici idiomatis vocabulo: *Febde Befehdung, anfeindung*. Ita, ut diffidare aliquem, idem ſonet, ac provocare aliquem ad certamen. *Gall. Defier quelqu'un, lui donner un defi pour combattre*. Diffidatio igitur eſt: *fidei ſeu amicitiæ renuntiatio & inimicitiæ per quævis hoſtilia denuntiatio, proprià authoritate facta ab iis, qui ſuperiorem in terris habent.*

Diffidatio natales ſuos debet turbulentis Imperii Romano-Germanici temporibus, quêis neglectâ juſtitiæ adminiſtratione, invaluit *jus manuarium. Das Hauſſ-Kolben, oder Fauſt-Recht* Hoc jus injuſtiſſimum jam inde à tempore *Henrici IV.* anno ætatis ſuæ octavo, electi Imperatoris, & ſub factioſo quorundam ſucceſſorum regimine, adeò ſæva nactum eſt incrementa, ut Germania latronum ſpelunca effecta, à præſtantiſſimis Imperatoribus *Rudolpho* 1. *Alberto & Ludovico Bavaro*, ab hoc vitio expurgari nequiverit, adeò, ut *Carolus IV. Imp.* Aureæ Bullæ conditor & Romano-Germanici Imperii ſtabilitor, ſatìs ſe feciſſe arbitratus fuerit, quòd jus illud *manuarium* non nihil reſtrinxerit in ſua Bulla aurea *cap.* 17. ſtatuendo; *quod Diffidatio* ex cauſa *gravi, abſque dolo & fraude fieri debeat, nec intempeſtivè, ſed triduò ante invaſionem, publicè intimetur Diffidando, vel perſonaliter, vel in loco, in quo Diffidandus habitare conſueverat, & ut de intimatione hac, per teſtes idoneos, plena fides & probatio haberetur.* Itaque Diffidatio tempore *Caroli IV.* vel Diffidantis voce, vel litteris Diffidatoriis fieri ſolebat, & varias Diffidationis formulas refert *Lehmannus.* in *Chron. ſpirenſ.* In ipſa Diffidationis intimatione, ſolebant certa ſuſpendi ſigna inimicitiæ oſtenſiva, puta: *ſcopæ, titiones, carbones*; ad ſignificandum, quòd diffidans tantum mali diffidato adferre cogitaret, ut combuſtis ædificiis, cineres ſcopis converri poſſent. Improbum illud jus *manuarium* anſam dedit juri *Ganerbinatûs* ſeu pactis *confraternitatis*, mutuæ ſucceſſionis & defenſſionis, de quibus Publiciſtæ.

Tametſi autem Diffidationum uſus, ſub memoratis modificationibus, jure Cæſareo, tantiſper permiſſus fuerit; nemo tamen prudentûm, abuſum iſtum exitialem probavit unquam, ut meritò *Fridericus III.* hanc peſtem necdum penitus ex-

exterminare valens, eandem tamen temporariâ lege, *decennio* duntaxat duraturâ, *anno* 1486. in Comitiis *Francofurti* celebratis coërcuerit; *Maximilianus* verò *Imus.* in Comitiis *Wormatienſibus*, *anno* 1495. judiciis Imperii meliùs ordinatis, penitus eliminaverit: cujus deinde ſanctioni roboris firmitatem addidêre *Carolus V.* in Comitiis pariter *Wormatiæ* habitis, *anno* 1521. *In der Ordnung des Landt-Friedens. art.* 1. & 2. item in Comitiis *Auguſtæ Vindelicorum* habitis, *anno* 1548. *In den Kayſerlichen Landt-Frieden. art.* 1. 2. & 3. ac *Ferdinandus I. Caroli V.* frater in *Receſſu Imperii.* §. 45. & *ſeq. Auguſtæ Vindel. anno* 1555. in his poſtremis Imperii conſtitutionibus, diffidatores tanquam fractores pacis publicæ, ipsô jure, in *Bannum* incidunt & hoſtes Imperii reputantur, quacunque dignitate fulgeant, ínque eos, pœna *gladii*, decreta fuit, atque his pœnis etiam obnoxii ſunt, complices, concipientes vel ſcribentes litteras Diffidatorias; itidem Magiſtratus, qui recipiunt Diffidatores, prout videre eſt ex *Receſſibus Auguſtanis*, *de anno* 1548. §. 3. & *de anno* 1555. §. 48.

Affatim hactenus actum de homicidio & mutilatione; ſupereſt, ut nunc diſpiciamus, quid, cui, & quantum injuſtus occiſor vel mutilator reſtituere debeat?

78. cùm ex homicidio vel mutilatione duplex naſcatur damnum, alterum *perſonale*, quod eſt ipſius vitæ vel membri amiſſio, alterum *reale* ſeu temporale in bonis fortunæ, quod aut ipſi mutilato vel occiſo, aut aliis ipſi conjunctis exinde conſurgit; hinc duplex quoque homicidæ vel mutilatori incumbit obligatio, una, quâ juſtitiæ *vindicativæ*, pro morte aut mutilatione alterius, etiam præcisè, ùt damnum *naturale* eſt, ſecluſo ſcilicet omni damno temporali inde ſecuto, ſatisfacere tenetur; altera juſtitiæ *commutativæ*, quâ occidens vel mutilans tenetur reſarcire damnum illatum, ſecundùm æqualitatem juſtitiæ, ídque in foro conſcientiæ, ſecluſo omni judicio forenſi & ſententiâ judicis.

Ut autem homicida vel mutilator reſtitutioni obnoxius ſit; neceſsùm eſt, ut peccârit contra juſtitiam. Nulla proinde occiſio vel mutilatio facta ex juſtitia publica, vel in bello juſto, aut ob neceſſariam ſuî defenſionem, ullum reſtitutionis vinculum inducit.

79. Quòd, ſi provocatus ad duellum *ex condicto*, mortem aut vulnus alteri inferat, nihil tenebitur reſtituere. Etſi enim talis cædes ſit quidem injuſta *reſpectu Dei & Reipublicæ*; non tamen reſpectu *occiſi*, qui juri ſuo ceſſit. *Molina Tom.* 3. *diſp.* 82. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 21. Quinimò, ſi duo ſponte conveniant, aut ſe mutuò provocent ad pugnam, niſi occiſus, fuerit deceptus in aliquo; occidens immunis erit à reſtitutione, eò quòd cenſeantur implicitè damna ex alterutrius morte ſecutura, ſibi condonâſſe *Franciſc. Henno. Tract.* 1. *De reſtit Diſp.* 6. *q.* 7. *ſub. fin.* Similis eſt ratio de iis, qui haſtiludio, vel ſimili periculosâ exercitatione congrediuntur. Si enim ſervatis ludi legibus, unus alterum, ſine dolo aut formali intentione occidendi, perimat; nulla eum tenebit obligatio reſtituendi, ex pacto remiſſionis, quod inter ſic ludentes, ſaltem implicitè interceſſiſſe videtur, ut notat *Molina. Diſp.* 36. *n.* 4. ſed hoc de ludo, authoritate publicâ permiſſo (uti ſolet eſſe exercitatio artis gladiatoriæ) intelligendum eſt: aliud enim de ludo prohibito, in quo contra occidentem, pœna homicidii decerni ſolet, teſte *Layman. lib.* 3 *tract.* 3. *p.* 3. *c* 6. *n.* 5.

80. Cæterùm plauſibilior & verior ſententia habet; ante judicis ſententiam, neminem obligari ex juſtitia, ad ullam reſtitu-

ſtitutionem ſeu temporalem ſeu ſpiritualem faciendam proipſo damno naturali ex homicidio, mutilatione aut vulneratione reſultante, prout tradunt & probant Jurisconsultus. *in l. ult De homicidiis. Gloſſ. in cap.* 1. *De injuriis Navarrus cap.* 15. *n.* 22. & *Petrus Navarrus. lib.* 4. *cap.* 1. *De reſtit. n.* 80. *Leſſius. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 23. & 25. *Vaſquez. De reſtit. cap.* 2. §. 3. *dub.* 6. *Layman. cit. cap.* 6. *n.* 2. aliique plurimi ab ipſis allegati. *Ratio* eſt: Quia homo non habet vitæ membrorúmve ſuórum dominium, ſed Deus, conſequenter non homini per reſtitutionem, ſed Deo per pœnitentiam ſatisfaciendum eſt. Dein; quia virtus juſtitiæ *commutativæ* (quæ ſola reſtitutionem præcipit) aſſentialiter reſpicit æqualitatem inter jus & jus, intérque datum & acceptum; hinc, ubi æqualitas inter aliqua jura conſtitui nequit; ceſſat tota obligatio juſtitiæ commutativæ & reſtitutionis. Proinde, cùm ſolùm bona ejuſdem generis & ordinis, *ſecundùm æqualitatem* inter ſe commenſurari poſſint; nemo tenebitur compenſare damnum in uno genere & ordine bonorum, per bona diverſi generis & ordinis, ſeu ſuperioris ſeu inferioris, ſi in eodem genere & ordine bonorum compenſatio fieri nequeat: jam verò evidens eſt, damnum naturale ſeu perſonale hominis occiſi, vel mutilati, non poſſe commenſurari vel compenſari per bonum ejuſdem ordinis, niſi à ſolo Deo, qui occidit & vivere facit. Ergo pro ipſo damno naturali, *ex juſtitia*, non eſt facienda reſtitutio, neque *per bona temporalia*, cùm hæc ſint longè inferioris ordinis, vita enim & membrorum integritas, nullo pretio temporali eſt æſtimabilis, cùm ſit diverſi generis & ordinis, ut meritò Juris-consultus. *l. ult ff. De his qui effuderunt.* dixerit: *in homine libero, nullam corporis æſtimationem fieri poſſe.* Neque *per bona ſpiritualia*, cùm hæc ſint diverſi generis & altioris ordinis. Primum locum enim in ordine bonorum, tenet bonum animæ. *2dum.* bonum vitæ & membrorum *3tium.* bonum famæ & honoris. *4tum.* bona fortunæ temporalia. Fatentur tamen & ſuadent paſſim Doctores, quòd, ſicut judex in foro externo, juſtè imponit mulctam pecuniariam homicidæ vitâ donato, applicandam occiſi hæredibus; ita Confeſſarius in foro conſcientiæ, debeat homicidæ imponere opera ſpiritualia; puta: preces, eleemoſynas *&c.* animæ occiſi applicanda in aliqualem compenſationem, ſive dein ea ſit facienda *ex juſtitia* ſive ſolùm *ex charitate & æquitate naturali.* Ut rectè conſulat *Molina. tract.* 3. *Diſp.* 81. *n* 10. homicidam optimo & ſecuriori modo poſſe mortem occiſi compenſare, impartiendo ipſi, & ejus loco, offerendo Deo tantum de ſuis totius vitæ operibus, meritis & ſatisfactionibus, quantum Deus novit eſſe ſatìs ad æquam compenſationem Nec Obest, quòd non conſtet, utrum ea ſuffragia, defuncto forſitan *damnato*, profutura ſint. Sufficit enim, quòd non conſtet, quòd prodeſſe nequeant. In dubio enim melior debet eſſe conditio innocentis injuriam paſſi; & piè præſumi poteſt [præſertim ſi occiſio non fuerit facta in duello voluntariè ſuſcepto] occiſum in ſtatu gratiæ obiiſſe, adeóque *ad huc purgando* prodeſſe ſuffragia (quidquid obganniant hæretici) aut certè jam *beato* grata eſſe.

81. Licet, ùt dictum pro vita hominis aut membro mutilato vel inhabili reddito, nil ex juſtitia reſtituendum ſit; aliud tamen eſt, ſi de uſu vitæ aut membri, damníſque ex ejus carentia reſultantibus quæſtio ſit. Cùm enim *Exod.* 21. ſtatutum ſit, quòd pro oculo, *ſervo* vel *ancillæ* eruto, Dominus, qui illos luſcos fecit,

fecit, illos liberos facere teneatur. Qua ratione occidens vel mutilans hominem, ac conſequenter privans ipſum jure naturali eidem à Deo conceſſe utendi vitâ & membris ſuis, à reſtitutionis obligatione immunis foret?

81. Itaque veriſſimum eſt, quòd injuſtus occiſor aut mutilator reſarcire debeat omnia omnino damna, quæ mortem præcedunt, imò quæ & ſequuntur. *Ratio prioris* eſt; quòd non ſit juſtum, ut injuſte vulnerans aut mutilans, ſive interim ex vulnere mors ſequatur, ſive non, damnum patiatur propter alterius culpam aut malitiam. Proinde ſolvendæ aut refundendæ ſunt expenſæ factæ pro cibis extraordinariis, pro medico, Chirurgo, Pharmacopola, infirmario *&c.* reſtituendæ inquam ſunt expenſæ curationis rationabiles & moderatæ, ſecundùm conditionem ſtatûs talis hominis læſi, non verò ſuperfluæ & immodicæ. Detrahi tamen debebunt expenſæ, quas alioquin curandus, eo tempore ad ſuî ſuſtentationem facere debuiſſet. Quin imò, ſi moriatur, inter damna homicidii non ſunt computandi ſumptus funebres, qui alias, & aliter morituro, impendi debuiſſent, niſi ratione necis illatæ, v. g. extra patriam, in loco alieno; majores ſumptus fieri oportuiſſet; tunc enim ſolus exceſſus expenſarum refundendus foret, ùt cum communi tradunt *Leſſius. loc. cit. dub.* 24. *Molin. tract.* 3. *diſp.* 83. & *Petrus Navarrus. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 73. contra alterum *Navarrum. cap.* 15. *n.* 22.

82. Damna antecedentia reſtituenda ſunt aut ipſi homini læſo morituro, aut eo mortuo, cuivis ejus hæredi ſive *neceſſario* ſive *non neceſſario* vel extraneo, ſive *ab inteſtato* ſive *ex teſtamento*, eò quòd hæres ſuccedat in omnia jura defuncti, ejúſque perſonam repræſentet. Quòd, ſi nulli adſint hæredes; pro iſtis damnis, congruam reſtitutionem debebit facere pauperibus aut cauſis piis, prout eruitur, ex *cap. Cùm tu. De uſuris*, ubi *Alexander Papa* quidem de reſtituendis uſurariis lucris loquitur, attamen ex communi Doctorum ob identitatem rationis, extenſio fieri debet ad quodvis debitum reſtitutionis *ex delicto* proveniens. *Ratio generalis* eſt. Quia in debitis *ex delicto*, defunctus cenſetur velle, ut non cedant in commodum delinquentium, ſed in uſus pios, ad animæ ſuæ ſalutem, deſtribuantur.

Reſtituenda quoque ſunt lucra ceſſantia vel damna emergentia ex mutilatione vel vulneratione. Sic; ſi opifex vulneratus, ſit ſutor, ſartor *&c.* & pro tempore ad opificium ſuum exercendum inutilis factus ſit; tenetur illi vulnerans reſtituere lucrum operarum, à quibus tanto tempore, pro ſuî & familiæ ſuæ ſuſtentatione, ceſſare debuit. Per *l. ult. ff. De his qui dejecerunt.* Idem eſt de damno emergente. Quod tamen cum grano ſalis capiendum, cunctis nempe cicumſtantiis bene conſideratis & in ſtatera prudentiæ maturè libratis. Nam, cùm lucrum futurum, ſit incertum variiſque periculis expoſitum, non debet lucro *certo*, quaſi jam facto æquiparari, ſed perpendi ſecundùm majoritatem vel minoritatem periculi, & incertitudinis, quò multùm conducere poteſt, ſi attendatur, an occiſus fuerit juvenis, an ſenex; robuſtus, vel infirmus; nobilis, vel plebejus; expertus, vel ignarus; induſtrius & aſſiduus, an piger & ſtupidus? Cùm plus ſperetur a juvene, robuſto, induſtrio, perito, quàm à ſene, infirmo, debili, pigro, ignavo, aut à nobili nihil, aut ferè nihil, lucraturo. Conſiderari etiam meretur, an interfectus non habuerit officium, beneficium, dignitatem, cenſum vitalitium? An ob ingenium, non fue-

Digitized by Google

fuerit ad Magiſtratum Cathedrámve Magiſtralem *&c.* probabiliter promovendus? Deductis tamen, ùt dictum, expenſis, juxta ſtatum & conditionem ipſius. Ubi

Quæri poteſt; an quoque deduci poſſit aliqua æſtimatio laboris & moleſtiæ, quam in operis ſuis, pro lucro reportando, ſubire debuiſſet occiſus vel inutilis factus? Quod non abſque omni ratione *affirmant*, *Molina. De juſtit. tract. 3. diſp. 87. concl. 1.* & *Diana p. 3. tract. 6. reſol. 53.* ſed communiùs alii *negant*, ſubnixi magìs *vulgi* opinioni, quàm ſolidæ rationi. Siquidem *vulgi* perſuaſio eſt, quòd, ſi quis alterum injuſtè impediverit à labore diurno; lucrum ceſſans ei integraliter reſtitui debeat, non detractâ æſtimatione laboris, ne alioquin parum aut nihil reſtituendum ſit, cùm lucrum plerumque labori commenſuretur, imò perſæpe non correſpondeat, præſertim in operis groſſioribus & rudioribus. Quòd ſi quis injuſtè vulnerando, lædendóve, alium perpetuò inhabilem effecerit ad opificium ſuum exercendum: tenebitur ei præbere congruam ſuſtentationem juxta ejus conditionem & ſuam facultatem, ídque vel *ſententiâ judicis*, vel *arbitrio prudentis viri*. Ex dictis.

Resolvunt Theologi 1*mò*. Quòd puellæ aut maſculo, in facie, aut alibi, ex vulnere, deturpato, reſarciendum ſit damnum, quod ex illa deformitate patitur in ordine ad contrahendum alioquin pinguius matrimonium.

Resolvunt 2*dò*. Non referre, quantùm attinet ad reſtitutionis obligationem, *quo modo* quis occiſus vel vulneratus fuerit; an videlicet quis crudeliter, aut proditoriè fuerit interemptus aut vulneratus: ſiquidem *modus* ille planè impertinens eſt ad damnum *reale* ex morte aut vulnere ſubſecutum.

82. Resolvunt 3*tiò*. Cum *Navarro*, *Molina*, *Sanchez*, *Layman* & aliis, quos citat & ſequitur *Tamburinus lib. 6. c. 4. §. 3. n. 14.* in *rigore juris* & *ex natura rei*, homicidâ ultimum ſupplicium paſſo, teneri ejus hæredes, ſatisfacere hæredibus occiſi pro damnis *realibus* ex homicidio ſecutis. *Ratio* eſt; quia per ultimum ſupplicium, ſatiſfit quidem Juſtitiæ *vindicativæ*; ſed non *commutativæ*, quam homicida læſit alterum occidendo. Dixi: *in rigore juris*. Nam in praxi, judex homicidam ad mortem condemnando, videtur & mortem occiſi & damna realia inde illata conſideràſſe, adeoque latâ ſententiâ mortis tanquàm definitivâ totius cauſæ, nullâ factâ mentione compenſationis vel reparationis damnorum, cenſetur unà cum morte, omnem prorſus obligationem *Rei* aboleviſſe, & ſic non tam Reipublicæ, quàm parti læſæ ſatiſfeciſſe. Quod admitti & procedere poteſt, ſi pars læſa non contradicat, nec reſarcitionem damnorum urgeat, aut, ſi hæredes homicidæ, occaſione cædis perpetratæ, non ſint facti ditiores. Alioquin certum eſt, quòd, ſi homicida præterea fuiſſet fur, raptor, ſpoliator aut injuſtus rei alienæ detentor, & ea ratione hæredes diteſcerent, certum inquam eſt, quòd hæredes damnum paſſis, ſatisfacere teneantur, ſive homicida propter iſta inſimul crimina, ad mortem condemnatus fuerit, ſive non.

83. Resolvunt 4*tò*. Eum, cui lethaliter vulneratus ante mortem, injuriam ſibi illatam ſimpliciter remittit, non eſſe exemptum aut liberatum ab onere reſtituendi damna temporalia, niſi aliud diſertè exprimatur. Ita *Sanchez lib. 1. Conſil. cap. 4. dub. 12. Lugo. Diſp. 11. ſect. 3. n. 62.* *Ratio* eſt quia lethaliter vulnerans, duplicem infert injuriam vulnerato, unam *perſonalem*, quæ conſiſtit in contemptu aut deſpectu perſonæ, quæ per dictam re-

remiſſionem cenſetur condonari; alteram *realem*, quæ reſpicit damna ex vulnere ſubſequentia, & hæc injuria non cenſetur remitti, niſi illius mentio fiat. Quinimò, ſi vulneratus dixerit, ſe remittere & injuriam & damnum ſibi illatum; notant Doctores citati, id ſolùm intelligendum eſſe de damno antecedente mortem, non de ſubſequenti. Sed.

Quid, ſi vulneratus condonâſſet percuſſori ante mortem, omne damnum reale, præteritum, præſens & futurum? *Reſp.* Tali caſu, clarum quidem eſſe, quod homicida eiúſque hæredes, liberi ſint ab omni reſtitutione *hæredibus occiſi* facienda; merito tamen dubitari, an moriturus poſſit remittere totum damnum, in præjudicium *hæredum neceſſariorum*; puta: filiorum, parentum, uxoris *&c.* quos alere tenebatur? & dicendum contra *Sanchez*, *Leſſium*, *Bannes*, alióſque, quos citat *Diana. p.* 5. *tract.* 4. *Reſol.* 58. Moriturum non poſſe homicidæ, ſalvâ juſtitiâ, *validè* remittere damna hujuſmodi, ac proinde homicidam non attentâ remiſſione, obligari ad reſtitutionem. *Ratio* eſt; quia licet moriturus poſſit remittere omne damnum *ſibi* illatum, ſeu omne jus *proprium*, omnémque obligationem *ſibi* debitam; non tamen poteſt remittere damnum illatum *aliis*, ſeu jus aliorum ad obligationem ipſis debitam: atqui moriturus ipſe, de jure & æquitate naturali, tenebatur hæredibus neceſſariis indigentibus, ſuſtentationem & vitæ commoditates procurare. Ergo, ſicut Pater, vel vulneratus moriturus, non poteſt remittere homicidæ injuriam *Reipublicæ* illatam, quin adhuc juſtitiâ *vindicativâ* puniri poſſit, ita neque poterit remittere & condonare ipſi damna *hæredibus ſuis neceſſariis* cauſata, quin adhuc ex juſtitia *commutativa*, ipſis damnum reſarcire teneatur. Confer *Tannerum, ad Decalog. Præcept.* 5*tum. q.* 6. *dub.* 4. *Lugo. Diſp.* 11. *ſect.* 3. *n.* 63. Quòd, ſi remiſſio nulla facta, *P. Patritius Sporer. Tract.* 5. in 5*tum. Præcept. Decalogi cap.* 3. §. 4. *n.* 230. cum *Molina. Leſſio*, *Layman. Lugo.* & *Marchantio*, putat ſolis hæredibus proximis occiſi; ſcil. liberis, parentibus & uxori, ita damnum paſſis reſtitutionem eſſe faciendam: iis verò non exſtantibus, homicidam ex hoc capite, nihil teneri reſtituere aliis hæredibus non proximis nec neceſſariis quibuſcunque, etiam fratribus aut ſororibus occiſi. Quod multò magis procedere cenſet, reſpectu aliorum amicorum, clientûm pauperum, aliorúmve, quos occiſus non ex juſtitia, ſed ſolùm ex charitate, alebat. Verùm longè æquius eſt & probabiliùs, quòd damna *realia* occiſum concernentia, reparanda & reſarcienda ſint ipſius hæredibus *quibuſcunque*, ſive proximis & neceſſariis, ſive extraneis & voluntariis, ſive ab inteſtato, ſive per teſtamentum venientibus. *Ratio* eſt; quia omnis hæres univerſalis, ſecundùm leges, repræſentat perſonam defuncti, ſuccedítque in omnia illius jura, jam autem defuncto (ſi eſſet capax in ſe) deberet homicida omnia illa damna reparare. Ergo & hæredibus defuncti vicem, cauſam & perſonam gerentibus. Si.

Dicas cum *Sporer*, *Leſſio* & aliis; ideo tunc reſtitutionem fieri debere parentibus, filiis aut uxori, quia Pater & filius, maritus & uxor reputantur una perſona; ita, ut cenſeatur pater vivere in filio, maritus in uxore & econtra, quod non obtinet in fratre aut ſorore. *Reſp. Cauſalem à Leſſio. lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 26. *n.* 155. allegatam, eſſe *falſam*, cùm fieri debeat præfatorum damnorum reſtitutio ſecundùm juriſperitos; *quia hæres univerſalis*, quantùm ad omnia jura realia, *ſuccedit defuncto*, *ejúſque perſonam repræſentat*.

Nec Obest, quòd defunctus ante mortem,

tem, non videatur habere jus ad illam reſtitutionem, cùm illius obligatio demum ex morte ejus oriatur. Nec id inquam *obeſt*, quia *ſuppoſitum* illud non ſubſiſtit, eò quòd vulneratus ad mortem, eô ipsô quo vulnus eſt *inſanabile*, habeat jus integrum, ut ſibi reparetur omne lucrum ceſſans & ceſſaturum, cùm ex tunc factus ſit incapax ad lucrandum, & deſuper poſſit paciſci ante mortem cum vulnerante, quod abſque jure acquiſito, fieri nequiret.

Circa damnum emergens ratione beneficii, officii, censûs vitalitii, quo lethaliter vulneratus, alioquin probabiliter diu ſupervicturus, brevi privabitur major eſt difficultas, ſed *Reſp.* lethaliter vulneratum, etiam ante obitum, jus quoddam habere, ut ſibi reſarciantur damna certò ſecutura. Nam, ſicut ante obitum, factus eſt *incboatè* impotens ad præfata, ita & jus ſaltem *incboatum* acquiſivit, ut ſibi damna hujuſmodi reſartiantur & ſanè; ſi jus nullum haberet; quomodo illud condonare poſſet? Quod ultrò admittunt oppoſitæ ſententiæ Patroni.

Inſuper, non ſolùm tenetur homicida alere parentes, filios & uxorem occiſi, ſi ſint pauperes, ſed & alios, qui per occiſum ſuſtentabantur: ita, ut his & illis tantùm ſuſtentationis aut ſubſidii conferat, quantùm per necem abſtulit. Atque ita rationabiliùs poſt *Scotum*, tenent *Faber*, *Navarrus*, *Maſtrius*, *Vaſquez*, *Neeſen*, *Henno* & alii. *Ratio* eſt: quia, licet poſteriores [de prioribus enim non eſt dubium] non habeant jus ad alimenta abſolutè loquendo, habent tamen jus, ne *per violentiam* impediantur à conſecutione boni ſui conferendi, ſicque veram injuriam paſſi ſunt, quam conſequenter tenetur reparare occiſor, conformiter illis, quæ Theologi *de impediente alium à conſecutione boni*, ſuo loco tradunt.

Nec valet regerere cum *Patre Sporer*, quòd homicida non adverterit ad illos, nec illis nocere cogitaverit, quos ſuſtentabat occiſus, ac proinde ipſis nullam intulerit injuriam. Resp. enim illum debuiſſe eò dirigere cogitationem ſuam, & per naturam actionis, ipſum ſatis monitum fuiſſe de omnibus damnis ex ea ſequi natis. Et quid, ſi nec occiſor cogitâſſet de iis, quos *ex juſtitia* alere tenebatur occiſus, ánne ideò ipſis non intuliſſet injuriam?

Porrò, veriùs etiam eſt, homicidam teneri ad reſtitutionem damnorum, occiſi creditoribus illatorum, ſi nempe pro ſolvendis debitis nihil ſupereſſet, aut hæredes occiſi nollent illa ſolvere, quæ tamen occiſus ſolvere voluiſſet & potuiſſet, ſi manſiſſet ſuperſtes. *Ratio peremptoria* eſt quòd occiſus arctiori juſtitiæ vinculo obſtrictus ſit *Creditoribus*, quàm *Hæredibus ſuis* etiam *neceſſariis*, cùm his alimenta & hæreditas non præſtentur, niſi deducto ære alieno, Si ergo occiſor compenſare teneatur damnum, quod hæredi neceſſario, occaſione injuſtæ occiſionis, intulit, quantò magìs ſatisfacere tenebitur creditoribus, ſi ob eandem cauſam, debito ſuo privati fuerint.

Confirmatur hæc ratio: Ideo tenetur homicida alere famulum (cui occiſus, ob famulatûs ſalarium non perſolutum, promiſerat ad dies vitæ, alimenta ſuppeditare) quia ad id obligabatur ex juſtitia dominus: atque occiſus ex juſtitia obligabatur ſuis creditoribus. Ergo. Dein; Qui hypothecam deſtruit, creditori tenetur de damno. Ergo *à fortiori*, eidem obſtrictus erit, qui occidit debitorem, qui eſt quodammodo hypotheca vivens. Nec *contra* facit; quòd in foro externo, non detur *actio* creditoribus contra occiſorem. Nam, licet non detur actio *directa* & *immediata* contra occiſorem, quia cre-

creditores primo convenire & excutere debent hæredes occiſi, qui ſupponuntur ex hæreditate ſolvere poſſe; datur tamen actio *mediata*, in caſu, quo hæredes occiſi ſolvere nollent aut non poſſent. Et hoc ipſum eſt, quod dicimus; nempe in defectu hæredum, aut nullâ exſtante hæreditate, quæ adiri poſſit, *ſubſidiariam* dari *actionem* contra occiſorem, cùm hic verè ſit cauſa, cur creditores non reciperent, quod alioquin fuiſſent conſecuturi à debitore, ſi ſuperſtes manſiſſet.

CAPUT X.

IN QUO

Diſcutitur ſextum Decalogi Præceptum,

Non Mœchaberis. *Exod.* 20.

SUMMARIUM.

1 SExto *Decalogi præcepto, nedum* Mœchia, *ſed & omnis vetatur impudicitia.*
2 Caſtitas *quid & quotuplex?*
3 Virginitas *quatenus differat à* Caſtitate?
4 Virginitas *quotuplex*?
5 Fornicatio *definitur.*
6 *Probatur*, Fornicationem *eſſe peccatum* mortale.
7 *Rejicitur Opinio* Caramuelis & Durandi.
8 *Dirimuntur objectiones.*
9 *Hodie, jure* Canonico *corrigente jus* Civile, Fornicatio *non eſt extra pœnam etiam temporalem.*
10 *Quid ſit* Concubinatus?
11 Concubinatus *hodie tam* Civili, *quàm* Canonico *jure probibitus.*
12 *Qualiter à judice, ſignanter Confeſſario examinandi ſint* Fornicarii *aut* Fornicariæ?
13 Meretrix *qualiter differat à* Concubina?
14 *Adulterium deſcribitur.*
15 *Adulterium* ſimplex *quid?*

16

16 *Quid ſit adulterium* duplex ?
17 *Adulterium nedum jure Divino* poſitivo *ſed & naturali probibitum.*
18 Divo P. Auguſtino *authore*, *Adulterium* viri *de ſe gravius eſt adulterio* mulieris.
19 *Licet Adulterium* uxoris, *per accidens & ex conſequenti*, *reddatur gravius.*
20 *Mulier etiam conſentiente marito ſe alteri commiſcens*, *committit Adulterium.*
21 *Occurritur ſcrupulo.*
22 *Coïtus cum ſponſa aliena* de futuro, *non ponit Adulterium.*
23 *Intellectus* l. Si uxor 13. §. Divi. ff. Ad leg. Jul. De adulter.
24 *Pœnæ Laïcorum Adulterantium* de jure Canonico.
25 *Pœnæ Clericorum Adulterantium.*
26 *Quæ de* jure Civili, *in Adulteros*, *ſtatutæ pœnæ ?*
27 *Etſi concubitus* conjugati *cum* ſoluta, *jure Canonico verum ſit Adulterium ; mitiùs tamen punitur*, *quàm Adulterium* duplicatum, *aut quod* ſolutus *committit cum* conjugata.
28 Canonum jure, *Pater aut Maritus impunè non occidit filiam aut uxorem in flagranti Adulterio deprebenſam.*
29 *Ad incurrendas Adulterii pœnas*, *duo copulativè requiruntur*, *ſcilicet:* dolus & copula perfecta.
30 *Quinam admittantur ad Adulterii accuſationem ?*
31 Jure Pontificio, *mulier virum Adulterum etiam* criminaliter *accuſare poteſt*, *id quod & bodie obtinet per* Conſtit. criminalem Caroli V.
32 *Qualis requiratur & ſufficiat probatio ad condemnandum Reum* Adulterii ?
33 *Super quibus examinandi ſint* Adulteri ?
34 *Quis ſit judex competens in cauſa* Adulterii ?
35 *Maritus* Leno, *qualiter puniendus ?*
36 *Maritus quandonam pro* Lenone *babendus ?*
37 *A quo alenda ſit proles adulterina*, *ſi duo*, *eâdem die*, *cum eadem*, Adulterium *commiſerint ?*
38 *Conjux innocens*, *poteſt comparti adulteranti*, *propriâ authoritate*, *denegare debitum conjugale.*
39 *Separatio tamen quò* ad Thorum, *tali caſu*, *poſtulat ſententiam judicis.*
40 *Carnaliter cognoſcens* compartem, *quam ſcit* Adulteram, *nequit ex capite* Adulterii, *ipſi deinceps denegare* debitum.
41 *Adulter*, *factô divortiô*, *tenetur redire ad* innocentem. *id poſtulantem.*
42 *Si conjux ab ante innocens*, *obtentâ* Divortii ſententiâ *pariter laberetur in Adulterium*, *poterit ab altera* parte adultera *ad revertendum compelli.*

43

Digitized by Google

43 Sodomia *aut* Beſtialitas *comparitis, præbet anſam Divortio faciendo.*

44 *Tactus aut oſcula impudica, item* pollutio *aut* copula imperfecta, *non dat conjugi innocenti juſtam Divortii cauſam.*

45 *Non obſtante* l. Conſenſu. 8. §. 3. Cod. De repudiis.

46 *Differentia inter* Adulterium & ſtuprum.

47 Stuprum *propriiſſimè quid ſit & quotuplex?*

48 *Requiſita ad verum* ſtuprum.

49 ſtuprum *rigidè acceptum duplicis peccati malitiam importat.*

50 *Pœna* ſtupri, *de jure* Civili.

51 *Stuprator Laïcus, qualiter ſecundùm* Canones *puniendus?*

52 *Quibus pœnis ſubjaceat ſtuprator Clericus?*

53 *Graviùs puniendus eſt* Tutor *pupillam ſuam ſtuprans.*

54 Commentarienſis *quoque filiam cuſtodiæ ſuæ concreditam vitians, capite plectendus.*

55 *Utrum fœmina à fœmella, aut mas à maſculo virginitatis florem extorquens,* ſtuprum *committat?*

56 Stuprum *rigidiſſimè acceptum ſpecie differt à* ſimplici fornicatione.

57 Inceſtus *quid, & quandònam committatur vel non?*

58 Inceſtus *eſt crimen Adulterio gravius.*

59 *Pœna inceſtuoſorum, de jure* Civili.

60 *Eorundem pœna de jure* Canonico.

61 *Clerici inceſtum committentes, vel Confeſſarii Pœnitentes ſuas ad* venerem *inducentes, qualiter puniendi?*

62 *Conſanguinitas & affinitas quid?*

63 *Gradus conſanguinitatis in* linea recta *ſpecie diſtinguuntur à gradibus* lineæ obliquæ.

64 *In eadem tamen* linea, *differentia graduum non mutat* ſpeciem.

65 *Conſanguinitas* ſpecie *diſcrepat ab affinitate.*

66 *Licet graduum differentia in eadem* linea *non mutet* ſpeciem; *inducit tamen differentiam notabilem.*

67 Sacrilegium *quid ſit?*

68 *Qua pœnâ, de jure* Civili, *plectendus ſit, qui Sanctimonialem violat, aut eam* defacto *in uxorem ducit?*

69 *Pœna in ejuſmodi facinoroſos de jure* Canonum.

70 Sodomia *unde dicta?*

71 *Pœna* Sodomitarum *de jure* Civili.

72 *Abominabile hoc facinus, qualiter* Canonum jure *puniatur?*

73 Raptûs *definitio explicatur.*

74 *Raptores, qualiter legibus puniantur* civilibus?

75 *Pœnæ* Canonum jure, *in raptores tum Laïcos tum Clericos ſtatutæ.*

76 *Pœnæ per Concilium* Tridentinum *in Raptores decretæ.*

77 *Pœn s illas non incurrit fœmina, rapiens adoleſcentem.*
78 *An illas incurrat puella invitis parentibus, in ſui raptum conſentiens?*
79 *Raptus Virginis ſolius libidinis causâ, probabiliùs dirimit nuptias poſtea cum eadem rapta contrahendas.*
80 *Sponſus ſponſam ante nuptias de præſenti contractas, libidinis causâ violenter abducens; aut, ut illam ad Matrimonium de præſenti contrahendum compellat; incidit in pœnas à Concilio* Tridentino *taxatas.*
81 *Quid, ſi quis uxorem tempore primi* bimeſtris *de amplectendo ſtatu Religioſo deliberantem, vi cognoſcat?*
82 *Sponſam, invitis parentibus abducens, non committit raptum, ſi ſponſa conſentiat.*
83 *Bifariàm ſumitur peccatum* contra naturam.
84 Mollities *quid & quàm grande peccatum?*
85 Pollutio venerea *nullo caſu licita.*
86 *Semen tamen corruptum, per medicamenta licitè expellitur.*
86 Beſtialitas *crimen peſſimum.*
88 *Beſtialitatem ſuperat* concubitus cum Dæmone incubo vel ſuccubo.

1 TAmetſi juxta tenorem textûs, ſola Mœchia, ſexto videatur prohiberi Decalogi Præcepto, equidem Deus per illud omnem omnino vetuit impudicitiam, mentis, oris, & corporis; prout nobis declaravit Verbum Divinum *Matth.* 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis; quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.* Si enim Interprete Chriſto, hoc præcepto prohibetur mulieris aſpectus, ad ejus declinans concupiſcentiam, quantò magis verba obſcœna, tactus impudici, oſcula, pollutiones & his pejora, vetita eſſe, intelliguntur. Quorſum alludens *Magnus P. Auguſtinus. q. 71. in Exod.* Sic effatur: *Si furti nomine, bene intelligitur omnis uſurpatio rei alienæ .... profectò & nomine Mœchiæ, omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus, probibitus debet intelligi.*

Septem paſſim aſſignantur luxuriæ ſpecies, videlicet: *Fornicatio, Adulterium, Inceſtus, Sacrilegium, Stuprum, Raptus* & *Peccatum contra naturam.* Priuſquàm de ſingulis ſigillatim agamus; paucula de Caſtitate, iſtis fœdis luxuriæ ſpeciebus oppoſita, prælibabimus.

2. Itaque caſtitas eſt virtus moralis moderans inordinatum appetitum uſúmque venereorum. Caſtitas, ſi ſit *perfecta*, excludere debet omnem cupiditatem uſúmque venereorum perpetuo ac firmo voluntatis propoſito: alioquin, ſi ad certum tempus, quis illicitis abſtinet voluptatibus, vel permiſſis, debito modo, juxta rationis præſcriptum, deliciis fruitur carnalibus; non niſi *ſecundùm quid* caſtus dici poteſt. Unde Theologi Caſtitatem aliam

Digitized by Google

aliam dicunt *Conjugalem*, aliam *Vidualem*, aliam porrò *Virginalem*. *Conjugalis* eſt, quæ in Matrimonio, conceſſis, debito modo juxta rationis dictamen, utitur voluptatibus. *Vidualis* eſt, quæ extincto per mortem alterius Matrimonio, carnalium voluptatum uſu, & appetitu, firmo abſtinet propoſito. *Virginalis*, ſcilicet *Caſtitas perpetua*, continet firmum propoſitum puritatis mente & corpore perpetuò conſervandæ, honeſtatis ſeu virtutis gratiâ; hánceque definit *Divus P. Auguſtinus. lib. de Virginit. cap.* 33. quòd ſit *in carne corruptibili*, *incorruptionis perpetuæ meditatio*. Per Virginitatem *temporalem*, ea intelligitur, quæ ad certum, vel nuptiarum oportunum tempus duntaxat, omnem illicitum carnalium voluptatum uſum excludit.

3. Virginitatem vides differre à Caſtitate per hoc, quòd hæc multò latiùs pateat: ſiquidem *hæc* etiam in conjugatis, corruptis, viduis vel ſolutis pœnitentibus, locum habet; quod ſecus eſt in virginitate, utpote, quæ ſemel corrupta vel amiſſa per lapſum voluntarium, deinceps irrecuperabilis eſt. Cæterùm

4. Virginitas alia eſt *materialis*, alia *formalis*, alia *totalis*. *Materialis* conſiſtit in corporis integritate, licet mens quandoque in luxuriam conſenſerit. *Formalis* conſiſtit in puritate mentis, ſeu propoſiti, licet corpus per vim, aut voluntate renitente, fuerit corruptum. *Totalis* denique conſiſtit in integritate mentis & corporis ſimul. Nunc ſingulas luxuriæ ſpecies diſcutiendo, diſpiciamus primò, quid ſit *Fornicatio*, & num jure naturæ ſit prohibita?

5. *Fornicatio* eſt congreſſus naturalis ſoluti cum ſoluta jam prius deflorata ſeu corrupta. *Naturalis* inquam, ut excludatur congreſſus contra naturam, ſeu in vaſe ad hoc a natura non inſtituto. Dixi etiam: *ſoluti cum ſoluta*. Nam, ſi fiat inter perſonas *conſanguinitatis*, *affinitatis*, *Ordinis*, *Voti vel Matrimonii*, vinculo ligatas; non eſt ſimplex fornicatio, ſed vel *Inceſtus* vel *Sacrilegium* vel *Adulterium*. Porrò per tò: *jam prius deſlorata vel corrupta*: differt à ſtupro propriè dicto. *Arg. can. Lex illa.* 2. *cauſ.* 36. *q.* 1. ibi: *Fornicatio autem, licet videatur eſſe cujuſlibet illiciti coitus &c. tamen ſpecialiter in uſu viduarum, vel meretricum vel concubinarum &c.*

6. Fornicationem eſſe peccatum *mortale*, fides docet ex S. Scriptura *ad Epheſ.* 5. *Omnis fornicator aut immundus ... non habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei.* & *Apocalipſ.* 21. *Fornicatoribus ... pars erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Unde *S. Fulgentius Epiſt.* 1. *cap.* 4. *Fornicatio numquam poteſt eſſe ſine gravi crimine.* ut meritò in *Clementina: Ad noſtrum. De hæretic.* tanquam erronea, damnata ſit hæc propoſitio: *Actus carnalis, cùm ad hoc natura inclinet, peccatum non eſt.* Suffragatur *Ratio*: Siquidem ex fornicatione nata eſt ſequi omiſſio debitæ educationis prolis, prout teſtatur experientia, & quanquàm è millibus unus bene educetur & imbuatur infans ſpurius; equidem id per accidens eſt, nec facit quò minùs fornicatio *de ſe*, ſit nata multa inconvenientia invehere.

7. Licet hoc ita ſit, & fides doceat; quidam tamen adeò aberrârunt, ut aſſeruerint, Fornicationem, ſeclusâ poſitiva Dei prohibitione, non fore peccatum *lethale*: & inter hos numeratur, ex Catholicis, *Caramuel*. Alii cum *Durando* contendunt, Fornicationem non eſſe, niſi *veniale* peccatum. Aſt torrens Theologorum docet, Fornicationem eſſe jure etiam naturali graviter prohibitam, cùm natura abhorreat à concubitu vago tan-

Digitized by Google

quam fini generationis, bono prolis, quin & bono communi, oppoſito. *Fini* quidem *generationis*, cùm ille ſit, proles non tantùm generanda, ſed & decenter educanda ac inſtruenda; id quod ſolet impedire fornicatio, deficiente ſcilicet curâ Patris aut Matris, aut etiam utriuſque. *Bono prolis*; Quia aut ejus conceptio impediri, aut ejus jam natæ, nutritio educatióque debita à parentibus merè naturalibus, ſuſque déque haberi ſolet. *Bono* denique *communi*. Quia ſi vagus permiſſus eſſet concubitus, maxima in genere humano, naſci deberet confuſio, & perturbatio. Hæc ratiocinatio deſumpta eſt ex *D. Thoma*. 2. 2. *q*. 154. *art*. 2. *in corpore*. Porrò, ſi jure naturæ licita, aut ſaltem leviter peccaminoſa foret Fornicatio; Deus illam ſub interminatione Gehennæ non vetuiſſet. Bene igitur *Innocentius XI.* hanc proſcripſit propoſitionem: *Tam clarum videtur, Fornicationem ſecundùm ſe, nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta; ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur*. Confer noſtrum *P. Piette*. *part*. 4. *c*. 5. *q*. 1. §. 1.

8. Si Dicas 1mò. Quòd Deus *Oſeæ* 1. mandaverit Prophetæ, *ut ſibi faceret filios Fornitationis*, adeóque Fornicatio debeat ſaltem eſſe ex *jure naturæ* licita. Resp. Per filios Fornicationis, ibidem intelligi filios illius fœminæ, quæ antea fornicata, ſeu meretrix fuerat, quæque Deo jubente, *Oſeæ* Prophetæ deinde fuerat legitimè copulata. Reſponſio noſtra conformis, eſt menti Divi Patris *Auguſtini*, *qui lib*. 22. *contra Fauſtum cap*. 80. Fauſto Manichæo ex allegato textu argumenti, quòd Deus Oſeæ flagitium præcepiſſet; ſic reſpondet: *Quid adverſum eſt Clementiæ veritatis? Quid inimicum fidei Chriſtianæ, ſi meretrix, relictâ fornicatione in caſtum conjugium commutetur?*

Si Dicas 2dò. Poſſe Fornicarios ita de prolis educatione inter ſe convenire, ut nullum ipſi proli, minus ipſi generi humano, exinde naſcatur incommodum, adeóque tali caſu, Fornicationem non repugnare juri naturæ. *Reſp. Neg. conſeq.* Siquidem non ideò lex naturæ vetat Fornicationem, quòd *ſemper*, aut *actualiter*, noceat proli, vel obſit bono communi; ſed, quia *de ſe* nociva eſt, ſeu nocere nata eſt, licet *per accidens*, oppoſitum evenire poſſit.

Si Dicas 3tiò. Melius fore proli *eſſe* quàm *non eſſe*, adeóque Fornicationem ad prolis generationem ordinatam, non videri de ſe vetitam. Resp. Argumentum *nimium*, adeóque *nihil* probare. Exinde enim evinceretur, licitum quoque eſſe adulterium, inceſtum *&c*. Quanquàm ergo *phyſicè* loquendo meliùs ſit proli *eſſe*, quàm *non eſſe*; non eſt tamen *in genere moris*, parentibus melius, viâ illicitâ vitam *dare* proli, quàm *non dare*. Confer noſtrum *Aurelium Piette loc. cit.* §. 2. *pag*. 319.

9. Cæterùm, licet olim de jure *Civili*, ſimplex fornicatio fuerit extra pœnam. *L. ſi uxor*. 13. §. 2. *Ad leg. Jul de Adulteriis*. & *l. Quæ Adulterium*. 29. *Cod. eod.* Equidem de jure *Canonico*, etiam Laici, arbitrio judicis, ſemper puniti fuêre; id quod moribus hodiernis etiam in foro *Civili*, pro diverſitate perſonarum obſervatur. In Clericos fornicarios, plures ſtatutæ ſunt pœnæ, è quibus judex unam vel alteram, pro arbitratu ſuo, eligere & infligere poteſt, procedendo etiam uſque ad beneficii privationem, præſertim, ſi delictum notorium & ſcandaloſum ſit. Confer *Reiffenſtuel. in lib* 3. *Decretal. tit.* 2. *à n*. 48. junge *Farinacium. De delictis carnis*. *q*. 137. *n* 17.

10. Fornicationi vicinus eſt *Concubinatus*, qui latiùs loquendo, eſt conjunctio maris

maris & fœminæ, inter quos quidem eſt verum Matrimonium *de præſenti*, aſt deſtitutum inſtrumentis dotalibus aliiſque ſolemnitatibus, olim ad legitimas nuptias requiſitis. *Can. Aliter. cauſ.* 3. *q.* 5. Quo ſenſu *Agar*, licet vera fuerit conjunx *Abrahæ*; *concubina* vocatur, eò quòd minori ſolemnitate, quàm principalis uxor, ducta fuerit. Simili etiam ratione, alibi in S. Scriptura *concubinæ* vocantur mulieres, quas ex diſpenſatione Divina, præter principalem uxorem, veteres habebant Patriarchæ, prout bene obſervavit *Divus P. Auguſtinus. lib. De bono conjugii. cap.* 9 13. & 15. Atque in eodem ſenſu, capiendi ſunt textus in *can. His qui.* & *ſeq. cauſ.* 30. *q.* 5. Ubi Chriſtianis uxor vel *concubina*, permiſſa dicitur.

Concubinatus autem *propriè* dictus, eſt continuata Fornicatio cum eadem perſona, ita, ut ſupra Fornicationem, importet ſtatum & perſeverantiam; ſive interim quis fornicariam domî retineat, ſive ad illam, commercii carnalis causâ, ex conſuetudine, foris accedat. Vide *Farinacium. in praxi criminal. q.* 138. *n.* 3. & 12.

11. Olim quoque de jure *Civili*, Concubinatus à pœna immunis erat. *l. in concubinatu.* 3. §. 1. *ff. De Concubinis.* & *l. unic. Cod. eod.* Aſt hodie etiam in foro ſæculari, & quidem graviùs, quàm ſimplex Fornicatio, juxta arbitrium judicis punitur. Confer *Engel. ad tit. De Adulteriis & ſtupro. n.* 22. *Ratio* hujus eſt; quòd perſeverantia in crimine, utique ſit circumſtantia culpam & pœnam aggravans. Cùm *tantò ſint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam. cap. fin. De conſuetud.* Canonum jure, Concubinatus tanquam juri naturali & divino repugnans, ſemper reprobatus & pœnis ſubjectus fuit, tam reſpectu Laïcorum, quàm Clericorum. *Can. Audite,* 6. *Diſt.* 34. *can. Nemo.* 4. & *can. Dicat.* 9. *cauſ.* 32. *q.* 4 qua de re ſignanter attendi meretur noviſſima Concilii *Tridentini* declaratio & ſanctio pœnalis. *ſeſſ.* 24. *De reformat. Matrim. cap.* 8. Accerbiſſimis autem ſub pœnis, Clericis prohibitus eſt Concubinatus, quin & omnis ſuſpecta converſatio cum altero ſexu, de quibus pœnis, ſicut & de modo procedendi contra Clericos concubinarios, aut ſuſpectas mulieres domî retinentes vel frequentantes; prolixè agit *Reiffenſtuel. ad Decret. lib.* 3. *tit.* 2. §. 11. *per tot.*

12. Judex, & præcipuè Confeſſarius, fornicarios & fornicarias examinando, ſciſcitari debet, num ſint conſuetudinarii ſcandaloſi? Num vi, vel fucatis promiſſis, induxerint compartem? Num Matrimonium ſibi invicem promiſerint, vel clandeſtinè contraxerint? Utrum actiones Sodomiticæ, *vel quaſi tales* interceſſerint? An ignominiam vitaturi, conceptionem prolis impediverint, aut abortum ante vel poſt fœtûs animationem procuraverint? An proles illegitimas neglexerint, mori permiſerint, vel expoſuerint &c.

13. A Concubina diſcernenda eſt *Meretrix*, quia hæc pluribus ſe proſtituit, & quæſtum ex concubitu quærit. *Meretrix* enim inquit *Canon.* 16. *diſt.* 34. eſt; *quæ multorum libidini patet*; ſive, ùt loquitur. *Divus P. Auguſtinus*, relatus in *can.* 11. *cauſ.* 32. *q* 4. *Meretrix eſt: cujus publicè venalis eſt turpitudo.* Concubina autem eſt, quæ cum uno tantùm conſuetudinem habet.

14 *Adulterium*, quod ſimplici Fornicatione gravius eſt, definitur: *Thori alieni violatio.* Vide *S. Thomam.* 22. *q.* 154. *art.* 8. Sive, ùt dicitur *can. Lex illa.* 2. *cauſ.* 36. *q.* 1. *Eſt carnalis ad alteram perſonam, vi conjugii non ſuam acceſſio & conjunctio, quâ fides & Thorus conjugalis vio-*

violatur. Hoc modo Adulterium *propriè dictum* deſcribitur : largiùs enim loquendo ; omnis copula extra Matrimonium habita , Adulterium dicitur , *Can. Nemo. 5. cauſ. 32. q. 4.* Ut propterea ibidem , ſicut & in *lege Julia* , Adulterium & ſtuprum promiſcuè ſumantur , & de his , *lib. 5 Decretal. tit. 26.* ſub eadem *rubrica* agatur.

15. Adulterium autem ſtrictè acceptum dividitur in Simplex & Duplex. *Simplex*, ſeu *unilaterale Germanicè : Einfacher Ehebruch.* Eſt, & dicitur non ſolùm , quando ſolutus cum conjugata , ſed etiam, quando conjugatus cum ſoluta , carnaliter commiſcetur. *Can. cùm ergo. can. illæ. cauſ. 32. q. 5.* & *can. Puto. ibid. can. Non Mœchaberis. cauſ. 32. q. 6* Siquidem vir æquè ac mulier , ad fidem conjugalem obſtringitur : *can. Nemo. cit.* Atque in hoc paſſu , à jure Canonico , correctum conſpicitur jus *Civile* , quod cenſuit , Adulterium non eſſe aut ſaltem Adulterii pœnis non ſubjacere copulam conjugati cum ſoluta. *L. inter liberas. 6. §. 1. Ad leg. Jul. De Adulteriis.*

16. Adulterium *duplex* ſeu *bilaterale Germ. Ein doppelter Ehebruch* , eſt quando maritus cum aliena uxore carnaliter commiſcetur , id quod *ſimplici* multò gravius eſt ; quia duo violantur jura : conjugatus enim injuriam facit non tantùm propriæ uxori , ſed etiam marito uxoris illius , quam carnaliter cognoſcit. Idem eſt de conjugata cum alieno marito congrediente.

17. Crimen Adulterii , ſive jus Divinum , ſive humanum , tam Civile quàm Eccleſiaſticum ſpectemus ; ſemper inter atrociſſima ſcelera reputatum fuit, ùt patet *Geneſ. cap. 26.* ubi *Abimelech* Rex *Paleſtinorum* , poſtquàm agnoverat , *Rebeccam* fore uxorem *Iſaaci*, dixit ad *Iſaac*: *Quare impoſuiſti nobis ? Potuit coïre quiſpiam de populo cum uxore tua ? ... Præcepitque omni populo dicens : qui tetigerit hominis hujus uxorem , morte morietur.* Ex quo apparet , ipſos etiam gentiles , qualis erat *Abimelech* , ſolo naturæ lumine , judicâſſe , Adulterium eſſe *grande* peccatum etiam morte puniendum. Ejuſdem criminis enormitatem oſtendit Deus , *Levitici cap. 2.* dicens : *ſi mœchatus quis fuerit cum uxore alterius , & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui , morte moriantur & mœchus & adultera.* Hanc legem rurſus renovavit Deus , *Deuteron. cap. 22. ſi dormiverit vir cum uxore alterius , uterque morietur , id eſt adulter & adultera , & auferes malum de Iſraël.* Unde *Ulpianus JCtus.* gentilis, Adulterium vocat *probrum & opprobrium naturæ. l. 42. ff. De V. S.* dicitque illud *naturâ* turpe eſſe , ut meritò *Conſtantinus Magnus.* in *l. 30. Cod. Ad leg. Jul. de Adulter.* in Mœchos , pœnam gladii decreverit , quam quidem pœnam *Juſtinianus* in *Novella 134. cap. 10.* quò ad viros Adulteros obſervari voluit ; quò ad mulieres autem adulteras , eam eatenus temperando , ut hæc in Monaſterio recludatur, datâ marito poteſtate , illam *intra biennium* , recipiendi.

18. Licet autem écontra jam pridem apud Romanos ob quaſdam rationes politicas & conſequentia aggravantes, ſeveriùs punita fuerint adulteria mulierum , quàm virorum ; atque ideo etiam nonnulli Chriſtianorum cenſuerint , minora eſſe peccata virorum quàm mulierum adulterantium ; ejuſdem tamen criminis, imò majoris culpæ reos judicavit *Divus P. Auguſtinus* eſſe viros adulteros. Audiamus Magnum Doctorem *lib. 2. De adulterinis conjugiis. cap. 8.* ubi adulteros , quoſdam ſic introducit loquentes : *An verò ſexûs noſtri dignitas hanc ſuſtinebit injuriam , ut , cum aliis fœminis præter uxores noſtras , ſi quid admittimus , in luen-*

Digitized by Google

dis pœnis, *mulieribus comparemur*? Quibus reſpondet S. Doctor: *Quaſi non propterea magis debeant illicitas concupiſcentias viriliter frœnare*, *quia viri ſunt*? *quaſi non propterea magis debeant mulieribus ſuis ad virtutis hujus exemplum ſe præbere*, *quia viri ſunt*? *Quaſi non propterea minus debeant laſcivienti carni ſervire*, *quia viri ſunt*? *& tamen indignantur*, *ſi audiant*, *adulteros viros pendere ſimiles adulteris fœminis pœnas*, *cùm tantò graviùs eos puniri oportuerit*, *quantò magis ad eos pertinet*, *& virtute vincere & exemplo regere fœminas.... Sed iſti*, *quibus diſplicet ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma ſervetur*, *& potiùs eligunt*, *maximéque in hac cauſa*, mundi *legibus ſubditi eſſe*, *quàm* Chriſti; *quoniam jura forentia non iiſdem*, *quibus fœminas*, *pudicitiæ nexibus*, *viros videntur obſtringere*. Eodem tenore loquitur *S. Ambroſius. lib.* 1 *De Abraham. cap.* 4. relatus apud *Gratianum. cauſ.* 32. *q.* 4. *can.* 4. ibi: *Nemo blandiatur ſibi de legibus hominum*, *omne ſtuprum Adulterum eſt: nec viro licet*, *quod mulieri non licet: eadem à viro*, *quæ ab uxore*, *debetur caſtimonia*; *quidquid id ea*, *quæ non ſit legitima uxor*, *commiſſum fuerit*, *adulterii crimine damnatur*. & ibidem apud eundem *Gratianum. q.* 5. *can.* 20. *S. Hieronymus* ait: *Apud nos*, *quod non licet fœminis*, *æquè non licet viris*, *& eadem ſervitus*, *pari conditione cenſetur*.

19. Equidem aliunde longè majus peccatum eſſe conjugatæ cum ſoluto, quàm conjugati cum ſoluta, inde evincitur; quia mulier duobus viris adhærens, nonnunquam impedit generationem; quòd ſi non impediat; incertum tamen ſæpe evadit, cujus viri ſit proles, proprii an alieni? idque in damnum infantis, veri parentis curâ deſtituti, ac in detrimentum legitimarum prolium, cum quibus *ſpuria* educabitur & ſuccedet in hæreditate; quæ mala non eveniunt ex copula conjugati cum ſoluta. Et hæc forſan ratio eſt, quare Deus nunquam permiſerit mulierem duobus viris jungi, licet olim permiſerit viro habere plures uxores.

20. Dubitari poſſet, an mulier marito conſentiente, committat adulterium? ſed hoc dubium ſuſtulit *Innocentius XI.* hanc damnans propoſitionem: *Copula cum conjugata*, *conſentiente marito*, *non eſt adulterium*. Et *Ratio* eſt; quia, ſicut maritus non poteſt cedere juri, quod habet uxor in corpus ipſius; ita nec alteri poteſt cedere jus, quod habet in corpus uxoris. Et quanquàm ſcienti & volenti non fiat injuria in iis, quorum quis Dominus eſt non tamen in iis, quorum diſpoſitionem liberam non habet. Prætereà, datò gratis; quòd maritus injuriam non pateretur tali caſu; equidem actio illa nihilominus eſſet *adulterium*; quia fieret injuria *ſtatui* & *juri matrimoniali*, cui non poteſt conjux renuntiare, perinde ac Clericus non poteſt renuntiare *foro Clericali*, ut trahatur ad tribunal laïcale, eò quòd violaretur per hoc, jus Clericali ſtatui annexum.

21. Nec Obstat quòd Divus *P. Auguſtinus*, *lib.* 1. *De Serm. Domini in monte. cap.* 16. dubitaverit de peccato mulieris *Antiochenæ*, quæ conſentiente marito alioquin interficiendo, alterum admiſerat ad carnale commercium: Non inquam Obstat; quia S. Doctor non dubitavit de Adulterio, ſed de malitia *formali* adulterii: num ſcilicet mulier iſta, ob bonam fidem & ſimplicitatem, non fuerit excuſanda à peccato?

22. Quæsitum etiam fuit, an commixtio carnalis viri cum ſponſa aliena, ponat crimen Adulterii? Resp. Commixtionem cum ſponſa aliena *de præſenti*, non item cum ſponſa *de futuro*, conſtituere Adulterii reatum. *Ratio* 1. *p.* eſt; quòd ſpon-

ſponſa *de præſenti*, etiam ante Matrimonii conſummationem, ſit vera uxor, cùm *nuptias non concubitus*, *ſed conſenſus faciat. l. Nuptias.* 30. *ff. De R. J. Ratio* 2. *p.* eſt, quòd Adulterium ſit violatio alieni thori conjugalis; per copulam verò cum aliena ſponſa *de futuro*, non violetur thorus alienus; cùm ante Matrimonium *de præſenti* ſponſus non habeat jus ad thorum ſponſæ. Quò facit juris deciſio: *l. Inter.* 6. §. 1. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Ubi diſertè dicitur: *Propriè, Adulterium in nupta committitur.* Jam autem ſponſa *de futuro*, nupta non eſt. Ergo. Confer *Julium Clarum.* ℣. *Adulterium. n.* 9. *Zoëſium. Ad ff. Ad L. Jul. de Adulter. Covarruviam. part* 1. *De Sponſalib. cap.* 1. *n.* 8. Contra *Gloſſam* in *cap. Quemadmodùm.* 25. *Verb. Sponſam. De jurejurando.*

23. Neque *Contra* urget: *l. Si uxor.* 13. § *Divi. ff. Ad l. Jul. de Adult.* ubi ſic habetur: *Etiam in ſponſo, hoc idem vindicandum, quia nec ſpem Matrimonii violare permittitur.* Resp. enim, verba iſtius legis, eſſe intelligenda de Adulterio non *propriè*, ſed *largè* accepto, ob quod tamen, quia ſponſus, *jus ad rem* habet, datur ipſi contra violatorem ſponſæ *injuriarum actio. l. Etiam.* 15. §. *Sponſam quoque ff. De injuriis.*

24. Adulterium tanquam crimen graviſſimum & peccatum lethale, tam jure divino, quàm humano prohibitum eſſe, jam meminimus, & jure quidem humano Eccleſiaſtico, diverſæ in Adulterantes pœnæ ſunt ſtatutæ, quarum 1*ma* eſt *Excommunicatio* reſpectu Laïcorum in Adulterio perſeverantium. *cap. Intelleximus.* 6. *De Adulteriis & Stupro.* 2*da.* pœna, reſpectu fœminæ adulteræ, eſt *detruſio in arctum monaſterium*, ad agendam ibi pœnitentiam perpetuam, niſi maritus illam intra biennium, recipere voluerit. *cap. Gaudemus.* 19. *De Converſ. Conjug.* junctâ *Novellâ* 134. *cap.* 10. Quæ tamen pœna, hodie non eſt amplius in uſu, & *Antonius Faber.* in *Codice Sabaudiæ. lib.* 9. *tit.* 7. *definitione* 2. dicit: In *Sabaudia*, Adulteros puniri pœnâ juris, expreſsâ in ſupra *cit. Authentica. Sed hodie.* Ubi etiam rectè notat, quòd ſi monaſterium non niſi honeſtis Deóque Sacris Virginibus recipiendis ſit deſtinatum; cogi illud nequeat ad Adulteram recipiendam, niſi ab initio, eum in finem, extructum ſit monaſterium, aut id fieri conſuetum ſit, cujuſmodi monaſteria pleraque *Faber* dicit eſſe in *Italia*, ſed nulla in *Sabaudia.* Hiſce in partibus, unum hujus claſſis, datur *Bruxellis*, & quidem ſatis amplum & famoſum: *Leodii* quoque ſimile exſtat clauſtrum, quod *aux Repentinnes.* vocitatur. Cæteroquin, quia admodùm inconveniens & periculoſum eſt ejuſmodi Adulteras, alióve carnali concubitu corruptas, ad monaſteria aut honeſtarum virginum conſortium admittere, propter periculum infectionis aut ſeductionis; ideo Superiores, etiam intuitu lucri temporalis, in ſimilium perſonarum receptionem facilè conſentire non debent; &, ſi tales receperint; ſollicitè curare debent, ut ipſis de probis Directoribus & Directricibus provideatur. 3*tia.* Pœna *Civilis* nempe & *privata* Adulterii, eſt *Divortium* ſeu ſeparatio *à Thoro & cohabitatione*, manente conjugii vinculo, quod non niſi morte naturali alterutrius Conjugis rumpi poſſe, Catholica veritas docet ùt ſupra *cap.* 2. *n.* 19. oſtendimus. Hac de re latè agit & videri meretur *Anacletus Reiffenſtuel, ad Decretales. lib.* 4. *tit.* 19. *De Divortiis.* §. 3. 4*ta.* Pœna eſt *amiſſio dotis* in Adultera, & *Donationis propter nuptias* in Adultero, de qua pœna pariter ſolidè agit, *Reiffenſtuel. lib.* 4. *tit.* 20. §. 12. *à n.* 95.

25. Clericorum Adulterorum pœna eſt,

Digitized by Google

eſt; quòd ſi quis de hoc crimine confeſſus & convictus fuerit, ab officio & beneficio deponendus eſt, & inſuper in monaſterium, ad agendam pœnitentiam detrudendus. *can. Si quis.* 20. *diſt.* 81. cui conſonat, *can. Romanus.* 11. *ead. diſt.* Quòd ſi verò nec confeſſus nec convictus, ſed tantùm ſuſpectus & diffamatus ſit de Adulterio; *purgatio Canonica* ei indicenda erit, in qua ſi defecerit, ab officio ſuſpendetur. *Arg. cap. Significaſti.* 5. *De Adult. & Stupro.* Confer *Farinacium. in prax crimin. p.* 5. *q.* 40.

26 Jure Civili, olim ſtatuta erat in Adulteros pœna *Deportationis* vel Exilii. *l. Si quis.* 5. *ff. De Quæſtionib* Poſtea verò per *Conſtantinum* in ipſos pœna *gladii* decreta fuit. *l. Quamvis.* 30. §. 1. *Cod. Ad Leg. Jul. de Adult.* quam pœnam in fœminas & viros, ſive *ſimplex*, ſive *duplicatum* verum Adulterium committentes, indiſcriminatim confirmavit *Carolus V. in Conſtit. pœnal. art.* 102. Hodiernâ tamen multorum locorum praxi, pœna mortis, ob Adulterium ſimplex, imò etiam *duplicatum non iteratum*, non amplius infligitur, ſed loco illius, Adulteri, plebejæ præſertim conditionis [nobiles enim & opulenti, extra pœnam & correptionis metum prò dolor paſſim vivunt] primâ vice puniuntur relegatione vel fuſtigatione, aut ſtatione ante foras templi, cum candela accenſa, per aliquot dies feſtivos, quibus major ſit concurſus populi, vel portatione cæreorum, & lapidum per plateas, ùt hîc *Aquiſgrani*; vel demum pœnâ pecuniariâ, aliáve arbitrariâ. Confer *Jul. Clar.* §. *Adulterium. n.* 7. Ubi, ſub finem obſervat, quòd hodiedum Adulteria minùs rigide minúſque debite puniantur.

27. Obſervandum tamen, quòd etſi concubitus Conjugati cum Soluta, verum ſit Adulterium; & in hoc paſſu, à *A Hochkirchen, Ethic. Chriſt. Pars. I.* jure *Canonico* correctum ſit jus *Civile*, prout ſupra tetigimus; equidem hujuſmodi Adulterium hodie adhuc mitiùs puniatur, ex ratione; quòd jure *Civili*, principaliter reſpiciatur ad ſeminum commixtionem & inde pullulantem prolis, ſeu legitimi hæredis incertitudinem, quæ incertitudo non conſurgit, dum conjugatus cum ſoluta congreditur. Cæterùm, quia jus *Canonicum*, in Adulterio, principaliter attendit violationem *Thori* conjugalis & *Fidei* matrimonialis; quæ in conjugato rem carnalem cum ſoluta habente, contingit; ideo horum congreſſum pro vero Adulterio habet & in ſuo foro punit.

28. Olim in pœnam adulterii, poterat jure civili, parens filiam-familias, domî ſuæ vel in domo generi ſui deprehenſam, unà cum adultero impunè occidere, textu expreſſo *in l. Patri.* 20. *ff. Ad leg. Jul. de Adult.* & *l. Nec in ea* 22. *ff. eod.* Poterat quoque Maritus occidere Adulterum, non quidem quemlibet, ſed vilis conditionis, in ipſo actu cum uxore ſua, domî ſuæ deprehenſum. Per *text.* clarum *in l. Maritus.* 24. *& l. ſi Adulterium.* 38. §. 8. *ff. eod. junctâ l.* 4. *C. eod.* cujus utriuſque ratio erat, quia in his caſibus Pater & Maritus, publici miniſtri juſtitiæ conſtituti cenſebantur. Vel potiùs, ùt opinantur Theologi, quia etſi hujuſmodi homicidium non fuerit planè approbatum; tamen à pœnis fuerit immune, intuitu juſti doloris, quo tam Pater, quàm Maritus ad occidendum moti videbantur. Quidquid autem fuerit de jure *Civili*; certum eſt, hodie præfatas leges in tantum *Canonum* jure correctas eſſe, ut Patri aut Marito, in caſibus memoratis, nequaquam liceat in foro *poli* occidere filiam vel mulierem adulteram, aut ipſum adulterum, ſed propterea uterque pœnas veri homicidii, jure ſaltem *Canonico* taxa-

Digitized by Google

taxatas, incurrat. *Can inter.* 6. & *can. ſi quod verius*, 9. *cauſ.* 33. *q.* 2. Ob *rationem*; tum quia æquum non videtur, ut quis non auditus, & antequàm de crimine legitimè conſtet, condemnetur & occidatur, contra *l. fin. C. De maleſic. & Mathemat. l. inauditum. ff. Ad l. Cornel. de Sicariis.* Tum. quia ſemper periclitatur ſalus æterna Reorum in flagranti crimine trucidatorum.

29. Porrò, ut quis Adulterii pœnas, ſive à jure Civili, ſive Canonico, taxatas incurrat; duo *copulative* requiruntur; videlicet: 1*mò*. Dolus ſeu deſtinatum adulterandi propoſitum. 2*dò*. Actualis & perfecta copula cum perſona conjugata.

30. Hìc Quæri poteſt 1*mò*. Quinam admittantur ad Adulterii accuſationem? Resp. Adulterium uxoris ante omnes, etiam ante Patrem, accuſare poteſt Maritus, per textum expreſſum, in *l.* 2. §. *ſi ſimul. ff. Ad l. Jul. de Adult.* niſi (prout dicitur in *l.* 3. *immediatè* ſubſequente) Pater Maritum infamet aut arguat, aut doceat colludere magis cum uxore, quàm ex animo accuſare. Tali enim caſu, Pater præponetur Marito.

Resp. 2*dò*. Poſt Maritum accuſare vel agere nolentem aut ceſſantem, ad accuſandum admittitur Pater Adulteræ. *cit. l.* 2. & 3. Poſt Patrem verò admittuntur reliqui cognati, ſcilicet: Frater, Patruus, avunculus Adulteræ & alii, quos juſtus dolor, præ aliis, ob commiſſum Adulterii crimen, premit. *l. Quamvis.* 30. *C. eod.*

Resp. 3*tiò*. Propinquis negligentibus vel accuſare ceſſantibus, etiam extranei admittunter. *l. ſi Maritus.* 15 §. *lex Julia.* 6. & *l.* 1. *C. Ad leg. Jul. de Adult.* Non quidem jure Mariti, ſed jure extranei; quia Adulterium inter *delicta publica* reputatur. *l.* 1. *ff. De public judic.* & §. *item lex.* 4. *Inſtit. eod.* Dummodò extraneus, mas ſit, & *major* 25. *annis. l. ſi Maritus.* 15. *cit.* §. *lex Julia.*

31. Resp. 4*tò*. Quamvis explorati juris ſit, uxorem poſſe Adulterium viri accuſare *Civiliter* in ordine ad Divortium & acquirendam donationem propter nuptias; equidem de jure *Civili*, mulier virum de Adulterio *criminaliter* accuſare non valet, ſive cum conjugata ſive cum ſoluta, rem habuerit carnalem. *l.* 1. *C. Ad leg. Jul. de Adult.* cujus ratio redditur; quòd uxor, Marito tanquam Capiti, majorem debeat reverentiam & honorem, quàm Maritus uxori; & quòd Adulterium uxoris, propter incertitudinem & ſuppoſitionem prolis, ſemper gravius ſit, acerbiúſque de jure Civili puniatur, quàm Adulterium viri. Non obſtante tamen juris *Civilis* diſpoſitione, *Canonum* jure, uxor etiam *criminaliter* accuſare poteſt Maritum Adulterum. *can. penult. & ult. cauſ.* 32. *q.* 5. *Gloſſa* communiter recepta in *can. ſi quis* 4. *cauſ.* 32. *q.* 1. ibi ad ꝟ. *imparia: Similiter ad imparia non judicantur quò ad debitum reddendum, quò ad Divortium, quò ad accuſationem.* Quam juris Canonici diſpoſitionem amplexus eſt *Carolus V. in Conſtit. pœnal. art.* 120. dando etiam uxori facultatem, maritum adulterum accuſandi *criminaliter*.

32. Quæri poteſt 2*dò*. Qualis requiratur & ſufficiat probatio ad condemnandum Reum Adulterii? Resp. Quamvis alias in criminalibus ad condemnandum Reum, requiratur, ut ſit vel confeſſus vel convictus per probationes luce meridianâ clariores. *can. Judex.* 2. *cauſ.* 2. *q.* 1. & *l fin. C. De probat.* Nihilominus in Adulterio tanta probatio non eſt neceſſaria, ſed illa ſufficit, quæ contra Reum, facit præſumptionem, non quidem qualemcunque, ſed *violentiam* ſeu vehementiſſimè urgentem. *Maſcard. De probationib. concluſ.* 57. *n.* 3. *Menochius. De præ-*

ſump-

ſumptionib. lib. 1. *præſumpt.* 58. *n.* 3. *Ratio* hujus eſt ; quia , cùm Adulterium in occulto , remotis arbitris & teſtibus , ita cautè perpetrari ſoleat , ut per teſtes & documenta probari nequeat ; neceſſariò admitti debent alia probationum adminicula , ne grande hoc crimen , quod ſatis frequenter committitur , maneat impunitum : alia autem adminicula ſuppetere non poſſunt , quàm præſumptiones & conjecturæ per quas proinde Adulterium , ſicut alia delicta *difficilis probationis* , ſufficienter probatum intelligitur *cap.* 2. *&* 12. *De præſumpt.*

Nolim tamen putes , quamcunque ad hoc ſufficere ſuſpicionem aut præſumptionem , quia , ùt dictum ; debet eſſe *violenta* , id eſt talis , quæ efficiat *certitudinem moralem* , ex qua vir prudens vehementer urgeatur ad judicandum, quòd quis reverà Adulterium commiſerit. *Gloſſ. in cap. Maritus.* 4. *De Adulter. & ſtupro.* ℣. *ſuſpicione.* Hujuſmodi ſuſpiciones violentas cumulatim refert. *Maſcardus. De probationib. concl.* 5. *& ſeqq. Menoch. De præſumpt. lib.* 5. *præſump.*41. *Sanchez. De Matrim. lib.* 10. *Diſp.* 30. *n.* 41. *Speculator. De præſumtionib.* §. 2. *n.* 4. Notant tamen paſſim Doctores ; ex ſolis præſumptionibus etiam *vehementibus* , abſque aliis adminiculis , procedi non debere ad infligendam pœnam *ordinariam*, ſed Reum extra ordinem puniri debere. *Menoch. loc. cit. n.* 21. *& ſeqq. Weſenbecius ff. tit. Ad leg. Jul. de Adulter.* Porrò , licet confeſſio *judicialis* plenè probet contra confitentem. *cap. intelleximus.* 6. *De Adult. & ſtupro.* Attamen non probat plenè contra Reum complicem ; quia confeſſio unius, non convincit complicem. *cap. Neſciens. De teſtib.* & *cap.* 1. *De confeſſis.*

33. QUÆRI poteſt 3*tiò*. De quibus Adulteri à judice præſertim *Confeſſario* , ſint interrogandi ? RESP. Primùm interrogandam eſſe Adulteram , an ex Adulterio conceperit , vel ſit gravida ? An abortum procuraverit , vel procurare tentaverit ? An proles Adulterina ſit per Adulterum enutrienda ? An habeat liberos legitimos ? An ex bonis *Paraphernalibus* , aut ſingulari induſtriâ ſuâ , poſſit prolem Adulterinam, ſine legitimorum librorum præjudicio , alere , in Matrimonium elocare , dotare , Opificio applicare *&c.* Dein interrogandus Adulter , utrum per vim mulierem oppreſſerit , quia tunc ſolus obſtringitur ad alendam & ſuſtentandam prolem ; item , ad reſarcienda omnia damna inde ſecuta & ſecutura ? Utrum , & qua ratione providere velit ſpurio ? Utrum dilapidaverit bona uxoris , aut familiæ cum Adultera ? *&c.* Non prætereundam , nec Metaphyſicam noſter Eximius *P. Piette part.* 4. *cap.* 5. *pag.* 331. proponit quæſtionem ; num adulter dubitans , num proles nata , ſit ex ſuo adulterio concepta , teneatur illam alere ? Ubi ſolidè probat : in dubio , potiùs adulterum , quàm maritum innocentem , ad id teneri.

34. QUÆRI poteſt 4*tò*. Quis ſit judex in cauſa Adulterii ?

RESP. 1*mò*. Quando de Adulterio agitur *mere civiliter* ad Divortium ſcilicet , ſeu quò ad ſeparationem , *quò ad Thorum & cohabitationem conjugum* ; tunc ex communi & certa *DD.* ſententia [quæ etiam in *Gallia* & *Brabantia* obſervatur , teſte *Judoco Damboudero , in praxi rerum criminal. cap.* 91. *n.* 17. & *Rouſſellio. lib.* 6. *De juriſd. Pontif. cap.* 4. *n.* 28.] ſolus Eccleſiaſticus , legitimus judex eſt. Vide *Jul. Clarum.* §. *fin. q.* 37. *n.* 3 & *Ratio* eſt ; quia , cùm Matrimonium ſit unum ex ſeptem Sacramentis & res verè ſpiritualis ; de obligatione inde exorta , quo ad thorum & cohabitationem , meritò ſolus judex Eccleſiaſticus cognoſcit. *cap. Decernimus* 2. *De judic. cap. tuam.* 3. *De ordine cognit.*

Digitized by Google

Resp. 2*do*. Si coram judice Eccleſiaſtico, contra Adulterum ex cauſa Divortii agatur; poteſt idem etiam cognoſcere de cauſa incidente, puta: *Dotis*, *Donationis propter nuptias* & *alimentorum:* ex ratione; quòd legitimus judex cognoſcens de cauſa *principali*, poſſit etiam cognoſcere de *acceſſorio* & cauſa in principalem incidente, licet alioquin reſpectu hujus, non ſit judex competens. *l. Quoties*. 3. *Cod. De judiciis. cap. De prudentia*. 3. *De donat. inter vir. & uxor.* Dummodò judex ob cauſæ vel materiæ incidentis qualitatem, non ſit incapax juriſdictionis, prout reſpectu cauſæ ſpiritualis, incapax eſt laïcus. Tunc enim cauſa *incidens*, ad judicem Eccleſiaſticum remitti debet, ſi cauſa *principalis* coram laïco pertractetur. *cit. cap. Tuam.*

Resp. 3*tiò*. Si de Adulterio agatur *criminaliter* ad pœnam ſanguinis; ſolus judex Laïcus, non verò Eccleſiaſticus, legitimè cognoſcet, ſecundùm omnes. *Ratio* eſt; quia judex Eccleſiaſticus cauſam ſanguinis tractare, & de ea ſententiam condemnatoriam ferre non poteſt. Per *text. in cap. Clericis*. 5. & *cap. penult. Ne Clerici vel Monachi &c.*

Resp. 4*tò*. Quando de Adulterio agitur quidem *criminaliter* & ad vindictam publicam, non tamen ad pœnam ſanguinis, ſed ad aliam eâ mitiorem; tunc *mixti fori* eſt, ita ut tam Eccleſiaſticus, quàm Laïcus de eo judicare queat, detúrque locus præventioni, prout teſtatur *Jul. Clarus*. §. *fin. q.* 37. *n.* 3. Vide *Damhouderum loc. cit.* & huc facit *cap. cùm ſit*. 8. *De foro compet.* ubi in ſacrilegos, judici tam Laïco, quàm Eccleſiaſtico juriſdictio datur.

35. Mariti non ſolùm ob propria Adulteria puniendi veniunt, ſed interdum etiam ob Adulteria uxorum. Maritus enim [inquit *Damhouderus. loc. cit. cap.* 92. qui ſciens voléníque diſſimulat & permittit uxorem adulterari; ita, ut nec verbis nec aliâ ratione illi Adulteranti obſiſtat, nec ipſam ab Adulterio retrahat, neque ipſam à ſe dimoveat; ob crimen uxoris ſuæ diſſimulatum, damnandus eſt exilio aut aliâ ſimili pœnâ arbitrariâ. A fortiori, his aut acerbioribus pœnis plectendus eſt Maritus, qui ex uxoris Adulterio, ullum ſibi parat quæſtum aut lucrum: hoc enim faciendo, incidit in crimen *Lenocinii*, quod eſt nefarium illud ſcelus [vide *l.* 2. §. *Lenocinii. ff. Ad leg. Jul. de Adulter.* & *l.* 2. *Cod. eod.*) quo quis ex publicis ſcortationibus, Adulteriis, fornicationibus ſimilibúſque nefariis vitiis carnis, ſibi quæſtum facit non quidem proprio corpore, ſed virgines, mulieres aliáſve Matronas, quæſtûs gratiâ, ad actus venereos pellicens, vel etiam domî alens, & ex meretricio quæſtu vivens. De hoc crimine pleniùs videri poteſt *Damhouderus. in praxi rerum crimin. cap.* 93. ubi oſtendit, hoc crimen etiam Ethnicis fuiſſe deteſtabile, ac atrocibus pœnis ſubjectum; deplorátque illud hodie etiam inter Chriſtianos, juſtô mitiùs puniri.

36. Non tamen ſemper arguendus, aut *Lenocinii* inſimulandus eſt Maritus, qui Adulterium uxoris diſſimulat, aut etiam tegit: dum enim Adulterium uxoris non eſt manifeſtum, ſed ſolùm de eo, in ore vulgi, ob infundatam ſuſpicionem, rumor habetur, quem Maritus ſuâ prudentiâ facilè diſſipare poſſit; tunc ſanè Maritus uxori cohabitans, ob diſſimulatum ejus Adulterium, nequaquam de Lenocinio eſt condemnandus: ſiquidem & hoc ſingulis à naturæ recto dictamine inſitum eſt, ut domeſticos omnes, atque adeò uxoris propriæ vitia tegant, & probitatem tueantur, ſicubi poſſint & valeant. Confer *l.* 17. *Cod. Ad l. Jul. de Adult.*

37. Quæri poteſt 5*tò*. A quo alenda ſit

ſit proles, quando dubitatur de duobus, qui eodem die, cum eadem muliere, copulam carnalem habuerunt, ita, ut dubium ſit, uter ſit parens? Resp. Æquitati & ſanæ rationi magis conſonam eſſe ſententiam, quæ dicit: utrumque ad partem alimentorum, ſicut & damnorum reſarciendorum teneri. Nam in ſimili, dum dubitatur, num res aliqua ſit *Sempronii* vel *Titii*; Scitur tamen, quòd alterutrius ſit; facienda eſt diviſio. Proinde, dum conſtat, unum ex duobus eſſe patrem; dubitatur tamen, an hic vel ille ſit parens; æquitas poſtulat, ut onera & obligationes inter illos dividantur; jus enim naturale habet Spurius (quidquid jus Civile in contrarium ſtatuerit) ut alimenta recipiat à Patre; adeóque in noſtro caſu, debet ab utroque, partem accipere, ne jus illud ipſi reddatur inutile. Vide Patrem *Piette. loc. cit.*

38. Quæri poteſt *6tò*. Num conjux innocens propter Adulterium *Compartis*, poſſit ipſi propriâ authoritate denegare debitum conjugale? Resp. *Affirmativè*. Denegatio enim debiti, privatim fit; nec requirit publicam judicis ſententiam. Et huc facit; quòd denegatio debiti, non ſit propriè pœna, ſed licentia in contractu matrimoniali, conditionatè, jure naturali, *tacitè ſaltem* reſervata & incluſa, ut ſervetur ſcilicet fides ſervanti, frangenti frangatur; niſi inſons nocenti culpam quantum in ſe eſt condonare voluerit.

39. Aliud tamen obtinet in ſeparatione *quò ad habitationem*. Hæc enim cùm ſit actio publica, publicam quoque poſtulat ſententiam, niſi Adulterium aliunde foret publicum & notorium.

40. Quid! ſi poſt Adulterium, innocens nocenti reddiderit debitum? An eo ipſo cenſebitur ipſi reconciliatus? Resp. Si cognitô Adulteriô, eidem ſe carnaliter commiſcuerit, ſciveritque ſibi ob Adulterium, jus competere denegandi debitum; utique cenſetur ſemetipſum eidem reconciliâſſe & offenſam remiſiſſe, quia parum refert, verbô, an factô condonaverit, neque ex capite Adulterii, poterit deinceps denegare debitum. Aliud tamen foret; ſi debitum conjugale reddens, ignoraverit *Compartis* Adulterium; aut non ſciverit, debitum illud evaſiſſe *non debitum*.

41. Quæri poteſt *7mò*. An Adulter factô Divortiô, ad innocentem id poſtulantem redire teneatur? Resp. *Affirmativè*. Cùm enim Divortii ſententia lata ſit in favorem innocentis, non eximitur nocens à poteſtate innocentis, & proin, ſi hic velit cedere juri per ſententiam ſibi quæſito, tenebitur alter redire.

42. Quid! Si conjux innocens, qui ſententiam Divortii pro ſe obtinuerat; poſtea etiam in Adulterium labatur, poterítne etiam ad redeundum, ab altera parte compelli? Resp. Ita velle Doctorem *Seraphicum*, ex ratione; quòd, cum ſententia feratur in favorem innocentis *ùt innocentis*; cenſeatur ferri conditionatè; ſi nempe perſeveret innocens. *Ratio rationis* eſt: quòd in Adulteriis, mutua delicta compenſentur.

Quæri denique poteſt *8vò*. An alia peccata luxuriæ ſint cauſa ſufficiens faciendi Divortii?

43 Resp. *1mo*. Parti innocenti licet Divortium facere non tantùm propter alterius naturale Adulterium, ſed etiam propter copulam *ſodomiticam* aut *beſtialem*, ſive *activam*, ſive *paſſivam*. Ita *Sanchez. lib.* 1. *diſp.* 4. *n.* 3. *Covarruvias. De Sponſalib. p.* 2. *cap* 7. §. 5. *n.* 8. *Pirhing* & DD. communiter *ad tit. De Divortiis*. *Ratio* eſt, quia per talem copulam, caro ſive *agentis*, ſive *patientis*, dividitur in aliam contra inſtitutionem matrimonii & fidem conjugalem, exigentem,,

Digitized by Google

tem, ut ſint duo in carne una Idem eſt judicium de beſtialitate: quia quantum ad præſens, non refert; num caro dividatur cum animali ejuſdem vel diverſæ ſpeciei.

44. Resp. 2*do*. Tactus, oſcula, & à fortiori peccata merè interna, non ſunt cauſa ſufficiens faciendi divortii. *Ratio* eſt: quia per ejuſmodi actus, non fit carnis in aliam diviſio, quod eſt fundamentum Divortii. Idem eſt de pollutione etiam cum tertia perſona. Idem rurſus eſt, de copula, ſine ſeminis intra vas effuſione. Licet enim conjux per ſeminis perditionem in primo caſu, lædat Matrimonium & compartem, & ideo fortè graviùs peccet, quam adulterando; non tamen dividit carnem ſuam in aliam per concubitum, quod leges requirunt. In 2*do*. autem caſu, tentat quidem dividere, ſed non dividit. Quo facit, quòd in odioſis, qualis eſt materia Divortii, non laxè, ſed ſtrictè, leges interpretari oporteat. Confer *Sanchez. loc. cit. n.* 9. 10. *&* 11. *Covarruviam. loc. cit.* §. 6. *n.* 3. *Layman. lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 3. *cap.* 7. *n.* 7.

45. Nec contra faciunt: *l. conſenſu*. 8. §. 3. *C. De repudiis*. & aliæ leges Civiles, quæ non tantùm ob actuale Adulterium, ſed etiam ob tales actus, ex quibus fundata conſurgit Adulterii ſuſpicio, permittunt repudium uxoris. Resp. enim, quòd cauſa matrimonialis ſecundùm Evangelicas & Canonicas leges, non verò Civiles, dijudicari debeat. Quocirca; licet de jure Civili, plures numerentur Divortii cauſæ, quàm de jure Canonico, ùt patet, ex *Tit. ff. & Cod. De Divortiis & Repudiis*, Non tamen jure Civili, ſed Canonico, in hoc paſſu, utimur.

46. Tametſi Adulterium & Stuprum ſubinde pro eodem ſumantur, & tam in jure Civili quàm Canonico, ſub eadem *rubrica* agatur, *de Adulteriis & Stupro*; attamen Adulterium, in *nuptam* Stuprum verò propriiſſimè in *Virginem*, & latiùs in *Viduam* committitur. *l.* 6. §. 1. *ff. ad l. Jul. de Adult.* & *l.* 34. §. 1. *ff. Eod.*

47. Theologi rigidiſſimè Stuprum accipientes, illud definiunt: quod ſit virginis nondum corruptæ, illicita defloratio ſeu corruptio. *Arg. can. Lex illa.* 2. §. *Cum ergo. cauſ.* 36. *q.* 1.

Stuprum hoc modo acceptum, aliud eſt *violentum*, aliud *non violentum*. *Primum* eſt quo virgo invita, per vim opprimitur & defloratur. *Non violentum* eſt, quo virgo volens aut conſentiens illicitè defloratur, & hoc non diſtinguitur à ſimplici fornicatione, Neque in hoc aſſentior ſcrupuloſiori ſententiæ *Sylvii* quam adoptat noſter Eximius *Piette. loc. cit. quæſt.* 2. Aliud eſt de Stupro violento, de quo infra *n.* 56.

48. Ut Stuprum in ſenſu Theologico committatur requiritur & ſufficit, ut virgo vel 1*mo*. per vim ſit deflorata; aut 2*do*. Per metum cadentem in conſtantem puellam. vel 3*tio*. Per fraudulentas Matrimonii aut magnæ dotis promiſſiones. vel 4*to*. Per metum reverentialem; puta: ſi Stuprator ſit ſuperior, aut Dominus Virginis. aut denique 5*to*. Per importuniſſimas preces & ſollicitationes ſæpius repetitas. Quia illæ in hominum opinione, ferè æquivalent coactioni.

49. Hîc Notandum; quòd ſi per dolum & fraudem, vel per vim aut metum injuſtè incuſſum, ſit Stuprum illatum; tunc præter malitiam caſtitati oppoſitam, contineat etiam injuſtitiæ malitiam; illud verò, quod in virginem ſine dolo & fraude, liberè conſentientem, committitur; ſoli caſtitati, non juſtitiæ, adverſetur; adeóque unicum tantùm & ſimplex peccatum contineat, prout cum *Sanchez. lib.* 7. *De Matrim. diſp.* 14 *à n.* 3. & *Leſſio. lib.* 2. *De J. & J. cap.* 10. *dub.*

Digitized by Google

dub. 1. communiter obſervant Theologi.

50. De jure Civili, ſi quis vilioris conditionis exiſtens, Stuprum ſine vi & dolo committat, cum fuſtigatione relegatur: Stuprator verò melioris conditionis, publicatione dimidiæ partis bonorum, punitur. §. *Item lex.* 4. *Inſt. De publicis judic.* Stuprum autem *violentum*, non tantùm Virginis, ſed etiam honeſtæ viduæ aut maritatæ, pœna capitis plectitur. Vide *Jul. Clarum.* §. *Stuprum. n.* 3. *ſub fin. Farinacium.* in *prax. crimin. q.* 147. *n.* 6. & *Conſtitutionem Criminalem. Caroli V. art.* 119. Ubi Stuprator *violentus* pœnæ capitis ſubjicitur, ſi Stuprata fuerit: *Ein Unverlaimbte Ehfrau, Wittib, oder Jung Frau.* Id eſt: bonæ famæ conjugata, vidua, vel virgo. Ex quo Doctores inferunt; Stuprum non committi, nec propterea recenſitas pœnas incurri, ſi meretrix per vim opprimatur.

51. Canonum jure, pœna Stupratoris *laïci* eſt; quòd debeat dotare vel ducere Stupratam, & inſuper alimentare prolem inde ſecutam. Ubi tamen diſcrimen faciendum eſt; an, cum, vel ſine Matrimonii promiſſione, Stuprum contigerit? licet enim lege *Moſaicâ* relatâ in *cap.* 1. *De Adult. & Stupro.* Stuprator ad duo præſtanda, ſcilicet ad dotandam & ducendam Virginem ſtupratam obligari videatur, conſuetudo tamen *alternativam* induxit, relinquens Stupratori electionem (ſi ſcil. matrimonium non promiſerit) an dotare vel ducere velit? uti poſt *Julium Clarum*, notat *Zypæus. Conſil.* 4. *De Adulteriis & Stupro.* & prolixiùs deducit *Reiffenſtuel. ad Decretales. lib.* 4. *tit.* 1. §. 4. *à n.* 70.

52. *Clericus*, Stuprator præter dotationem ſtupratæ præſtandam, jubetur deponi. *Arg. can. Presbyter aut Diaconus.* 12. & *can. Si quis Epiſcopus.* 13. *diſt.* 81. Confer *Jul. Clarum.* ℣. *Adulterium. n.* 3. *Farinac. prax. crimin. q.* 147. *n.* 62. *Menochius* tamen *De arbitr. judic. caſ.* 288. *n.* 6. *Vallenſis. ad tit. De Adult. & Stupr.* §. 2. *n.* 2. & alii, putant; pœnam Stupratoris *Clerici*, eſſe arbitrariam; ita, ut quandóque pœna pecuniariâ vel carceris, ſuſpenſionis, depoſitionis vel privationis beneficii, puniri poſſit; prout circumſtantiæ perſonarum & delicti, ſuaſerint; ita tamen, ut ſemper etiam præſtetur dos puellæ vitiatæ. Quòd ſi tamen Clericus per vim ſtupraverit virginem; præter præfatas pœnas, ad carceres perpetuos, qui ſuccedunt in locum pœnæ mortis in *Laicos* ſtatutæ, condemnari deberet.

53. De pœnis in *Laicos* ſtatutis, dictum; ſi tamen *Tutor* pupillam ſuæ curæ commiſſam ſtupraverit, graviùs punitur, per *l. unic. C. Si quis eam cujus Tutor fuerit, corruperit:* " Creſcit enim crimen, propter perfidiam violantis eam, quàm à corruptela immunem ultrò præſtare debebat; cùm Tutor non tantùm Patrimonio, ſed moribus regendis præponatur, ait *Tuldenus: ad cit. tit. Codicis.*

54. Similiter tradit ex Joanne *Fabro*, *Tuldenus ad tit. Codicis: De mulieribus, quæ ſe propriis ſervis junxerunt. Commentarienſem*, qui filiam cuſtodiæ ſuæ creditam vitiaverit, quamvis conſentientem; capite plectendum, eò quòd capta, fidei cuſtodis credita fuerit, & quòd hic impreſſione poteſtatis, facilè conſenſum expreſſerit: imò quòd illa commercio libidinis facilè corruperit corruptoris ſui fidem ad laxandam effugio cuſtodiam.

55. *Dictum ſupra*; ſtuprum committi in *virginem*; ſed nunquid etiam nomine virginis poteſt venire *maſculus*? *Reſp.* Propriè loquendo, ſtuprum habere locum in virginis, non maſculi corruptione; eò quòd hic per copulam non perdat ſignaculum aliquod naturale, ſicut puella.

Equidem, quaſi ſtuprum patrant mulieres,

Digitized by Google

lieres, quæ per vim, metum gravem, dolos, fraudes, lenocinia aut munuſcula, ab adoleſcentibus, virginitatis florem extorquent. Non abſimilis criminis, rei ſunt ludimagiſtri, aut alii Nebulones, qui adoleſcentes adhuc virgines polluunt, aut etiam ad pollutionem, ſub prætextu rei indifferentis aut licitæ pelliciunt. Item eſt de nefandis mulieribus, quæ digitis aut inſtrumentis ad id aptatis, carnalem copulam imitantur, ſícque in puella clauſtrum violant virginale. Ex his.

56. Inferes: Stuprum ridigiſſimè acceptum, ſcilicet pro violenta virginis defloratione, *ſpecie* diſtingui à ſimplici fornicatione. Stuprator enim ultra fornicationem, gravem infert virgini injuriam, cùm illam privet ſignaculi virginalis integritate, quæ ſummæ eſt apud homines æſtimationis, in ordine ad ſtatum, ſive conjugalem, ſive ſanctimonialem, amplectendum. Nunc de inceſtu.

57. *Inceſtus* eſt copula carnalis inter perſonas conſanguineas vel affines, in iis gradibus, in quibus jure Divino vel Humano, nequeunt nuptias contrahere. *can. lex. illa.* 2. §. *cùm ergo. cauſ.* 36. *q.* 1. Ex quo.

Resultat 1*mò*. Inter aſcendentes & deſcendentes in linea *recta*, in infinitum, id eſt, *quoſcunque*, ex copula carnali, patrari inceſtum; inter collaterales autem conſanguineos, uſque ad 4*tum* gradum: ſimiliter inter affines ex copula *licita* ſeu Matrimoniali, uſque ad 4*tum*. gradum: inter affines verò ex copula *illicita*, uſque ad 2*dum* gradum incluſivè. *Ratio* eſt: quia inter hos ſolummodò, non autem inter remotiores conſanguineos vel affines verſatur impedimentum Matrimonii, prout Theologi ſuo loco, & Canoniſtæ tradunt, ad *lib.* 4. *Decretal.*

Resutat 2*dò*. Non committi inceſtum 1*mò*. Ab eo, qui peccat cum conſanguinea collaterali, vel affine conjugis ſuæ, in 5*tò*. gradu. 2*dò*. Nec ab eo, qui fornicatur cum duabus inter ſe conſanguineis in tertio gradu. 3*tiò*. Neque ab eo, qui peccat cum cognata *Legali* vel *ſpirituali*; quia inter ſolos conſanguineos vel affines, non item conjunctos ex *Adoptione* aut *ſuſceptione* ſeu *levatione* [id eſt patrinitate] in ſacramento Baptiſmi vel Confirmationis, inceſtus propriè dictus naſcitur, prout contra *P. Franciſcum Henno* & ſcrupuloſiores Caſuiſtas, tradunt *Jul. Clarus.* §. *inceſtus. n.* 4. *Farinacius prax. crimin. q.* 149 *n.* 50. Argumentô bene deductô ex *cit. can. lex illa.* Ubi ſic habetur: *inceſtuoſi dicuntur, qui conſanguineis & affinibus abutuntur.*

58. Inceſtum eſſe Adulterio gravius, & peccatum enormiſſimum, conſtat ex S. Scriptura: *Levit. cap.* 2. & 1 *ad Corinth.* 5. ubi Apoſtolus inceſtuoſum *Corinthium*, in deteſtationem hujus criminis, quò ad corpus, tradidit Sathanæ, ut Spiritum ejus ſalvaret. Junge *can. Adulterii.* 11. *cauſ.* 32. *q.* 7. & *l. Adulterium.* 38. §. 3. *ff. Ad leg. Jul. de Aduter. Ratio* eſt: quia actus carnales, utpote fœdi & turpes, graviter adverſantur pudori, honori, reverentiæ & pietati, quam ſibi invicem debent conſanguinei & affines. Sanè inter aſcendentes & deſcendentes, tantoperè natura abhorret à coïtu, ut teſte *Plinio. Hiſtor. natur. lib.* 8. *cap.* 42. bruta animalia illum averſentur. Et *Ariſtoteles. lib* 9. *Hiſtor. animal cap.* 47. narrat, à Camelo [qui ex induſtria Camelarii, cum matre ſua congreſſus fuerat] interfectum fuiſſe deceptorem, ſimiliter, equum ſe præcipitâſſe ex alto, poſtquàm adverterat, ſe cum matre ſua coïviſſe Confer *Grotium De J. B. & P. lib.* 2. *cap.* 5. §. 12. *n.* 5 & quæ hac de re tradimus *lib.* 2. *cap.* 2 *n.* 31. & *ſeq.*

59. Quanquàm de jure *Civili*, pro inceſtu *ſimplici*, abſque nuptiis in gradu pro-

Digitized by Google

prohibito contractis, ultra Adulterii pœnam, alia non legatur ſtatuta; ſed judicis arbitrio, pro varietate circumſtantiarum, relinquatur, maximè, ſi inceſtus committatur inter conſanguineos vel affines, qui ſolo *jure humano* prohibentur nuptias contrahere, prout poſt *Zoëſium. ff. Ad cit. l. Jul. de Adulter.* advertit *Pirhing. ad tit. De Adulter. & ſtupr. n. 65.* Nihilominus in *foro ſæculari*, inceſtuoſi, abſque nuptiarum initarum attentato contractu, mortis luunt pœnam, in ſequentibus caſibus **1mò.** : Si committatur inceſtus inter aſcendentes & deſcendentes, quorum coïtus paſſim in utroque jure vocatur *nefarius.* Vide *Farinacium. loc. cit. n.* 14. & 16. **2dò.** Si committatur inter Collaterales *primi gradûs*, puta : fratrem & ſororem. Vide *Menochium. De arbitr. judic. caſ.* 501. *n.* 314. In quibuſdam tamen Provinciis, hujuſmodi criminoſi, virgis tantùm cæſi, perpetuâ relegatione puniuntur, teſte *Carpzovio. pract. crim. q* 73. *à n.* 11. **3tiò.** Si inceſtus quoque adjunctam habeat Adulterii malitiam; puta : ſi conjugatus cum conſanguinea congrediatur. Confer *Jul. Clarum. §. inceſtus. n. 2. & Haunoldum. De J. & J. Tom. 6. tract. 2. n.* 345.

Inceſtuoſi cum Matrimonio, id eſt; in inceſtuoſo connubio viventes, pœnas incurrunt ſtatutas, per *Authent. inceſtas. C. ad leg Jul. De inceſtis nupt.* ibi : *inceſtas nuptias contrahentis pœna eſt confiſcatio bonorum tam cæterorum quàm dotis : Exilium etiam & cinguli (ſi quo utitur) ſpoliatio, verberatio quoque, ſi vilis eſt : fœminâ quoque talia ſcienter peccante, ſimili pœnâ ſubjuganda &c.*

60. De jure *Canonico*, Laïci inceſtum *ſimplicem* ſine Matrimonio committentes, excommunicari jubentur. *Can. De iis. cauſ.* 35. *q.* 2. inſuper conjux inceſtum committens cum conſanguinea conjugis, privatur jure petendi debitum conjugale *cap.* 1. & *cap. Tranſmiſſa. De eo qui cognovit conſanguineam uxoris &c.* Quinimò poſt mortem conjugis, prohibetur ulteriùs nubere. *cit. cap.* 1. Hæc tamen ultima pœna contrariâ conſuetudine abrogata videtur. Si verò inceſtus contractis inceſtuoſis nuptiis patretur, inceſtuoſi conjuges ſunt ipsô factô excommunicati. *Clement. unic. De Conſanguinit. & Affinit.* Neque poſſunt amplius cum alia perſona licitè nuptias contrahere, niſi probaverint, ſe juſtè ignorâſſe impedimentum Conſanguinitatis vel Affinitatis priores nuptias dirimens. *can. Si propinquum.* 4. *cauſ.* 35. *q.* 2.

61. *Clericus* inceſtum committens deponitur & beneficio privatur. Vide *Pirhing. ad tit. De Adulteriis & Stupro n.* 66. Argumentô *can. Si quis. & ſeq. diſt.* 81. Ubi Clericus Adulterium committens, deponi jubetur, ut idem à fortiori dicendum ſit de eo, qui commiſit inceſtum, qui Adulterio utique gravius eſt crimen. *Can. Si Adulter.* 11. *cauſ.* 32. *q.* 7. Licet autem Confeſſarius cum pœnitente ſua nullam contrahat cognationem ſpiritualem; cùm nullibi hoc ſit ſcriptum, nec jus Naturæ id dictet; equidem pœnitentem ſuam carnaliter cognoſcens, graviùs peccat & deponendus eſt. *can. Si quis.* 9. *cauſ.* 30. *q.* 1. Imò hæc circumſtantia *Confeſſarii*, non ſolùm peccatum notabiliter aggravat, ſed ſpeciem mutat, ſi Confeſſarius ſit Parochus; quia is tenetur ex officio, adeóque ex juſtitia, ovibus ſuis exemplo prælucere. Et, licet etiam inceſtum non committat Confeſſarius, committit tamen grave Sacrilegium, Si Sacramento abutatur ad ſollicitandam pœnitentem intuitu Confeſſionis.

Peti hìc poſſet, An gradus conſanguinitatis & Affinitatis ſint ejuſdem ſpeciei? Ante Reſponſionem.

62. Nota 1mo. Conſanguinitatem eſſe vinculum ſeu propinquitatem perſonarum ab eodem ſtipite per carnalem propagationem deſcendentium; ſive interim deſcendant per lineam *rectam*, ùt filius à patre; ſive per lineam *collateralem*, ùt duo nepotes ab Avo.

Nota 2do. Affinitatem eſſe propinquitatem perſonarum ortam ex carnali copula duorum, ratione cujus, omnes conſanguinei unius, fiunt Affines alterius, in eodem gradu, in quo *Comparti* ſcil. conjugi, ſunt Conſanguinei. His prænotatis

63. Resp. 1mò. Gradus Conſanguinitatis in linea *recta*, *ſpecie* diſtinguuntur à gradibus conſanguinitatis lineæ *obliquæ*, ſeu *collateralis*. *Ratio* eſt; Quia inter aſcendentes & deſcendentes, ſemper adeſt reſpectus *parentelæ*, & enormitas maxima relucet in coïtu Patris cum filia, aut aſcendentis cum deſcendente. Quod idem non eſt in iis, qui in linea collaterali conjuncti ſunt.

64. Resp. 2do. Gradus in linea *recta*, idem eſt de gradibus lineæ *tranſverſæ*, non diſtinguuntur *ſpecie*. Illa enim non differunt *ſpecie*, quæ tantum differunt ſecundùm *majus* & *minus*. ùt patet in furto: jam autem non aliter differunt gradus conſanguinitatis inter ſe, cùm præcisè in hoc differant, quòd perſonis magis aut minus propinquis major vel minor debeatur reverentia vel pietas, cujus violatio majorem vel minorem inducit culpam atque indecentiam. Idem eſt de gradibus Affinitatis inter ſe.

65. Resp. 3tiò. Conſanguinitas lineæ ſive *rectæ* ſive *obliquæ*, *ſpecie* diſtinguitur ab Affinitate. *Ratio* eſt: Quia affines nec à ſe invicem, nec à communi, propinquo ſcilicet ſtipite, ſanguinem trahunt, ac proinde longè aliter conjuncti ſunt, quàm conſanguinei, quos natura per ſanguinem conjunxit.

66. Porrò, licet graduum diverſitas non inducat malitiam *ſpecie* diſtinctam; inducit tamen circumſtantiam notabiliter aggravantem: & ideo haud integrè confiteretur, qui ſimpliciter diceret, ſe commiſiſſe inceſtum; ſiquidem exprimere deberet, an cum matre vel noverca? an cum ſorore vel matertera? an cum cognota *germana*, vel alia remotiore, carnale commercium habuerit?

De Sacrilegio affatim dictum *ſupra. cap. 5. n. 33. & ſeq.*

67. Ubi primum Decalogi Præceptum ponderavimus. Hîc ſolùm notandum reſtat: quòd pro foro interno, omnis coïtus cum perſona Deo dicata per continentiæ votum, ſive *ſimplex*, ſive *ſolemne*, Profeſſioni Religioſæ, aut ordini Sacro annexum; ſit *Sacrilegium*; adeò, ut non tantùm Clericus vel Religioſus, ſed etiam Laïcus voto ſimplici caſtitatis obſtrictus carnaliter peccans, ſit *Sacrilegus*, licet in foro externo, & in ordine ad pœnas juris poſitivi incurrendas, ſolus ille cenſeatur Sacrilegium perpetrâſſe, qui copulam carnalem habuit cum *Moniali Profeſsâ*, Teſte *Pirbing loc. cit. n. 66.* Vide *Farinacium. pract. crimin. q. 146. n. 5.* ubi citat alios.

68. De jure *Civili*, ſi quis Sacrilegium cum *Moniali* commiſerit, vel Matrimonium cum ea contrahere attentaverit, mortis ſupplicio punitur, & bona delinquentis jubentur applicari Monaſterio, in quo Monialis degebat. *Novell. 123. cap. 43.* & *l. ſi quis. 5. De Epiſcop. & Clericis.* Quibus conſonat *Canon. ſi quis rapuerit. 36. cauſ. 27. q. 1.* & *can. ſi quis non dicat. 3. cauſ. 36. q. 2.* Confer *Menochium. De arbitr. judic. caſ. 389. n. 27. & Barboſam in cap. ſicut. 2. De privilegiis. n. 3.* Obſervat tamen *Farinacius. loc. cit. n. 11.* quòd etſi is, qui ſacrilegium cum Moniali commiſit, etiam hodie pœnam capitis

pitis

Digitized by Google

pitis lucat; equidem bona illius non Monaſterio Monialis, ſed delinquentis hæredibus relinqui ſoleant, per *Authent. Bona damnatorum. C. De bonis proſcriptorum. Excipe* niſi raptus aut violentia in Monialem interveniſſet.

69. Ex juris Canonici diſpoſitione, *Laïcus* Monialem violans, excommunicatur; *Clericus* verò non ſolùm beneficio privatur, ſed etiam ab ordine depoſitus, in Monaſterium ad agendam inibi pœnitentiam detrudi mandatur. *can. ſi quis Epiſcopus.* 6. & *can. ſi quæ Monacharum.* 28. *cauſ.* 27. *q.* 1. Monialis porrò, que in illud ſcelus liberè conſenſit, ad agendam pœnitentiam in arctius Monaſterium detrudenda eſt. *cit. can. ſi quæ Monacharum.* & *can. ſi quis rapuerit.* 30. *cauſ.* 27. *q.* 1. vel, quòd magis convenit, ad perpetuos carceres ſui Monaſterii condemnanda eſt. *can. impudicas.* 11. *cauſ. & q. cit. Vide Menochium. De arbitrar. judic. caſ.* 289. *n.* 26. & *Farinacium. loc. cit.*

70. De *Sodomia* incidenter ſupra locuti fuimus, Sodomia autem à *Sodoma* (civitate una ſcil. ex iis quatuor, quas mare vulgò *mortuum* abligurivit, & in qua nefandum illud vitium adeò graſſabatur, ut igne cœlitus delapſo concremata fuerit, prout legitur *Genes. cap.* 19. ℣. 4) nomen traxit.

Sodomia autem propriè: eſt coïtus carnalis non ſervatâ debita diverſitate ſexûs, dum videlicet maſculus cum maſculo, aut fœmina cum fœmina, ſuo modo coit. Prout cum *D. Thoma* 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. tradunt communiter Theologi.

71 Sodomitæ ſicut olim jure divino, mortis ſupplicium luebant, *Levit. cap.* 20. ℣. 13. ibi: *Qui dormiverit cum maſculo; uterque operatus eſt nefas, morte moriatur* Ita etiam de jure Civili, Sodomia propriè talis, ultimo punitur ſupplicio. §. *Item Lex Julia.* 4. *Inſtit. De publicis judic.* Imperatores quoque *Conſtantinus* & *Conſtans* juſſerunt inſurgere leges, armari jura gladio ultore, in illos, qui adeò nefandum ſcelus perpetrare non exhorruerint. Vide *l. Cum vir.* 31. *Cod. Ad Leg. Jul. de Adult.* Unde conſuetudo introduxit, ut Sodomitæ vel vivi, vel aliter juſtitiam paſſi, igne concrementur, quam comburendi conſuetudinem obſervari mandavit *Carolus V. in Ordinat. crimin. art.* 116. Confer *Farinacium q.* 48. *n.* 7. & *Julium Clarum.* §. *Sodomia. n.* 4. Nuper tamen, non abſque horrore intelleximus, hujuſmodi inhumanæ veneris mancipia *Amſtelodami* & in aliis *Hollandiæ* Civitatibus, aquâ ſuffocatâ, inversè in dolium undâ plenum miſſo capite, aut ligatis manibus & pedibus, in altum mare projecta fuiſſe.

Inſuper Sodomitæ, ipsô jure, ſunt infames etiam ante condemnationem. *cit. l. Cùm vir.* 31. junctâ *Gloſsâ ibid.* ℣. *Infames.* Ipſo quoque jure, privantur dominio rerum ſuarum, quæ *Fiſco* addicuntur. *cap. Cùm ſecundùm.* 19. *De Hæretic. in* 6. ubi notanda *Gloſſa.* ℣. *Perdant.* Vide *Clarum, loc. cit. n.* 6. & *Menoch. De Arbitr. jud. caſ.* 286. *n.* 19. Quæ tamen pœna teſte *Claro*, non ubivis recepta eſt, & ſignanter non obſervatur in *Hollandiæ* Provinciis.

Dictum ſupra *Sodomia propriè talis.* Quamvis enim etiam impropriè talem (qualis intelligitur, dum vir cum fœmina in vaſe præpoſtero ſeu ano, id eſt: S. V. *dans le fondement ou trou du derriere* congreditur) præfatis pœnis ſubjacere velint & de facto punitam eſſe teſtentur *Jul. Clarus loc. cit. n.* 2. & *Menoch. loc. cit. n.* 33. *& ſeq. Sylveſter* tamen *Verb. Luxuria. q.* 1. *Azor. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 20. *q.* 4, cum aliis, probabiliùs docent, hujuſmodi imperfectam Sodomiam [præſertim inter conjuges] extra-

 or-

Digitized by Google

ordinariis & mitioribus pœnis ſubjacere. *Arg. l.* 1. §. 2. *De extraordinariis criminib.* ibi: *Perfecto flagitio, puniuntur capite. Ratio* eſt; quia etſi hujuſmodi congreſſus, ad peccatum Sodomiæ, meritò reducatur; equidem, quia ſaltem debita ſexûs differentia obſervatur; non cenſetur eſſe Sodomia perfecta, nec Proinde locus eſſe pœnis ordinariis, præſertim, cùm in iis infligendis benignior ſententia amplectenda ſit.

72. Abominabile hoc facinus, jure *Canonico* punitur in laïcis: 1*mò. Excommunicatione. cap. Clerici.* 4, *de exceſſib. Prælat* 2*dò. Infamiâ. can. Infamis.* 3, *q*, 7. Porrò, uxor divortium facere poteſt & diſcedere à Marito *ſodomita* ſicut ab Adultero. *Arg. Can. Omnes. cauſ. q.* 7. Clerici verò hoc ſcelere ſe contaminantes, nedum privantur Beneficiis, ſed & ſtatu, & Ordine Clericali dejiciuntur. *cit. cap. Clerici.*

Contra nefandum hoc crimen, in *Germania* minus, quàm in aliis Regionibus notum, rigoroſam edidit Bullam *S. Pius V.* quæ incipit: *horrendum.* eſtque 72*da.* inter Conſtitutiones ejuſdem Divi Pontificis, quæ habetur, *Tom.* 2. *Bullarii Cherubini.* Ad hanc Bullam videri meretur *Barboſa. in cap. Clerici.* 4. *De exceſſib. Prælat.* Jam de Raptu non *rerum*, ſed *mulierum.*

73. Raptus eſt violenta abductio virginis, vel alterius fœminæ honeſtæ ſive ſolutæ ſive ligatæ, libidinis exercendæ gratiâ, in locum *moraliter* diverſum. Ita Doctores paſſim *arg. l. unic. C. De Raptu Virgin.*

Exponitur definitio. *Dicitur* 1*mò: Violenta abductio.* Si enim puella *ſui juris*, ſeu ſub nullius poteſtate amplius conſtituta, liberè in ſuî abductionem conſentiat; *Raptus* non eſt, prout cum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. unanimiter tradunt tam Theologi, quàm Canoniſtæ, moti *Arg. cap. Cum cauſa.* 6. *De raptorib. Incendiariis, &c.* Ubi *Summarium* ſic habet: *Raptus non dicitur, ubi volens abducitur.*

Nec in contrarium Urget *cit. l. unic. De Raptu virg.* ubi dicitur: quod huic pœnæ ſubjaceat, *qui ſive volentibus ſive nolentibus virginibus, ſive aliis mulieribus*, tale facinus perpetraverit. Non *Urget* inquam in contrarium textus ille, quia ſupponit fœminam abductioni conſentientem fuiſſe inductam vel minis vel importunis precibus aut promiſſionibus, vim quandam æquivalenter importantibus. Confer *Guttierez. Canonicar. quæſtionum. lib.* 1. *cap* 37, *n.* 21.

Dicitur 2*dò*: *Virginis aut alterius honeſtæ fœminæ.* Quia abductio etiam violenta fœminæ minus honeſtæ viventis v. g. meretricis popularis, non eſt propriè & ſtrictè *Raptus*, ac propterea hujuſmodi levis perſonæ abductio non niſi extraordinariè, judicis arbitratu caſtiganda venit, teſtibus *Claro.* §. *Raptus. n.* 5, *Farinacio. q.* 145, *à n.* 135, & *Didac. Covarruviâ. variar. reſolut. lib.* 3, *cap.* 14, *n.* 2.

Dicitur 3*tio. De loco in locum moraliter diverſum.* Nam ſi honeſta puella vel fœmina non ab una ſaltem domo, v, g, paterna, ad aliam; ſed duntaxat ex una camera ad aliam ejuſdem domûs; vel ex loco inibi patente, in locum ſecretum, occultandæ libidinis causâ abducatur; propriè Raptus non eſt, ſed Stuprum. Confer *Farinacium. prax. crim. cit. q,* 145, *n.* 74, *& Jul. Clarum.* §. *Raptus. n.* 1.

Dicitur 4*to. Libidinis exercendæ gratiâ.* Siquidem, ſi ex alia quacunque cauſa, virgo vel mulier rapiatur, in ſenſu noſtro *Raptus* non eſt; Raptus tamen erit, ſi quis fœminam libidinis causâ rapiens, poſtea ab explenda libidine impediatur. Itaque, ſi ob alium finem: v, g, ut fœmina Raptori vel alteri ſervire cogatur, aut

Digitized by Google

aut tanquam mancipium vendatur; non erit Raptus, ſed furtum hominis, quod in jure vocatur *Plagium*. Porrò, ſi quis abduxerit puellam volentem eo præcisè fine, ut parentes inviti, poſtea faciliùs conſentiant in matrimonium; erit quidem verus Raptus ſubjectus pœnis à Concil. *Tridentino* ſtatutis, non erit tamen Raptus, prout eſt ſpecies luxuriæ.

74. Jure *Civili*, in Raptorem ſtatuta eſt mortis pœna, quinimò Raptor & omnes ad raptum opem conferentes, in ipſo raptu deprehenſi, à Parente, Marito, Cognatis aut Propinquis *Raptæ*, impunè poſſunt occidi, capti verò & legitimè convicti, ultimo poſſunt affici ſupplicio, non obſtante ipſorum appellatione quacunque. Præterea, omnia tam mobilia, quàm immobilia Raptoris & eidem opem ferentium bona, mulieri per vim raptæ, addicenda ſunt, prout expreſsè ſancitum in *l. un. Cod. De Raptu Virgin.*

75. Jure *Canonico* Raptor violentus, ſi ſit laïcus, excommunicatur; ſi verò Clericus; à gradu & Ordine Clericali dejiciendus eſt. *can.* 1, *& ſeq. cauſ.* 36, *q.* 1, *& cap. Si quis* 4, *De purgat. canonica* Noviſſimè à Concilio *Tridentino ſeſſ.* 24. *De reform. Matrim. cap.* 6, variæ *infra* referendæ, inveniuntur pœnæ ſtatutæ contra Raptores; verùm, ut mox dicetur; pœnæ iſtæ non tam videntur decretæ contra raptum ſolius libidinis causâ factum, quàm contra illum, qui fit ex fine & intentione, raptam ducendi in uxorem, & ita cogendi illam ad nuptias, qua de re latiùs vide *Reiffenſtuel ad Decretal. lib.* 4. *tit.* 1. §. 10. *n.* 377.

76. Cæterùm; pœnæ à Concilio *Trident.* in Raptorem ſtatutæ, & in conſcientia obligantes, etiam ante judicis ſententiam, ſunt ſequentes: *Prima.* Quòd *Raptor ipſe, ac omnes conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint jure ipſò, excommunicati ac perpetuò infames*, omniúmdignitatum incapaces. 2*da*. Quod *inter Raptorem & Raptam, quamdiu ipſa in poteſtate Raptoris manſerit, nullum poſſit conſiſtere Matrimonium*. Quod verum eſt, & obtinet, etiamſi Rapta poſteà poni nolit extra poteſtatem Raptoris. 3*tia*. Quòd *Raptor teneatur mulierem raptam, ſive illam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter, arbitrio judicis, dotare.* Ubi.

77. Observandum 1*mo*. Pœnas illas non incurrere fœminam, quæ rapit adoleſcentem. Quia cùm Decretum *Concilii* tantùm loquatur de *Raptore*, & non de *Raptrice*, & aliunde ſit pænale, non eſt ampliandum.

78. Observandum 2*do*. Prædictis pœnis ſubjacere illum, qui rapit fœminam vel repugnantem, conſentientibus parentibus; vel conſentientem, iis repugnantibus: ſiquidem in utroque caſu intervenit verus raptus, aliqui tamen in hoc ſecundo caſu, volunt non incurri pœnas *Concilii*, quia Concilium ſolùm intendit conſervare libertatem Matrimonii, quæ libertas non læditur, ſi fœmina conſentiat in ſuî abductionem.

79. Observandum 3*tio*. Raptum ob ſolam libidinem abſque ullo Matrimonii prætextu, probabiliùs dirimere Matrimonium poſtea cum rapta contractum, ipſíque annexas eſſe pœnas ſupra poſitas, quidquid dicat *Sanchez lib.* 7. *De Matrim. diſp.* 13. *n.* 3. *Ratio* eſt, quia *Concilium* ibi punit, fautores etiam Clericos, hi autem non rapiunt Matrimonii causâ. Ergo. Vide tamen *Reiffenſtuel. loc. cit.* ubi contrariæ ſententiæ favet.

80. Observandum 4*tò*. Quòd ſponſus abducens ſponſam, ut ante nuptias libidinem expleat, aut etiam, ut illam, Matrimonium de præſenti contrahere recuſantem, compellat; reverà ſit Raptor,

Digitized by Google

tor, pænáſque taxatas incurrat, ſiquidem ſponſæ aufert Matrimonii libertatem quam Concilium omnimodè conſervare intendit.

81. Quòd ſi quis uxorem, tempore primi bimeſtris de amplectendo ſtatu Religioſo deliberantem violenter abducat ad Matrimonii conſummationem; manebit quidem Matrimonium validum, poterit tamen uxor Religionem profiteri invito marito, qui vivente uxore, non poterit ad alias tranſire nuptias.

82. Observandum *5tò*. Si ſponſus abducat ſponſam conſentientem, non eſſe raptum, licet reclament parentes, quia ratione ſponſalium, habet jus quoddam in ſuam ſponſam, cui dein in ſuî abductionem conſentienti, nulla fit injuria. Quò facit *cap. 6. De raptorib.* ubi ſic habetur: *Iſte raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris aſſenſum, & prius illam deſponſaverit, quàm cognoverit, licet parentes reclament.*

83. Quid dicendum de peccatis *contra naturam*? Bifariàm peccatum dici poteſt contra naturam. *1mò.* Quatenus repugnat *rationi naturali*, & hoc ſenſu, omnia peccata contra legem naturalem, dici poſſunt contra naturam. *2dò.* Quatenus repugnat ordini; quem natura præſcripſit in actibus generationi ſubſervientibus. Ordo autem ille exigit *1mò.* Duorum commixtionem, & ideo dum quis ſemen, ſine maritali conjunctione, profundit, *pollutio* eſt. *2dò.* Eandem congredientium naturam, ita ut natura humana miſceatur humanæ & non brutali, alias eſſet *Beſtialitas*. *3tio.* Sexum diverſum, cujus defectu concubitus maſculi cum maſculo, aut fœminæ cum fœmina, eſt *Sodomia*. *4to.* Vaſa congrua: quamobrèm maſculus congrediens cum fœmina in vaſe præpoſtero, ſaltem impropriè Sodomiam committit ſicut *ſupra* dictum. *5to.* Modum debitum, ut videlicet non impediatur generatio, quod accidere poſſet, viro ſuccumbente.

De Sodomia *ſupra n.* 70. actum. De pollutione & Beſtialitate, paucula ſubjiciemus.

84. Pollutio ſive *Mollities* eſt voluntaria ſeminis effuſio extra concubitum; éſtque lethale peccatum ſingulariter naturæ oppoſitum, adeóque ſeclusâ omni Dei prohibitione, intrinſecè malum, ut patet ex *Genes.* 38. ubi peccatum *Onam* ſemen in terram fundentis, dicitur *res deteſtabilis*. Unde *Apoſtolus*, 1. *ad Corinth. cap.* 6. hanc tulit ſententiam: *Neque Adulteri, neque Molles . . . Regnum Dei poſſidebunt*. Huc facit condemnatio hujus propoſitionis ab *Innocentio XI. Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde, ſi Deus illam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali. Ratio* eſt; quia mentiri ideo eſt contra legem naturalem, quia mendacium repugnat fini ad quem verba ſunt inſtituta: atqui pollutio repugnat fini ad quem natura ſemen ordinavit. Ergo. Ex quo

85. Sequitur *1mo.* Nullo unquam caſu licitum eſſe ſe polluere. Quod enim intrinſecè malum eſt, nulla ratione poteſt cohoneſtari. Proinde potiùs moriendum eſſet, quàm ſeminis jacturam ſibi procurare *actu venereo*; quod addo; quia ſi materia *ſpermatica* in corpore abundaret, poſſet evacuatio fieri per medicinam materiæ ſpermaticæ conſumptivam, non autem pollutionis cauſativam.

86. Sequitur *2do.* Si conſtaret in corpore ſive viri ſive fœminæ, latere ſemen aliquod corruptum; poſſe ſumi medicamenta etiam directè ad illius expultionem tendentia; quia non reputatur amplius ſemen ſed potius *lues* aut venenum.

87. *Beſtialitas* eſt coïtus cum bruto, éſtque omnium peccatorum *contra naturam*

Digitized by Google

ram graviſſimum, ùt patet conſideranti. De hoc ſcelere juxta interpretes, loqui videbatur *Joſeph. Genes.* 27. dum accuſavit fratres ſuos apud patrem *crimine peſſimo.* Abominandus ille coïtus *Levit* 20. ſub pœna mortis prohibetur, ſtatuitúrque, ut beſtia & homo, qui beſtialitatem patravit, interficiantur, quod & hodierno uſu obſervatur; ſcimus enim & hominem & beſtiam, in ejus criminis deteſtationem flammis devoveri.

88. Ad beſtialitatem accedit, imò illam ſuperat concubitus viri aut fœminæ cum Dæmone *ſuccubo* vel *incubo*; ſive interim Dæmon in corpore aſſumpto appareat ſub ſpeciè viri, ſive mulieris, ſive alterius animalis. Tametſi enim formam hominis aſſumat, verè tamen homo non eſt. Concubitum illum in quo commercium fit cum Dei humaníque generis hoſte infenſiſſimo, eſſe enormiſſimum nulliſque ſuppliciis ſat expiandum peccatum, nemo eſt qui dubitet. De hoc crimine, legi meretur *Martinus Del-Rio. in diſquiſitionibus Magicis.* Crimen itaque hoc ad Beſtialitatem reducitur, ſi Dæmon apparuerit in forma beſtiæ, eritque peccatum illius ſpeciei, ad quod fertur affectus; ita ut ſi vir miſceatur Dæmoni tanquam maſculo, ſit *Sodomia*; ſi tanquam mulieri liberæ; ſit *Fornicatio*; ſi tanquam conſanguineæ aut affini; *inceſtus*: ſi tanquam conjugatæ; ſit *Adulterium.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

IN QUO

Trutinatur ſeptimum Decalogi Præceptum.

Non furtum facies.

SUMMARIUM.

1 QUid Furti *nomine, hoc Præcepto probibeatur?* 2 *Furtum non repugnat juri naturali* abſoluto, *ſed* hypothetico.

3 *Cur Deus furtum probibuerit?*

4 *Furti definitio Theologica.*

5 *Furti gravitas, unde?*

6 *Reſpondetur ad objectionem.*

7 *Furti deſcriptio* juridica *articulatim exponitur.*

8 *Voluntas & propoſitum, maleficia diſtinguit.*

9 *Rem* nullius *aut* pro derelicto *habitam accipiens, non furatur.*

10 *In re incorporali vel immobili, in ſenſu* juridico, *furtum non* committitur.

11 *Furti reus eſt Dominus, qui rem ſuam alteri oppignoratam, accommodatam vel depoſitam fraudulenter aufert.*

12 *Nedum ipſe rem alienam auferens, ſed & auferri mandans aut conſulens; item furem, cum re furtiva, ſcienter recipiens, furti tenetur.*

13 *Idem eſt de eo; qui rem furtivam ſcienter emit, aut in ſolutum, vel donò accipit.*

14 *Sciens & occultans furem, incidit in crimen furti, non verò, qui ſolùm ſcit, & non indicat.*

15 *Intellectus* cap. Qui cum. 4. De furtis.

16

Digitized by Google

16 *Etſi in ſenſu* Theologico, *filius-familias, à Patre; & ſervus à Domino quid auferens, furtum committat; in eos tamen* Furti actio *non datur.*

17 *Idem eſt de furto uxoris, reſpectu mariti.*

18 *Alii tamen* actione Furti *tenentur, qui ope conſiliòve, ad furta filii-familias aut uxoris, concurrerunt.*

19 *Similiter Furti actione tenetur, qui rem alienam alicubi inveniens accipit & retinet animo non reſtituendi eam Domino comparenti.*

20 *Sufficienter igitur, Dominus rei inventæ, indagandus.*

21 *Quo poſt ſufficientem perquiſitionem non apparente, res inventa pauperibus, aut cauſis piis impendenda.*

22 *Quanquàm in puncto juris, probabile ſit, inventorem tali caſu, poſſe* titulo fortunæ, *rem inventam retinere.*

23 *ſolvitur objectio.*

24 Neceſſitas *alia* communis *alia* gravis, *alia* extrema.

25 Neceſſitas communis *furtum non excuſat.*

26 *Nec licitè in extrema neceſſitate, aufertur res à Domino, qui per ablationem rei ſuæ, in parilem neceſſitatem redigendus eſt.*

27 *Gravis neceſſitas, non facit rem communem.*

28 *Occurritur* inſtantiæ.

29 *Extremè indigens, abſque furti vitio, poteſt ex alieno, ſuæ conſulere neceſſitati.*

30 *Extremè indigens, nedum licitè poteſt, ſed & tenetur ex alieno accipere rem, ad vitæ ſuæ conſervationem, neceſſariam.*

31 *Quinimò in caſu extremæ neceſſitatis, poteſt quis Dominum reſiſtentem vi repellere, & ſervato moderamine, occidere.*

32 *Diluitur objectio.*

33 *Tametſi extrema neceſſitas facultatem præbeat alienum occupandi, Dominus tamen non tenetur ex juſtitia, ſed ſolùm ex charitate, rem ſuam egenti offerre.*

34 *Ac proinde Dominus non tenetur ad reſtituionem illius rei, quam extremè indigenti non obtulit.*

35 *Dominus tamen abſque injuria extremè indigenti ſubtrahere nequit rem ab eo jam occupatam.*

36 *Vir locuples ſatisfacit officio charitatis, ſi extremè indigenti ſuccurrat mutuum dando, ſub pacto reſtituendi;* ſi ad meliorem pervenerit fortunam.

37 *Non initò tali pactò,* re *&* ſpe, *extremè indigens, ita efficitur rei conſumptibilis acceptæ Dominus, ut eâ abſumptâ, & ceſſante neceſſitate, nihil teneatur reſtituere.*

38 *Quod ſecus eſt; ſi* re, *aſt* non ſpe, *ſed* per accidens, *hic & nunc fuerit indigus.*

39 *Aut: ſi res ablata, ceſſante ne-*

ceſſitate , in ſua ſpeciè perſeveret ; aut ante ingruentem neceſſitatem ; alteri , ex juſtitia , fuerit debita.
40 *Ad æſtimandam furti gravitatem , valor rei ablatæ , menſurari debet pretiò pecuniariò.*
41 *Furti gravitas haud rectè ponderatur ex reſpectu ad perſonam divitem vel pauperem , cui quid ablatum.*
42 *Diſſolvuntur* objectiones.
43 *Depromitur veriſimilior ſententia , circa quantitatem , ad furtum* mortale , *ſufficientem*
44 Qualitas perſonæ , *cui quid ablatum , ſolùm extrinſecè ſe habet ad furti gravitatem.*
45 *Lethaliter peccat , qui animo multa auferendi , ſucceſſivè , plura modica , ab uno vel pluribus , ſurripit.*
46 *Qualiter peccent , qui continuatò vel interruptò propoſitò , per minutias , ſucceſſivè multa auferunt ?*
47 *Evertitur principale argumentum contrarium.*
48 *Furtum* leve *ultimum , an & quatenus coaleſcat cum prioribus ?*
49 *Furtò* mortali *commiſsò , an poſtea modica auferens , toties peccet mortaliter ?*
50 *Ablatorum reſtitutio [ſi Domini non ſint reperibiles] facienda pauperibus , aut cauſis piis.*
51 *Plures communi conſenſu , ope vel conſilio ad furtum concurrentes , aliis deficientibus ,* in ſolidum *obligantur.*
52 *Quid , ſi quis ſolò exemplò ſuò , aliis præbuerit furandi occaſionem ?*
53 *In furtis* minutis , *quæ quantitas conſtituat peccatum* lethale ?
54 *Occurritur* objectioni.
55 *Maritus bona* dotalia *aut alia uxoris diſſipans , tenetur ad reſtitutionem.*
56 *Item de uxore diſſipante bona mariti.*
57 & 58 *Adducuntur plures furti* ſubdiviſiones.
59 *Pœna furti* manifeſti & nec manifeſti.
60 Actio furti , *cui , & contra quos competat ?*
61 *Cur furtum* manifeſtum *graviùs puniatur , quàm* non manifeſtum ?
62 *Præter pœnalem furti actionem , datur* Rei vindicatio & condictio furtiva.
63 *Cui & contra quos , & in quid , dentur hæ actiones ?*
64 *Pœnæ* criminales *furti.*
65 *Res furtivæ , fure apprehenſo , dominis reſtituendæ.*
66 *Ante judicis ſententiam , fur non niſi rem ablatam vel ejus æſtimationem reſtituere tenetur.*
67 *Epiſcopus poteſt ſub pœna Excommunicationis præcipere furis aut rei furtivæ , denunciationem.*
68 *Pœna furis* notorii.
69 *Sacrilegium qualiter committatur & puniendum ſit ?*

70

70 *Aliæ furti ſpecies adducuntur.*
71 Plagium *quid ſit, & quæ pœna ejus?* 72. *Quid* Abigeatus? 73 *Quid* Peculatus. 74. *Quid crimen de Reſiduis?* 75. *Quid* crimen expilatæ hæreditatis? 76. *Quid* ſepulchri violatio? 77. Amotio termini *quid*?
78 *An & qua ratione, licita ſit occulta compenſatio?*
79 *Famuli, Operarii, aut Officiales; nequeunt uti occultâ compenſatione, ſi credant, ſe juſtò minus mercedis aut ſalarii accipere pro ſervitiis aut operis ſuis alteri locatis.*
80 Excipe: *niſi Dominus mercedem conventam injuſtè detrectaret perſolvere.*
81 *Quinam præterea* Ethicè loquendo, *furibus aut raptoribus accenſendi ſint?*

1 Quemadmodùm ſexto Decalogi præcepto *Non Mœchaberis.* nomine *Mœchiæ*, Adulterium propriè ſignificante, reliquæ omnes luxuriæ ſpecies vetitæ intelliguntur; ita & hìc ſub nomine *Furti*, propriè ſignificantis ablationem occultam rei alienæ, invito Domino; comprehenditur etiam omnis injuſta læſio vel damnificatio proximi in bonis fortunæ. Unde *D. P. Auguſtinus. lib. qq. ſuper Exod. quæſt.* 71. ait: *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ: non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit; ſed utique à parte, totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximo aufertur.* Confer *Sylvium* in 2. 2. *D. Thomæ q. 66. art.* 3. ubi Ethymologiam furti, à *furvo*, ſeu *atro*; aut: à *fero*, ſeu *ferendo*, eò quòd fur aliquid ferat, ſeu auferat; derivari ait.

2 Nota tamen, furtum non repugnare juri naturæ *abſoluto*, ſed *hypothetico*, quod præſupponit dominiorum diſtinctionem; quâ poſitâ, Furtum committi poteſt, non vero pro ſtatu temporis, quo omnia erant communia. Pro cujus intellectu, noveris; aliud eſſe jus Naturæ *abſolutum*, quod omni tempore obligat, aliud eſſe *hypotheticum*, quod præſupponit factum humanum, eóque duntaxat poſitô, obligat. Sic: *Deum colere, honeſtè vivere*; ſunt juris Naturalis *abſoluti*: tenemur enim ſemper & abſolutè, Deum colere & honeſtè vivere. Furtum verò non facere, eſt juris naturalis *hypothetici* præſupponentis diſtinctionem dominiorum.

3 Divini hujus præcepti ratio eſt poſita in Dei erga nos amore. Deus enim non modo duobus illis interdictis: *Non Occides. Non Mœchaberis*, quaſi validis præſidiis, vitam corpúſque noſtrum tueri voluit, ſed etiam hoc præcepto: *Non furtum facies.* Tanquam *cuſtodiâ*, facultates noſtras voluit eſſe munitas & defenſas.

4 Theologi *Furtum* definiunt; quòd ſit: occulta rei alienæ ablatio, Domino rationabiliter invito. Ubi ſub nomine ablationis, intelligunt detentionem & deteriorationem, imò omnem damnificationem, quæ proximo infertur in bonis fortunæ. Conſonat *Sylvius. loc. cit.*

5 *Furtum* (idem à fortiori eſt de *Rapina*) eſſe peccatum mortale *ex genere ſuo*, & quidem contra *jus naturæ hypotheticum*, conſtat ex S. Scriptura 1. *ad Corinth.* 6.

Digitized by Google

ibi : *Neque fures . . . Regnum Dei poſſidebunt*. Dein Furtum graviter opponitur huic generali præcepto lumine naturali noto : *Quod tibi non vis fieri , alteri ne feceris*. Unde *Divus P. Auguſtinus*, *lib.* 2. *Confeſſ. cap.* 4. *Furtum* (inquit) *certè punit lex tua Domine* , *& lex ſcripta in cordibus hominum*. Porrò furtum adverſatur Charitati , juſtitiæ , & bono communi. *Charitati* quidem ; quia tenemur proximum , tum *in ſe* , tum *in ſuis* , diligere ſicut nolmetipſos. *Juſtitiæ* ; quia hæc inclinat hominem ad reddendum & relinquendum unicuique , quod ſuum eſt. *Bono* denique *communi* ; quia illud per furta & rapinas turbatur diſſolvitúrque pax & tranquillitas ſocietatis humanæ. Confer *Sylvium. loc. cit. art.* 6.

6 Nec Obeſt illud *Proverb.* 6. *Non grandis eſt culpa , cùm quis furatus fuerit*. Nam , ùt rectè in hunc locum , obſervat *Beda* : *Furtum non ex ſui æſtimatione, ſed ex comparatione peccati majoris , id eſt : Adulterii ; non grandis eſſe culpa perhibetur*.

7 Juriſperiti deſcribunt Furtum, quòd ſit : *contrectatio rei alienæ fraudulenta , lucri faciendi gratiâ* ; contrectatio inquam, vel ipſius rei , vel etiam usûs ejus poſſeſſioníſve. Per *l.* 1. §. *fin. ff. De furtis.*

Explico deſcriptionem : Dicitur 1*mò*. *Contrectatio* id eſt acceptio , quâ res de loco in locum actu movetur. *l. poſſideri.* 3. *ff. De acquir. poſeſſ.* ſiquidem in foro externo , ſolo animo vel conatu , furtum non committitur , niſi actu contrectetur res aliena , & de loco in locum transferatur : Quocircà ; *qui furti faciendi causâ , conclave intravit nondum fur eſt. l.*1. §. 7. *ff. De furtis. Dixi* : *in foro externo*. Nam in foro *interno* & coram Deo , jam furti reus eſt , qui furari ſolùm intendit , licet actu nihil auferat. *can. ſi propterea.* 29. *Diſt.* 1. *De pœnit.* ibi : *intus feciſti , in corde feciſti , furti teneris , nihil tuliſti.*

Dicitur 2*dò*. *Fraudulenta* : id eſt ; injuſtè , cum fraude & dolo , voluntate & animo furandi facta. Quia furtum , ſine affectu furandi , non committitur. §. *placuit*, 7. *inſtit. De obligat. quæ ex delicto &c.* Quamobrèm , qui rem alienam , bonâ fide , accipit , rationabiliter exiſtimans , Dominum conſenſurum , vel non fore invitum , ſi hoc ſciret ; in neutro foro , reus eſt furti. *l. inter omnes.* 46. §. 7. *ff. De furtis.* ibi *Rectè dictum eſt , qui putavit ſe Domini voluntate rem attingere , non eſſe furem.* & *l. qui re.* 76. *princ. ff. eod.* ibi : *Qui exiſtimavit , ſe non invito Domino id facere , furti non tenetur*. In dubio tamen Dominus diſſentire præſumitur ; præſertim , ſi res contrectetur inſueto modo. *Arg. l. qui vas.* 48. §. 3. *ff. eod.*

Dicitur 3*tiò*. *Lucri faciendi gratiâ*. Nam , qui rem aufert *injuriæ causâ* vel eam deſtruit , in ignem vel flumen projicit ; non *furti* ſed *injuriæ* ac *damni dati*, reus eſt , & eatenus conveniri poteſt. *l. Qui injuriæ.* 53 *princ.* ubi hæc redditur ratio ; quòd *voluntas & propoſitum , maleficia diſtinguat*. Proinde , ſi non ſit voluntas lucri faciendi ; furtum non erit.

Dicitur 4*to*. *Rei* : ſcilicet alienæ & quidem *corporalis* ac *mobilis*. Quia , cùm rei propriæ , quiſque moderator ſit & arbiter. *l. in re C. mandati* & eâ uti & abuti poſſit. *l. ſed etſi* 25. §. 11. *ff. De petitione hæred.* conſequenter rei propriæ , furtum non datur. Quocircà etiam à furto immunis erit , qui aufert rem *alienam* , putans eſſe *ſuam*. *Arg.* §. 1. *Inſtit. De vi bonor. rapt.* præſertim , cùm in tali contrectatione , etiam deſit fraus & dolus , ſeu furandi animus , ſine quo non datur furtum. §. *Placuit.* 7. *Inſtit. De obligat. ex delicto.* Quòd ſi tamen poſteà reſciat , rem fuiſſe alienam ; & nihilominus detineat , & injuſtè eam poſſidere velit ; non qui-

Digitized by Google

quidem accipiendo, ſed detinendo, furti reus ſit. Sicut econtra, qui malâ fide, per errorem accipit rem reverà ſuam, putans eſſe alienam; comperto errore eam detinens; accipiendo tantùm, non retinendo, furti committit malitiam.

8 Quia, ſicut dictum, voluntas & propoſitum maleficia diſtinguit; ideo, ſi quis intendens parum furari, auferat marſupiolum ſeu burſam, quam reperiat aureis nummis refertam; auferendo peccat tantùm *venialiter*; detinendo verò *mortaliter*. Econtra; ſi intendas multum furari, parum autem reperias, & detineas; auferendo peccâſti *graviter*, detinendo verò *leviter*.

9 Defectu *rei alienæ*, furtum non committit, qui accipit rem, quæ nullius eſt Domini, vel à Domino, pro derelicta habetur. *l. Falſus.* 43. *ff. De furt.* ſiquidem hujuſmodi res, fiunt primò occupantis. *l. Pro derelicta.* 2. *& l. ſi id* 5. *ff. Pro derelicto.* Confer *Sylvium loc. cit. art.* 5 *per tot.*

10 Similiter, cùm res *incorporalis* contrectari ac tangi non poſſit; furtum in ſenſu juridico, reſpectu illius non datur, neque in hoc ſenſu, furtum habet locum in re immobili. *l. Verum.* 25. *ff. eod.* §. *Quod autem Inſtit. De uſucap. & l. Quam rem.* 38. *ff. eod.* Siquidem hæc propriè occultari, & de loco in locum moveri nequit. *l. Poſſideri* 3. §. 18. *ff. De acquir. poſſeſſ.*

11 Dicitur 5tò. *Vel etiam usûs ejus poſſeſſioniſve.* Verum enim furtum committit, non tantùm, qui rem alienam fraudulenter contrectat; ſed etiam, qui uſum vel uſumfructum vel poſſeſſionem alicui de jure competentem, aufert. Ex quo reſultat; furti reum eſſe Dominum, qui rem ſuam, alteri *pignori* datam, iniquè aufert. §. *unde.* 14. *Inſtit. De obligat. ex delicto. l. Itaque.* 12. §. 2. *ff De furtis.* Item, qui rem alicui accommodatam, locatam, depoſitam, clam fraudulenter aufert. §. 15. *& ſeqq. Inſtit. De obligat. ex delict. l. cujus intereſt.* 10. *l. Tum is.* 11. *l. Itaque.* 12. *l. inter omnes.* 46. §. 1. *ff. De furtis.* Prout èconira, etiam furti reus reputatur commodatarius, uſufructuarius *&c.* qui re commodatâ vel in uſumfructum conceſsâ, diutiùs vel aliter, quàm Dominus conceſſerit, fraudulenter utitur. Item eſt de eo, qui re in depoſitum vel pignori acceptâ fraudulenter utitur. §. 6. *Inſtit. De obligat. ex delict. l. Qui jumenta.* 40. *l. ſi pignore.* 54. *princ. ff. De furt.*

12 Furtum ex communi tam juriſ-peritorum, quàm Theologorum ſententia, committunt, & furti actione conveniri poſſunt, non ſolùm illi, qui per ſeipſos, rem alienam fraudulenter auferunt, ſed etiam, qui id mandant; item; qui conſilium aut auxilium ad id præbent. §. *interdum.* 11. *Inſtit.* De *obligat. ex delict.* junctâ *l. in furti.* 50. *ff. De furt.* Confer *Farinacium. prax. crim. q.* 168. *n.* 23. *& ſeqq. Tuſchum. Verb. Furtum. concl.* 562. *n.* 1. *&* 2. & *Ratio* eſt; quia hi ſaltem *moraliter* contrectant fraudulenter rem alienam. Unde ob rationis paritatem, etiam furti reus eſt, qui furem cum re furtiva ſcienter recipit & occultat, per jura citata. Junctâ *l. Qui vas.* 48. §. 1. *ff. De furt.* ibi: *Furem qui celat, furti tenetur.*

13 Non minus furtum committere cenſetur, qui rem furtivam ſcienter à fure emit; aut, qui rem furtivam in ſolutum vel alias ſcienter dono datam recipit. §. 4. *in fin. Inſtit. De obligat. ex delicto. l. incivilem.* 2. *& l. Civile* 5. *C. de furt.* Junctô *cap. Qui cum fure.* 4. *eod. tit. in Decretalibus.* Confer *Harprecht. in* §. *fin. Inſtit. De obligat. ex delict. n.* 14. Volunt tamen Doctores paſſim cum *Carpzovio. in prax. crimin. q.* 87. *n.* 51. cum receptoribus

bus rerum furtivarum, mitiùs agi, quàm cum illis, qui ipſi rem alienam abſtulerunt, niſi & illi inſuper conſilium auxiliúmve præſtiterint.

14 Quæri hîc poſſet; num furti teneatur, qui furem aut rem furtivam, ſcit, & non indicat? *Ratio dubitandi* deſumitur ex *cap. Qui cum.* 4. *De furt.* ubi ſic habetur: *Non fur ſolùm, ſed ille reus tenetur, qui furti conſcius, quærente poſſeſſore non indicat.* Verùm *Reſp.* ſcientem furem & occultantem, reum eſſe *furti* non verò eum, qui ſimpliciter novit furem, eum tamen haud celans, non indicat. Per textum expreſſum in *l. Qui vas.* 48. §. 1. *ff. De furt.* ibi: *Qui furem novit, ſive indicet eum ſive non indicet, fur non eſt; cùm multùm interſit, furem quis celet, an non indicet: qui novit, furti non tenetur: qui celat, hoc ipſò tenetur.*

15 Nec *contra* facit *dict. cap. Qui cum.* Quia vel intelligitur de non indicante & ſimul participe rei furtivæ, qui utique *furti* reus eſt; vel loquitur de non indicante *ipſam rem furtivam*; hanc enim, qui quæſitus non indicat, *furti concepti*, aut *non exhibiti* reus cenſetur. §. *conceptum.* 4. *Inſtit. De obligat. ex delicto.* Quod de illo, qui ipſam furis perſonam non denuntiat, intelligi nequit; cùm ſæpiùs magìs expediat, ejus perſonam non manifeſtare, ſi videlicet abſque ejus proſtitutione, res furtiva reddi aut recuperari poſſit. *Arg. can. ſi quis. cauſ.* 22. *q.* 2. Niſi forſitan urgeret præceptum *ſuperioris* manifeſtationem furis, *ex cauſa publica*, præcipientis aut legitimè interrogantis. Tunc enim utilitas & authoritas publica poſtulans, ne delicta forſitan nimis frequentia, maneant impunita; prævalere deberet, uti bene paſſim obſervant Doctores.

16 Filius-familias à Patre & ſervus, id eſt *Mancipium*, à Domino fraudulenter quid auferens, in ſenſu Theologio, verè & propriè furtum committit, attamen, quia Pater filium, & Dominus ſervum, propriâ authoritate corripere poteſt, *actio furti* contra eos non datur. §. *Hi qui.* 12. *Inſtit. De obligat. ex delicto. l. Ne cum.* 16. *& l. ſervi & filii.* 17. *princ. ff. De furt.* ibi: *Servi & filii noſtri, furtum quidem nobis faciunt; ipſi autem furti non tenentur: uſque enim, qui poteſt in furem ſtatuere, neceſsè habet, adverſus furem litigare? Idcirco nec actio ei à veteribus prodita eſt.*

17 Similiter, etſi uxor, res mariti fraudulenter auferens, verum furtum committat; ob reverentiam tamen & honorem Matrimonii, famoſa *furti actio*, contra eam non datur, ſed tantum *actio rerum amotarum. l. ſi quis.* 52. *ff. De furt. l. manifeſtiſſimi.* 22. §. 4. *C. eod. Ratio* ibidem datur: *Quia lex ita atrocem actionem dare in perſonam, ita ſibi conjunctam, erubuit.* De hac actione pleniſſimè videri meretnr *Oldendorpius. De actionibus forentib. claſſe* 7. *act.* 11.

18 Quanquàm autem contra filium & uxorem, *actio furti* non detur; nihilominus illi, qui ope aut conſilio, ad hujuſmodi furtum concurrerunt, *actione furti* omnio tenentur, pœníſque furti ſubjacent, prout circa furtum filiorum, diſertè ſtatutum reperitur. §. 12. *Inſtit. De oblig.* ex *delicto.* ibi: *Si verò ope & conſilio alterius, furtum factum fuerit; qui utique furtum committit, convenienter illi, furti tenetur, quia verum eſt, ope & conſilió ejus, furtum factum fuiſſe.* De iis autem, qui opem aut conſilium præbent uxoribus furacibus, *cit. leg. ſi quis.* ſic loquitur: *Si quis uxori res marito ſubſtrahenti opem conſiliúmve accommodaverit; furti tenebitur: ſed etſi furtum cum ea fecit, tenebitur furti, cùm ipſa non teneatur.*

19 Qui rem alienam alicubi jacentem inveniens accipit animo retinendi, & Domino

mino comparenti non reſtituendi, verè furtum committit & *actione furti* tenetur. Prout expreſsè deciditur in *l. Falſus.* 43. §. 4. *ff. De furt.* ibi: *Si alienum quid jacens, lucri faciendi causâ ſuſtulit, furti obſtringitur, ſive ſcivit cujus ſit, ſive ignoravit; nihil enim ad furtum minuendum facit, quòd cujus ſit, ignoret.* Si verò ejuſmodi rem quis accipit, non lucri faciendi causâ, ſeu, quod idem eſt, non ut fraudulenter retineat; ſed, ut ei, cujus eſt, reddat; à furto immunis eſt. *Cit. l. falſus.* §. 7. ibi: *Si tulit; ut non lucretur, ſed redditurus ei, cujus fuit, non tenetur furti.*

20 Cæterùm; ſi quis rem jacentem invenit, ignorans cujus ſit; tenetur rei Dominum debitè & ſufficienter indagare, v. g. per promulgationem ex Cathedra, vel Præconem, vel ſchedulam in loco publico affixam, juxta qualitatem & æſtimationem rei inventæ; quam indagationem, qui omittit & rem retinet, *furti* tenetur, quia juxta Doctores, animo retinendi, fraudulenter eam accepiſſe cenſetur.

21 Sed, quid; ſi poſt ſufficienter factam indagationem, non appareat nec repertus fuerit Dominus, cui inventor rem inventam libenter reſtituere paratus erat? *D. Thomas.* 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 2. *Covarruvias, Navarrus, Molina* & alii cum *Catechiſmo Romano. part.* 3. *cap.* 8. §. 7. volunt inventores rerum, ſi poſt diligentem perquiſitionem ſpes non appareat Dominum compariturum, teneri, res hujuſmodi inventas in pauperes vel cauſas pias erogare, cùm hæc cenſeatur eſſe voluntas Domini.

22 Quanquàm hæc ſententia ſit pia & omnium tutiſſima, ſatis tamen in puncto juris, probabile eſt, inventorem tali caſu, poſſe *titulo fortunæ*, hujuſmodi rem ſibi retinere, diſtrahere vel conſumere, prout nominatim tradit *Caſtropalao. Tract.* 31. *diſp. unicâ. n.* 4. & *ſeqq.* & *Zoëſius. ad tit. Decret. De furtis n.* 13. *Ratio* eſt; quia ſi poſt ſufficientem & debitam perquiſitionem Dominus reperiri non poteſt; hujuſmodi res *pro derelicto* habita, & Dominum ampliùs habere non cenſetur, ut proin bonâ fide accepta, furti materiam non ponat, ſed occupantis fiat, ſaltem poſt ſufficienter factam inquiſitionem, præcipuè, quia nec naturali nec poſitivo jure, probari poteſt, res ita inventas erogari debere pauperibus.

23 Nec in contrarium urges *can. ſi quid.* 6. *cauſ.* 14. *q.* 5. deſumptus ex *S. P. Auguſtino. lib.* 50. *homil.* 9. & *de Verbis Apoſt. Serm.* 109. ibi: *Si quid inveniſti & non reddidiſti, rapuiſti.* & *can. multi.* 8. *ead. cauſ.* & *q.* ibi: *Multi ſine peccato putant eſſe, ſi alienum quod invenerint, teneant, & dicunt; Deus mihi dedit; cui debeo reddere: diſcant ergo, peccatum hoc eſſe ſimul* rapinæ, *ſi quis inventa non reddat.*

Reſpondetur enim hos Canones loqui de illis, qui vel Dominum inquirere nolunt vel ſi illos ſciunt; res inventas illis non reſtituunt; minimè verò de illis, qui Dominum animo reſtituendi gnaviter indagârunt, & ſufficienti inquiſitione factâ, bonâ fide exiſtimant, illum amplius non comparaturum.

Quouſque autem inventor notitiam Domini exſpectare, quantáve diligentiâ illum indagare debeat; juxta circumſtantias loci, ubi res inventa, item: juxta qualitatem ipſius rei inventæ, prudentis viri arbitratu dimetiendum erit.

24 Quæres: An liceat in neceſſitate, aliena ſurripere, & an ſurrepta ſint reſtituenda?

Ante reſolutionem Nota: Triplicem aſſignari poſſe neceſſitatem; ſcilicet *communem, gravem* & *extremam.* Per *communem*

munem intelligitur illa, quam paſſim patiuntur pauperes oſtiatim mendicantes, ſicut & homines infimæ plebis. *Gravis* illa intelligitur, quæ privat hominem ſuo ſtatui neceſſariis, etſi non prematur fame aut nuditate. *Extremam* patiuntur illi, quibus defectu cibi; potûs, veſtitûs, aut alterius rei, imminet hîc & nunc vitæ, infirmitatis incurabilis, membri, aut ſensûs amittendi periculum. Hoc prænotato.

25 Certum eſt 1*mò*. De neceſſitate *communi*, non poſſe controverſiam procedere, cùm illa juxta omnes, non poſſit furtum excuſare.

Certum 2*dò*. Non licere etiam in extrema neceſſitate alienum capere, ſi humiliter petendo, laborando, alióve licito modo, poſſit neceſſitati ſuccurri.

26 Certum 3*tiò*. Nec id licitum eſſe, ſi Dominus rei auferendæ, ſit per ablationem rei, in æqualem neceſſitatem conjiciendus; is enim potius habet jus utendi re ſuâ, quàm quivis alius. Si tamen quis accepiſſet à proximo nondum extremè indigente, rem; non teneretur durante ſummâ neceſſitate, eandem reſtituere priſtino Domino etiam in parilem egeſtatem delapſo Vide *P. Sporer. Tract.* 5. *in ſeptimum Decalogi præceptum. ſect.* 4. *n.* 88.

27 De gravi neceſſitate poſſet eſſe dubium, ſed illud ſuſtulit *Innocentius XI.* damnando hanc propoſitionem: *Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi. Ratio* eſt; quia gravis neceſſitas non facit res communes, nec tribuit alicui jus in bona aliena: cùm rerum diviſio nullibi legatur ſub tali conditione facta. & ſanè; ſi hoc eſſet: innumeris furtis pateret aditus; plurimi ſiquidem ſibi facilè perſuaderent aut fingerent, ſe gravi preſſos neceſſitate, ut alienum rapere poſſent. Unde hac in parte non adſtipulor *Sylvio*, qui loco mox citando, probabile fore cenſet; quòd non ſolùm in extrema, ſed etiam in valde gravi neceſſitate conſtitutus, poſſit clam accipere id quod neceſſarium eſt ad ejuſmodi neceſſitatem ſublevandam, quando non poſſet aliter ſe juvare.

Quocirca vir nobilis, qui non poſſet, niſi mendicando, ſuæ neceſſitati ſubvenire; haud licitè alienum, invito Domino raperet. Quia periculum honoris amittendi, non inducit *extremam*, *ſed gravem* tantùm neceſſitatem.

Pari modo, neque id licitum eſt debitori, ne à creditoribus, *ad ſaccum & peram* excutiatur; aut *in carcerem* conjiciatur. Idem dicendum de viro honorato, volente ex furto, filiæ ſuæ pauperi, conſtituere *dotem*.

28 Nec obeſt quod docente *D. Thomâ* 2. 2. *q.* 66. *art.* 7. *Res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex jure naturali debeantur pauperum ſuſtentationi.* Debentur enim pauperibus graviter indigentibus, non *ex juſtitia*, ſed *ex charitate*; alioquin enim dans eleemoſynam graviter indigenti, non exerceret actum *miſericordiæ* ſed *juſtitiæ*. Atque ita textum D Thomæ intelligit *Sylvius* ad dictum *art.* 7.

29 De extrema neceſſitate, convenit inter Juriſ-peritos & Theologos, quòd illa excuſet à furto; adeò; ut extrema neceſſitate preſſo, liceat ſive occultè, ſive manifeſtè ſurripere rem neceſſariam ad ſubveniendum hujuſmodi miſeriæ. *Ratio* omnium eſt, quòd rerum diviſio, ad pacem inter homines ſtabiliendam, *jure* quidem *gentium* ſit introducta; aſt, ſub tacita conditione; ut in extrema neceſſitate, quæ legem non agnoſcit, omnia ad primordialem communionis ſtatum redirent. Proinde, ùt poſt *D. Thomam loc. cit. ad 2dum.* docet agmen Theologorum; in extrema neceſſitate quid rapiens, non

Digitized by Google

non tam *alienum*, quàm *ſuum* accipit.

30 Quinimò in neceſſitate extrema conſtitutus, nedum licitè poteſt, ſed etiam, per ſe loquendo, tenetur auferre ſibi ad vitam conſervandam neceſſaria, nec poteſt abſtinendo, ſibi mortem conſciſcere; quia ſic ſeipſum, abſque juſta cauſa, ſaltem *indirectè* occideret.

31 An licitum ſit tali caſu, Dominum ſeſe opponentem aggredi, vulnerare imò occidere, quæri poſſet. Negat id *Leſſius* apud *Sporer. loc. cit. n.* 89. ſed veriùs affirmant alii, dummodò id fiat ſervato juſto moderamine. Quanquàm non ſit negandum, extremè indigentem poſſe permittere mortem ſuî corporalem, ad ſalvandam animam Domini injuſtè reſiſtentis, conformiter iis, quæ *ſupra* diximus.

32 Dices: In nulla neceſſitate, etiam ad ſervandam vitam, licet *mentiri*, *fornicari*; ergo neque *furari*. *Reſp.* 1. *Negando conſeq.* Quia *mentiri* aut *fornicari* eſt *intrinſecè* malum & quidem *abſolutè*; furari autem non ita eſt intrinſecè malum ſed *ex hypotheſi* ſeu ſuppoſitâ voluntate hominum res alioquin communes dividentium, quæ voluntaria diviſio non potuit comprehendere caſum extremæ neceſſitatis. Unde Responderi poteſt 2dò. *concedendo totum*; quia in extrema neceſſitate, non accipitur *alienum*, ſeu alteri proprium, ſed *commune*.

33 Cæterùm; licet extrema neceſſitas tribuat egenti verum jus ut poſſit accipere rem apud alium exiſtentem per modum *occupationis*; & occupans rei acceptæ dominium ſeu jus *in re* vel ejus *uſu*, quantum neceſſitas poſtulat, acquirat; ideóque priſtinus Dominus teneatur extremè egentem ac volentem neceſſitati ſuæ proſpicere, non impedire; neque ab eo rem acceptam repetere vel extorquere; ne hoc modo ipſum indirectè ſaltem occidere videatur; Nequaquam tamen Dominus *ex juſtitia*, ſed duntaxat *ex charitate* & miſericordia licet ſtrictiſſimè, obligatur, rem ſuam dare vel offerre proximo, in extrema neceſſitate conſtituto: prout ſolidè diſtinguit & inter ſe pugnantes opiniones conciliat *Diana. part.* 2. *tract.* 3. *Miſcellan. reſolut.* 29. & *Tamburinus. lib.* 8. *cap.* 6. *tract.* 2. §. 2. *à n.* 4. *Ratio* eſt; quia neceſſitas etiam extrema, non facit egenum actu Dominum rei alienæ, nec alios privat dominio rei ſuæ; ſed ſolùm tribuit indigenti jus occupandi & *ſuam* faciendi rem alterius, quaſi in nullius bonis eſſet: hoc quippe ſenſu, extrema neceſſitas dicitur res facere communes. Sicut autem ad rem communem, *Titius* non habet actuale jus propriè dictum, ratione cujus ex juſtitia obligetur alter ipſi hujuſmodi rem offerre, ſed ſolùm facultatem naturalem, illam occupandi, unde poſt occupationem, tandem conſequatur jus illam retinendi; ſic in propoſitio, ratione extremæ neceſſitatis, pauper non habet jus actuale in rem alterius, vi cujus alter privetur dominio rei ſuæ, vel cogatur alteri rem ſuam offerre, ſed ſolùm habet jus & titulum, ut eam per occupationem, poſſit facere *ſuam*, & vi cujus alter prohibeatur non impedire occupare volentem, & non extorquere ab ipſo rem occupatam. Ex quo.

34 Resultat: Illum, qui proximo extremè indigenti non obtulit rem ſuam, non peccâſſe contra juſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem & miſericordiam, ac proinde non teneri ad reſtitutionem illius rei, quam ex virtute charitatis, debuiſſet dare, neque ad illius damni reſarcitionem, ſi egenus moriatur, cùm ſolius juſtitiæ violatio, obligationem reſtitutionis inducat, prout ſæpius animadverſum.

35 Quando autem extremè egens, utitur jure ſuo, & defactô tentat rem proximi

mi occupare, vel jam occupavit; jam nemo abſque injuria poteſt ipſum repellere vel impedire, aut ab ipſo auferre rem occupatam, cujus factus eſt Dominus; quod adeò verum, ut capienti rem extorquens, teneatur ei de damno inde ſecuto. Quo ſenſu accipi debet illud *D. Ambroſii*: *Paſce fame morientem, ſi non paviſti, occidiſti*. Cæterùm, hìc.

36 Dubitari Meritò poteſt, utrum tali caſu, Dominus obligationi ſuæ ex charitate & miſericordia ſatisfaciat; ſi pauperi non det *gratis*, ſed *mutuò*, vel *creditò*; vendendo ſcilicet rem neceſſariam, eâ lege, ut deinceps ſolvat, ſi ad meliorem fortunam, ceſſante neceſſitate, pervenerit? & num pauper hujuſmodi pacto inito obligetur? *Negant Sotus*, *Bannes*, *Medina*, *Valentia* & alii quos citat *Lugo*, *Diſp*. 16. *ſect*. 6. moti hac *ratione*; quòd præceptum eleemoſynæ maximè obliget in extrema neceſſitate, eleemoſyna autem debeat gratìs dari, quod non fit in mutuo, ubi ſaltem ſors reddenda. In *affirmativam ſententiam* abeunt *Navarrus*, *Covarruvias*, *Tamburinus* & alii, quos ſequitur *Lugo. loc. cit. ſect*. 7. *n*. 167. quibus & nos ſubſcribimus, *ex Ratione*; quòd Charitas ſolùm obliget ad ſubveniendum neceſſitati proximi, quod reverà fit, mutuum dando, cum pacto reſtituendi tempore melioris fortunæ: maximè; quia ſpes hujus reſtitutionis ab homine modò extremè indigente, valde exigua & incerta eſt, ut hujuſmodi mutui datio, ſatìs ſapiat eleemoſynam.

37 Ceſſante, aut non inito tali pacto, ſi auferens in extrema neceſſitate rem alterius, ſit *ſimpliciter*, id eſt; *re* & *ſpe* indigens, & res accepta ſit uſu conſumptibilis, poſt conſumptionem nihil tenetur reſtituere. Tum quia, ùt ſæpe dictum, pauper in extrema neceſſitate, rem ita communem factam, occupando, Dominus ejus effectus eſt. Tum quia ex peccato divitis, pauperi extremè egenti neceſſaria denegantis, non debet diviti accreſcere commodum & pauperi incommodum, cujuſmodi tam uni, quàm alteri adveniret, ſi pauper rem acceptam reſtituere teneretur, quam dives gratìs dare debebat, & gratis datam repetere non potuiſſet.

38. Dixi: *Si auferens &c. ſit ſimpliciter indigens*. Si enim extremè pro nunc indigens, *per accidens* hìc & nunc pauper ſit, ſpe verò locuples; utpote, ſi habeat alibi bona, aut ſit in proximo habendi, ſive per artem, ſive per ſucceſſionem, ſive aliter; ſana poſtulat ratio, quòd non poſſit abſolutè accipere alienum, ſed cum onere & intentione, tranſactâ neceſſitate, reſtituendi; eò quòd tunc non ſit neceſſitas ſimpliciter auferendi alienum, ſed potiùs emendi vel creditò accipiendi. Cui accedit, quòd tali caſu, nullus Dominus teneatur, aut credatur velle ſuum alteri dare *gratìs*, ùt rectè obſervat *Lugo. cit. n*. 170. Quocirca [inquit *P. Franciſcus Henno. Tract. in Decalog. diſp*. 7. *q*. 5. *concl*. 3.] exercitus auferens à Piſtoribus in extrema famis neceſſitate omnes panes, tenetur acceptis ſtipendiis, damnum reſarcire.

39 Dixi etiam: *Si ſit uſu conſumptibilis*. Si enim res ceſſante neceſſitate, in ſua ſpecie perſeveret; abſque dubio, reſtituenda erit, cùm tantùm ipſius uſus fuerit indultus. *Sylvius loc. cit. concl*. 1. Idem dicendum de eo, qui extremè indigens, abſumpſit rem, quam ante neceſſitatem, alteri, *ex contractu*, debebat; eò quòd ingruente extremâ neceſſitate, obligatio non tam extincta, quàm ſopita fuerit. Idipſum, à fortiori, dicendum de eo, qui rem alienam, ante neceſſitatem extremam, ſurripuit, vel injuſtè detinuit: ſi-

ſiquidem, egenus rem illam ſecluſâ neceſſitate, alio titulo, debebat reddere Domino ſuo; neque hæc obligatio per ſupervenientem neceſſitatem etiam extremam, extincta, ſed duntaxat ſuſpenſa intelligi poteſt, ut proinde eâ ceſſante, reviviſcat. Ita *Sylvius loc. cit. concl.* 3. Confer *Leſſium. lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 9. contra *Julium Clarum. lib.* 5. §. *Furti.* & *Sylveſtrum. V. Furtum.*

Diximus: Furtum eſſe peccatum ex genere ſuo mortale, puta: ſi concurrat materia ſufficiens, & animus adſit graviter nocendi proximo. Quanta autem requiratur materiæ gravitas ad Furtum mortale, & unde illa ſumenda ſit? Diſputatur inter Theologos præſertim. Pro reſolutione hujus altercationis.

40 Suppono: Omne Furtum à pecunia diſtinctum, debere commenſurari pretio pecuniario, quanti ſcilicet res ablata, tali loco & tempore vendi poſſet, ſi vænum exponeretur?

41 Suppono etiam cum *Wiggers*, *Neeſen* & aliis, malè conſtitui ſeu æſtimari Furti gravitatem per reſpectum ad perſonam opulentam aut pauperem, quaſi verò ad Furtum *mortale* reſpectu divitis, major requireretur quantitas, quàm reſpectu mediocris aut pauperis, cui quid aufertur. *Ratio* eſt, quia perſonæ, cui quid ſurripitur, qualitas, eſt merè extrinſeca Furto, quod eſt ablatio rei alienæ, & ſolidus ablatus à divite vel paupere (quod materiam Furti attinet) æqualis eſt ponderis. Si igitur

42 Oggeras *imò.* Magìs damnificari pauperem ex ablatione unius *ſolidi* ſeu *libræ* unius, quàm divitem, ex ablatione Aurei *Hungarici.* Resp. Illam damnificationem majorem, non provenire ex natura & materia Furti, ſed aliunde, & per accidens, ex circumſtantia paupertatis, quòd videlicet pauper magìs exinde contriſtetur, nec habeat, unde ſe vel per unam diem alere poſſit, & conſequenter à vicino, aut eleemoſynam, aut cum rubore, mutuum petere debeat. Verùm, cùm hæc damnificatio ſit Furto planè extrinſeca; non poteſt illud, in ratione Furti, aggravare, licet aggravet in ratione peccati diſtincti, puta: *crudelitatis*, *immiſericordiæ* &c. Si

Oggeras *2dò.* Sartorem, cui ſurripitur acus unica, aut ſutorem, cui ſubula unica, quam habet aufertur, majus damnum pati, quàm, ſi locupleti mercatori auferretur ulna panni valens tribus imperialibus; ac proinde perſonæ qualitatem in Furto conſiderari præcipuè debere. Resp. *Negando conſeq.* Quia damnificatio major ex ablatione acûs vel ſubulæ unicæ, quâ Sartor vel Sutor ſibi victum acquirere debet, verè oritur ex Furto, & ideo non eſt mirum, quòd illud aggravet in ratione Furti. Quòd autem pauper magìs ſit invitus, magíſque doleat de ablatione rei, exigui pretii; quàm dives, de ablatione rei majoris momenti, extrinſecè ſe habet ad rationem Furti. Et ſanè, ſi Furtum exinde augeretur, quòd Dominus ſit magìs invitus & dolens; ſequeretur, quòd, ſi Dominus ob ablationem unius *rapi*, aut *braſſicæ*, vel *pomi*, eſſet maximè exacerbatus; Fur peccaret mortaliter; quod nemo dixerit. Imò, cùm opulentiores, propter affectum inordinatum ad bona temporalia, non raro ſint magìs inviti, quàm pauperes; graviùs delinqueret ſurripiens quid à locuplete, quàm à paupere. Licet ergo ad rationem Furti intrinſecè concurrat diſſenſus Domini, ita, ut non niſi eo invito, Furtum ponatur; major tamen vel minor Domini exacerbatio, dolor aut diſplicentia, nihil confert ad rationem Furti, licet aliunde conſtituere poſſit novum peccatum in furante, ſicut dictum.

43 Propiùs ad rem veniendo; non placet

cet ſententia *Laymanni*, *Navarri*, *Bonacinæ* & aliorum, quos citat & ſequitur *Sporer loc. cit.* §. 4. *n.* 29. Volunt enim iſti Authores, materiam Furti mortalis *abſolutam* & reſpectu cujuſcunque etiam Regis vel Principis potentiſſimi, eſſe valorem duorum circiter *ducatorum*; *reſpectivam* verò, eſſe quantitatem ſeu valorem ſufficientem ad ſuſtentationem ſeu victum unius diei, reſpectu perſonæ, cui res ablata eſt. Ita, ut lethaliter peccaret, qui v. g. à mercatore valde divite, duos circiter florenos *Rhenenſes* auferret, à cive mediocriter divite, *florenum*; ab opifice, ex laboritio vivente, tres vel quatuor *pacios*, à paupere mendico, aliquot *cruciferos*.

Magis rationabilis mihi videtur ſententia illorum, qui nullâ habitâ ratione perſonæ pauperis vel divitis, ad Furtum mortale requirunt & ſufficere ajunt quantitatem ſeu valorem neceſſarium ad ſuſtentationem diurnam honeſtæ perſonæ generatim acceptæ. Ita, ut is cenſeatur grave Furtum commiſiſſe, qui in hac Regione, alteri abſtulit tres circiter *ſolidos*, ſeu medium *Imperialem*. *Ratio* eſt; quia, cùm Furti gravitas aut levitas conſtitui nequeat per reſpectum ad paupertatem vel divitias perſonarum, ſicut oſtenſum; victus verò diurnus decens & ordinarius honeſtæ perſonæ, videatur quid notabile; ideo non incongruè illius æquivalentis ablatio, ſufficere videtur ad peccatum grave. Confer *Sylvium. loc. cit.* §. *Quæritur.* 1. *per tot.*

44 Quanquàm autem ad Furtum intrinſecè conſtituendum, non ſit habenda ratio perſonæ læſæ, an ſit Rex, nobilis, dives vel pauper? in foro tamen *poli* ſeu *conſcientiæ*, perpendendæ ſunt hujuſmodi circumſtantiæ; cùm aliunde novam & diſtinctam addant malitiam. Veluti, ſi Fur prævidit, aut prævidere debuit, dominum, ob rem ablatam, in gravem aut extremam neceſſitatem eſſe conjiciendum; cum uxore, prolibus aut domeſticis rixaturum; blaſphematurum; propter inopiam, pariter aliena rapturum; illicitum quæſtum facturum *&c.* Sicut à gravitate materiæ *abſolutè loquendo*, deſumitur gravitas Furti; ita à materiæ parvitate aut levitate, hauritur ejuſdem levitas. Sed Quæri poteſt; an ex pluribus Furtis minutis, conſurgat unum grave.

45 Theologorum communis & vera ſententia eſt, eum, qui animo multa furandi, plura modica ſucceſſivè ſurripit, ſive ab uno, ſive à diverſis, peccare *mortaliter* & quidem toties, quoties tali intentione, minuta ſurripit. *Ratio* eſt: quia, qui habet intentionem proximo nocendi in re gravi, peccat lethaliter, & media ſemper participant malitiam à fine intento: Talis autem habet & retinet, ùt ſupponitur, intentionem nocendi proximo in re gravi, & ſingula Furta minuta, procedunt ex illa intentione. Ergo talis toties peccat mortaliter, quoties eâ mente, minuta Furta committit. Ubi tamen Observabis, quòd non committat tot diſtincta Furta mortalia, quot fuerint Furta minuta, ſed unum tantùm *mortale*; quia omnia Furta minuta, ſimul ſub una intentione principali junguntur tanquam continuata executio illius intentionis mortalis.

46 Atque exinde judicabis, qua ratione, peccet mortaliter is, qui menſuras & pondera falſificando, vino modicam aquam aliiſve mercibus deteriorem materiam admiſcendo, notabile lucrum colligit. Quia in his caſibus, unum eſt malignum propoſitum circa objectum ſucceſſivè grave. Aliud eſt de eo, qui hodie ab uno, unum vel duos groſſos furatus eſt & conſumpſit, ac deinceps pœnitentiâ ductus, abſtinere propoſuit, nihilominus autem poſt aliquod

quod intervallum, iterum oblatâ occaſione, duos groſſos eidem vel alteri ſurripuit, & hoc modo ſæpius, poſt propoſitum abſtinendi, pervenit ad ſummam notabilem certò ſufficientem ad mortale Furtum. Iſte enim, cùm non in eodem propoſito perſeveraverit; utique in ſingulis actibus, non commiſit unum lethale peccatum, ſed plura disjuncta *venialia*. Equidem, ſi minutatim furando, pervenerit ad quantitatem notabilem, peccatum tunc incipiet eſſe mortale, ſi non ratione *ablationis*, ſaltem ratione *injuſtæ detentionis*, ùt benè obſervat *P. Henno. Tract. in Decalog. diſp. 7. q. 3. concl.* 1. & *P. Sporer. loc. cit.* §. 3. *n.* 40. *& ſeq.* Conſonat *Sylvius loc. cit.* §. 3.

47 Oppones. è peccatis venialibus etiam in infinitum multiplicatis, non conſurgit unum mortale. Ergo. *Reſp. Diſt. Antec.* E peccatis venialibus *diſparatis*, nullámque inter ſe connexionem ſive *in materia*, ſive *effectu cauſato* habentibus, (velut in cogitationibus inutilibus, verbis otioſis, mendaciis jocoſis *&c.* non conſurgit unum mortale *Conc.* Si autem ita ſint connexa, ut in noſtro propoſito. *Neg.* Neque enim in noſtro propoſito, peccata venialia quà talia in individuo, efficiunt unum mortale; ſed ultimum Furtum, quod ſecundùm ſe, eſſet merè *veniale*, hîc & nunc præcedentibus furtulis adjectum, evadit *mortale*, ratione *rei acceptæ*.

Replicabis. Ultimus actus Furti eſt ejuſdem rationis cum præcedentibus. Ergo venialis tantùm. *Reſp Diſt. Antec.* Eſt ejuſdem rationis, *de ſe* & *ex objecto ſuo præcisè ſumpto*. Conc. *Per accidens* & *conſiderato objecto relatè ad actus præcedentes. Neg.* Ratione enim connexionis cum præcedentibus Furtis, habet ultimus actus, aliquam circumſtantiam complentem ſcilicet materiam ſeu damnum notabile domini, quam non habent actus priores.

Urgebis. Ultimum Furtum non plus nocet, quàm præcedentia; ergo & illud eſt æque *veniale*. *Reſp. Diſt. Antec.* Non plus nocet *abſolutè* & *ſecundùm ſe ſumptum*. Conc. Non plus nocet *reſpectivè*, & ut eſt conjunctum cum Furtis præcedentibus *Neg.* Siquidem ultimô Furtô minutô, completur materia ad Furtum lethale ſufficiens. Ex his

48. Sequitur 1*mò*. Furtum leve ultimum, non coaleſcere cum prioribus, ſi defacto ſint reſtituta, Nam, ſi coaleſceret; vel id fieret ideo, quòd compleret grave damnum proximi; vel quia concurreret ad detentionem rei alienæ notabilis, quorum neutrum contingit, cùm Furta priora, utpote reſtituta nec ampliùs noceant proximo, nec ampliùs ſint apud Furem *formaliter*, vel *æquivalenter*, neque damnum vel detentionem rei alienæ poſſint augere. Ut ùt igitur quis millies modica ſurripuerit; nunquam peccavit mortaliter, ſi ſingula minutatim ablata, priuſquam ad ſummam notabilem excreverint, reſtituerit, aut abfuerit animus continuandi hujuſmodi Furta.

49 Sequitur 2*do*. Illum, qui commiſit Furtum mortale uno aut pluribus actibus, non toties peccare mortaliter, quoties poſteà modica furatur, niſi tunc explicitè vel implicitè renovet intentionem ablata non reſtituendi, ſed retinendi notabilem quantitatem rei alienæ, majorem & majorem. Vide *P. Sporer. loc. cit. ſect.* 2. §. 2. *n.* 39.

50 Sequitur 3*tiò*. Illum, qui per modica Furta, tandem abſtulit rem notabilem, teneri ſub mortali ad reſtitutionem faciendam domino aut dominis, ſi poſſibile ſit, alias pauperibus. *Ratio* 1. *p. eſt:* quia ſive Furta modica fiant in rebus diverſis, ſive ejuſdem rationis, ſive

Fur

Digitized by Google

Fur ſit pauper ſive dives; equidem omnia ablata coaleſcunt in ratione rei alienæ, & conſequenter, dum hæc gravis evaſit, gravis quoque reſultat reſtituendi obligatio. Ut meritò *Innocentius XI.* hanc proſcripſerit propoſitionem: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis, reſtituere, quod ablatum eſt, per pauca Furta quantumcunque ſit magna ſumma totalis. Ratio 2dæ partis* eſt; quia, dum reſtitutio non poteſt fieri dominis, utpote incertis vel ignotis aut nimium diſtantibus, pia ratio poſtulat, ut in illos uſus expendatur res aliena, in quos dominus rationabiliter præſumitur velle rem ſuam expendi; voluntas autem domini ea cenſetur eſſe; ut, ſi res ſua ſibi non poſſit prodeſſe *corporaliter*, ſaltem proſit *ſpiritualiter* ac proinde expendatur in pauperes aut pias cauſas, prout Doctores concludere ſolent de rebus inventis, ùt ſupra animadverſum. *n.* 22. Quòd ſi rem alienam ex Furto, aut mala fide tenentes, ipſimet forent pauperes; poſſet ipſis, prudentis viri arbitratu, pars, non totum, remitti; ita, ut pro parte remiſſa, gratiarum ergò, orent pro anima & ſalute domini, & memores peccati ſui, ab iterandis Furtis deterreantur.

Hîc Quæri poteſt de Furtis minutis, factis eidem, à diverſis. Exempli gratiâ. Plures tranſeuntes, vineam paucos botros decerpunt: plures intrantes cellam vinariam, modicum vini, furtivè bibunt; plures famuli, eidem domino eſculenta aut poculenta, pecuniámve modicam ſurripiunt &c. ita ut omnia ſimul ſumpta, conficiant quantitatem notabilem, in grave detrimentum domini. Quæstio eſt; quantoperè ſinguli peccent & reſtitutioni ſint obnoxii?

51. Si plures communi conſenſu, conſilio aut cooperatione, ita furentur; indubium eſt, ſingulos peccare mortaliter & *in ſolidum* (aliis deficientibus) eſſe obnoxios reſtitutioni, eò quòd ſinguli ſint cauſa *moralis*, totius damni.

52 Quòd, ſi unus primò incipiens botrum v. g. decerpere, ſolo exemplô ſuô, aliis occaſionem præbuit grave damnum inferendi, peccavit quidem *mortaliter*; non tamen ex juſtitia, ſed duntaxat charitate, tenetur domino reſarcire damnum à cæteris illatum, ſi ipſi reſtituere nolint. Confer *Layman. lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *cap* 1. *n.* 3. *Ratio* eſt; quia ex juſtitia nemo reſtituere tenetur, niſi juſſu, communi conſilio, aut aliter, verè influxerit in totum damnum, non verò, ſi aliis ſcandalum aut malum præbuerit exemplum.

53 Hic Obſervant Caſuiſtæ, plus requiri ad Furtum mortale, ſi à pluribus minuta auferantur, quàm ſi ab uno; plus, ſi ab eodem diverſis vicibus, quàm, ſi unico actu; plus itidem; ſi per longa intervalla; quàm, ſi eodem tempore; modo tamen abſit animus ex illis diteſcendi, aut ulterius Furta continuandi. Rationem dant: quòd, cùm Domini ex modicis illis inſenſibiliter ablatis, vix aliquid damni percipiant; non cenſeantur illa tanti æſtimare, ac, ſi ſimul & ſemel auferrentur. Nam dicente *D. Thoma.* 2. 2. *q.* 66. *art.* 3. *In his, quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum inferri.* Proinde, cùm ex nocumento gravi aut levi, Furti gravitas colligatur; ſequitur [inquiunt] in Furtis illis plus requiri ad mortale, quàm in aliis; adeóque duplum aut ultra; juxta temporum intervalla aut perſonarum læſarum multitudinem. Si

54 Oggeratur: Tantum retinere de re aliena, qui tempore diverſo, à diverſis perſonis ſurripit v. g. medium imperialem, quàm, ſi ſimul ab eodem ſurriperet: atqui juxta dicta ſuperius, *n.* 43. ſurripiens valorem medii imperialis peccat mortaliter. Ergo. Rdent Caſuiſtæ, tan-

Digitized by Google

tantum quidem retineri de re aliena, ſed non *tanti æſtimata*, Cùm enim (ajunt) à dominis pendeat, rerum ſuarum valorem minuere; eô ipsô, quo minoris eam æſtimant, cenſentur res intuitu ipſorum, minoris valere.

Eodem tenore dicunt Caſuiſtæ; quòd etſi uxores, filii, famuli, domeſtici, Religioſi; invitis Maritis, Parentibus, Dominis aut Prælatis, quid ſurripientes, vera Furta committant; attamen, ut mortaliter peccent, requiratur major quantitas, quàm in Furtis in alios commiſſis. *Rationem* dant; quòd omnes illi, ex una parte verè contrectent rem alienam invito domino; ex alia autem parte, Paterfamilias v. g. non ita invitus ſit, ſi res ſua ſurripiatur à familiaribus aut domeſticis, quàm, ſi ab extraneis auferretur; aut, ſi graviter invitus eſſe videatur, graviterq; moveatur; plerumque tamen id contingat, non tam ratione rei acceptæ, quàm ratione modi accipiendi, ſcilicet *clam*, *furtim*, *non petitâ licentiâ*, aut ratione mali finis, v. g. ut *luſu*, *potatione* &c. abſumant Vide latiùs *P. Sporer. Tract. 5. in VII. Decalogi Præcept. ſect. 2. §. 1. à n. 51.*

55. Si maritus diſſipet bona uxoris *paraphernalia* aut *dotalia*; vel etiam bona familiæ *communia*, utique pro materiæ gravitate peccat: & damnum uxori reparare tenetur. *Ratio* eſt; quia maritus bonorum *Paraphernalium* nec dominium nec adminiſtrationem habet; & licet *dotalium* ſit Adminiſtrator & Uſufructuarius; equidem his ita frui debet, ut ſalva & integra maneat eorum ſubſtantia. Similiter, licet bonorum communium liberam habeat adminiſtrationem, ita, ut illa poſſit diſtrahere, & de illis contrahere; quia tamen ſolius medietatis dominium habet, utique jus lædit uxoris, ſi totum diſſipet, & abſque fortunæ vitio, aut neceſſitate, abſumat.

56 Parili modo, uxor tenetur Furti, cum onere reſtitutionis, ſi ex bonis, quorum dominium aut adminiſtrationem maritus habet, notabilem quantitatem auferat. Plus tamen, ùt dictum requiritur ad Furtum mortale uxoris, quàm alterius. Quinimò ab omni peccato uxor excuſari poteſt in ſequentibus caſibus. 1. Si clam accipiat ad ſolutionem debitorum quæ maritus tenetur, & renuit ſolvere. 2. Si ad erogandas eleemoſynas ſuo ſtatui proportionatas. 3. Si ad ſuſtentationem familiæ, aut decentem ſuî vel prolium ornatum, aut etiam honeſtam diſtractionem. 4. Si ad placandum Deum, aut ad avertendum familiæ aut ipſius mariti damnum ſive temporale ſive ſpirituale; puta: pro ipſius converſione, Eleemoſynas erogando. 5tò. Si ad ſuccurrendum Patri aut Matri, aut etiam ad aſſiſtendum prolibus prioris thori; videlicet: ſi avaritia aut indiſcretio viri tanta fuerit, ut defectum mariti uxor rationabiliter ſupplere debeat.

57 Furtorum duo ſunt genera; aliud enim eſt *manifeſtum*, aliud non *manifeſtum*. *Manifeſtum* eſt; quando Fur deprehenditur cum re Furtiva, antequàm eò loci detulerit, quo deſtinârat eo die, quo Furtum fecit, manere cum re Furtiva. *l. 4. ff. De Furtis.* Perinde autem eſt, an deprehendatur in ipſo actu furandi, ſive in loco, in quo Furtum fecit, ſive in alio; dummodo deprehendatur, priuſquàm ad locum deſtinatum pervenerit. Furtum *nec*, ſive *non manifeſtum* eſt, in quo Fur tali modo non deprehenditur. Utrumque hoc genus Furti ex adjunctis ac circumſtantiis, aliud vocatur in jure Civili *conceptum*, aliud *oblatum*. de quibus vide §. *Inſt. De Furtis.* Aliud iterum dicitur *diurnum*, aliud *nocturnum*.

58 *Ex Ratione loci*, aliud fit in loco Sacro: & Canonum jure, eſt *Sacrilegium*; li-

licet inibi res etiam **non Sacra** auferatur. Aliud fit in tumultu, v. g. incendii, ruinæ, naufragii *&c.* & hoc gravius eſt cæteris, eò quod tunc major ſit occaſio furandi, & minus à Domino res cuſtodiri valeat. *l.* 18. *C. Eod.* Aliud fit in Balneo, unde dicuntur *Balnearii Fures*, videlicet: qui furantur veſtimenta eorum, qui ſe in balneo lavant, quæ quoque ſpecies ob hanc circumſtantiam, graviùs punitur.

Ex perſona Furis aliud dicitur ***domeſticum***, quod ſcilicet fit abaliquo de familia. v. g. ab uxore; quod, ùt ſupra notatum, peculiariter *rei amotæ* nomine appellatur: vel à ſervis aut liberis. Aliud dicitur ***non domeſticum***, quod ab aliis committitur.

Intuitu rei ablatæ, aliud eſt rei *Sacræ*, & eſt Sacrilegium, aliud rei *profanæ*, ut arborum *furtim cæſarum*; *Gregis*, quod *Abigeatus* dicitur; ***hominis***; quod *Plagium* vocatur. De quibus poſtea. Aliud *ſimplex*, aliud *qualificatum*. Aliud *iteratum* aliud ***non*** *iteratum*. Quæ diſtinctiones faciunt ad exaſperandam vel minuendam pœnam.

59 Pœna Furti *manifeſti*, de jure Civili, præter rei furtivæ perſecutionem, eſt ***quadrupli***; ***non manifeſti*** verò ***dupli*** per text. expreſſum in §. 18. *Inſt. De Actionib.* & §. *Pœnam.* 5. *Inſt. De Obligat. ex delicto.*

60 ***Actio Furti*** datur domino rei, & illi cujus intereſt, Furtum non eſſe factum. ***l. Cujus intereſt.*** 10. *ff. De Furt.* ibi: ***Cujus interfuit non ſurripi, is actionem Furti habet.*** Illius autem intereſt, qui ob rem, quæ culpâ ipſius periit; à domino conveniri poteſt, ſive ad rei reſtitutionem, ſive ad præſtandam ejus æſtimationem. ***l. Interdum.*** 49. *ff. Eod.* Hæc actio contra Furem datur, licet res perierit. *l. Inter omnes.* 46. *Princip. ff. eod.* ibi; ***Inter omnes conſtat, etiamſi extincta ſit res furtiva, attamen Furti remanere actionem contra Furem***, etiam ***impuberem*** doli capacem *l. Impuberem.* 23. *ff. Eod.* Non tamen contra hæredes Furis; niſi fortè lis cum defuncto, dum vivebat, fuerit conteſtata. *l.* 1. *ff. De privat. delict.* & §. 1. *Inſt. De perpet. & temporal. act.* junctâ *l.* 146. *ff. De R. J.* ibi: ***Pœnalia judicia ſemel incepta, etiam in hæredes tranſmitti poſſunt.*** Datur quoque contra eos, qui ad Furtum, conſilio, auxilióve concurrerunt, aut rem Furtivam receperunt, aut deniq; ejus participes facti ſunt.

61 Cur Furtum ***manifeſtum*** graviùs, quàm ***non manifeſtum*** puniatur; *Ratio* eſt; quia præter læſionem proximi, Furtum manifeſtum, majorem impudentiam & temeritatem præſefert, nec caret ſuſpicione violentiæ. Confer *Schneidewinum. ad* §. *fin. Inſtit. De obligat. ex delicto. n.* 4. *Harprecht. ad* §. *Pœnam. Inſt. eod. n.* 2. & 3.

62 Præter pœnalem Furti actionem, qua non res ipſa ablata, ſed ***quadruplum*** vel ***duplum*** reſpectivè ipſius rei petitur; dantur adhuc, ùt antea intimatum, aliæ duæ actiones & remedia rei perſecutoria, videlicet: *Vindicatio*, & *Condictio Furtiva*.

63 *Vindicatio* rei Furto ablatæ, eſt actio realis competens domino, non tantùm contra Furem, ſed etiam contra quemcunque poſſeſſorem talis rei furtivæ. §. 1. *Inſt. De Actionib.* §. *fin. Inſt. De Oblig. ex delict.* ibi: ***Rei vindicatio adverſus poſſeſſorem eſt, ſive Fur ipſe poſſidet, ſive alius quilibet.*** Idque verum eſt, ſive quis bonâ ſive malâ fide, juſto vel injuſto titulo, rem furtivam poſſideat. *l. Incivilem.* 2. *C. De Furtis.* Quinimò talis poſſeſſor tenetur rem furtivam domino reſtituere; etiamſi hic nolit, illi pretium pro re furtiva fortè empta refundere. *dict. l.* 2. ibi: *Incivilem rem deſideratis,* ut

Digitized by Google

ut agnitas res furtivas non priùs reddatis, quàm pretium fuerit ſolutum à Domino. Porrò, hæc actio adhuc ſupereſt, poſt intentatam Furti actionem. *l. Si pignore.* §. 3. *ff. De Furt.* ibi: *Poſt ſolutam dupli aut quadrupli pœnam, ſalva eſt vindicatio & condictio.*

Condictio Furtiva, eſt actio *perſonalis*, quâ rei Furto ablatæ reſtitutio, ſi exſtat, vel, ſi non amplius exſtat; ejus æſtimatio, totúmque intereſſe petitur. *l. Si condicatur.* 3. & *l. in re furtiva.* 8. *ff. De condict. Furt.* Competit autem ſoli domino. *l.* 1. *ff. Eod.* contra Furem, vel Fures, ſi plures fuerint; & quidem contra omnes *in ſolidum*; ita tamen, ut, ſi unus plenè ſatisfecit, cæteri ſint liberi. *l.* 1. *C. De condict. Furt.* Datur inſuper nedum contra Furem, verùm etiam contra quoſcunque ejus hæredes, non ſolùm in id, quod ex re furtiva ad illos pervenit; ſed etiam *in ſolidum*, quamvis nihil ad eos pervenerit; id quod ſingulariter in odium Furum fuit conſtitutum, ne ſcilicet Fures facilè habeant hæredes. §. *fin. Inſt. de Oblig. ex delict. l. Ex re furtiva.* 5. *l. Si pro Fure.* 7. §. 2. *ff. De condict. Furt.* Idque & obtinet, tametſi Fur ultimò ſupplicio fuerit affectus. Hæres enim ejus, nihilominus ad reſtitutionem rerum Furto ablatarum, aut præſtandam æſtimationem earundem rerum non amplius exſtantium, hac condictionis actione compelli poterit per *Conſt Crim. Caroli V. a.* 51. 207. & 213.

64 Pœnæ *criminales* Furti, ultra *quadrupli* vel *dupli* præſtationem, variæ ſunt, & in primis is, qui gravis Furti condemnatus eſt, *infamiâ* notatur. §. 2. *Inſtit. De pœna temerè litig.* & *l. Athletas.* 4. §. *fin. ff. De his qui infamia notantur.* Et hæc pœna etiam tenet Clericos. Nam quicunque fit infamis ſecundùm leges, etiam fit infamis ſecundùm Canones. *Arg. can. Infames. cauſ.* 6. *q.* 1.

Olim quidem ob *ſimplex Furtum*, prohibitum erat, furi mortem vel mutilationem inferre. *Auth. Sed novo. C. De ſervis fugit.* ibi: *Sed pro Furto non, nec aliquod membrum abſcindetur: ſed aliter caſtigabitur.* & *Novell.* 134. *cap.* 13. ℣. *Pro furto.* ibi: *Pro Furto autem nolumus omnino quodlibet membrum abſcindi aut mori, ſed aliter eum caſtigari.* Verùm, jure novo Cæſareo *Friderici* I. & *Caroli V.* præter antiquam *quadrupli* aut *dupli* pœnam, ob nimiam furtorum frequentiam Reipublicæ oppidò nocivam, etiam pœnæ mortis & mutilationis in fures ſtatutæ fuerunt & hodiedum ubique ferè obſervantur. Conſtitutio *Friderici I.* habetur, *lib.* 2. *Feudorum. cap.* 27. *in fine* & ſic ſonat: *Si quis quinque ſolidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueo ſuſpendatur, ſi minus; forcipe & ſcopis excorietur & tundatur.* Ubi per *ſolidum* intelligitur *aureus* ſeu *ducatus* nunc uſualis.

Qualiter per noviſſimam Conſtitutionem pœnalem *Caroli V.* puniendi ſint fures ſive *manifeſti* ſive *nec manifeſti*, ob furtum ſive leve, ſive grave, item ob furtum primum, ſecundum vel tertium; itidem ob furtum violentum, fuſiùs videri poterit apud *Julium Clarum.* §. *Furtum. Farinacium. prax. crimin. q.* 167. *Carpzovium* & alios criminaliſtas.

65 Hîc INDAGARI meretur, num res furtivæ apud furem à judice apprehenſum inventæ, Fiſco, Judici vel Officialibus aut Miniſtris juſtitiæ, cedant; vel potiùs veris dominis, à quibus fuerunt ablatæ, reſtitui debeant? RESP. Res furtivas utique veris dominis, ſi de iis conſtet, reſtitui debere, prout expreſsè declaravit *Carolus V.* in *dict. Conſtitutione criminali. art.* 207. & *Ferdinandus* I. in *Receſſu imperii, de Anno* 1559. §. *Und nach dem ahn etlichen.* & optimâ ſanè ratione, Imperatores iſti, ſtatuta & conſuetudines con-

trarias tanquàm intolerabiles abuſus & corruptelas juri divino & naturali contrarias, reprobârunt. Quid enim iniquiùs & juri naturali magìs adverſum; quàm, ut Fiſcus aut quivis alius, cum jactura & damno alterius, locupletetur; & verus dominus citra factum aut culpam ſuam, re ſuâ privetur? Futilis igitur eſt prætextus ille, quem avari & iniqui juſtitiæ miniſtri adinvenêre & opponere ſolent; videlicet: capturam, cuſtodiam, alimentationem & executionem furis, magnas requirere expenſas, proinde res furtivas apud furem repertas, in compenſationem hujuſmodi expenſarum, Fiſco; vel pro mercede laboris, Officialibus juſtitiæ, meritò cedere. Frivolus inquam & iniquus iſte eſt prætextus; quo nequaquàm attento, *Carolus V. loc. cit.* diſertè ſtatuit: res furtivas, domino ſuo, abſque diminutione, reſtitui debere; & meritò; quia Præſidi & cuivis judici ac magiſtratui, ex officio, incumbit, malis hominibus Provinciam expurgare & in illos pro qualitate delicti animadvertere. *l. Congruit.* 13. *ff. De Offic. Præſid.* Quod autem Judici ac Magiſtratui ex officio incumbit, hoc abſque alterius privati damno aut præjudicio, præſtare debet, præſertim, cùm in hanc rem ſufficiens ſalarium habere cenſeatur, aut ex publicis proventibus, hujuſmodi expenſæ ſolvi ſoleant.

66 Sicut autem jure divino, ita & humano Eccleſiaſtico, fures tenentur reſtituere res furto ablatas. *cap. Peccatum.* 4. *de R. J. in* 6. Ita tamen, ut ante ſententiam judicis plus non cogantur reſtituere, quàm abſtulerint; licet poſt illam, in plus obligentur, cùm teneantur parére juſtæ judicis ſententiæ, eos ad ſolutionem *dupli*, vel *quadrupli* aut *intereſſe*, condemnantis.

67 Ut res furtivæ domino ſuo reſtituantur, poteſt Epiſcopus [non item Prælatus illo inferior, multò minus poteſtas ſæcularis] contra injuſtum detentorem, ſicut etiam contra eum, qui rem furtivam ab alio detentam non revelat, edere *Decretum generale*, in eóque debitis monitionibus præmiſſis, ſtatuere, ut, qui intra certum terminum, rem furtivam magni momenti, non reſtituerit, vel eam ſciens non revelaverit; ipsô factô ſit excommunicatus, prout diſertè ſancivit Concilium *Trident. ſeſſ.* 25. *De Reform. cap.* 3. Ad quem textum notat *Engel. De ſent. Excommunicat. n.* 24. Quòd vi illius, ad revelandum vel denuntiandum non obligentur illi, qui abſque ſua vel ſuorum (contra quos teſtimonium ferre non coguntur, de quibus vide *Zoëſium* ad tit. De Teſtib.) infamiâ aut gravi præjudicio, id facere nequeunt, ſicut nec illi, qui rem certò non ſciunt, & ſaltem furtum ne per unum teſtem probare valent. qua de re Confer *Barboſ. De Officio & Poteſt. Epiſcop. Allegat.* 69.

68 Fur *notorius* aut *furti* condemnatus, canonum jure, nedum infamis, ſed & *irregularis* efficitur. *Arg. can. Qui in aliquo.* 5. *diſt.* 51. Vide *Navarrum* in *Manuali. cap.* 17. *n.* 204 & *Pirbing. ad Tit. de Furt. n.* 27. & hanc lituram, per abolitionem infamiæ, princeps ſæcularis tollere nequit, ſed opus eſt Papæ diſpenſatione ad ordines ſuſcipiendos. *Arg. cap. Cùm te.* 23. *De Sent. Excom.* Quin & Clericus fur notorius, ab Officio & Ordine Clericali deponi debet. *Can. Præsbyter.* 12. *diſt.* 81. & *Cap. Cùm non ab homine.* 10. *De judiciis.* Qui, ſi non reſipiſcat, etiam excommunicari & Curiæ ſæculari extradi debet. per *text.* expreſſum in iſto *cap.* 10.

69 Sacrilegium, prout eſt ſpecies *Furti*, de jure Civili, tale non reputabatur, nec ordinariis Sacrilegii pœnis ſubjiciebatur, quando furtum conſiſtebat in rei ſa-

ſacræ è loco profano, vel rei profanæ è loco ſacro, ablatione; quia leges Civiles, ad Sacrilegium requirebant ablationem rei *Sacræ, è loco Sacro. l. Severus.* 5. & *l. Sacrilegi.* 9. §. 1. *ff. Ad Leg. Jul. de pecul.* Hodie tamen per Conſtitutionem criminalem *Caroli V. art.* 171. in foro etiam Civili, Sacrilegium conſideratur juxta juris Pontificii definitionem. *can. Quiſquis.* 21. *cauſ.* 17. *q.* 4. ibi: *Sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, ſive Sacrum de non Sacro* ſcilicet loco.

Sacrilegium cum violentia & effractione Sacri loci commiſſum, verum conſtituit violatorem Eccleſiæ, & pœnis in violatores Eccleſiarum ſtatutis plectitur, de quibus vide Canoniſtas ad *tit.* 17. *lib.* 5. *Decretal.* Si abſque effractione patratur; excommunicatione *ferendæ ſententiæ*, punitur. *Arg. cap. fin. De furt.* & *cap. Conqueſtus.* 16. *De foro compet.*

De jure Civili, ultra pœnam furti, Sacrilegium gravius punitur, prout videre licet apud Criminaliſtas.

70 Furti ſpecies conſtituunt *Plagium*, *Abigeatus*, *Peculatus*, *Crimen de reſiduis*, *Crimen expilatæ hæreditatis*, *Sepulchri violatio*, & *Amotio termini*, de quibus Civiliſtæ in Pandectis agunt. Quia tamen crimina iſthæc naturali etiam jure vetita noſcuntur; paucis de illis agemus.

71 *Plagium* itaque eſt crimen publicum, quo quis doloſè ſurripit hominem *ſui juris* exiſtentem, vel etiam ſervum alienum, ut vel detineat illum, vel vendat, donet, permutet, vel alio modo, quo dominium rerum transfertur, alteri tradat. *l.* 1. & *ſeq. ff. ad Leg. Fabiam. de Plagiariis.* Ubi, ut notant Doctores, non committitur furtum, ſi homo *ſui juris* ſurripitur. Quia libera perſona ſub nullius exiſtit dominio. §. *Item juris. Inſtit. De Inutilib. Stipul.* Si verò proles ſub patria poteſtate conſtituta ita ſurripitur, veri furti ſpeciem facit. §. *Interdum. Inſt. De Obligat. quæ ex delict.* Ita ut *patri* actio *furti* competat. *l. Eum qui* 14. §. *Si Filius-famil ff. De Furtis.* Non item *matri*; quia hæc liberos in ſimili poteſtate non habet. *l. Mater. ff. Eod.*

Plagii pœna olim pecuniaria erat *l. fin. ff. Ad Leg. Fab. de Plagiariis.* Hodierno autem jure, eſt capitalis. *l. Quoniam.* 7. & *l. fin. C. Ad Leg. Fab. De Plagiar.* juncto *cap.* 1. *De furt.* Quæ tamen pœna interdum in mitiorem convertitur, puta: exilii, metalli fodiendi *&c.* dict. *l. fin. ff. Eod.* Confer *Zoëſ. ad iſtum tit.*

72 *Abigeatus*, eſt quædam furti ſpecies, quam committunt *Abigëi*, id eſt illi; qui *pecora ex paſcuis vel armentis ſubtrahunt & quodammodò deprædantur, & abigendi ſtudium, quaſi artem exercent; equos de gregibus, vel oves de armentis abducentes.* Prout dicitur *in l.* 1. *ff. De Abigëis.* Eodem Civili jure, qui de grege ovium minus, quàm decem; & de grege porcorum, minus quam quinque abducit; ſimplex fur reputatur, & *Abigëus* non habetur, licet *Abigeatum* ponat abductio etiam unius bovis vel equi. *l. fin. ff. Eod.*

Olim *Abigëi* pro varietate circumſtantiarum, variè puniebantur. *l.* 1. & 2. *ff. De Abigëis.* Hodie tamen ad inſtar furum, pœnas luunt.

73 *Peculatus* eſt ſpecies furti, quo pecunia ſive ad ærarium publicum, ſive ad Fiſcum Principis pertinens, ſurripitur ab eo, cujus fidei non eſt commiſſa. *l.* 1. & 4. §. *fin. l. Sacrilegi.* §. *Labeo. ff. ad Leg. Juliam Peculatûs.* & §. 9. *Inſt. De Publ. Judic.* Crimen itaque hoc committunt, qui pecuniam publicam auferunt, intercipiunt, in rem ſuam vertunt, aut faciunt, ut quis auferat, intercipiat, in rem ſuam vertat. *dict. l.* 1. Tenetur & hac lege, pecuniam publicam retinens, nec

Digitized by Google

in uſus deſtinatos erogans *l. Sacrilegi. cit. §. Eum. 6.* Item ille, qui in tabulis publicis, minorem pecuniam, quàm quid vænierit, ſcripſerit, aliúdve quid ſimile commiſerit. *l.* 10. *ff. ad Leg. Juliam Pecul.* Non tantùm, qui pecuniam publicam acceperunt, hac lege tenentur, ſed &, qui privatam exegerunt à Fiſci debitoribus, ſimulantes, ſe Fiſci creditores. *dict. l. 9. §.* 3. ut, ſi veri fuerint creditores, non teneantur eâ lege, eò quòd cauſam habeant exactæ pecuniæ.

Pœna hujus criminis eſt *deportatio. l. Peculatus.* 3. *Eod.* quæ ad mortem naturalem augetur in Magiſtratibus & Miniſtris eorum. *l. Judices.* 1. *C: De Crimine Peculatûs.* Licet hoc crimen alioquin *quinquennio* extinguatur *l. Peculatus. ff. Eod.* non tamen *morte Rei*, quia, cùm in hoc crimine, principalis quæſtio de pecunia moveatur; & iniquum ſit, hæredem ex iſto crimine fieri locupletiorem; ideo in ipſum quoq; tranſit & datur actio, *quò ad rem* ſeu pecuniam ipſam.

Sub Peculatûs crimine continetur & furtum pecuniæ ſacræ & religioſæ. *l.* 4. *ff. Eod.* ubi in *ſecunda parte* tituli ſeu *Rubricæ* illius, agitur *de Sacrilegis.* Tenentur itaque & iſto crimine, qui rem ſacram è loco ſacro ſubtrahunt; donaria Dei auferunt, oratoria vel templa effringunt & expilant. *dict. l.* 4. *& l.* 6. *&* 9. *ff. Eod.* & Pœna hujus Sacrilegi delicti, capitalis eſt, ùt patet ex *l.* 6. *ff. Eod.* Quanquàm, ſi Peculatus, crimen Sacrilegii non contineat; hodiedum furti adinſtar puniatur.

74 *Crimen de Reſiduis*, eſt, quo tenetur Magiſtratus, qui pecuniam publicam, in uſum, ad quem deſtinata erat, non inſumpſit aut erogavit, ſed vel retinuit, vel in alium uſum convertit. *l.* 2. *&* 4. §. 3. *ff. ad Leg. Jul. Peculatûs.* Ille etiam, penes quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, aliáve cauſa, pecunia publica reſedit, ſi eam ad ærarium non eſt profeſſus, aut, ſi profeſſus quidem; ultra annum tamen penes ſe retinuit, in crimen iſthoc incidit.

Præter infamiam cunctis criminibus publicis communem, pœna criminis *de Reſiduis*, eſt; quòd eam ob rem damnatus, tertiâ parte ampliùs, quàm debet, ſeu detinuit, Fiſco inferre debeat, adeò, ut, qui 90. v. g. florenos malè retinuit vel erogavit, 120. refundere debeat *dict. l.* 4.

Movetur hoc crimen etiam contra hæredem, in quo convenit cum *Peculatu*, à quo tamen rurſus differt, quòd *Peculatûs* crimen eum teneat, ad quem non ſpectat periculum pecuniæ, *de Reſiduis* verò eum teneat, cujus periculo pecunia eſt. Unde & levior huic propoſita pœna, quia minus, pecuniâ ſibi commiſsâ uti, quàm alienam ſurripere. De crimine *Peculatûs* & *de Reſiduis*, itemque de iis, qui res adminiſtrationi & fidei ſuæ commiſſas & concreditas negligunt vel doloſè intercipiunt, aut in utilitatem propriam convertunt; & qualiter puniendi ſint? agunt *Berlichius. part.* 5 *concl.* 57. & *Gilhauſen. in Arbitr. Crimin. cap.* 2. *tit.* 28.

75. *Crimen expilatæ hæreditatis*, eſt, quo quis ante, vel poſt aditam hæreditatem, ſed nondum poſſeſſam, rem hæreditariam *mobilem* ſurripit. Quia talis, furti reus cenſetur. *l. His enim. ff. De furtis.* Pœnáque illius eſt arbitraria, pro diverſitate circumſtantiarum infligenda. *l.* 1. *ff. Expilatæ hæredit.*

76 *Sepulchri violatio*, eſt crimen; quo quis ſepulchrum non tantùm dishonorat, ſed etiam inde monumenta vel alia aufert, vel cadavera effodit & ornamentis ſpoliat. *l. Prætor ait.* 3. *l. fin. ff. De Sepulchro violato.* Pœna illius eſt arbitraria, & ſubinde etiam *capitalis*, præſertim, ſi corpora

Digitized by Google

pora vel oſſa eruantur. *d. l. Prætor ait. & l. fin.* ibi : *Rei Sepulchrorum violatorum, ſi corpora ipſa extraxerint, vel oſſa eruerint, humiliores quidem fortunâ, ultimo ſupplicio afficiuntur, honeſtiores in Inſulam deportantur : alias autem relegantur aut ad metallum damnantur*.

77 *Amotio termini*, eſt crimen, quo quis terminos vel lapides limitares *Granitz-ſtein, Marckſaulen oder Stocken* doloſè eruit, aufert, mutat aut transfert, in finem, ut præcisè alteri noceat; vel, ut eidem aliquid de fundo detrahat & ſuo adjiciat; cujus criminis pœna eſt vel pecuniaria 50. aureorum. *l. lege Agraria. ff. De termino moto.* Vel etiam : relegatio aut fuſtigatio. *l. Divus Hadrianus. ff. Eod.*

De Speciebus Furti, jure naturali prohibitis, ſatìs hactenus egimus, nec inutiliter ponderavimus eorundem criminum pœnas jure tum civili, tum Pontificio, præſtitutas; quia operam noſtram non Paganis & gentibus, ſed *Romano*-præſertim *Catholicis* conſecramus, qui, cùm utriuſque juris legibus vivant & regantur; ignorare non debent, quid legiſlatores reſpectivè hac in re conſtituerint.

78 Una ſupereſt Quæstio : An licita ſit occulta compenſatio, ut quis rem ſuam, aut ſibi debitam recuperet vel obtineat? Qua in re certum eſt, ſemper illicitam eſſe hujuſmodi compenſationem, quandocunque quis viâ juris, rem ſuam aut ſibi debitam recuperare vel conſequi poteſt; quia nemini licet, in propria cauſa, ſibi jus dicere. Unde *D. Thomas. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3.* ait: *Peccat contra communem juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat rei ſuæ judicium, juris ordine prætermiſſo.* Quæſtio igitur locum ſolùm habet, dum, propter judicis iniquitatem, defectum probationis, debitoris præpotentiam & authoritatem, creditoris verò inopiam, aliáve ſimili de cauſa, ægrè admodùm quis ſuum conſequi valet. Certum quoque eſt, illum, qui occultè ſurripuit rem ſuam, aut ſibi certò debitam, non teneri eam reſtituere, licet ob violatum juris ordinem peccâſſet. Quia ille reverà rem ſuam & non alienam detinet, prout poſt *D. Thomam. loc. cit.* docent communiter Theologi.

Ad propoſitam Quæſtionem quidam ſcrupuloſiùs RDENT, volentes; licitam eſſe occultam compenſationem in rebus duntaxat *ejuſdem ſpeciei*, puta : ſi pro pecunia debita, clam ſurripiatur pecunia, pro granis, grana; pro vino, vinum *&c.* non verò in rebus *diverſæ ſpeciei*; veluti : ſi oves aut boves auferrentur pro vino, tritico *&c.* Aſt tam inter Theologos, quàm juriſ-peritos, paſſim receptum; licitè quem ſibi conſulere per occultam compenſationem, dummodò adſint certæ conditiones & adhibeantur debitæ cautelæ, de quibus mox. *Ratio* hujus concluſionis eſt; quòd quis occultè ſuum vel ſibi certò debitum accipiendo, propriè ſibi jus non dicat, ſed deficiente juris Civilis ſubſidio, circa rem ſuam, juris naturalis facultate utatur. Neque talis acceptio, eſt vindicatio injuriæ, ſed recuperatio vel conſecutio illius, quod noſtrum eſt, aut nobis debetur, & ab altero injuſtè detinetur. Quò facit; quòd jure naturali, unicuique liceat, ſine alterius jactura, ſe indemnem conſervare; jam autem accipiens rem ſuam aut ſibi debitam alias non conſequendam, non facit injuriam debitori, ut patet : *Ergo.* Cæterum; ut occulta compenſatio nihil vitii habeat; Opus eſt 1*mò*. ut debitum ſit *certum* ac *liquidum*, & minimè dubium; æquitas enim non patitur, ut pro debito incerto, fiat ſolutio vel compenſatio certa : quia in dubio, eſt melior conditio poſſidentis, & ipſe judex tali caſu, deberet rem adjudicare poſſeſſori. 2*dò*. Opus eſt, ut id, quod occultè accipitur, ſit *ex juſtitia* &

actu,

actu, *hic & nunc*, debitum, ſive ex delicto ſive ex injuſta læſione, vel contractu aliquo v. g. empti-venditi, mutui, locati-conducti, commodati *&c.* Quamobrèm juſtè ſurripi non poteſt, quod ſolùm debetur *ex charitate* vel *gratitudine*; aut, quod debetur quidem ex juſtitia, ſed nondum *hic & nunc* ſolvendum eſt, ſed ſolùm in futurum; ſi tamen ſpes ſit fore, ut jure alterius finito, vel adveniente tempore faciendæ ſolutionis, commodè *tuum*, vel tibi debitum, conſequi poſſis. Alioquin, ſi morale periculum appareat; quòd poſtea rem tuam non ſis recuperaturus, anticipatâ compenſatione tibi conſulere non prohiberis, v. g. mutuum, commodatum, locatum *&c.* ante tempus præfinitum, auferendo, aut aliud tanti valoris, ex bonis ipſius debitoris, præoccupando. Prout ex communi tradunt *Tannerus. diſp.* 4. *q.* 6. *dub.* 4. *Tamburinus. lib.* 8. *tract.* 2. *c.* 5. §. 1. *Lugo. diſp.* 16. *ſect.* 5. Quia cuilibet licet, quando res ſua eſt in periculo, illius aſſecurationem quærere, ſéque indemnem ſervare. Quòd, ſi tamen per hujuſmodi anticipatam acceptionem debitori lucrum aliquod ceſſaret vel damnum emergeret; omnino illud deberet compenſari: quia alioquin debitor ſubiret pœnam, priuſquàm moræ culpam commiſiſſet. *3tiò.* Opus eſt; ut accipiens faciat, quantum in ſe eſt [ſalvo ſuî periculo & gravi incommodo] ut debitor aut injuſtus detentor, iteratò non ſolvat, aut fortè ejus hæres; imò, ut non maneat in affectu non ſolvendi. Quocircà, occultè compenſans allaborare debet; ut præcaveatur damno ſive ſpirituali ſive temporali debitoris. *Spirituali* quidem; ne debitor putans ſe necdum ſolviſſe debitum, maneat in mala fide & conſcientia peccati mortalis: *Temporali* verò; ne, ùt dictum, ipſe vel hæres ejus, iteratò ſolvat. Unde monendus eſt debitor de extincta obligatione, aut de non petendo iſthoc debito. *4tò.* Curandum eſt, ut compenſatio fiat ad æqualitatem. Ut ſcilicet plus non accipiatur, quàm debitum ſit; alioquin auferens, peccaret contra juſtitiam commutativam, cum obligatione reſtituendi exceſſum. *5tò.* Præcavendum eſt ſcandalo & damno tertii. Unde; ſi juſtè mutuas; ne deprehenſus, in foro externo, pro fure habearis, aut tanquàm rei alienæ violentus invaſor puniaris, ac exinde familiares tui infamiam vel detrimentum patiantur; teneberis abſtinere. Quod à fortiori, verum eſt; ſi ex occultâ tuâ compenſatione, tertius de furto ſuſpectus haberi, aut fortè *quæſtionibus* ſubjici, & periculo infamiæ, flagellationis aut mortis exponi poſſet. Quia tamen damnum tertii, per accidens, & præter intentionem tuam ſequitur; ideo non ex juſtitia, ſed ſolùm ex charitate, tali caſu, ab occulta compenſatione abſtinere teneberis, maximè, ſi tuum debitum ſeu creditum, exiguum ſit, probabile verò ſit, furtum alteri imputandum eſſe cum periculo graviſſimi damni; puta: infamiæ, fuſtigationis, relegationis vel mortis. Id ipſum, ob eandem rationem, obtinet in caſu, quo debitor tuus, ob tuam occultam compenſationem fieret non ſolvendo aliis anterioribus aut magis privilegiatis creditoribus ſuis: ſiquidem, hujuſmodi aliorum creditorum damnum, per accidens conſequitur tuam compenſationem, & res quam accipis (ùt ſupponitur) non manſit, nec adhuc facta eſt propria Creditorum, ſed eſt res debitoris tui. Unde ordine charitatis, tibi præ cæteris proſpicere poteris, ſine injuſtitiæ peccato. Præferentia enim creditorum anteriorum aut hypothecariorum præ poſterioribus aut chirographariis, non habetur ex jure naturali, ſed civilis juris inventum eſt.

6tò,

Digitized by Google

6tò. Curandum eſt; ut compenſatio fiat in bonis ipſius debitoris. Quocircà, ſi rem alicujus, apud tuum debitorem depoſitam aut oppignoratam accipis, furtum committis, cùm non tuum, ſed vere alienum ſurripias & quidem domino rationabiliter invito. Sed quid; ſi res debitoris tui, fuerit apud te depoſita? Utroque quidem jure, ob bonam fidem, quæ in depoſito exuberare debet, prohibita eſt compenſatio in re depoſita. Verùm hæc prohibitio jure naturali incognita, vel ſolùm reſpicit forum externum, vel certè intelligi debet, ſi compenſatio in foro judiciali, abſque magna difficultate obtineri poteſt. Confer *Dianam. p. 3. tr. 5. miſcell. reſol.* 10. & *P. Sporer. Tract. 5. in Decal. cap. 5. ſect. 3. §. 3. n.* 82. *7mò.* Sollicitè curandum, ut compenſatio, quantum poſſibile eſt, fiat in rebus ejuſdem ſpeciei, functionem inter ſe recipientibus. Hoc enim ſi fieri poteſt; injuſtè compenſatio inſtitueretur in re diverſæ ſpeciei, v. g. pro pecunia, auferendo equum, pro tritico, vinum, aut è contra: quia tunc abſque juſta cauſa, debitor invitus cogeretur ad alium contractum venditionis vel permutationis ineundum; præterquàm, quòd tali ratione, difficiliùs attingatur æqualitas debiti & accepti, faciliuſque gravetur debitor; cùm compenſans plerumque nolit accipere minus, & æquale difficulter attingat. Quòd, ſi tamen compenſatio in eadem ſpecie, fieri nequeat, ob defectum rei, vel impedimentum aliquòd, ùt ſæpe accidit; jure ſaltem naturali (quidquid ſit de jure civili) juſtè & licitè compenſatio fieri poterit in rebus aliis, ejuſdem ſaltem ordinis, ſervatâ ſemper æqualitate, conſiderando valorem rei debitæ & acceptæ. Vide *Vaſquez de Reſtit. cap.* 1. *dub.* 8. Neque attendi meretur; an tali caſu, debitor ob pretium *affectionis*, aut aliàm ob cauſam, grave damnum patiatur; ſibi enim tale detrimentum imputare debet, dum in culpabili mora ſolvendi manet. Equidem; ſi damnum reale ejus, foret notabiliter majus, quàm tuum debitum; ſaltem ex charitate, abſtinere deberes. Ex quibus ulteriùs.

Resultat 1. Poſſe te rem tui debitoris, pleno jure ad ipſum ſpectantem, apud alium tertium vero nudè depoſitam, in compenſationem tui debiti alioquin non impetrandi, licite auferre; parum enim refert, ubi materialiter res tui debitoris inveniatur.

Resultat *2dò.* Te in compenſationem tui debiti, non poſſe auferre rem alicujus tertii, apud tuum debitorem depoſitam, aut ei in pignus datam vel locatam aut commodatam; quia ſic patenter alienum ſurriperes.

Resultat *3tiò.* Te non poſſe auferre rem tui debitoris apud alium tertium exiſtentem, ſi ei, ſcilicet ſpeciali aliquo jure, obligata ſit, puta: ſi ipſi *pignori* data, *commodata*, *locata* &c. antequam ejus jus extinguatur. Tunc enim ipſi, qui nihil tibi debet, veram injuriam, imò damnum inferres, furtúmque committeres, ùt liquet ex ſupra poſita furti expoſitione. Unde, ſi à Principe debitore tuo, debitum conſequi nequeas; poteris quidem viâ occultæ compenſationis, non ſolvere *Gabellas*, *telonia*, *acciſias* &c. quod tamen non poteris, ſi Princeps Gabellarum hujuſmodi proventus, alteri vendiderit vel locaverit, propter eandem mox datam rationem.

Hîc de famulis, ancillis, operariis aut officialibus cohærenter Quæri poteſt; an occultâ compenſatione ſibi conſulere poſſint, ſi credant: ſtipendium, quod accipiunt, non correſpondere operis, laboribus aut ſervitiis ſuis? *P. Sporer. loc. cit.* §. 4. cum *Molina*, *Leſſio*, *Layman* & aliis, pu-

Digitized by Google

putat, poſſe famulos *&c.* ſervatis ſupra poſitis conditionibus, uti occultâ compenſatione, ſi liquidò conſtet de inæqualitate ſtipendii, comparatione operarum, laborum & obſequiorum Dominis præſtitorum; eò quòd famulis & officialibus ex juſtitia debeatur ſtipendium, ſive merces ſuis laboribus correſpondens. Verùm; quia hæc ſententia homines non rarò lucri avidos & ad judicandum ineptos, conſtituit judices in propria cauſa, circa taxationem laboritii, ſervitii ſeu ſalarii competentis, ac proinde, infinitis furtis portam aperiret; Ideo generatim & *in Theſi* dicimus; nequaquam licere famulis, ancillis, operariis vel officialibus uti occultâ compenſatione, ùt ùt credant, ſtipendium ſive mercedem aut ſalarium eſſe infra æſtimationem operarum, vel ſervitiorum ſuorum. *Ratio* eſt; quia etſi putent, ſalarium quod accipiunt, eſſe labori aut ſervitiis improportionatum; equidem, cùm liberè deſuper cum dominis convenerint, potuerintque vel plus exigere vel non contrahere, & alibi ſervitium quærere; ſibi imputare debent, quòd non plus accipiant; adeò, ut his de minori ſtipendio vel mercede conquerentibus, regerere poſſit Pater-familias: ***Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade.*** Unde *Innocentius XI.* meritò hanc proſcripſit propoſitionem: ***Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod accipiunt.*** Nec oppoſitam ſententiam firmat, quòd famuli & ancillæ; item: alii operarii, in minorem mercedem ſæpe conſentiant, fame, & inopiâ compulſi. Etſi enim immites Domini, ob mercedem operariis defraudatam, peccatum in cœlum clamans committant, & ideo rationem Divino judici reddituri ſint; nihilo magis tamen inito contractu, famulorum judicio relinquitur, laboritii ſui valorem taxare; præſertim, cùm dominus potuerit juſtas habuiſſe cauſas, ſic contrahendi, quas famuli ignorant. Sic fortè dominus, niſi mediocri ſalario famulum conducere potuiſſet, ipſemet opus vel operam perfeciſſet vel præſtitiſſet. Fortè etiam aderant alii, qui ſimili ſtipendio contenti, ſervire volebant. Sicut autem multitudo mercium, minuit earum pretium; ita & multitudo famulorum aut operariorum minuit ſalarium.

80 Quòd ſi tamen dominus tranſacto tempore & præſtitis operis aut ſervitiis, denegaret famulo aut operario mercedem, ſalariùmve; abſque dubio, poſſent hi, ſervatis conditionibus & cautelis ſupra adductis, occultâ compenſatione ſibi conſulere & tantum ſurripere è bonis domini, quantum ipſis ex contractu debetur.

81 De Furtorum ac Rapinarum generibus ſeu ſpeciebus, hactenus pro inſtituti noſtri ratione, ſatis actum; corollarii autem & ſupplementi loco, ex *Catechiſmo Romano. part. 3. cap. 8. §. 7. & 8.* Chriſti fidelibus inculcamus, quod fures ſint: 1. Qui res furto ablatas ſcienter emunt & retinent. 2. Qui in emendis vendendíſque rebus, fraudes adhibent, quique fallaces & corruptas merces vendunt pro veris & integris, quíve pondere, menſurâ, numero vel regulâ decipiunt emptores. Eſt enim in *Deuteronomio cap. 25.* ***Non habebis in ſacculo diverſa pondera.*** & in *Levitico. cap. 19.* ***Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura: ſtatera juſta & æqua ſint pondera: juſtus modius, æquúſque ſextarius.*** & *Proverb. 20.* ***Abominatio eſt apud Dominum pondus & pondus, ſtatera doloſa & non bona.*** 3. Fures aperti ſunt: operarii & artifices, qui totam & integram mercedem ab iis exigunt, quibus ipſi

Digitized by Google

ipſi juſtam & debitam operam non præſtiterunt. 4. Nec à furibus diſtinguuntur ſervi dominorum, rerúmque cuſtodes infidi, quinimò eò ſunt deteſtabiliores, quàm reliqui fures, qui clavibus excluduntur, quod furaci ſervo nihil domi obſignatum aut occluſum eſſe ſoleat. 5. Furibus accenſeri videntur, qui fictis ſimulatíſque verbis, adeóque fallaci mendacitate, pecuniam extorquent, ſícque mendacium furto accumulant. 6. Illi quoque in furum numero reponendi ſunt; qui, cùm ad privatum aliquod, publicúmve officium conducti ſunt; nullam vel exiguam operam navantes, munus negligunt, mercede tantùm aut ſalario fruentes.

Rapinæ quoque variis modis, *Ethicè* loquendo, committuntur. Nam qui debitam operariis mercedem non perſolvunt, ſunt rapaces, quos *S. Jacobus cap.* 5. ad pœnitentiam invitat his verbis: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris quæ advenient vobis*; cujus pœnitentiæ cauſam ſubjungit: *Ecce enim merces operariorum, qui meſſuerunt Regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.* Quod genus rapinarum, *Levit.* 19. *Deuteronom.* 24. *Malach.* 3. *& Tobiæ* 4. vehementer improbatur. Ejuſmodi criminis Rei ſunt, qui Eccleſiæ Præſidibus & Magiſtratibus, ea, quæ debentur vectigalia, Tributa, Decimas & reliqua hujus generis, non ſolvunt vel intervertunt & ad ſe transferunt. Huc etiam referuntur fœneratores, qui miſeram plebem expilant & trucidant uſuris. Item rapinas faciunt nummarii judices, qui venalia habent judicia, & pretio muneribúſque deliniti, optimas tenuiorum & egentium cauſas ſubvertunt. Fraudatores creditorum & inficiatores, qui ſumpto temporis ſpatio ad ſolvendum, ſuâ vel alienâ fide, merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem rapinarum crimine. Quid de locupletibus illis dicemus, qui ab illis, qui ſolvendo non ſunt, quod commodârunt, acerbiùs exigunt & pignora etiam ea auferunt contra Dei interdictum, quæ ad eorum corpus tuendum ſunt neceſſaria? Inquit enim Deus *Exodi* 21. *Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante Solis occaſum reddas ei: ipſum enim eſt ſolum, quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat: ſi clamaverit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum.* Ex numero eorum qui raptores dicuntur, Teſte *D. Ambroſio. lib.* 3. *Offic. cap.* 6. ſunt; qui in frugum inopia, comprimunt frumentum faciúntque, ut ſuâ culpâ carior & durior ſit annona, ad quos illa *Salomonis* pertinet execratio: *Proverb.* 11. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis.*

CAPUT XII.

IN QUO

Delibatur Octavum Decalogi Præceptum.

Non Loquêris contra Proximum tuum Falſum Teſtimonium.

SUMMARIUM.

1 *Quid Octavo hoc prohibeatur Præcepto?*

2 *Vitio* Linguæ *omnes laboramus.*

3 *Cur Loquelæ uſus hominibus inditus?*

4 Mendacii *definitio & expoſitio.*

5 *Mendacium à Theologis trifariam dividitur.*

6 *Reſtrictio purè mentalis, non differt à mendacio.*

7 *Probatur, mendacium eſſe jure Naturali prohibitum.*

8 *Solum mendacium* pernicioſum, *ex genere ſuo*, mortale *eſt.*

9 *Refellitur Opinio* Magiſtri Sententiarum.

10 *Mendacia* pernitioſa *Profeſſorum Theologiæ, Juris &c. Item Prædicatorum Verbi Divini maximè ſunt lethifera.*

11 *Per ſolutionem argumenti oppoſiti, probatur, Mendacium* jocoſum *vel* officioſum *eſſe juri naturali adverſum.*

12 *Occultatio veritatis per reſtrictiones* non purè mentales *ſubinde nedum jure naturali permiſſa, ſed & præcepta eſt.*

13 *Joci ex modo loquendi patentes, non ſunt mendacia. Idem eſt de locutionibus hyperbolicis, figuratis, Parobolicis, ironicis aut myſticis.*

14

14 *Uſus ſcientiæ duplicis quatenus differat à reſtrictione purè mentali?*

15 *Promiſcuus æquivocationum uſus juri naturali adverſatur maximè in Reſponſionibus ad interrogatoria legitimè propoſita, dandis.*

16 *Juridica & legitima poteſt eſſe interrogatio ſuper crimine occulto inducente inhabilitatem conſequendi officium publicum.*

17 *Diluitur Objectio.*

18 *Ad declinanda graviſſima tormenta, nemo poteſt fateri crimen ſibi falsò impoſitum.*

19 *Neque abſque gravi piaculo, ſibi quis imponit alterius crimen, ad ipſum morte eximendum.*

20 *Judicium* temerarium *mendacio affine, juri naturali repugnat.*

21 *Judicium* temerarium *quid?*

22 Dubium & ſuſpicio *de malitia proximi, regulariter non excedunt limites peccati venialis.*

23 *Occurritur Objectioni.*

24 *Indicia, quandonam ſint ſufficientia, ad judicandum abſque temeritate.*

25 Dubium & ſuſpicio *per accidens involvere poſſunt lethale peccatum.*

26 *Dubia quatenus in mitiorem partem interpretanda?*

27 *Dum de damno à nobis vel aliis cautè avertendo quæſtio eſt, dubia* hypotheticè *in ſequiorem partem accipere licet.*

28 Detractio *quid?* 29 Fama *quid & qualiter differat ab* honore? *Qualiter rurſum* honor *à* cultu? 30 Laus & Gloria *quid?*

31 *Inhonoratio alia* negativa *alia* poſitiva. 32 Detractio *quot modis fieri poſſit?* 33 *Eſt ex genere ſuo peccatum lethale.* 34 *Niſi occurrat materiæ levitas. Ubi ponitur Regula generalis.*

35 *Conſilio, juſſu, alióve ſimili modo, alium inducens ad detrahendum, tam contra juſtitiam, quàm charitatem impingit.* 36 *Simpliciter tamen detractorem ſolùm auſcultans, charitatis læſæ reus eſt.* 37 *Idem eſt de eo, qui detractorem non corripit, dum cum fructu, & abſque ſuo gravi incommodo, id facere poteſt.*

38 *Quidditas* Contumeliæ *declaratur.* & ibid. *n.* 39.

40 Contumelia, Convitium & improperium *quatenus differant?*

41 *Calumniâ, detractione aut ſimplici contumeliâ peccatum gravius eſt* 42 *Quid ſit Calumnia* judicialis?

43 *Malitiosè* denuntians, *parùm differt à* Calumniatore.

44 *Pœna* Calumniantium. 45 *Pœna talionis in foro Civili ab uſu receſſit, ſecus in foro Canonico.*

46 *Juſta cauſa vel error* probabilis *excuſat à Calumnia.*

47 *Accuſatores nedum calumniando, ſed &* prævaricando & tergiverſando *delinquere poſſunt.* 48 *Quis* Prævaricator?

49 Tergiverſari *quid? & quæ tergiverſationis pœna?*

50 Suſurratio *quid & quale peccatum?* 51 *Irriſio quid?*

52 Maledictionis *deſcriptio.* 53 Maledictum *quotuplex?*

54 *Pœna* Maledicti *tum in privatum, tum in ſummum Principem jactitati.* 55 *Quid, ſi in S. Pontificem jactitatum ſit?*

56 *Judices ſæculares rigoroſè animadvertere debent in eos, qui Epiſcopis aut Sacerdotibus maledicunt.* 57 *Agitur de pœna Clericorum* Maledicta *evomentium in Superiores.*

58 Blaſphemia *in Deum vel Sanctos, graviùs in utroque foro puniendа.*

59 *Interdum Blaſphemia ex ebrietate vel juſto alioquin calore profecta, leniùs punitur.*

60 *Quis ſit judex competens in cauſa Blaſphemiæ?*

61 *Revelans ſecretum proximi in grave ejus detrimentum, graviter quoque contra* juſtitiam *delinquit & reſtituendis damnis inde ſecutis obnoxius eſt.*

62 *Triplici tamen caſu, poteſt quis inculpatè proximi ſecretum revelare.*

63 *Qui captioſâ malitiâ, alterius ſecreta explorat, contra juſtitiam agit.*

64 *Parili modo delinquit, qui occultum defuncti crimen propalat.*

65 *Notorium, quid poteſt eſſe tripliciter. Scilicet,* Jure, Facto *&* Famâ.

66 *Quandonam quid ſit* Facto *notorium?*

67 *Crimen per ſententiam judicis publicatum, ubivis terrarum abſque injuſtitia divulgari poteſt.*

68 *Crimen tamen* ſolo facto *in uno loco notorium, in locis remotioribus ſic nequit propalari.*

69 *Diluuntur Objectiones.*

70 *De crimine judicialiter probato, ſed per ſententiam necdum publicato; haud aliter loqui fas eſt, quàm de crimine* factô *notorio.*

71 *Crimen, quod ſcitur alteri falsò impoſitum, abſque injuſtitia nequit divulgari.*

72 *Criminis quoque, temporis lapſu, obliterati memoria, in alrius opprobrium refricari nequit.*

73 *Infamatus de uno crimine, non poteſt infamari nec interrogari etiam* judicialiter *de alio crimine diſparato & occulto.*

74 *An, & quando, alterius crimen occultum licitè patefacere, vel ſemetipſum diffamare liceat?*

75 *Injuſtè alium infamans, nedum famam, ſed & damna realia inde exorta, reparare tenetur.*

76 *An, & quatenus verum crimen ſibi in judicio objectum negans, teneatur Accuſatori vel Teſtibus ad reſtitutionem?*

77 *Juxta communem Theologorum ſententiam, adferuntur quatuor cauſæ, à reparatione famæ, excuſantes.*

78 *Agitatur quæſtio, an, ſi fama*

[*ob*

Digitized by Google

[ob cauſam excuſantem] reſtitui non debeat; pecuniaria ſit facienda recompenſatio?

79 *Quis hoc præceptô, veniat* Proximi *nomine?*

80 *Hoc Præcepto nedum falſum vetatur, ſed & (ſi caſus exegerit) verum præcipitur teſtimonium perhiberi.*

---

1 Quemadmodùm ſeptimo Decalogi Præcepto nedum rei alienæ ablatio, ſed & omnis prohibetur actio, per quam in bonis fortunæ lædi poſſit proximus; ita hoc Octavo Præcepto, prohibetur omne illud, quo proximus in honore & famâ lædi poteſt; id, quod tribus modis fieri poteſt: 1*mò. In nobismetipſis*, per *judicium temerarium*. 2*dò. In judicio*, per teſtimonii falſitatem, & 3*tiò. Extra judicium*; per detractionem, contumeliam &c.

Cæterùm *formaliter* & *primariò* per hoc Præceptum, quatenus *explicitè* in terminis *negativum* eſt, prohibetur; ne quis, dum in judicio in teſtem vocatur, mentiatur in damnum alterius, & conſequenter, prout *virtualiter* & *implicitè*, *affirmativum* eſt, præcipitur; ut teſtis in judicio adhibitus, teſtimonium verum dicat. Porrò *ſecundariò* per idem Præceptum prohibetur omnis injuſta proximi læſio in bonis famæ & honoris, & conſequenter in bonis inde dependentibus. *Ratio* eſt: quia ideo præcisè hoc præcepto naturali & divino prohibetur falſum teſtimonium; quia exinde proximo injuſtum nocumentum infertur in fama & honore ac bonis inde dependentibus, ergo ex conſequenti, omnis ejuſmodi injuſta læſio famæ & honoris, eodem Præcepto prohibita intelligenda eſt.

2 Peccatum hoc Præcepto *explicitè* prohibitum, *linguâ* ſeu loquelâ perficitur. Linguæ autem vitium, adeo latè patet, ut Propheta *Pſal.* 15. dixerit: *Omnis homo mendax.* Quaſi hoc ſit unicum peccatum, in quod omnes labantur, ut *Divus Jacobus* verè dixerit: *cap.* 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* De mendacio itaque adeò communi peccato, ſub quo comprehenditur *falſum teſtimonium*, *detractio*, *calumnia* &c. primò hic agemus.

3 Ad dignoſcendam mendacii indolem & definitionem, ſciendum eſt; facultatem loquendi, à natura homini peculiariter inditam eſſe, non ob aliam cauſam, quàm ad communicandum alteri, animi noſtri ſenſa, quatenus per hanc communicationem tanquam medium ſimpliciter neceſſarium, homo aſſequatur finem ſibi præfixum, felicitatem ſcilicet naturæ rationali & humano generi propriam. Sicut autem hæc felicitas recto loquelæ uſu maximè promovetur, ita malo uſu læditur quàm frequentiſſimè. Cùm itaque facultas loquendi non Dei, utpote corda penetrantis, ſed potiſſimùm noſtrî, aliorúmque hominum causâ, nobis indita ſit; eâ uti oportet ad finem à natura & authore naturæ intentum. Puta, ſic: ùt ex fundamentali amoris, cuivis naturaliter debiti, principio, obligemur animi noſtri ſenſa invicem communicare, eo modo, quo nemini noceatur, ſed naturæ finis ſeu felicitas ſocietatis humanæ, quantùm neceſſè eſt, promoveatur.

4 Mendacium *formaliter* & *propriè* tale definitur à *Divo P. Auguſtino. lib.* 1.

Digitized by Google

De Mendacio cap. 12. *Dictum contra mentem, fallendi cauſâ.* Ubi per *ly dictum.* intelligitur locutio *complexa*, quæ ſcilicet ſit integra propoſitio. Nam, ùt in Dialectica vidimus; veritas & falſitas, tantùm in propoſitione *enuntiativa* inveniuntur, ejúſque ſunt proprietates. Proinde, ſicut in una voce per ſe ſpectata, non poteſt dari veritas, ita nec mendacium. Per *ly dictum*, quod pro potiori ſumitur, non excluduntur alia ſigna vel actiones, animi ſenſa declarantes. Quia mendacium non tantùm poteſt committi ſermone, ſed etiam nutu, geſtu, ſcripto &c. quod ſupra *cap.* 3. Idem S. Doctor inſinuaverat dicens: *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuſlibet ſignificationibus enuntiat. Tò contra mentem.* Indicat, quòd mentiri, ſit contra mentem ire. Quocircà, ad mendacium requiritur, ut illud, quod dicitur, falſum putetur. Fieri enim poteſt, ut falſum *in ſe* dicens, non mentiatur, ſi nempe credat, illud eſſe verum, & écontra mentiatur, qui id, quod *in ſe* verum, dicit, ſi dictum ſuum putet eſſe falſum. Audiamus hac de re Magnum noſtrum Doctorem *Enchridii cap.* 18. *Nemo* (inquit) *ſanè mentiens judicandus, qui dicit falſum, quod putat verum: Quoniam, quantùm in ipſo eſt, non fallit ipſe, ſed fallitur .... potiùſque è contrario, quantum in ipſo eſt, ille mentitur, qui dicit verum, quod putat falſum.* Theologi diſtinctiùs noſtro ævo loquentes, ajunt: illum, qui falſum dicit, quod *invincibiliter* putat eſſe verum, non *formale*, ſed *materiale* tantùm mendacium, id eſt *falſiloquium*, committere. Sed quid, ſi quis falſum pro vero enuntiet, quod tamen verum opinetur? *Reſp.* Si vincibiliter & culpabiliter erret, *temerarius* quidem *dici poteſt*: *mentiens autem non rectè dicitur, quia cor duplex, cùm enuntiat, non habet, nec fallere cupit, ſed fallitur inquit S. Pater loc. cit.* Quòd ſi quis dicat verum, quod falſum arbitratur, *formale*, ùt Theologi loquuntur, mendacium committit, quia actiones morales ſpeciem ſumunt ab objecto, non prout eſt *in ſe*, ſed prout eſt in cognitione voluntati propoſitum. Quod inſinuans *Magnus noſter Parens. loc. cit. cap.* 3. ait: *Poteſt verum dicere mentiens, ſi putat falſum eſſe, & pro vero tamen enuntiat: quia* non ex rerum ipſarum *veritate vel falſitate, mentiens aut non mentiens judicandus eſt.* Itaque particula illa *Fallendi causâ* ad eſſentialem ſpectat mendacii definitionem, neque, ùt quidam opinantur, ad mendacium ſufficit, quòd, quis duntaxat abſque decipiendi animo, contra mentem loquatur. Siquidem *contra Mendacium lib.* 1. *cap.* 1. diſertè definit, quod mendacium ſit *falſa ſignificatio cum voluntate fallendi.* Idem vult *Enchridii cap.* 22. inquiens: *Omnis autem qui mentitur, contra id, quod animo ſentit, loquitur, voluntate fallendi.* Quamobrèm non mentiretur, qui animo duntaxat jocandi diceret: *Hodie fui in paradiſo, & reverſus ſum in exilium.* quia tali ſermone neminem, ùt ſupponitur, decipere intenderet.

5 Mendacium ex mente SS. Patrum & conſenſu Orthodoxorum Theologorum, triplex eſt, ſcilicet: *pernicioſum*, quod profertur animo fallendi *ut obſit.* & tale committunt illi, qui aliis falſa affingunt crimina, qui in commerciis, contractibus *&c.* fraudes adhibent. *Officioſum*, quo intenditur juvamen aut nocumenti ablatio, ſine alterius injuria: ac proinde, ut alteri proſit, profertur falſum animo tertium fallendi. *Jocoſum* eſt, quo animo fallendi, falſum profertur, ut exinde delectatio hauriatur.

Licet autem mendacium *jocoſum* non inferat alteri nocumentum, ideo tamen non deſinit eſſe proprium mendacium, cu-

cujus eſſentia in hoc conſiſtit, quòd quid dicatur contra mentem animo fallendi, ſeu alteri errorem ingenerandi, ſive dein obſit, ſive proſit, ſive etiam reapſe alter in errorem abducatur ſive non. Sufficit enim quod contra mentem loquens, fallere intendat teſte *Divo P. Auguſtino. loc. cit. cap.* 3.

6 A mendacio propriè dicto, non diſcrepat *Reſtrictio purè mentalis*, ſeu interna, per quam intelligitur dictum & in ſe & per circumſtantias determinatum ad unum ſenſum eúmque falſum, licet per aliquid, ſola mente retentum, poſſit efficere ſenſum verum. v. g. Si interrogatus, an exhauſerit hunc ſcyphum, id abſolutè neget, mente retinendo: *Anno ſuperiore. Ratio* eſt: quòd loquela nullatenus homines inter, per conceptus, ſed per voces formetur; ac proinde ad propoſitionis vocalis veritatem, in mente audientis, attendantur verba, non conceptus à verbis alieni igitur docente *Magno Doctore noſtro, duplex cor dicitur mentientis*, id eſt duplex cogitatio, una rei ejus, quam veram eſſe vel ſcit, vel putat & non profert; altera ejus rei, quam pro iſta profert, ſciens eſſe falſum vel putans. Huc referenda eſt *Propoſitio* 26. ab *Innocentio XI.* his terminis damnata: *Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum; mente retinet reverà non mentitur, nec eſt perjurus.* Ex cujus propoſitionis damnatione, certum evadit, reſtrictionem *purè mentalem*, indubitanter eſſe mendacium.

7 Mendacium autem qualecunque, quocunque in caſu etiam utilitatis aut neceſſitatis extremæ, habitâ ratione materiæ, leviter vel graviter per ſe loquendo, extra caſum invincibilis ignorantiæ aut conſcientiæ invincibiliter erroneæ, eſt jure Naturæ prohibitum. *Jure* inquam *Naturæ*: Siquidem certum eſt, quòd ſit prohibitum jure Divino, quia *Chriſtus Joan.* 8. ℣. 44. Authorem & Patrem mendacii, dicit eſſe *Diabolum*, eò quòd, ùt *Divus Joannes. Epiſt.* 1. *cap.* 2. ℣. 21. ait: *Omne mendacium ex veritate non ſit.* Ut rectè *Innocentius III.* in *cap. Super eo. De uſuris.* definierit: *Ne pro vita quidem defendenda*, nobis licitum eſſe mentiri.

Hæc Aſſertio Chriſtiana, eſt contra *Priſcillianiſtas*, qui mentiendo, imò pejerando, hæreſin ſuam occultandam eſſe exiſtimabant; item contra *Originem*, *Platonem*, *Caſſianum* & quoſdam alios, qui neceſſitatis ſummæ obtentu, mendacia, à culpa abſolverunt, ùt videre eſt apud *S. P. Auguſtinum. Epiſt.* 11. aut ſaltem culpæ expers judicarunt mendacium *jocoſum.* Quibus omnibus opponimus *Magnum Doctorem noſtrum. lib. De Mendacio. Ad Conſentium.* Ubi ſic indefinitè ſcribit: *Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, decipit ſe ipſum turpiter.* Et *Ratio* eſt; quia omne mendacium importat animum decipiendi, quod humanæ ſocietati oppidò adverſum. Nam felicitas humani generis in quantum dependet à converſatione mutua, humanóque commercio, debet importare ſecuritatem abſolutam, vi cujus nemo unquam ullis in circumſtantiis, per mendacium poſſit licitè deludi. Secus enim nulla foret certò ſincera converſatio, nullum ſatis tutum commercium humanum. Amor igitur naturalis, hunc in finem debet fulciri lege, quæ non tantùm fundata ſit in amovenda deceptione ejúſque damno; ſed etiam in amovendo deceptionis damníque periculo, ſecuritati abſolutæ præjudicioſo.

8 Nolim autem exinde Inferas: omne mendacium eſſe peccatum *Lethale.* Si-

Siquidem non niſi mendacium *pernicioſum*, *ex genere ſuo* mortale eſt, & de illo ſolo capiendi ſunt textus S. Scripturæ *Pſalm. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* & *Sap. 1. Os, quod mentitur, occidit animam. Ratio* eſt; quia mendacium *Pernicioſum* nedum *veritati* ſed & *charitati* opponitur, imò & quandoque *juſtitiæ*, quanquàm ratione indeliberationis vel parvitatis nocumenti, poſſit eſſe *veniale*.

9 *Magiſter ſententiarum*, qui creditur eſſe *Petrus Lombardus*, voluit Mendacia jocoſa & officioſa, in hominibus perfectis, eſſe peccata lethifera; ſed deeſt ratio id ſuſtinendi; ſiquidem mendacia iſthæc nec ſecundùm ſe, neque ſecundum finem intentum, opponuntur charitati. Non quidem *ſecundum ſe*; quia deceptio vel error, quem generant, nemini nocet: Non etiam *quò ad finem intentum*; cùm ille ſit vel delectatio vel utilitas proximi. Unde bene dixit *D. P. Auguſtinus*. in *Pſalm. 5. Duo ſunt genera Mendaciorum, in quibus non magna culpa eſt, ſed tamen non ſunt ſine culpa, cùm aut jocamur, aut, ut proximo proſimus, mentimur.* Quod autem hujuſmodi mendacia nequidem in viris perfectis ſint mortalia; ex eo patet; quòd ob paritatem rationis, alioquin omnia venialia, in ipſis evaderent mortalia. Quanquàm igitur vir perfectus, ratione ſcandali, faciliùs poſſit graviter peccare; equidem non reperitur aliud præceptum, circa mendacium, perfectis quàm imperfectis impoſitum.

10 Loquendo de Mendacio *Pernicioſo*; certum eſt, lethaliter peccare Theologos, Juriſtas, Medicos *&c.* falſis principiis aut opinionibus imbuentes ſuos diſcipulos, ſi exinde grave nocumentum temporale vel ſpirituale, proximo immineat. A fortiori *Concionator* falſa miracula deprædicans, falſas annuntians indulgentias, fingens vitam alicujus Sancti, & generatim, mentiens in materia doctrinæ Chriſtianæ, mortaliter delinquit, tum ratione loci & officii, cùm gerat perſonam Chriſti, & ejus vice loquatur, adeóque doctrinæ puritatem edicere debeat (vide *D. Thomam. 2. 2. q. 110. art. 4. ad ult.* cui præluxerat *Magnus P. Auguſtinus. lib. de Mendacio. cap. 21.* inquiens: *Non eſt mentiendum in doctrina pietatis: magnum enim ſcelus eſt & primum genus deteſtabilis mendacii*) Tum quia talis exponit miracula, indulgentias, exempla Sanctorum & Orthodoxam doctrinam, ludibrio & contemptui.

Diximus: Omne mendacium eſſe ſaltem venialiter malum ac jure naturæ prohibitum. Sed

11 Inquies: Mendacium *jocoſum* vel *officioſum*, nullatenus obeſt fini a natura intento, puta felicitati ſive privatæ ſive publicæ. Ergo videtur omni culpâ vacare. *Reſp. Neg. Anteced.* Obeſt enim fini, quem natura immediatè intendit per ſermonem; ſiquidem, finis iſte eſt, communicatio conceptuum. Obeſt etiam fini ultimato per naturam intento, qui eſt ſecuritas audientis ab omni deceptione, & deceptionis periculo. Jam autem ſi impunè liceret jocoſa vel officioſa proferre mendacia; tolleretur inter ſermocinantes omnis ſecuritas ſinceritatis, & infinitis ſuſpicionibus obnoxium redderetur humanum commercium.

Urgeb. Interdum certis in circumſtantiis mendacium poteſt eſſe medium neceſſarium ad promovendam nedum privatam, ſed & publicam utilitatem atque felicitatem, aut ſaltem ad avertendum maximum malum. Poteſt enim per mendacium nemini pernicioſum impediri ingens rixa inter conjuges, inimicitia inter familias, mors propria vel aliena. Quinimò totius Reipublicæ interitus. Resp. Men-

Digitized by Google

Mendacium in nullo caſu eſſe medium ſimpliciter & determinatè neceſſarium ad procurandam felicitatem aut avertendam infelicitatem, cùm ſemper in quibuſvis caſibus, ſuppetat medium aliud naturaliter licitum, celando ſcilicet veritatem per reſponſiones amphibologicas vel eluſorias. Quod ſi demus, in aliquo particulari caſu, Mendacium fore unicum medium determinatè neceſſarium, illi præponderare equidem deberet periculum & præjudicium commune, ex hujuſmodi impunè mentiendi licentia, ſequi natum, & infelicitas privata, poſtponenda foret felicitati communi, quam natura principaliter intendit.

Replicabis: Si adſtruatur obligatio abſoluta nunquam mentiendi, ergo, nullo juris ordine ſervato, interrogatus, neceſſitaretur dicendo veritatem, prodere arcanum ſuæ fidei commiſſum, vel proprium crimen etſi occultum. *Conſequens* admitti non debet. Ergo nec *Antecedens*. *Reſp. Neg. Illatum.* Etſi autem nemo in hujuſmodi caſu, teneatur dicere veritatem, ſed illam modis licitis occultare poſſit; nulla tamen eſt mentiendi obligatio.

Obsistes: Etſi homicidium ſit intrinſecè malum & mendacio gravius, eſt tamen extra culpam, in caſu vitæ aliter non ſervandæ à vi injuſti aggreſſoris. Ergo in ſimili caſu, mendacium vacabit culpâ. *Reſp. Neg. Conſeq.* Diſparitas eſt, quòd tali eventu, invaſoris cædes non tam ſit homicidium à natura vetitum, quàm neceſſaria juſtáque defenſio ſui ipſius, quam natura permittit, ſi ùt ſupponitur, ad propriæ vitæ defenſionem, ſit medium determinatè neceſſarium. Jam verò mendacium nec exuit naturam mendacii, neque eſt medium unicè neceſſarium, cùm per reſponſum amphibologicum, vel per uſum ſcientiæ *duplicis*, poſſit occultari veritas, hîc & nunc *non communicabilis*. Itaque inter mendacium & veritatis occultationem, palmaris eſt diſparitas. Mendacium enim falſum enuntiat, poſitivè intendendo ſeu ingenerando errorem; locutio autem ambigua, ex juſta ratione, veritatem non aperit, neminem decipiendo, etſi malè interrogans in errorem inducatur, id quod ſibi adſcribere debet, cùm imprudenter aut injuſtè interroget, ac indagare velit id, quod alter abſque piaculo revelare non poteſt. Porrò, ſecreti ſervatio magis conducit ad bonum converſationis & humani commercii, ad impedienda quandoque etiam graviſſima mala, quàm error aut deceptio audientis, qui malè interrogando, aliud reſponſum exſpectare non poteſt, quàm quod interrogatus licitè dare valet, adeóque ſe ipſum potiùs decipit, quàm decipiatur. Equidem, ùt ùt in caſu ſervandi ſecreti naturalis, aut ad avertendum malum proximi, licitè occultetur veritas per locutiones ambiguas, nemo tamen dixerit, ubique, indiſcriminatim & ſemper, abſque juſta cauſa, locutiones æquivocas fore permiſſas, quia ejuſmodi licentia æquè inveheret periculum ac præjudicium in converſationem & humanum commercium, ac mentiendi libertas. Ex his

12 Resultat 1mò. Occultationem veritatis per reſtrictiones *non purè mentales*, aut locutiones ambiguas, certis in circumſtantiis nedum eſſe jure naturæ permiſſas, ſed interdum etiam præceptas. Veluti; ſi quis vel contra jus, vel abſque juris ordine, interrogetur de ſuo vel proximi delicto: & generatim; quando veritas ab altero ſciri, aut non decet, aut non prodeſt; aut non licet. Tunc enim veritatis occultatio vel prudens, aut ſaltem non aliena eſt ab amore ſibi aut proximo naturaliter debito, & in felicitatis humanæ præjudicium nullatenus redundante: & cùm amor ſuî naturalis, per-

permittat iniqui aggreſſoris interemptionem, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ; quidni à fortiori permittat alterius malè interrogantis deceptionem, non tam intentam, quàm ſolùm non impeditam, adhibendo ex gravi cauſa, reſtrictionem facilè perceptibilem à ſenſato auditore.

Resultat 2*dò*. Jocos ex modo loquendi patulos, ſi abſit animus fallendi, non fore mendacia, teſte *Divo P. Auguſtino* ſupra citato. Idem eſt 1. de locutionibus *hyperbolicis*, juxta illud: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & arenam, quæ eſt in littore maris.* 2. De locutionibus *Myſticis.* 3. *De Figuratis.* 4. *De Ironicis.* 5. *De Fabulis & Parabolis.* Non enim omne, quod fingimus, mendacium eſt; ſi enim fictio referatur ad aliud ſignificandum, non eſt mendacium, ſed *figura* veritatis. 6. De *Rationabili* veritatis *diſſimulatione.* 7. De locutionibus *ambiguis.* Juxta illud Chriſti: *Solvite templum hoc, & in triduo reſuſcitabo illud.* Item: *Lazarus amicus noſter dormit.* Porrò, omnium maximè & uſitatiſſimè à mendacio excuſat uſus ſcientiæ *duplicis*, per reſtrictiones *non purè mentales*, quorſum refertur illud *Chriſti: Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego non aſcendo.* Videlicet: *apertè* per miraculorum patrationem, ut deſiderabant amici. Item illud *Salvatoris* effatum: *De die autem illa & hora, nemo ſcit &c. niſi Pater &c.* ſubaudiendo; quòd de die & hora illa, non fuerit diſcipulis utile aut neceſſarium ſcire quidquam, & quòd Chriſtus hac de re habuerit ſcientiam *nemini communicabilem*, prout textum illum exponit *Divus P. Auguſtinus. lib. 1. De Trinit. cap. 12.*

14 Neque Dicas Uſum ſcientiæ *duplicis*, nihil differre à reſtrictione *purè mentali.* Diſcrimen enim eſt, quòd *uſus ſcientiæ duplicis*, certis in circumſtantiis, ſit in humana converſatione uſitatus adeòque *advertibilis*, ſecus *reſtrictio merè interna*, aut ejus uſus. Unde *S. P. Auguſtinus. loc. cit. Eo genere locutionis* (inquit) *neſcire quiſque dicitur, quod occultat ... Neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in conſuetudine humana non inveniatur, quia utique hominibus loquuntur.* Ex quibus verbis obſervat *Cardenas*, humana conſuetudine receptum eſſe, ut verbum *neſcio* ſæpe ſumatur pro *non ſcio niſi ſecretò. Non ſcio, ut manifeſtare poſſim.* In quo nulla relucet reſtrictio *purè mentalis*, quia verbum *neſcio*, juxta morem loquendi, id ipſum ſignificat, & facilè ab auditore adverti poteſt. quod ſecus eſt in reſtrictione purè mentali, ubi ſenſus obſcurus & occultus, nullo modo eſt perceptibilis.

15 *Dixi* ſupra: æquivocationum & amphibologiarum uſum promiſcuum, abſque cauſa rationabili, eſſe juri naturali adverſum; eò quòd ſit conjunctus cum nimio præjudicio ſinceritatis in converſatione mutua; aſt id maximè procedit in quæſtionibus circa fidem, aut factis ab eo, qui hîc & nunc jus interrogandi habet. Quia in Dei contemptum, nemo fidem diſſimulare debet. *Qui enim me* (inquit æternæ verbum veritatis, *Lucæ 9. ℣. 26.*) *erubuerit & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in Majeſtate ſua.* Et qui jus habet ad interrogandum, imponere quoque poteſt alteri obligationem ad reſpondendum congruenter interrogationi, idque juxta ſenſum ab interrogante intentum. Alioquin, ſi Reus vel teſtis ſuper crimine occulto, à judice, *haud juridicè*, puta: nulla præcedente infamiâ, ſemiplenâ probatione, aut indiciis æquivalentibus, interrogaretur; licitè uti poſſet reſtrictione non purè mentali, eò quod iſtis in circumſtantiis, ſatis ſignificetur, neſciri de-

Digitized by Google

delictum, quod debeat tali judicio ſubjici. Idem tam Theologi, quàm Juriſperiti de teſte juridicè quidem interrogato; ſed, qui abſque notabili incommodo proprio, veritatem edicere nequeat, paſſim tradunt. Quò facit, quòd utroque jure, ùt ſupra inſinuavimus, prohibitum ſit, ne quis contra parentes vel conſanguineos cogatur teſtificari, excepto crimine hæreſis vel proditionis patriæ.

16 Malè tamen ſentiunt, qui dicunt: illegitimè promotum ad officium publicum, in formula juramenti præſtare ſoliti, poſſe uti reſtrictione mentali, ut occultet crimen ſuum occultum, ùt liquet ex propoſitione 28vâ ab *Innocentio XI.* damnata. Etſi enim nullum præcedat indicium, interrogatio tamen utpote non ordinata ad puniendum delictum, ſed merè ad avertendum damnum, ex miniſtri indignitate, in rempublicam redundans, legitima & juridica eſt; quia tunc non intenditur determinatè revelatio vel confeſſio criminis occulti, ſed *alternativè* vel dimiſſio ſeu non acceptatio officii, vel criminis manifeſtatio, & quidem ob bonum publicum, quod commodo privato præponderare debet.

17 Nec Oggeras: Præcepta humana univerſim non obligare cum onere humanitus inſupportabili, quale eſſet obligatio occultum ſuum crimen confitendi, nullo præcedente indicio. Cùm enim optio detur, an quis tali caſu, officium non acceptare, vel dimittere; an crimen, non ad pœnam evadendam, ſed ad damnum à Republica amovendum, fateri velit; alternativa obligatio iſthæc adeò gravis cenſeri nequit, ut ei cedere debeat bonum publicum. Nec contrariam opinionem juvat, quòd per delicta nemo amittat jus famæ, quamdiu ſcilicet delicta manent occulta; & quòd etiam mœchus vel latro, ab alio invaſus, vitam ſuam defendere valeat; Hæc inquam non juvant, in noſtra enim *hypotheſi*, officium ambiens, famæ ſuæ conſulere poteſt, ſi renuntiare officio, & privatum incommodum poſtponere velit (uti tenetur) præjudicio publico. Hallucinantur igitur, qui putant, *Innocentium Papam* damnâſſe *Theſin* negantium obligationem fatendi crimen occultum: ſiquidem in noſtra *hypotheſi*, interrogatio eſt juſta, juridica & rationabilis, eò quòd non agatur de puniendo crimine, pœna ſcilicet *capitali*, quo caſu plures ſuſtinent, etiam *juridicè* interrogatum, poſſe negare crimen capitale, ſi ſuperſit ſpes evadendi. Quia (inquiunt) etſi habitâ ſemiplenâ probatione, Reus *ſub pœna* teneatur crimen ſuum fateri, & inficians *Torturæ* ſubjici poſſit; non tamen ad id ſub *culpa Theologica* obligatur. Confer *Joannem Sanchez. in Select. diſp.* 43. *à n.* 32. *Lugonem. tom.* 2. *de juſtit. diſp.* 40. *ſect.* 1. *n.* 15. & *Tamburinum. lib.* 3. *Decalog. cap.* 4. §. 3. *n.* 5. Junge *Patritium Sporer. tract.* 5. *in* 8*vum Decalog. Præcept. cap.* 4. *n* 15. Si ècontra

18 Petas: Num quis ad evitanda graviſſima tormenta, poſſit fateri crimen ſibi falſò impoſitum? Resp. *Leſſium lib.* 2. *cap.* 11. *dubit.* 6. *n.* 41. *Tannerum tom.* 3. *diſp.* 4. *De juſtit. q.* 5. *dub.* 4. *n.* 100. & alios ab ipſis citatos contendere, ad evitanda graviſſima tormenta, morte ipsâ acerbiora, poſſe, quem fateri crimen ſibi falsò impoſitum, morte plectendum; nec hoc faciendo, peccare mortaliter, eò quòd nemo teneatur cum tanto incommodo & cruciatu, vitam ſuam tueri; perinde, ſicut nemo tenetur ad vitam ſuam conſervandam, pati abſciſſionem membri, cum ingenti dolore, aut uti medicinis extraordinariis nimiùm ſumptuoſis.

Verùm oppoſita ſententia longè verior eſt, eò quòd per falſi criminis confeſſionem,

nem, homo non ſolùm mentiatur, ſed etiam veriſſimè & *poſitivè* concurrat ad injuſtam mortem ſuam, quod nullo caſu licet. Aliud eſt de eo, qui non vult cum magno cruciatu, pati abſciſſionem membri alicujus principalis, puta: brachii, tibiæ *&c.* aut: qui non vult uti medicamentis exquiſitiſſimis magni pretii; iſte enim nullatenus *poſitivè* cooperatur ad mortem ſuam, nec ſe interficit, ſed duntaxat *negativè* ſe habet, permittendo mortem ſuam ex morbo vel alia cauſa, naturaliter provenientem.

19 Veriùs quoque eſt, neminem citra peccatum *mortale*, poſſe ſibi imponere alterius crimen, ſive verum nocentis, ſive falſum innocentis, ad ipſum morte liberandum. *Ratio* eadem eſt, quæ mox data. Malè igitur docet *Leſſius. loc. cit. n.* 41. poſſe id abſque gravi piaculo fieri ad liberandum à morte innocentem, v. g. Parentem, vel intimum amicum. Quanquàm ob ignorantiam & exceſſivam charitatem id faciens, à culpa mortali excuſandus videatur.

20 Mendacio affine eſt *judicium temerarium*, quod jure divino & naturali adverſum. Juri quidem *Divino*, quia *Matth.* 7. dicitur: *Nolite judicare, ut non judicemini*, quod *Divus P. Auguſtinus, lib. de Serm. Domini in monte cap.* 28. intelligit, *de judicio temerario.* Juri autem *naturali*; quia temerè judicans, violat jus, quod alter habet ad ſuam famam, facítque alteri, quod nollet ſibi fieri.

21. Eſt autem *judicium temerarium*, aſſenſus firmus de malitia proximi, ex levibus indiciis procedens. Ubi per *tò*: *Aſſenſus*. diſtinguitur à *dubio* & *ſuſpicione*. *Dubium* enim eſt animus in medio pendulus, nihil affirmando vel negando de malitia proximi. *Suſpicio* autem, licet ſit aſſenſus; eſt tamen adeò debilis, & cum tanta formidine de oppoſito, ut magìs videatur eſſe inclinatio ad malè opinandum, quàm aſſenſus ipſe. Per *ly firmus*. Judicium temerarium differt ab opinione, qua quis circa malitiam proximi aſſenſum præbet cum formidine de oppoſito.

22. Dubium & ſuſpicionem de malitia proximi *regulariter*, ſeu *ordinariè*, non eſſe niſi venialia peccata, diſertè docet *Magnus P. Auguſtinus. Tract.* 90. *in Joannem*, ubi ait: *Quanquàm in his rerum tenebris humanarum, ſuſpiciones vitare non poſſimus.* Ex quo *D. Thomas.* 2. 2. *q.* 60. *art.* 3. *ſcholaſticè* tradit, ſuſpicionem, ac proin à fortiori, dubitationem pertinere ad tentationem humanam, *ſine qua, vita noſtra non ducitur.* Per quod ſatis inſinuat, ſuſpicionem, & dubium de malitia proximi, non eſſe peccata *mortalia*, ſine quibus vita hominis traduci poteſt. *Ratio* autem eſt; quòd dubitatio & ſuſpicio propriè non auferant famam proximi, cùm non ponant firmum judicium de ejus malitia, ac proinde ejus bona exiſtimatio haud graviter exinde lædatur. Dubitans enim, an *Titius* commiſerit fornicationem, non contemnit ipſum graviter, quin potiùs, ne ipſum injuſtè contemnat, ſuſpendit judicium ſuum.

23. Quòd ſi *D. P. Auguſtinus. Epiſt.* 137. innuere videatur, ſuſpiciones poſſe interdum eſſe peccata *lethalia*, non loquitur de ſuſpicione levi, quæ excludat *poſitivum* aſſenſum, ſed de illa ſuſpicione, quæ vergat in *opinionem*, importétque *judicium temerarium*, quod abſque dubio, eſt peccatum mortale, ſi ſit 1. *plenè deliberatum*, non ſubitaneum aut momentaneum, abſque reflexa approbatione. 2. *Judicium formale.* Quia ſola objecti repræſentatio, quæ nobis invitis pluries contingit, non eſt aſſenſus mentis. 3. *De re gravi:* quæ gravitas non ſemper petenda ex eo, quòd id, quod de altero temerè judicatur, ſit peccatum *lethale*, cùm poſ-

Digitized by Google

poſſit quis *graviter* peccare, temerè judicando de alterius peccato *veniali*, præſertim *habituali*. Puta: ſi judicaret Epiſcopum, aut ſacerdotem gravem, eſſe mendacem: & écontra peccare *leviter*, arguendo aliquem peccati mortalis: puta judicando; quòd diſſolutus adoleſcens foveat impudicos amores *&c.*, ſed petenda eſt ex eo, quòd ſpectatis cunctis perſonæ, loci & temporis circumſtantiis, prudenter creditur hîc & nunc graviter lædere famam proximi, ſive interim illud ſit peccatum lethale ſive veniale, ſive etiam defectus naturalis, qui alteri temerè attribuitur.

24 4. *Ex levibus conjecturis* ſeu indiciis procedens. Si enim judicium innitatur motivis rationabilibus & gravibus, nec temerarium, nec ſuſpicioſum, proinde nec ullum erit peccatum, quanquàm verſetur circa alterius peccatum grande. Quandonam autem ſint ſufficientia vel inſufficientia ad judicandum ſine temeritate; propter caſuum & circumſtantiarum diverſitatem; certâ regulâ definiri nequit. Ut ùt autem circa indicia nil determinari poſſit; hoc tamen certum eſt; quòd minora requirantur indicia ad dubitandum, quàm ad ſuſpicandum; minora rurſus ad ſuſpicandum, quàm ad opinandum; minora porrò ad opinandum, quàm ad firmiter judicandum. Generatim loquendo, pro Regula diſcernendi in hac materia, perpendi conveniet, num indicia illa ex ſe, vel communi uſu hominum, ſint indifferentia aut rarò conjuncta cum tali effectu malo, qui judicii eſt objectum, ſi ita eſt; indicia meritò cenſebuntur improportionata & inſufficientia: ſi verò ſint, ùt plurimùm conjuncta cum tali effectu malo, de quo quis judicat, ſuſpicatur vel dubitat; pro proportionatis & ſufficientibus reputanda erunt. Sic: ſi vides hominem juvenem & ſalacem noctu intrare domum ſuſpectam vel infamem, aut inde exire; cum ſufficienti & proportionato fundamento judicabis, illum peccâſſe contra ſextum Præceptum, & inibi non recitâſſe Roſarium. Aſt ſi vides virum gravem & honeſtum v. g. Epiſcopum, Parochum, Senatorem bonæ famæ, clarâ die tranſire talem domum vel plateam, ubi meretrix habitat & Lupanar exiſtit, indicio haud ſufficiente judicabis illum eſſe ſcortatorem. Similiter, ſi vides hominem domui alienæ ſcalas palàm & de die admoventem; temerè judicas, ipſum eſſe furem aut flagitioſum. Non judicabis tamen temerè, ſi ipſum de nocte ac furtivè id facere conſpexeris.

25. *Dictum ſupra n.* 22. dubium vel ſuſpicionem de malitia proximi, regulariter & ordinariè non excedere culpam venialem. Per accidens enim mortalem culpam involvere poſſunt, utpote 1*mò*. Si oriantur ex maligno affectu, vel odio, aut contemptu proximi. Veluti: ſi quis ex leviuſculis indiciis ſuſpicans malum de proximo, ex odio delectetur de hujuſmodi eventu, & ideo eum vituperet, quaſi in talem caſum incidiſſet. 2*dò*. Si quis ex hujuſmodi temeraria ſuſpicione in effectum externum proximo nocivum prorumpat. Ut: ſi judex ex ſola ſuſpicione Reum condemnaret; ſuperior ſubditum puniret; aut ab Officio removeret; collegialis alteri hanc ob cauſam, ſuffragium ſuum in electione negaret; aut eundem, à conſecutione boni alicujus notabilis, impediret. 3*tiò*. Si quis ſuſpicionem ſuam malam de proximo conceptam, cum magna ipſius infamia, vel damno, aliis patefaceret. Compertum enim eſt, quòd homines quempiam de crimine ſuſpectum audientes, facilè in eandem ſuſpicionem abducantur, & exinde moveantur ad illum vilipendendum. Quod ſi tamen quis alicui timoratæ conſcientiæ viro pruden-

ti,

Digitized by Google

ti, ſuam aperiret ſuſpicionem, bonâ ſcilicet mente, ad capeſſendum conſilium: utique non peccaret mortaliter; quinimò nec peccaret ullatenus, ſi ſuperiori ad inquirendum, avertendum vel præcavendum periculum mali eventuri, ſuſpicionem ſuam pateſaceret.

26. Ex verbis *Div. Patris Auguſtini: lib. 2. De Sermone Domini in monte.* Receptum inter Theologos eſt Axioma: ***Dubia in meliorem partem interpretanda eſſe.*** Unde exurgit quæſtio; num exiſtentibus utrimque motivis ſufficientibus ad dubitandum de actione proximi; an bona ſcilicet ſit vel mala? teneamur illam *poſitivè* in bonam partem interpretari? num verò ſatis ſit, illam ſic interpretari *negativè?* Ubi Nota; quòd *poſitivè* aliquid in bonam partem interpretemur, dum abſolutè judicamus factum proximi eſſe bonum, honeſtum juſtum &c. *Negativè* verò; quando nec bonum nec malum judicamus, ſed ſuſpendimus arbitrium noſtrum.

Veriſimilior ſententia habet; quòd non quidem *poſitivè*, omnino tamen *negativè*, teneamur factum proximi dubium, in meliorem partem interpretari.

Ratio 1. *p. eſt*: Quia etſi teneamur mentem in meliorem partem inflectere, ſuppoſitô, quòd velimus judicare de actione proximi, eò quòd in dubio, melior ſit conditio famam ſuam bonam poſſidentis, & ubi partium jura ſunt obſcura, favendum ſit Reo; nullâ equidem lege cogimur de ejus probitate vel improbitate, ſtante dubio judicium ferre, nullámque proximus injuriam aut contemptum exinde patitur, quod actum judicii noſtri ſuſpendamus in caſu, ubi natura objecti dubii, aliud non poſtulat.

Ratio 2. *p. eſt*: Quia, cùm non teneamur, in dubio, *poſitivè* proximi factum judicare *bonum*, nec poſſimus illud *aſſertivè* judicare *malum*, defectu indiciorum ſufficientium; tenemur ad minus actum judicii ſuſpendere, quæ ſuſpenſio dicitur, *negativa* dubii in meliorem partem *interpretatio*. Igitur illud *S. Patris* effatum, non eſt capiendum *affirmativè* & *abſolutè*, quaſi quis exiſtentibus motivis ambiguis, non poſſit ſuſpendere judicium, ſed poſitivè exiſtimare debeat proximum eſſe inſontem à tali crimine vel vitio; alioquin enim teneretur quis cum periculo erroris intellectum ſuum inflectere in partem benigniorem, quod nulla lex præcipere poteſt. Debet ergo dictum illud intelligi *negativè* tantùm, ita ſcilicet; ut in dubio de innocentia vel delicto alterius, judicium ſeu ſententiam non feramus in deteriorem partem, cùm quilibet potiùs præſumendus ſit innocens, quamdiu non probatur nocens. Ob quam rationem, ſi quis ſtante dubio judicare velit, aut ex officii neceſſitate ſententiam ferre debeat, in benigniorem partem inflectere debet intellectum; eò quòd in dubio ſatius ſit falli bene opinando de proximo, quàm malè opinando decipi. Prior enim error eſt tantùm *ſpeculativus*, hic autem foret *practicus* cum proximi injuria vel damno conjunctus.

27. Cæterùm, ſi de damno à nobis vel ab aliis præcavendo agitur; poſſumus dubia quadantenus in deteriorem partem interpretari, non quidem *abſolutè* & *definitivè* judicando, vel opinando proximum eſſe improbum, ſed *ex hypotheſi*, ſi fortè improbus eſſet, rebus noſtris cautè proſpiciendo. Sic enim agendo, non facimus alteri ignoto injuriam, neque is rationabiliter conqueri poteſt, cur ipſi cum damni noſtri periculo non fidamus, eò quòd inter homines dentur probi & improbi. Unde quis licitè pecunias ſuas occludet, ſi famulos neò advenas, vel hoſpites ignotos domi ſuſceperit; quia fieri po-

poteſt, quòd ſint fures. Sic quoque licitè filiæ tuæ inhibebis, ne cum certo adoleſcente converſetur, quia fieri poteſt, ut ab illo ſeducatur. Pariter, arma tua, occurrente in ſylva homine aſpectu tetrico & horrido, expedita licitè habebis; quia fieri poteſt, quòd ſit latro & te invadat. Princeps igitur quidam ſapienter dixit: *in ordine prudentiæ ad cavendum malum, pejora ſupponenda fore, ſecus in ordine juſtitiæ & charitatis, ad exequendum.*

28. De judicio temerario, ſimilibúſque animi vitiis, tranſimus ad peccata externa ejuſdem farinæ, inter quæ primum locum tenet *detractio*, quæ eſt injuſta & occulta famæ alienæ violatio. Ubi per *ly injuſta* excluduntur caſus, quibus juſtè & abſque peccato, alterius famæ detrahitur. Veluti: ſi occultum crimen reveletur judici aut ſuperiori, ad vindictam publicam, pro exemplo, neceſſariam bono communi, vel etiam; ut Reus, ſervato ordine charitatis fraternæ, emendetur, vel imminenti proximi malo præcaveatur. Per *tò occulta* diſcrepat à *Diffamatione*, quæ importat publicam famæ ſive propriæ ſive alienæ diſſipationem. Differt itidem à *contumelia*, quæ aut fit in præſentia illius, cujus honor læditur, aut ſaltem eo fine, ut in abſentis notitiam perveniat. Additum: *famæ alienæ.* Pro quo

29. Noveris *famam* latè ſumptam, eſſe multorum exiſtimationem de vita & moribus alterius: ſícque dividi in *bonam & malam*, quanquàm, ſi ſtrictè & abſolutè accipiatur; *bonam* importet multorum exiſtimationem de vita & moribus alicujus, quo ſenſu definitur, in *l. cognitionum. ff. De variis & extraordinariis cognit.* Quòd ſit: *Illæſæ dignitatis ſtatus, legibus & moribus comprobatus.* Et clariùs à *D. Thoma 2. 2. q. 103. art. 1. Fama eſt opinio ſeu exiſtimatio de alterius excellentia.* Ita ut *infamia* ſit mala de aliquo exiſtimatio circa vitium aut crimen ejus.

Fama differt ab *honore*, quòd honor ſit *teſtificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ*, ùt loquitur *D. Thomas loc. cit.* Adeóque conſiſtat in exhibitione reverentiæ, alteri, ob quandam ejus excellentiam, debitæ; ſive interim excellentia fundetur in virtute, ſive in doctrina, ſive in officio vel alia qualitate. Unde honor ſupponit opinionem bonam, quam de altero concepimus, & conſiſtit in teſtificatione, qua per ſigna externa notam facimus noſtram bonam exiſtimationem, quam de bono vel excellentia alterius, habemus. Quòd, ſi per ſigna externa non tantùm noſtram bonam exiſtimationem, ſed etiam ſubjectionem noſtram, erga alterum, ob illius exiſtimatam excellentiam, teſtemur; teſtificatio noſtra *cultus* erit, qui non intelligitur exhiberi, niſi ſuperiori in aliquo genere excellentiæ: cùm honor etiam æquali & inferiori exhiberi queat.

30. Honoris ſpecies accidentalis eſt *laus*; dum videlicet ſolis verbis, noſtram exiſtimationem de alterius excellentia teſtificamur: Honor autem nedum verbis, ſed quibuſcunque ſignis, puta: capitis detectione, inclinatione *&c.* exhiberi poteſt. Honoris effectus eſt *Gloria*, quæ definitur: *Clara cum laude notitia.* Nam ex eo, quòd de alterius virtute aut excellentia, multi verbis vel geſtibus teſtificentur; clareſcit ejus excellentia in exiſtimatione plurium, & ſic evadit *glorioſus.*

31. Læſio ergo honoris, ſeu *inhonoratio*, alia eſt *negativa*, & fit per *omiſſionem* honoris exhibendi: alia eſt *Poſitiva*, quæ propriè dicitur *contumelia*, quæque fit per *commiſſionem*, dum quid verbo, vel facto, ſigno vel ſcripto per convitium, irriſionemque, in dedecus alterius patratur.

32. Detractio duplex eſt, una *formalis*, altera *materialis. Prima* eſt quæ fit cum intentione famam alterius lædendi. *Secunda* eſt, quæ fit abſque intentione lædendi fa-

famam alterius, puta: ex garrulitate, loquacitate *&c.* licet interim in animo audientium diminuatur alterius exiſtimatio. Hæc diviſio, ùt vides, tenet ſe ex parte *voluntarii*. Ex parte *modi* detrahendi; alia eſt *directa* alia *indirecta*. *Prima* dicitur, quâ quis *directè* & *poſitivè* lædit famam proximi, id quod fieri poteſt quatuor modis comprehenſis hoc verſu:

Imponens, Augens, manifeſtans, in mala vertens. Ubi per *tò imponens.* intelligitur ille, qui alteri falſum crimen affingit. Falſi autem criminis impoſitio eſt modus detrahendi peſſimus. *Tò Augens.* Indigitat illum, qui alterius verum vel falſum crimen, defectúmve exaggerat. *Tò Manifeſtans.* Denotat illum, qui proximi crimen verum quidem, ſed occultum propalat aut detegit. *Ly in mala vertens.* Deſignat illum, qui alterius opus rectè factum ſiniſtrè interpretatur, déque illo malevolè exteriùs judicat. Secunda ſeu indirecta detractio eſt; quâ quadantenus *negativè* ſeu *obliquè* læditur fama proximi: & hæc etiam quatuor fieri poteſt modis. 1. Inficiando alterius dotes, merita, virtutes, rectè facta *&c.* 2. Ejuſmodi alterius bona malevolè extenuando. 3. Dotes, virtutes, aut alterius merita malitioſè reticendo, in iis nempe circumſtantiis, in quibus ſilentium pro tacita vituperatione, confeſſione, ſeu approbatione defectûs alterius haberetur. Quod maximè contingeret, ſi quis ſigno externo oſtendat ſe idem ſentire, quod de alio probroſè dicitur, aut diſſentire in eo, quod in alterius laudem profertur. Sic: ſi aliis proximo detrahentibus tu, ſine diſplicentiæ ſigno, taceas; tacendo conſentire & alterius infamiam approbare cenſeris. Pariter; ſi aliis proximum laudantibus, tu frontem vel os contrahas; ſatis indicas, te oppoſitam fovere opinionem. 4. Ita frigidè laudando, ut laus tua potiùs cedat in diminutionem famæ alterius ejúſque vituperium. Juxta illud *Gellii lib.* 19. *Turpius eſt, exiguè & frigidè laudari, quàm inſectanter & graviter vituperari.* Hi quatuor modi, vulgato indicantur Verſu:

Qui negat, aut minuit, reticet, laudátque remiſsè.

Sunt autem omnes modi iſti, ejuſdem ſpeciei. cùm in ratione læſionis famæ alienæ, tantùm differant ſecundùm magis & minus, & omnes opponantur charitati & juſtitiæ.

33. Quod detractio *formalis*, ſive *directa*, ſive *indirecta*, ſit ex genere ſuo peccatum mortale, colligitur ex S. Scriptura *Prov.* 24. ubi detractor appellatur: *Abominatio hominum. Et Jacobi* 4. Ibi: *Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi & judicat legem.* Unde *ad Rom.* 1. detractores inter eos recenſentur, qui ſunt morte digni. *Ratio* eſt; Quia omnis actio privans alterum injuſtè bono ei debito, adeóque injuſtum proximo damnum inferens, eſt peccatum contra juſtitiam commutativam, ex genere ſuo, mortale, eóque gravius vel levius, quò majori vel minori bono injuſtè privat: Atqui detractio injuſtè privat proximum bono ei debito, ſcilicet famâ, quæ licet ſit minus bonum, quàm vita & pudicitia; eſt tamen multò majus bonum, quàm illud, quod dicitur *fortunæ* juxta illud *Prov.* 22 *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Et *Eccleſ.* 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magìs permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni.* Igitur, ſi furtum eſt peccatum ex genere ſuo mortale, multò magis detractio erit tale; cùm per furtum, tantùm auferatur pecunia, aut pecuniâ æſtimabile; per detractionem autem, auferatur fama, quæ præſtat divitiis multis.

Perinde autem eſt, num detractio directè aut indirectè fiat, ſemper enim implicitè ſaltem intenditur læſio famæ, dum profe-

Digitized by Google

proferuntur verba de ſe læſiva, & dum quis ſcire poteſt & debet prævidere, num hic & nunc, proximi fama lædatur. Hoc tamen damus, quòd detractio *indirecta*, facilè poſſit eſſe *venialis* defectu advertentiæ & deſtinati propoſiti.

34 *Dictum :* Ex genere ſuo. Certum enim eſt, detractionem ob levitatem materiæ, levem quoque eſſe noxam. Ad dignoſcendam autem materiæ gravitatem vel levitatem, Regula hæc ſit generalis: *Quotieſcunque manifeſtatur defectus proximo graviter probroſus, ſive ille ſecundùm ſe ſit naturalis ſive moralis, mortalis ſive venialis, detractio eſt gravis, aliàs levis.*

Unde lethaliter peccaret, qui de gravi Sacerdote aut Viro Religioſo diceret; eſſe amatorem puellarum, vel eſſe mendacem: venialiter verò delinqueret, qui idem diceret de Laïco. Ex ratione, quòd tale quid non eſſet, aut reputaretur ita probroſum Laïco, ac Sacerdoti.

Ad dijudicandum, an & quandonam detractionem audiens, peccet; advertere oportet; quòd quis tribus modis poſſit auſcultare detractorem; ſcilicet: *inducendo, approbando*, & *non impediendo*.

35 Certè qui conſilio, juſſu, adulatione, interrogatione, aut alio modo, alium inducit ad detrahendum, aut detractionem continuandam, peccat tam contra juſtitiam, quàm charitatem. *Ratio* 1. *p. eſt:* Quia de ablatione famæ, & rei alterius alienæ, pariformiter ratiocinandum eſt: jam verò, qui eſt cauſa, cur auferatur res aliena, peccat contra juſtitiam, non minùs ac ipſe fur. Ergo à pari. *Ratio* 2. *p.* eſt; quod detractori aures præbens, eidem ſimul præbeat ſcandalum, & occaſionem ruinæ ſuæ ſpiritualis, ac proin in charitatis legem impingat.

36 Quod, ſi quis auſcultet detractorem, eum non inducendo, ſed ex auditis, ſibi duntaxat complacendo; non lædit quidem juſtitiam, cùm infamato nullam inferat injuriam, nec ad detractionem concurrat; lædit tamen charitatem, eò, quòd gaudens de malo proximi, ipſum implicitè oderit; niſi quis præcisè delectetur de lepiditate, dexteritate, eloquentiâ aut acuminoſa exaggeratione detractoris; qualis non videtur graviter ex hoc capite delinquere. *Dico: ex hoc capite*; quia aliunde, *non impediendo*, graviter peccare poſſet, ùt mox dicetur. Siquidem:

37 Qui detractioni non cooperatur nec conſentit, illam tamen non impedit, quando poteſt cum fructu & ſine gravi ſuî incommodo; utique graviter delinquit contra charitatem; tum intuitu *infamantis*, cujus peccatum & ruinam ſpiritualem non impedit eum fraternè corripiendo; tum proſpectu *infamati*, cujus famam injuſtè dilacerari ſinit: Argumentô illius, qui bona proximi injuſtè ſinit auferri, qualis utique contra charitatem peccat.

Dixi: 1*mò. Cum fructu.* Si enim quis prudenter prævideat, ſe nihil profuturum, vel: quia detractor eſt talis indolis, ut reprehenſus atrociora ſit dicturus, vel dicta juramento execratorio confirmaturus; vel: quia audiens, nullius eſt authoritatis, inferiorîſve longè conditionis; puta: pediſſequus; tunc ſatis egerit; ſi vel diſcedat vel aliò ſermonem convertat, triſtémque vultum aut averſionem ab hujuſmodi ſermonibus oſtendat. Tacita enim hujuſmodi reprehenſio plùs operatur, quàm aperta correctio. Quò collimat dictum *Salomonis Proverb.* 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias & facies triſtis linguam detrahentem.*

Dixi 2*dò. Et ſine gravi ſuî incommodo.* Si quis enim ideo timeat verbera, contumelias, rixas, convitia, &c. non tenetur detrahentem corripere, quia imprudenter id tentaret.

38 A detractione differt *contumelia*, ſicut furtum à *Rapina*. Eſt enim contumelia honoris alieni per verba aut facta verbis æquivalentia, injuſta & aperta ablatio. Ubi, per *ly Honoris*. Contumelia diſcriminatur à detractione, quæ directè tendit ad famæ, non honoris deſtructionem. Qui enim clam alterius crimen revelat; adhuc perſonæ parcit, aut ſaltem directè non intendit ejus honorem labefactare; qui autem alteri in faciem & apertè crimen objicit, ipſius perſonam vilipendit, ejúſque honorem lædit.

39 *Dictum: per verba aut facta &c.* Etſi enim per verba directè & per ſe inferatur contumelia; cùm verba ad exprimendos conceptus ſint inſtituta; equidem & factis inferri poteſt. Veluti: ſi quis alterius effigiem conculcet, cornua ad ejus portam appendat; virum honoratum fuſte aut alapâ percutiat. Quia tunc non conſiderantur facta, ùt facta; ſed quatenus induunt naturam verborum aut ſignorum, queîs honor alterius læditur.

Dictum etiam: *injuſta*. Si enim fiat exprobratio ex intentione corripiendi inferiorem, veluti: cùm Pater per verba contumelioſa objurgat filium, maritus uxorem, Prælatus ſubditum, Dominus ſervum; non ponitur contumelia, quæ importet peccatum, de quali, hîc ſermo. Poſſunt enim Superiores ex juſta cauſa, verbis alioquin contumelioſis uti ad ſubditorum correctionem. Sic & ipſe *Chriſtus Lucæ* 24. vocavit Apoſtolos *ſtultos & tardos corde ad credendum.* & *Paulus ad Galatas* 3. eoſdem *Galatas* vocavit *inſenſatos*. *Ratio* eſt; quia, ſi diſciplinæ & correctionis cauſâ, licitum eſt alterum verberare; utique licitum eſſe debet, verbis contumelioſis bono fine prolatis, alterum reprehendere. *Bono* inquam *fine*; ſcilicet: *cauſâ emendationis*, idque non abſque neceſſitate, nec ſine prudenti diſcretione, ut correptus intelligat, hujuſmodi exprobrationem non proficiſci ex ira aut paſſione, ſed ex recta & juſta intentione. Alioquin, ſi prævideretur, fore; ut ſubditus potiùs exinde exacerbaretur, quàm emendaretur; ſatiùs utique à durioribus invectivis abſtinendum foret. Regulariter itaque, haud impetuosè & clamorosè, ſed blandè & paternè corripiendi ſunt ſubditi, ut ſuperior magìs ametur, quàm timeatur.

Dictum porrò *Aperta:* per hanc enim particulam, Contumelia præcipuè differt à *detractione*. Detractor enim clam revelat proximi crimen, nec vult, ut ei detractio innoteſcat, cum ècòntra *Contumelioſus*, aut præſenti crimen objiciat; aut ſaltem eâ intentione manifeſtet, ut abſenti ad confuſionem notificetur. Hinc Author *libelli famoſi*, maximè reputatur contumelioſus, cùm ſcripta magìs divulgentur, & diutiùs memoriam refricent, quàm verba. Quamobrèm, ſi materiæ gravitas id exigat; jure Civili, pœna gladii ſtatuta eſt in Authorem libelli famoſi. De pœnis jure Eccleſiaſtico ſtatutis in hujuſmodi Authorem, videri poſſunt Bullæ *Pii V. incip. Romani Pontificis.* & *Gregorii XIII. incip. Ea eſt rerum.*

40 Contumelia, convitium & improperium *formaliter* non differunt, cùm omnia eò tendant, ut evulgetur alterius defectus in detrimentum ejus honoris. *Materialiter* differre videntur, quòd contumelia ſit objectio defectûs moraliter culpoſi, veluti: ſi quis vocetur Hæreticus, Proditor, Fur, Mœchus *&c. Convitium* ſit objectio alicujus defectûs naturalis; ut: ſi quis vocetur idiota, homo exigui cerebri, imprudens, ſtultus, cæcus &c. *Improperium* verò ſit objectio indigentiæ præteritæ; veluti: ſi quis alteri ad ejus confuſionem objiceret; quòd eleemoſynam

Digitized by Google

nam petere, ex aliorum beneficentia vivere &c. debuerit.

41 *Calumnia* rurſus gravius eſt peccatum, quàm detractio aut ſimplex contumelia. Quia Calumnia eſt falſi criminis impoſitio, & Calumniator pernicioſiſſimo utitur mendacio ad dilacerandam alterius famam.

Quia præcipuè hîc nobis agendum eſt de falſo teſtimonio, quod in judicio dari poteſt contra proximum; ideo quidditatem, & qualitates Calumniæ *judicialis*, quæ utique eſt falſi teſtificatio, limatiùs ponderabimus.

42 Eſt igitur *Calumnia* delictum, quo quis falſum crimen alteri in judicio ſcienter & doloſè intendit, ſeu contra alterum proponit. Et Calumniator dicitur, qui hoc facit. *Arg. l.* 1. *§. Calumniari. ff. ad S. C. Turpilianum & Abolitionibus criminum.* Igitur non ſolùm ille, qui aliquem falsò accuſat vel denuntiat, ſed & quiſcunque alius, qui falſum crimen in judicio contra alium proponit, Calumniator eſt, pœniſque Calumniantium ſubjacet. *l. Ab accuſatione.* 6. *§. fin. ff. Eod.* ibi: *Calumniæ causâ puniuntur, qui in fraudem alicujus, librum vel teſtimonium aliúdve quid conquiſiviſſe vel ſcripſiſſe vel in judicium protuliſſe dicuntur.*

Quinimò, qui accuſat alterum de crimine, quod probare non poteſt; hoc ipsô Calumniator præſumitur. *Arg. cap.* 2. *De Calumniatoribus.* junctô *Can. Calumniator.* 2. *cauſ.* 11. *q.* 3. ibi: *Calumniator ſi in accuſatione defecerit, Talionem recipiat.* & *can. Qui non.* 3. *ead. cauſ. & quæſt.* ibi: *Qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipſe patiatur.* Jure Civili, Calumniatoris pœna quoque eſt *Talio*; id eſt pœnæ ſimilitudo, ut ſcilicet is, idem patiatur, quod alterum pati voluit. *l.* 7. *& fin. Cod. de Calumniatorib.* Olim ex lege *Remnia*, falſa crimina ſcienter imponentibus inurebatur in fronte *littera K* quæ pœna hodie abrogata. Utroque igitur jure, pœna talionis recepta eſt; ſi autem ſimilitudo pœnæ locum habere nequeat; verberibus, exilio, aut aliter ſupplenda. *cap.* 1. *De Calumniator. Ratio* hujus pœnæ eſt; quòd accuſans paratas debeat habere probationes. *l. Qui accuſare. C. de Edendo.* ut proinde in probatione deficiens, falsò & doloſè litem moviſſe cenſeatur. Confer *Gloſſ. in cap.* 2. *de Calumniatorib.* Iſthæc tamen doli præſumptio non eſt *juris & de jure*, ut adversùs eam admittatur innocentiæ probatio.

43 Nedum accuſans, ſed & judicialiter, *non ex officio* denuntians alium, Calumniari præſumitur pœnáſque Calumniatoris incurrit, ſi doloſè procedens in probatione criminis intentati defecerit. Nam; ut habetur in *l. Patronum.* 10 *ff. De jure Patronat. Qui nomen detulit, accusâſſe cenſendus eſt.* Ut proinde accuſationis & denuntiationis culpa & pœna (Talionis exceptâ) quia Denuntians non tenetur ſe in crimen inſcribere) parificentur per textum evidentem in *cap.* 2. *De Calumniatorib.* Ubi Denuntiator ad inſtar Accuſatoris Calumniantis habetur, & puniendus erit, *donec Canonicè ſuam purgaverit innocentiam*, puta: *quòd non calumniandi animo ad hujuſmodi crimina proponenda proceſſerit.* Idque: *ut cæteri ſimili pœnâ perterriti, ad infamiam ſuorum facilè non proſiliant.*

Dictum: *Non ex Officio.* Procuratores enim Generales ſive Regii in Tribunalibus Principum, aut Curiis Epiſcoporum; item: Fiſci aut Academiarum Promotores, quibus ab officii neceſſitatem inſcriptionis neceſſitas eſt remiſſa, Calumniatores non præſumuntur, neque Calumniatorum pœnas incurrunt, etſi in probatione deficiant. Excipe: niſi ſcienter

Digitized by Google

ter falſò denuntiâſſent, uti bene obſervat *Julius Clarus. in praxi criminali. q.* 7. §. *fin. n.* 12. & *Farinac. eod. tract. q.* 16. *n.* 17.

44 Non una eſt Calumniatorum pœna, 1*mò*. Enim tenetur Calumniator & quidem in foro *Poli* & ante omnem judicis ſententiam, refundere Reo expenſas litis & reſarcire omne damnum inde ei ſecutum. Confer *Farinacium* in *prax. criminali. q.* 16. *à n.* 10. *Menochium. De Arbitrar. caſ.* 321. *n.* 1. *& ſeq. Jul. Clarum. q.* 62. *n.* 4. *Argumentô l. Eum, quem.* 79. *ff. De judiciis & l. Properandum.* 13. *C. Eod.* junctô *cap. Finem.* 5. *De dolo &c.* Quamobrèm meritò ſtatuit *Carolus V.* quòd accuſator idoneam præſtare debeat cautionem de expenſis litis refundendis & damnis reſarciendis, ſi delictum alteri imputatum non probaverit. Vide *Conſtit. crimin.* præfati Imperatoris *art.* 12.

2*dò*. Calumniator per ſententiam condemnatus de Calumnia, ipſo jure eſt infamis. *l.* 1. *&* 4. §. 4. *De his qui notantur infamiâ. l. Noſtis.* 8. *C. De Calumniator.* & *can.* 1. *cauſ.* 2. *q.* 3. adeóque & *irregularis* efficitur, ita, ut nequeat *Ordines* ſuſcipere aut ſuſceptos exercere. *can. fin. diſt.* 51. *can. Infames.* 17. *cauſ.* 6. *q.* 1. ac multò magis reddatur inhabilis ad beneficia ac dignitates Eccleſiaſticas. *Arg. cap. Inter* 11. *De Exceſſib. Prælat.*

Dixi: *Per ſententiam*: ſiquidem, ùt dicitur in *cit. l.* 4. §. 4. *De his qui &c. Calumniator ita demum notatur, ſi fuerit Calumniæ causâ condemnatus, neque enim ſufficit calumniatum. Nam ſi*, ùt habetur in *l.* 4. §. 4. *ff. Ad S. C. Turpil. ita pronuntiaverit* ſcilicet judex: Non probaſti: *pepercit ei, ſi autem pronuntiaverit:* Calumniatus es; *condemnavit eum*, ſcilicet Calumniæ. Ponderanda itaque ſunt verba judicis ſententiam ferentis, & conſiderandum, an judex pepercerit famæ Calumniatoris, nec ne.

45 3*tiò*. Ut ſupra intimatum, Calumniator, pœnæ *Talionis* ſit obnoxius. Ubi Obſervandum; quòd inſcriptio in crimen, uſu non obſervetur, & pœna Talionis, contrariâ conſuetudine in arbitrariam ſit commutata, ex ratione; quod propter metum *Talionis*, multi à juſta accuſatione fuerint deterriti, & ſic delicta, cum gravi reipublicæ damno, manſerint impunita, prout notârunt *Jul. Clarus. in prax. crimin. lib* 5. §. 2. *q.* 81. *n.* 3. *Covarruvias. Variar. reſolut. lib* 2. *cap.* 9. *n.* 9. *Gailus. lib.* 1. *De pac. publ. cap.* 9. *n.* 3. & *Felinus.* in *cap. Super his. De Accuſationib. &c. n.* 5. Si quis tamen convinceretur, quòd innocentem verè malitiosè accusâſſet vel denuntiâſſet; pœnam Talionis adhuc in foro Eccleſiaſtico ſuſtinere deberet vigore Conſtitutionis *Pii V. incip. Cùm primum:* & quamvis Pontifex tantùm loquatur de objectione criminum *Sodomiæ*, *Blaſphemiæ* & *Concubinatûs*; *Paſſerinus* tamen in *Tribunali Regular. q.* 7. *n.* 44. Conſtitutionem iſtam extendit etiam ad aliorum criminum delatores.

46 Cæterùm; accuſator vel judicialis Denuntiator in probatione deficiens, haud indiſtinctè *præſumptæ Calumniæ* reus cenſeri debet. Quotieſcunque enim quis juſtâ causâ vel errore probabili ductus accuſavit vel denuntiavit; tam à Calumnia, quàm ejus pœnâ immunis eſt. *Arg. leg.* 1. §. 3. *ff. Ad S. C. Turpil.* Diſpiciendum & indagandum igitur eſt, qua mente & quo motivo quis ductus accuſaverit; ut, ſi liqueat juſtâ causâ id contigiſſe; abſolvi debeat. *cit. l.* 1. §. 3. *ff. Ad S. C. Turpil.* Sic excuſatur quis à Calumniæ nota 1*mò*. Qui, ùt dictum, ex officii neceſſitate accuſavit vel denuntiavit. 2*dò*. Qui ſaltem *ſemiplenè* v. g. per unicum teſtem omni exceptione majorem, delictum probavit. 3*tiò*. Qui accuſationem vel denuntiationem inſtituit ſuper crimine, in dam-

damnum vel grave periculum Reipublicæ, redundante, v. g. ſuper crimine læſæ Majeſtatis *&c.* Confer *Farinacium* in *prax. crimin. q.* 16. *n.* 41. *&* 57. *Menoch. De arbitr. judic. caſ.* 321. *n.* 17. *&* 18. *& ſeq. Felin.* in *cap.* 2. *De Calumniatorib. Pirrhing. ad eund. tit. n.* 5. Ubi Authores iſti oſtendunt, quòd ex his & ſimilibus cauſis, arbitrio judicis ponderandis, Accuſator vel Denuntiator in probatione deficiens, à Calumnia excuſandus ſit, dummodò is juſtitiam cauſæ probaverit, in dubio enim non præſumitur, cauſam adfuiſſe juſtam. Unde in praxi, ſolet eidem præfigi terminus, intra quem, niſi cauſam juſtam legitimè probet, Calumniator præſumitur, pœníſque Calumniantium coerceri debet, ùt bene obſervat *Farinacius. loc. cit. n.* 38. Eò quòd in contrarium militet juris præſumptio. *cap.* 2. *De Calumniatorib.* Quocirca Accuſator in probatione deficiens, haud excuſator à Calumniæ pœnis per hoc, quod dicat, ſe à fide dignis viris, aut communi fama intellexiſſe, quòd *Titius* v. g. tale crimen commiſerit, ſed de hujuſmodi fide dignorum hominum narratione, famâve communi docere debet.

Hîc Quæri poteſt, utrùm recenſitæ aut ſimiles juſtæ cauſæ, nedum à nota & pœnis calumniæ, ſed etiam ab *actione injuriarum*, immunem reddant accuſatorem in probatione deficientem? Resp. *Affirmativè*; dummodo juſta cauſa talis ſit, quæ non ſolùm *à dolo*, ſed etiam *à culpa & temeritate* excuſet; alias enim accuſatorem ſaltem actione injuriarum, *quò ad expenſas*, teneri, probat textus perſpicuus in *l. cum qui.* 79. *ff. de judiciis.* Quotieſcunque enim accuſatio ex temeritate & culpa procedit, toties expenſarum refuſione mulctari meretur. Vide *Menoch. conſil.* 129. *n.* 14. *Farinac. loc. cit. n.* 67. *&* 71. *Cæpol. in conſil. criminal.* 70. *dub.* 3.

47. Accuſatores non ſolùm calumniando, ſed & prævaricando & tergiverſando delinquere poſſunt. ùt patet ex *l.* 1. §. 1. *ff. Ad S. C. Turpil.* ibi: *Accuſatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis ſubjicitur; aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiverſantur.*

48. *Prævaricari* dicitur, qui vel verus vel ſimulatus accuſatur exiſtens, poſtea incipit cum Reo iniquè colludere, veras probationes delicti diſſimulando ſeu omittendo, vel falſas aut frivolas exceptiones admittendo, ſicque partes Rei, cujus adverſarium ſe ſimulat, fovendo. Vide *l.* 1. §. 6. *ff. Ad S. C. Turpil. & l.* 1. *&* 2. *ff. De prævaricatorib.*

Prævaricatores contrahunt infamiam *juris. l. Si is.* 4. *ff. eod.* Adeóque & *irregularitatem. Can. Infames. Cauſ.* 6. *q.* 1: ac præterea arbitrio judicis, extraordinariè puniendi veniunt. *l.* 1 *&* 2. *ff. eod.*

49. *Tergiverſari* ſeu tergum vertere dicitur, qui poſt litem conteſtatam, ab accuſatione criminis, *citra abolitionem* deſiſtit. *l.* 1. *ff Ad S. C. Turpil. citra abolitionem*, inquam, quæ eſt accuſationis inſtitutæ peremptio, qua nomen accuſati cum omni inſcriptione jam facta, totaliter aboletur, remiſsâ accuſandi ſeu accuſationem proſequendi neceſſitate. Alioquin, ſine Principis aut Magiſtratûs indultu, poſt litem conteſtatam, non licet accuſatori vel denuntiatori, ab actione deſiſtere. *Arg. l. Si interveniente.* 12. *ff. eod.*

Pœna *Tergiverſationis* eſt quinque librarum auri, per *l.* 3. *ff. De Prævaricatorib.* aut: juxta *l.* 1. *C. eod.* quartæ partis omnium bonorum, cum infamia; ſi videlicet accuſator intra certum tempus ei à judice præfixum non comparuerit.

De detractione, & contumelia ſupra actum, ad detractionem autem & contumeliam, accedit *ſuſurratio*, *irriſio*, & *maledictio*, de quibus paucula.

50. *Suſurratio* eſt locutio prava & ſecreta de malo proximi, ad tollendam vel lædendam veram amicitiam, diſcordiámque ſeminandam. Eſtque peccatum mortale ex genere ſuo, juxta illud: *Eccleſ.* 28 *Suſurro & bilinguis maledictus*: *Ratio* eſt; quia amicitia, quam tollit ſuſurratio, eſt bonum honore & famâ præſtantius, adeóque docente *D. Thomâ.* 2. 2. *q.* 74. *art.* 1. Suſurratio eſt peccatum gravius detractione & contumeliâ. Quod tamen capiendum de rigorosè accepta ſuſurratione: ſi quis enim mediis licitis, puta: detegendo certos defectus naturales aut etiam culpabiles publicos, niteretur alium excludere ab amicitia v. g. conſulis, ut ipſemet in locum ejus ſuccedat, abſque eo, quòd inter alium excluſum & ipſum conſulem ſuſcitetur inimicitia aut diſcordia; non videretur ſaltem peccare contra juſtitiam, cùm nemini faceret injuriam: Amicitia enim eſt bonum gratuitum ex libera alterius voluntate dependens, & in alium pro lubitu amantis transferibile. Quocirca, ſicut poſſum rogare *ſempronium*, ut quod *Cajo* per teſtamentum relinquere intendebat, mihi relinquat; ita ſatagere poſſum, ut loco *Titii*, conſul *me* in ſuam recipiat amicitiam.

Dictum in definitione. *Locutio prava & ſecreta.* Siquidem tam ſuſurro, quàm detractor occultè *malum* dicit de proximo, vel certè, ſi *bonum*; tamen eo modo, eâ intentione eóque colore, ut appareat audienti malum, ſícque amicitia rumpatur, & inimicitia cauſetur.

Dictum etiam: *Ad tollendam amicitiam.* Subintellige *veram.* Tollere enim amicitiam turpem aut inhoneſtam, non eſt peccatum, ſed actus virtutis.

51. *Irriſio*, ſeu *illuſio*, eſt verborum luſus ex alterius defectibus, ut erubeſcat. Irriſio pro qualitate defectum alteri objectorum vel inderiſum deductorum, item pro qualitate perſonarum deriſarum, aut deriſionem audientium, eſt reſpectivè grave aut leve peccatum, vel contra juſtitiam, vel ſaltem contra charitatem proximi. Poſſet tamen omni vacare culpâ, ſi prudenter adhibeatur ad perſonæ illuſæ correctionem, etiamſi fiat cum aliqua ipſius confuſione, modò abſit periculum jacturæ honoris aut famæ. Quinimò videtur eſſe actus virtutis *Eutrapeliæ*, ſi perſonæ ad ferendos honeſtos jocos comparatæ, leve quid objiciatur, licitæ recreationis causâ. Cæterùm irriſio ſpecie differt à Detractione, Contumelia & Suſurratione: Quia *Detractor* intendit famæ diminutionem, *Contumelioſus* honoris læſionem, *Suſurro* amicitiæ diſſolutionem, *Irriſor* autem perſonæ illuſæ erubeſcentiam, quæ ſunt motiva ſpecie diverſa.

52. *Maledictio* eſt dictio mentalis vel vocalis, qua quis optat creaturæ rationali malum ſub ratione mali. *Creaturæ* inquam *rationali*, ſicut enim creaturæ irrationales ſecundùm ſe acceptæ, ſunt incapaces boni vel mali, in ordine ad felicitatem vel infelicitatem; ita & maledictio in illas cadere non poteſt. Otioſum proinde & non niſi venialis noxa eſt, maledicere muribus, locuſtis, pluviæ, calori, frigori &c. ſicut & diei, in qua quis natus vel Matrimonio junctus; niſi certè intenderet per hoc maledicere parenti aut conjugi, quod mortale foret peccatum. Imò maledicere pluviæ, grandini, tempeſtati *&c.* quatenus ſunt opera Dei, eſt Deo maledicere, ac blaſphemare. Unde, quando *Job* & *David* maledixerunt tempori & loco, *Tropologicè* locuti ſunt, quia non tam tempori & loco, quàm *peccatis*, quæ in ipſis contigerunt, maledixêre. *Job* enim maledicendo *diei nativitatis*, maledicebat peccato *originali*, & aliis miſeriis inde reſultantibus. *David* quoque maledicendo *montibus Gelboë*, maledicebat cædibus ibidem pa-

Digitized by Google

patratis, quod nihil aliud erat, quam dolere de illis, in quo nulla peccati umbra.

Dictum: Malum, *ſub ratione mali.* Quia optare alteri malum ſub ratione boni; licitum eſſe poteſt; veluti: ſi homini perverſo quis malum imprecetur 1. *Intuitu juſtitiæ*, deſiderando, ut malefactor à Deo vel Judice puniatur ad terrorem aliorum. 2. *Propter gloriam Dei*, quâ ratione Prophetæ ſæpe mala precati ſunt peccatoribus, exemplo *Eliſæi*, reſpectu puerorum; *Noë* reſpectu filii ejus, *&c.* 3. *Ob commune bonum:* Quâ ratione, impunè & laudabiliter optamus, imò oramus, ut Hæretici, Schiſmatici, Pagani & alii peccatores vel convertantur, ſícque nocere deſinant Eccleſiæ ſanctæ Dei: vel è medio tollantur. 4. *Proſpectu boni honeſti*, ſeu virtutis qualiſcunque. Quô pactô puella ab Amaſio impudico ſollicitata, poteſt illi optare infirmitatem, ut reſipiſcat.

Maledictionem ex animo deliberato profectam, perpensâ ſcilicet gravitate mali proximo exoptati, eſſe ex genere ſuo peccatum lethale, evincitur, ex 1. *Ad Corinth. 6. Neque maledici .... Regnum Dei poſſidebunt. Ratio* eſt; quia maledictio maximè repugnat charitati dictanti, non eſſe alteri optandum, quod nollemus nobis fieri.

Maledictiones generatim prolatæ, non diverſificant ſpeciem; veluti: ſi dicatur: *Abi in malam crucem; ſortem; malum tibi eveniat; ſis maledictus:* ſi tamen pro objecto habeant malum particulare; ex diverſitate illius, diverſam ſortientur ſpeciem. Quocirca; ſi quis alteri exoptet incendium domûs; animo *incendiarius* eſt; ſi mortem; *Homicida*: ſi bonorum ablationem; *fur*. Et ſic de aliis.

53. *Maledictum*, ſi latiùs capiatur, diſpeſcitur in Detractionem, Calumniam & Blaſphemiam. Quando enim quis de abſente malè loquitur, ejúſque famam denigrat aut minuit, dicendo v. g. quod ſit fur, homicida, mendax, fallax *&c. Detractio* & *detractor* eſt. *Calumnia* & *Calumniator* eſt. Si quis alteri in faciem crimen falſum, aut non probabile objiciat. *Blaſphemia* & *blaſphemator* eſt; qui de Deo aut Sanctis perperàm loquitur.

Maledictum ita acceptum, dirigi poteſt vel in privatum, vel in ſuperiorem præſertim ſupremum, cúmque vel ſæcularem v g. Imperatorem, Regem, Principem: vel Eccleſiaſticum; puta: Papam, Epiſcopum, Prælatum.

Pœna maledicti in privatum commiſſi, præter reatum peccati & obligationem reſtituendi famam; eſt *Palinodia* ſeu *recantatio* petita per actionem injuriarum. *Arg. l. Item 15. §. generaliter. 27. ff. De jurejur.*

Olim maledicti in Imperatorem vel alium ſummum Principem ſæcularem conjecti; pœna erat eadem cum illa, quæ in Reos læſæ majeſtatis ſtatuta; jure tamen communi, eſt *arbitraria*, út liquet ex *l. unic. Cod. Si quis Imperatori.* Ibi: *Si quis moleſtiæ neſcius & pudoris ignarus, improbo petulantique Maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda & temulentiâ turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit; eum pœnæ nolumus ſubjugare, neque durum aliquid nec aſperum volumus ſuſtinere: quoniam, ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſania; miſeratione digniſſimum eſt: ſi ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus, hoc ad noſtram ſententiam referatur, ut ex perſonis hominum, dicta penſemus & totum prætermitti, an requiri debeat, cenſeamus.* Equidem, ſi maledictum in ipſum Principis officium evomatur, utique puniri & quidem graviter, debebit. *Arg. cap. 1. De Maledicis.* Ibi: *Ut pœna illius, aliis terrorem incutiat.* Quod à fortiori fieri debebit, ſi maledicta, ſeditionem, turbas aliáſve periculoſa

ſas ſequelas ciére nata eſſent. Confer *Menocbium De Arbitr. Judic. caſ.* 377. *n.* 7. & *ſeqq.*

55. Pœna Maledicti in Summum Pontificem jactitati, jure communi, quoque *arbitraria* eſt, ſi tamen *contra ipſam ſedem Apoſtolicam*, ſeu Dignitatem Pontificiam jaceretur; exemplari pœnâ caſtigandum foret. Per *cap.* 1. *cit.* Itaque ſi in ſolam Papæ perſonam, præſertim ex levitate, temulentiâ, inſaniâ, vel animi commotione vehementiori fiat; manſuetudo Chriſti, cujus Papa in terris Vicarius Generalis eſt, omnino requirit, ut ipſe Papa talem injuriam ſuæ perſonæ illatam, remittat. *Arg. Can. Inter querelas.* 27. *cauſ.* 23. *q.* 4. & *l. ſi quis.* 10. *Cod. De Epiſcop.* & *Cleric.* junctâ præclarâ lege *unic.* cujus textum ſuprà adduximus. Si enim juxta hanc legem, ipſe Imperator, ſuæ Majeſtati maledicentibus ignoſcat; multò magìs id facere debet Papa, qui Principibus ſæcularibus, manſuetudinis & patientiæ exemplo prælucere debet. Hanc doctrinam inſigni exemplo practicavit *Pius V.* qui famoſo carmine, in ſua perſona, graviſſimè offenſus, Reum deprehenſum ad ſe adductum ſic affatus eſt: *Si tu mihi, ùt ſummo Pontifici maledixiſſes; impunè non ferres, verùm; quia in Fratrem Michaelem* (quod nomen geſſit tanquam Religioſus) *in Monachum Scarponenſem &c. convitia jactitâſti, liber abi, quò vis. Ego verò humilitatem generis mei, vitæ & habitûs ſemper animo retinebo & libenter confitebor.* Vide *Barboſam* in *cap.* 1. *De Maledicis. n.* 2.

56 Quamvis autem Epiſcopus ob Maledictum in ſuam perſonam jactitatum, Maledicum punire non poſſit, per *Can. Inter querelas cit.* Eò quòd nullus ſuperiorem agnoſcens, in propria cauſa iudex eſſe poſſit, & aliunde manſuetudo & ſanctitas Epiſcopi poſtulet, ut injurias ſuæ perſonæ illatas remittat; nihilominùs alterius judicis arbitrio, maledicus puniendus venit, ut bene obſervant. *Hoſtienſis* in ſumma. *Ad tit. De maledicis.* §. *Alii maledicunt.* Et *Farinacius. Prax. criminal. q.* 105. *n.* 402. Quinimò judices ſæculares ex officio punire debent illum, qui Epiſcopum, Sacerdotem vel Clericum etiam non accuſantem, maledictô offenderit. Generatim enim judicibus ſæcularibus injunctum eſt, ut quemvis puniant, qui locis aut perſonis ſacris intulerit injuriam. Qua ſuper re, præclara extat conſtitutio in *l. Si quis* 10. *Cod. De Epiſc.* & *Cleric.* quæ ſic ſonat: *Si quis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in Eccleſias Catholicas, Sacerdotibus Miniſtris, vel ipſi cultui locóque, aliquid importet injuriæ; quod geritur, à Provinciæ Rectoribus animadvertatur; atque ita Provinciæ moderator, Sacerdotum & Eccleſiæ miniſtrorum, loci quoque illius & cultûs Divini injuriam, capitali in convictos ſeu confeſſos reos, ſententiâ noverit vindicandum: nec expectet, ut Epiſcopus injuriæ propriæ ultionem poſcat, cui ſanctitas ignoſcendi gloriam reliquit; ſitque cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus & Miniſtris injurias, veluti crimen publicum perſequi, & de talibus Reis ultionem mereri.*

57. De Clericis Maledicis loquitur *Can.* 5. *Diſt.* 46. his verbis: *Clericus* maledicus [*maximè in Sacerdotibus*] *cogatur ad poſtulandam veniam: ſi noluerit; degradetur, nec unquam ad officium abſque ſatisfactione revocetur.* Quòd ſi Religioſi aliquem Eccleſiæ Prælatum maledicto impetiverint, aut eidem detraxerint; per expreſſum textum in *Clement.* 1. §. *Quibus etiam. De Privileg.* debent per duos menſes illis ſubjacere pœnis, quæ juxta Regulas vel ſtatuta ipſorum, ob graviora crimina imponuntur. Quid Sacræ Ordinis noſtri Conſtitutiones hac ſuper re perhibeant videri poteſt. *Part.* 6. *cap.* 12.

58

Digitized by Google

58. Quæri hîc poteſt; quid & quotuplex, quibúſque pœnis plectenda ſit Blaſphemia? Ante *Reſponſionem* Observandum; Blaſphemiam, quæ eſt mala, ſeu contumelioſa locutio in Deum, tripliciter contingere poſſe, ſcilicet: 1mò. Dum de Deo negatur aliquid, quod ei convenit; vel: aliquid de illo aſſeritur, quod eidem repugnat. Prioris Blaſphemiæ exempla ſunt hujuſmodi dicta: *Deus non eſt omnipotens: Non ſcit omnia: Non eſt ubique &c.* Vide *D. Thomam.* 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *Farinacium loc. cit. q* 20. *n.* 11. Poſterioris exempla ſunt dicta hujuſmodi: *Deus eſt Tyrannus: eſt author peccati: eſt mendax, injuſtus &c.* 2dò. Quando quis Deum deteſtatur, aut malum ei imprecatur. v. g. *ut pereat* aut *moriatur*; aut *confundatur*; vel *non amplius cognoſcat*, ne poſſit punire peccata. *&c.* 3tiò. Si hujuſmodi contumelioſa verba evibrentur in Deiparam Virginem vel Sanctos. Sicut enim Deus laudatur in Sanctis ſuis; ſic & contumèlia iis illata, in Deum redundat, Blaſphemiáque in Deum commiſſa reputatur, & quà talis puniri debet, ùt poſt *D. Thomam. loc. cit.* Tradunt *Covarruvias* in *cap. Quamvis. De pactis.* Clarus. §. *Blaſphemia.* Sylvester. *Verb. Blaſphemia* & alii paſſim *Argum. cap.* 2. *De maledic.*

Quid ſit Blaſphemia; jam dictum. Dividitur autem, in *Hæreticalem* & *non Hæreticalem. Prima* eſt, quando aliquid articulis fidei contrarium, de Deo aſſeritur vel negatur; veluti, ſi diceretur: *Illum non eſſe omnipotentem*, vel: *non eſſe omniſcium &c.* vel: *eſſe mortalem, mendacem &c. Secunda* eſt: quando quid fidei non oppoſitum, contra Deum effertur; ut: ſi per modum imprecationis vel deteſtationis, in eum quid conjiciatur. v. g. imprecando interitum, optando, ut non eſſet, aut ei maledicendo.

Blaſphemiæ pœnæ, aliæ ſunt de jure *Canonico*, aliæ de jure *Civili*. De jure Canonico: in primis, pœna Clerici blaſphemantis, eſt *Depoſitio* ab Officio & Statu Clericali. *can. Si quis.* 10. *cauſ.* 22. *q.* 1. Laïci verò, *Excommunicatio ferendæ ſententiæ.* cit. can. *Si quis.* ibi: *Si quis... Blaſphemiâ contra Deum uſus fuerit, ſi in Eccleſiaſtico ordine fuerit, deponatur: ſi Laïcus, anathematizetur.* Quibus præterea pœnitentiis, eluenda ſit Blaſphemiæ culpa, deſcribitur in *cap.* 2. *de Maledicis.* exſtántque variæ ſummorum Pontificum Conſtitutiones in Blaſphemos, ſignanter *Leonis X. incip. Supernæ diſpoſitionis. Julii III. incip. In multis. Pii V. incip. Cùm primum.* Quæ habentur in Bullario *Cherubini*, inter Conſtitutiones iſtorum reſpectivè Pontificum.

Jure *Civili*, Blaſphemia ultimo punitur ſupplicio, per *text. in Novella.* 77. *cap.* 11. ad exemplum legis Divinæ in veteri Teſtamento. *Levitic.* 24. ℣. 16. ibi: *Qui blaſphemaverit Nomen Domini, morte morietur.* Quam mortis pœnam, pro enormi Blaſphemia, præſertim in Deum, renovavit *Carolus V. in Conſtit. Crimin. art.* 106. pro leviori autem, præſertim, ſi non in Deum, ſed Divam Virginem vel Sanctos facta, ſtatuendo præciſionem vel mutilationem linguæ, fuſtigationem, carcerationem, mulctam pecuniariam vel aliam arbitrariam, pro diverſitate circumſtantiarum delinquentis & delicti. Quamvis autem juſtiſſimus pœnarum rigor contra Blaſphemos, pluribus in locis exactè non obſervetur; monet tamen rectè *Jul. Clarus.* §. *Blaſphemia. n.* 3. cum aliis ibi allegatis, id proficiſci ex defectu juſtitiæ & Religionis, cùm utraque hæc virtus exigat, ut nihil acerbiùs puniatur & metu pœnæ extirpetur, quàm Blaſphemia. Memini tamen, *Viennæ* in *Auſtria*, Blaſphemo linguam fuiſſe præciſam; & in nuperis Gazulis legi; in *Hungaria* Blaſphe-

mum, poſt linguam forcipe extractam, capite plexum eſſe. Quinimò non ita pridem in acatholico nunc prô dolor! *Angliæ* Regno, rigoroſum Edictum contra Blaſphemos promulgatum fuit.

59 Obſervandum tamen, quòd, ſi quis in plena ebrietate, vel etiam ex calore & impetu iracundiæ, ex gravi & juſta cauſa exortæ, blaſphemaret; non ordinariæ pœnæ ſubjiciendus, ſed mitiùs puniendus foret. Teſtibus *Claro.* §. *Blaſphemia n.6. Farinacio. Prax. crimin. q.* 20. *n.* 47. *Menochio. De Arbitr. judic. caſ.* 37. *n.* 33. & aliis communiter *Arg. cap.* 2. *cit.* ubi ly *præſumpſerit.* importat deliberationem, quam nec ebrii, nec furore iracundiæ abrepti, habere cenſentur.

Dictum: *Ex gravi & juſta cauſa exortæ.* Non quod juſta unquam poſſit eſſe cauſa blaſphemandi; ſed, quod juſta poſſit eſſe iræ aut commotionis cauſa. Veluti: ſi v. g. maritus uxorem in Adulterio deprehendat, & conſequenter blaſphemet: ſi enim iracundia ex levi vel etiam gravi quidem, ſed injuſta cauſa proveniat. v. g. ſi quis juſtè privatus Officio, aut aliàs graviter punitus, vel ob perditam luſu magnam pecuniæ ſummam, indéque irâ commotus blaſphemet; ordinariâ ultimi ſupplicii pœnâ plecti poterit. Confer *Pirhing. ad tit. De Maledicis n.* 11.

Neque ab omni ſaltem pecuniariâ pœna, in foro fori, abſolvendi ſunt, qui etiam ſine reſpectu ad Deum vel Sacramenta, vel ex ſubitaneo motu, aut prava conſuetudine, frequenter Sacramenta irreverenter ore volvunt. dicendo: *Gotts Sacrament: Gotts tauſent million Sacrament &c.* Si

60 Petas: Quis ſit judex in cauſa Blaſphemiæ? Resp. Reſpectu ſimplicis non Hæreticalis Blaſphemiæ, tam ſæcularis, quàm Eccleſiaſticus judex procedere poteſt; ita, ut hoc crimen ſit *mixti fori*, & detur locus præventioni, ita tamen, ut ſi unus v. g. judex Eccleſiaſticus Blaſphemum punierit, per hoc non impediatur judex ſæcularis in *ſuo foro* procedere, ac écontra. *Farinacius. loc. cit. q.* 20. *n.* 39. *Barboſa de Offic. & Poteſt. Epiſc. Allegat.* 51. *n.* 93. *Arg. cap.* 2. *De Maledic* ibi: *Per Epiſcopum pœnæ ſubdatur, & per temporalem poteſtatem mulctetur.*

Dixi: *Non Hæreticalis.* Si enim Blaſphemia habeat conjunctam *Hæreſin*; ſolus Eccleſiaſticus erit judex, prout tradunt Doctores communiter ad *tit. De Hæreticis.* Quanquàm his in partibus, de conſuetudine recepta, judices ſæculares etiam ſoleant judicare & punire Blaſphemiam Hæreticalem, eò quòd maledictum Hæreticale; v. g. *Deus non eſt juſtus*; magis animo blaſphemandi, quàm Hæreſin conteſtandi, proferri cenſeatur.

Quia revelatio ſecreti eſt quædam locutio contra proximum; ideo in expoſitione hujus Præcepti, non incongruè hîc Quæritur: An & quale ſit peccatum, alterius ſecretum manifeſtare? Nolumus hîc loqui de ſigillo *Confeſſionis Sacramentalis*, quod ex jure naturali & divino, nullo caſu violandum eſt; ſed intendimus agere, de quovis alio ſecreto, quod vel ſequitur ex natura rei, puta: quando res uni aut alteri nota, poſtulat ex ſe manere occulta. vel: ad quod ſervandum, quis tacitè vel expreſsè ſeſe obligavit.

61 Certè; ſi materia ſit gravis; mortaliter delinquit, & quidem *contra juſtitiam*, qui ſecretum proximi, ſibi ſoli, aut pauciſſimis aliis notum, in grave ejus detrimentum in bonis vitæ, famæ, aut fortunæ, revelat; quia ad conſervanda iſthæc bona, proximus verum jus habet. Idem à fortiori dicendum de eo, qui promiſit ſervare ſecretum: quia promiſſio ab altero acceptata, ex juſtitia obligat. Quocircà, graviter delinquit cum onere reſtitutionis

tutionis damnorum, qui furibus aut raptoribus indicat locum, in quo alius theſaurum, pecuniam, aliáſve res abſcondit. Pariter peccat, qui ex induſtria aut caſualiter cognoſcens Principis aut Conſilii Bellici arcanum, illud hoſtibus patefacit.

62 Cæterùm, triplici caſu, poteſt quis Secretum ſibi notum aut commiſſum, abſque peccato revelare. *1mò.* Si res nullatenus Secretum mereatur, utpote, quia nulli prodeſſe aut nocere poteſt. *2dò.* ſi res ſub ſecreto accepta, facta ſit publica. *3tiò.* Si juſta adſit cauſa; veluti; ſi Secreti obſervantia vergeret in commune damnum, aut alterius innocentis. Puta: ſi urbs eſſet hoſtibus prodenda, vel homo injuſtè occidendus. Lex enim charitatis poſtulat, ut præprimis Reipublicæ, tum innocentibus conſulamus, etiam cum diſpendio privati, malitiosè nocere volentis. Id quod & obtinebit, licet ſecretum foret cum juramento receptum. Quia jurans non intendit, aut ſaltem intendere non potuit, ſe obſtringere ad ſilentium in iis circumſtantiis, in quibus juramentum poſſet eſſe vinculum iniquitatis: neque Secretum etiam juratum obligat; ſi illius cuſtodia graviter nocitura eſſet aut illi, qui Secretum commiſit, aut illi; cui commiſſum eſt. Pone; quòd quis tibi ſub Secreto dixerit, ſe velle nuptias cum impedimento dirimente contrahere; certè teneberis detegere ejus malevolum conatum, ut obvies ejus peccato & Sacramenti irreverentiæ. Sic & teneberis pravam alterius conſuetudinem tibi ſub Secreto commiſſam ſuperiori manifeſtare, ſi non poſſis aliter ejus ſaluti conſulere. Quia bonum animæ præponderat bono famæ. Similiter poteris aperire Secretum tibi commiſſum, ſi nequeas illud ſervare, niſi cum diſpendio vitæ aut famæ tuæ; quia nemo cenſetur cum tali onere ſe obligâſſe ad Secretum ſervandum. Ex dictis

63 Sequitur; illum graviter contra juſtitiam peccare, qui malitiosè alterius Secretum expiſcatur, incautum interrogando, ejus litteras aperiendo, aut clam, apertas & alicubi in loco ſecreto jacentes, lectitando. *Ratio* eſt; quia unicuique competit jus ad ſuum Secretum, ac proinde injuriam facit, qui illud extorquet ab invito, per fraudem aut calliditatem. Excipe: Niſi id fiat in caſibus, quibus diximus licere Secretum commiſſum revelare; ſicut & ſi id fiat ad cognoſcendos mores perſonæ, v. g. ad Officium, Beneficium, Prælaturam *&c.* promovendæ, aut in conjugem deſponſandæ. Quivis enim jus habet, ſibi præcavendi, ne decipiatur aut vincibiliter erret.

Dixi: *qui malitiosè* &c. licitè enim ſuperior ſubditi ſui litteras ſive acceptas, ſive alio mittendas, aperire poteſt; ſi id pro ſalute ipſius expedire judicaverit. Unde in omnibus ferè Religionibus, hæc facultas Prælatis conceditur, dummodò non ſit epiſtola Prælati majoris, v. g. Rmi Patris Generalis ad ſubditum, aut ſubditi ad eundem. Interceptio enim aut falſificatio hujuſmodi litterarum in Ordine noſtro inter graviſſima crimina reputatur, ùt liquet ex *part. 6. cap. 3. Sacrarum noſtrarum Conſtitutionum.* Simili modo, Præſidibus Provinciarum aut Civitatum vel Fortalitiorum Gubernatoribus haud prohibitum, aperire litteras eò locorum allatas aut alíorſum transferendas, ſi id nempe fiat, ad præcavendum gravibus periculis damnorum publicorum.

64 Traditum *ſupra*, Detractionem eſſe ex genere ſuo peccatum mortale. Unde & graviter contra juſtitiam, cum onere reſtitutionis, delinquit, qui occultum & grave crimen defuncti propalat. *Ratio* eſt, quia defunctus corpore, ſicut animâ, ita & famâ, in hominum exiſtimatione & memoriâ vivere cenſetur, adeóque pel-

poſſeſſionem bonæ famæ ac gloriæ ſuæ retinet. Peccant ergo graviter Hiſtoriarum ſcriptores, qui occulta defunctorum ſcelera nominatim divulgant. Confer P. *Aurelium Piette. p.* 4. *c.* 8. *q.* 1.

Dixi: *qui occultum &c.* Nam crimen jam notorium referre apud alios jam ſcientes, vel ſine dubio, brevi ſcituros; ſecluſo alio maligno affectu, vel effectu malo, ſæpe nullum eſt peccatum, nequidem veniale.

65 Tripliciter autem poteſt aliquid eſſe notorium ſcilicet *jure*, *facto*, & *famâ*. Notorium *jure*, ſeu (ùt ajunt) *notoreïtate juris*, dicitur id; de quo aliquis in judicio vel condemnatus, vel confeſſus, aut ſufficientibus probationibus convictus eſt. *In judicio* inquam, ſiquidem confeſſio *extrajudicialis*, vel etiam ſemiplena probatio, non conſtituit notorium notoreïtate juris, ſed *facti*. Notorium *facto* dicitur id, quod plurium hominum conſpectui expoſitum, vel ita palàm commiſſum, ut nulla tergiverſatione celari poſſit. *Gloſſa in cap. Veſtra de cohabitat. Cleric. & Mulier.* Notorium *famâ* illud vocatur, de quo rumor ad tot perſonas, talis conditionis & ſexûs, & in talibus circumſtantiis, perlatus eſt; ut moraliter loquendo, ſit palàm evulgandum.

66 Quot autem numero hominibus crimen debeat eſſe cognitum, ad hoc, ut poſſit dici notorium *notoreïtate facti*, & ut aliis ex eadem communitate nondum ſcientibus enarrari abſque peccato injuſtitiæ poſſit; Mathematicè vel Arithmeticè determinari nequit. Unde nimis laxè rem definit *Gloſſa in can. Unic. cauſ.* 10. *q.* 3. dum vult ſufficere; ſi decem perſonæ ex qualibet, ſive magna ſive parva communitate, crimen cognoverint eò quòd decem perſonæ, faciant *Plebem*. Juſtò autem ſtrictiùs, alii cum utroque *Navarro* exigunt, ut tota Communitas, vel ejus major vel potior pars, crimen intellexerit. Rationabilior autem videtur hæc Regula moralis: ut, ſi res ita ſecreti limites egreſſa ſit, ut attentâ quantitate Communitatis & qualitate hominum, prudenter videatur impoſſibile, quin in aliorum cohabitantium vel vicinorum notitiam deventura ſit; tunc cenſeatur reſpectu illius Communitatis vel viciniæ, *notoria* & *publica*, adeóque amiſſa fama illius, de quo agitur.

67 Certè, crimen notorium *notoreïtate juris*, poſtquàm per ſententiam judicis condemnatoriam, publicatum eſt; cunctis per totum mundum, abſque juſtitiæ læſione, divulgari poteſt. *Ratio* eſt: Quia ſicut Magiſtratus in criminis vindictam Reum vitâ & fortunæ bonis, ita etiam famâ privare poteſt, ídque reapſe facit, quando Reum publicâ ſententiâ coram populo condemnat. Proinde, cùm Reus in partem pœnæ, tunc prorſus amittat jus ad famam & exiſtimationem bonam apud omnes; utique rei condemnati crimen divulgans, non facit illi injuriam, conſequenter non peccat contra juſtitiam. Conſonat Eximius *P. Piette part.* 4. *cap.* 8. *q.* 1. *pag.* 479. Non eſt tamen negandum, quidquid dicat *Pater Patritius Sporer. Tract.* 5. *in Decalog. cap.* 4. *n.* 69. Vix abſque peccato ſaltem veniali contra charitatem, ejuſmodi crimen divulgari inter alios præſertim extraneos, cùm tunc quis alteri faciat, quod ſibi fieri nollet. Quinimò alterius condemnati crimen divulgans, non eſſet immunis à peccato lethali, ſi propalatio proficiſceretur ex odio aut vindicta. Idem dicendum; ſi quis prævideret, quòd divulgando alterius crimen, in uno loco, v. g. *Aquiſgrani*, per publicam ſententiam, ferri candentis inuſtione & relegatione punitum, cauſaret ipſi infamato, *Londini* v. g. grave damnum ab infamia diſtinctum, puta: jacturam bonorum,

norum, novam ex urbe relegationem *&c.* Tenetur enim quilibet ex lege Charitatis, grave malum proximi impedire, ubi id ſine gravi ſuo incommodo fieri poteſt. Non peccares tamen contra juſtitiam, nec eſſes obnoxius reſtitutioni; cùm per criminis ita notorii divulgationem, non feceris injuriam infamato. Confer *P. Piette loc. cit. pag.* 480.

68 Quòd, ſi crimen alterius ſolùm ſit *facto* aut *famâ* notorium in uno loco, poteſt quidem abſque injuria, illud in locis vicinioribus, non tamen remotioribus, aut ubique divulgari. *Ratio* 1. *part.* eſt: quia eô ipſô, quo quis publicè deliquit, cenſetur ceſiſſe juri, quod habebat ad famam in illo loco, aut aliis ita vicinis, ut moraliter loquendo, fama delicti eò pervenire debeat. Quamobrèm, viri etiam timorati, *dictis* & *ſcriptis*, in locis vicinioribus, ſicut & extraneis adventantibus, abſque ullo ſcrupulo, crimina publicè patrata nuntiant & narrant. *Ratio* 2. *p.* eſt: quia, ùt ùt publicè delinquens implicitè ceſſerit juri famæ ſuæ, in locis vicinioribus; non tamen in remotioribus, quorſum moraliter loquendo, abſque ſingulari facto hominis, rumor non defertur. Et ſanè, ſi occultè peccans, retineat jus ad famam ſuam; quidnî crimen hîc palàm patratum, occultum cenſeri debeat in alia mundi plaga, quò rumor criminis hîc commiſſi, nunquam perveniet? Quò facit, quòd abſque injuſtitia, nemo crimen v. g. in hac urbe, coram duobus vel tribus duntaxat commiſſum, propalare etiam hîc poſſit; cùm exinde non evaſerit notorium *notoreïtate facti*; ut idem dicendum ſit de crimine hîc quidem palàm patratò, ſed in locis multùm diſſitis penitus ignoto. Conſonat *P. Piette loc. cit.*

69 Nec Obest *1mò.* Quòd publicum crimen per ſententiam condemnatoriam poſſit ubivis divulgari. *Diſparitas* enim eſt, quòd infamia univerſalis in primo caſu, ſit pars pœnæ per judicem impoſitæ, non verò in caſu præſenti.

Nec Obest *2dò.* Quòd publicè facta ponantur paſſim in nuntiis ſeu *Gazulis publicis*, imò hiſtoriis. Nam non omnia, quæ in *Mercuriis*, ſeu relationibus publicis ponuntur, extra reprehenſionem ſunt. Unde, ſi Gazularum conflator expreſſo delinquentis nomine, crimen alicubi palàm perpetratum divulget; ſaltem contra Charitatem delinquit, niſi factum fuerit ita extraordinarium, ut ſit probabiliùs ubivis divulgandum per mutuas hominum correſpondentias. Porrò faciliùs poſſunt excuſari Hiſtorici, eò quòd crimina & criminoſos depingant, eo tempore, quo vel nemo eſt ſuperſtes, qui eos noverit, vel quo infamatus aut ejus familiares exinde damnum vel opprobrium pati non poſſint. Quòd, ſi ſecus res ſe haberet; utique & illi tam contra juſtitiam, quàm Charitatem agerent, ac per conſequens, tenerentur ſic læſo famam, & omnia damna ex diffamatione ſecuta, reſtituere, ſi videlicet facta in uno loco publica, in iſtas plagas, quorſum rumor nunquam alias perveniſſet, referant. Ex his

70 Sequitur *1mò.* Quòd ante judicis ſententiam, quando videlicet crimen intra cancellos judicii duntaxat, vel per ſolam Rei confeſſionem, vel per teſtium depoſitiones, aliáſve probationes, notorium evaſit; non poſſit ſine injuſtitia propalari, ſed de eo ita loquendum & ſentiendum ſit, ſicut de crimine & crimino ſo notorio *notoreïtate facti.* Vide *P. Piette. loc. cit. Ratio* eſt; quia tunc crimen in judicio detectum, cenſetur ſolùm judici notum, ut Reum condemnare poſſit, non verò toti populo, ut de eo non aliàs, niſi poſt latam ſententiam quivis loqui queat. Quòd ſi tamen crimen in ju-

judicio plenè probatum mox per ferendam ſententiam divulgandum ſit; non cenſebitur graviter contra juſtitiam deliquiſſe, qui criminis infamationem anteverterit. Vide *P. Piette. loc. cit.* Quinimò, ſi juſta ſubſit cauſa divulgandi hujuſmodi crimen, aberit omnis culpa. Sic *Chriſtus* peccatum *Judæ*, animo ejus conceptum, ſed brevi conſummandum, manifeſtavit diſcipulis ſuis, *Joan. cap.* 13. dicendo: *Qui intingit manum &c.* Sic & *Petro* prædixit trinam negationem, priuſquàm gallus eſſet cantaturus.

71. Sequitur 2dò. Dicta procedere de crimine verè ab altero perpetrato, & notorio facto: nam crimen falſum alicui per calumniam impoſitum, quod ad infamiam innocentis divulgatum ſit, ulteriùs propalare & ſcienter aliis ignorantibus enarrare, abſque dubio peccatum ex ſuo genere mortale eſt contra juſtitiam.

72. Sequitur 3tiò. Infamatum uno tempore, non poſſe ſine injuſtitia infamari illo tempore, quo crimen ejus obliteratum eſt. Eodem enim modo res ſe habet de crimine oblivioni dato, ac de crimine occulto, quod citra injuſtitiam non propalatur. Et *Ratio* eſt; Quia olim infamatus, ſaltem jus habet ad famam præſentem, quam honeſtè vivendo ſibi comparavit. Atqui divulgando crimen obliteratum, læditur alterius fama præſens. Ergo. Excipe tamen, niſi propter pœnitentiam exemplarem & vitam omninò Chriſtianam, revelatio criminis obliterati non fieret in alterius opprobrium, ſed gloriam. Quo pacto licitè in Cathedris etiam enarrantur peccata *S. P. Auguſtini* & aliorum Sanctorum, qui ridigâ pœnitentiâ & virtutum exercitio, malefacta ſua expiârunt.

73. Sequitur 4tò. Infamatum de uno crimine, non poſſe citra injuſtitiam, infamari de altero occulto, niſi ſecundum crimen eſſet multùm affine & ordinariè conjunctum cum primo. Unde Juriſperiti & Theologi, contra *Paludanum* communiter tradunt: Reum infamatum de uno crimine, non poſſe à Judice interrogari de aliis occultis, cum priore nullam connexionem habentibus. *Ratio* eſt: Quia fama eſt quid diviſibile; ſeu: conſtat partibus diverſæ rationis à ſe invicem independentibus, Proinde ex eo, quòd quis ſit fornicarius, non ſequitur; quòd ſit Hæreticus, aut latro. Quinimò, nec placet *Sylveſtri* univerſaliter concludentis ſententia; non eſſe ſcilicet peccatum ſaltem *mortale*, infamare aliquem de crimine minori, ſi jam infamatus eſſet de majori, cùm ſæpe peccatum minus nullam prorſus habeat affinitatem cum majori, ſicut de facto, non habet fornicatio cum Blaſphemia; Furtum cum Parricidio *&c.* Econtra autem non cenſebitur lethaliter delinquere, qui ex conſuetudine ebrioſum, dixerit rixoſum, rei familiaris incurium *&c.* Quia ſimilia ſunt conjuncta, aut ſaltem non ſolent priorem infamiam notabiliter augere. Confer *P. Piette loc. cit. pag.* 483.

Sequitur 5tò. Quando exceſſus, vel crimen non eſt notorium abſolutè, ſed cum limitatione ad certam privatam communitatem, Collegium, Monaſterium; Familiam, Domum vel Scholam; omnino graviter peccari contra juſtitiam, ſi crimen ejuſmodi alibi & ulteriùs divulgetur. Siquidem, quæ ita limitatè ſunt notoria, non ſunt ita publica, ut cuivis indiſcriminatim referri poſſint. Adde: quòd tali eventu, nedum privatæ perſonæ criminoſæ fama delaceretur, ſed & injuria inferatur toti communitati, Collegio, Monaſterio, Familiæ *&c.* Collegium enim, vel Monaſterium moraliter una reputatur perſona politica, ut vitium unius Collegæ, quadantenus redundet in opprobrium vel dedecus alterius: quod aliter-

ter ſe habet in communitate publica, Civitate; viciniâ totâ; cùm inter incolas, non cenſeatur eſſe tanta communio & conjunctio.

74. Sequitur *6tò*. Ad detractionem, ut ſit peccatum ſaltem lethale, maximè requiri injuſtitiam in revelando, ut nimirum fiat abſque ulla juſta cauſa neceſſitatis vel utilitatis gravis & præponderantis damno infamiæ alterius. Cauſæ autem juſtæ revelandi verum alterius crimen occultum, ad quatuor capita commodè reducuntur, videlicet: 1. ad bonum ipſius referentis. 2. Bonum audientium. 3. Bonum ipſius delinquentis. 4. Bonum communitatis vel reipublicæ.

Quamobrem *1mò*. licitum eſt delictum proximi, vel injuriam ſibi illatam detegere viro prudenti. amico; confeſſario, conſilii vel auxilii, aut ſaltem ſolaminis vel levaminis capeſſendi gratiâ. Vide prælaudatum *P. Piette loc. cit. pag.* 478. *Ratio*: Quia nimis grave foret, ſi quis in ſua injuſta afflictione & perplexitate, non poſſet auxilium vel conſilium quærere, ſed mala ſibi illata ſilentiô concoquere deberet. Proinde nemo cum tanto proprio incommodo obligatur ſtudere famæ alterius injuſtè lædentis conſervandæ. Ne tamen mentiatur iniquitas ſibi; conſilium aut auxilium implorans, curare debet, ut ſi fieri poſſit, non nominetur perſona, quæ deliquit, neque delictum manifeſtetur pluribus, ſi unius conſilium vel ſolamen ſufficiat, neque etiam id fiat ex affectu pravo, cum exaggerationibus, temerariis judiciis, mendaciis *&c.* ſicut plerumque fit à mulierculis.

2dò. Ad ſuî vel proximi innocentis juſtam defenſionem, licitum eſt alterius infamantis vel perſequentis crimen occultum aperire, quatenus id neceſſarium eſt ad diminuendam ejus fidem & authoritatem v. g. dicendo: *eum mentiri*, & ſæpiùs in ſimili caſu, mentitum eſſe *&c.* ſervato ſemper moderamine inculpatæ tutelæ, ne plùs noceatur, quàm opus ſit ad juſtam defenſionem. *Ratio* eſt; Quia, ſi pro defenſione vitæ aut bonorum fortunæ, prout *ſupra* oſtenſum, liceat injuſto invaſori eripere vitam, cur non etiam famam? Quinimò *Sa. Verb. infamare*, *Navarrus* & alii, haud graviter illicitum arbitrantur, alterius competitoris vitium aperire, ut tu (vel alius amicus tuus) Beneficium vel Officium conſequaris, quod alter minùs idoneus ambit.

3tiò. Ad evadendam mortem vel gravia tormenta, licitum eſt alterius crimen occultum revelare, aſt falſum alteri imponere, nec metu mortis ullatenus permiſſum, prout inſinuant duæ propoſitiones ab *Innocentio XI.* damnatæ, quarum prima, ordine 43*tia*. ſic ſonat: *Quidni non niſi veniale ſit, detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam, falſo crimine elidere?* 2*da* Ordine 44*ta* ſic habet: *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat: & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Ex ſecundo capite.

4tò Licitum & ſæpe meritorium eſt, proximi peccata vel defectus etiam occultos referre ad audientium inſtructionem aut cautelam, ut videlicet caveant, ne ſimili occaſione labantur vel ſeducantur, aut ab aliis damnificentur.

Sic dixit *Chriſtus Lucæ* 12. *Attendite à fermento Phariſæorum.* Quorum inſuper vitia, *Matth.* 23. & alibi depingit ad audientium cautelam & inſtructionem. Sic quoque *Apoſtolus* 1. *ad Timoth.* 1. aperit vitia *Hymenæi*, & *Alexandri*, quos dicit ſe tradidiſſe *Sathanæ*, *ut diſcant alii &c.*

Ratio eſt; quia ſalus & bonum præſertim ſpirituale innocentis, ordine charitatis,

tis, præferendum eſt famæ nocentis. Unde, quem nôſti furem, licitè manifeſtas iis, quibuſcum habitat: Quem nôſti imperitum Medicum, Advocatum, Artificem *&c.* licitè, ad cautelam, detegis alteri, cui ex eorum imperitia damnum inferri poteſt: Quem nôſti homicidam vel furem occultum, licitè denuntias judici, ut innocentem eo crimine accuſatum liberes: Quem nôſti laborare occulto impedimento dirimente; meritò indicas Paſtori, ne Matrimonium invalidè vel ſacrilegè celebretur. Quinimò in hujuſmodi caſibus, ſæpe etiam ex charitate obſtringeris, alterius delictum aut defectum aperire; ſi nimirum ex manifeſtatione, nocenti minus malum eveniret, quàm innocenti ex occultatione. Semper tamen abeſſe debet pravus finis vel affectus, aut etiam effectus, ne videlicet ex manifeſtatione alterius delicti vel defectûs, gravius malum timeatur, quàm bonum ſperetur. Ex tertio capite

5tò. Ex vera & charitativa compaſſione, licitum eſt aliis pandere defectus occultos alterius, eo fine, ut audientes pro eo orent, aut ad ejus correctionem collaborent; vel, ut ipſe peccator rubore confuſus reſipiſcat. Quæ tamen, ordine charitatis ſervato, capienda ſunt, ſi videlicet ſecreta correctio vel adhibita, nihil proſit, vel adhibenda, nihil profutura noſcatur. *Dixi: ex vera & Charitativa compaſſione.* Sæpiſſimè enim contingit, ut ſub larva compaſſionis, alteri graviter detrahatur. Porrò ex quarto capite.

6tò. Quilibet nedum ex Charitate, ſed & juſtitia *legali*, tenetur aperire crimen occultum vel etiam defectum ſubſtantialem alterius, ſi id exigat ſalus & incolumitas, aut bonum communitatis vel reipublicæ. Hinc, ſi quis moliatur crimen Principi aut Reipublicæ pernicioſum, puta: Hæreſin, proditionem, incendium *&c.* quæ aliter impediri non poſſint, teneris alterius peſſimum propoſitum tibi notum aperire Magiſtratui. Idem eſt, ſi quis occultè criminoſus & planè indignus aut inidoneus, aſſumendus foret ad officium publicum. Illius enim facinus, aut indignitas, ne publicè noceat, licitè detegitur.

Incidenter hic QUÆRI poſſet; An interdum liceat ſeipſum diffamare? Sanè ſe ipſum ſine rationabili cauſa diffamare, eſſe ſtultè agere, ſatis inſinuat ſacra pagina, quæ nobis ſummopere recommendat curam famæ bonæ. Sic *Eccleſ.* 41. dicitur: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magìs, permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni.* Quinimo *Divus P. Auguſtinus. Serm.* 49. *De diverſ.* ait: *Qui fidens conſcientiæ ſuæ, negligit famam ſuam, crudelis eſt.* Unde ſemoto alio detrimento, ad minus peccat *venialiter*, qui ſeipſum, ſine cauſa rationabili, diffamat. Si enim bona fortunæ prodigens, non abſque noxa veniali eſt. Quidnî *venialiter* ſaltem delinquat, qui prodigit famam ſuam, divitiis multis præſtantiorem?

DIXI *1mò. Saltem venialiter.* Quia, cùm diſſipans famam propriam, nulli faciat injuriam, eò quòd ſit dominus famæ ſicut pecuniæ ſuæ; ſolummodò committit actum vitioſum prodigalitatis. Si

DICAS *1mò.* Homo tenetur ſeipſum ad minus diligere, ſicut proximum ſuum: ſed *mortale* eſt infamare proximum. Ergo &c. ℞. *Diſt. maj.* Homo tenetur &c. in iis, quæ ſpectant ad ſalutem animæ. *C.* in aliis *N.* ſaltem *univerſaliter*; ut apparet in bonis fortunæ, imò & quandoque in bonis vitæ. Si

DICAS *2dò.* Homo ſeipſum diffamando, facit injuriam Reipublicæ; cujus eſt membrum. Ergo, licet non peccaret graviter reſpectu ſuî, peccabit tamen graviter intuitu communitatis. *Reſp.* Hominem magìs nocere Reipublicæ dilapidando bona ſua,

Digitized by Google

ſua, in quæ Reſpubl. in caſu neceſſitatis, habet dominium *altum*, quàm diſſipando famam ſuam, in quam nullo caſu dominium habet: Jam autem in dilapidatione bonorum aut nullatenus aut non niſi leviter Reipublicæ nocere intelligitur. Ergo *&c.* Si

Regeras Textum *S. P. Auguſtini. lib.* 1. *De Civit. Dei cap.* 20. dicentis: *Non minus Reus eſt, qui de ſeipſo falſum fatetur, quàm ſi adverſus proximum hoc faceret.* Resp. Divum Patrem *ibidem* de mendacio agentem, velle, quòd non minus Reus ſit *in ratione mendacii* ſeu *falſi teſtimonii*, qui *&c.* non verò ratione diſſipationis famæ propriæ, cujus dominus eſt, non alienæ.

Dixi 2*dò. Semoto alio detrimento.* Nam, ſi quis ſeipſum diffamaret in iis circumſtantiis, quibus per hoc graviter noceret Communitati, Familiæ, Proximo, aut vitæ ſuæ; utique lethaliter peccaret: ùt ùt enim ſit dominus famæ ſuæ, nequit tamen illam diſſipare cum detrimento boni publici, famæ alienæ, aut vitæ propriæ, cùm in illa nihil dominii habeat. Quocircà Religioſus aut Paterfamilias ſeipſum ita diffamans, ut exinde reſultet gravis infamia vel aliud nocumentum in Communitatem aut Familiam, lethaliter delinquit. Id quod à fortiori procedit in perſona publica, puta Principe, Conſule, Superiore Regulari; ſi ex ipſorum infamia frangatur regendi authoritas, cum magno utilitatis publicæ diſpendio; præterquàm, quòd perſona publica, jactanter ſua delicta patefaciens, aliis ſit gravi ſcandalo, & ſubditos alliciat ad ſimilia perpetranda. Quòd ſi quis abſque rationabili cauſa & extra tormenta, aperiret crimen ſuum, unde ad mortem condemnaretur; indirectè ſaltem *Suicida* eſſet.

Dixi 3*tiò. Abſque rationabili cauſa.* Nam, ſine alterius nocumento, ex cauſa honeſta revelare defectus ſuos, culpâ vacat, quin & actus virtutis eſſe poteſt. Poteſt enim quis velle illam ſuî confuſionem, ad ſuî humiliationem, peccatorum vindictam & expiationem, exemplô *Magni Patris Auguſtini* & aliorum, qui etiam ſcriptis publicis, peccata ſua non tam propalarunt, quàm deplorârunt. Id quod maximè meritorium, ſi abſit hypocriſis.

75 Quod famæ alterius læſæ reſtitutionem attinet; Theologorum omnium uniformis ſanæ rationi ſubnixa ſententia eſt; injuſtam læſionem famæ alienæ, per detractionem, calumniam *&c.* inducere obligationem juſtitiæ *perſonalem* reſtituendi ipſam famam, item & *realem* compenſandi alia damna realia inde ſecuta, habitâ ratione materiæ & culpæ commiſſæ: ita ut ob crimen alteri falsò impoſitum, fieri debeat congrua revocatio; ob criminis veri, ſed occulti malè propalati, prudens correctio dictorum apud illos, qui *mediatè* etiam, in ſequiorem opinionem de alio infamato, adducti ſunt. Vide *D. Thomam.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 2.

76. Quid, ſi quis crimen verum ſibi in judicio objectum negans, indirectè infamet accuſatorem vel teſtes, quippe, qui exinde de falſitate & calumnia notantur? Tenebitúrne is reſtituere famam iis ablatam? Sic cum communi diſtinguendum eſt: aut Reus in haud judicio juridicè interrogatus, negat crimen objectum, & ad nihil tenetur accuſatori vel teſtibus, eò quòd Reus haud juridicè interrogatus, non teneatur confiteri crimen ſuum occultum ſibi objectum, objiciens verò aut teſtificans ſibi imputare debeat, ſi ſibi accerſat infamiam ex hoc, quòd incautè alteri objecerit crimen, quod ſufficienter probare nequit. Confer *Scotum in* 4. *diſt.* 15. *q.* 4. *art.* 5. Aut Reus poſt infamiam vel ſemiplenam probationem, juridicè interrogatus, crimen negat; & tunc te-

Digitized by Google

tenetur competenti modo, accuſatori vel teſtibus reſtituere famam & damna inde ſecuta. Cùm enim Reus tunc teneatur fateri crimen; utique negando crimen objectum, injuſtam cauſam præbet infamiæ accuſatoris vel teſtium, ut reſtitutioni obnoxius fiat. Ita poſt multos alios, *Molina. tract.* 8. *diſp.* 43. ſed vereor, ne oppoſita ſententia humanitùs loquendo, quo ad hoc punctum, probabilior & in praxi ſequenda ſit. Tum quia communiter ex hujuſmodi inficiatione, non ſequitur grave damnum vel infamia accuſatori vel teſtibus: Omnes enim ſupponunt, Reum voluiſſe cunctis modis, etiam minus licitis, ſe defendere, negando verum crimen ſuum, cùm vix ſit unus, niſi forſitan tædio ærumnoſæ vitæ affectus, qui aliter, quàm plenè convictus aut torturâ coactus, crimen ſuum fateatur. Tum præcipuè; quia Reus negando crimen, non eſt cauſa *poſitiva* infamiæ accuſatoris, ſed *negativa* tantum, quatenus eum non adjuvat fatendo & verificando ejus delationem, ad quod ex juſtitia non videtur eſſe obſtrictus, ut negando non videatur accuſatori vel teſtibus inferre injuriam. Proinde in hoc caſu, ſi quæ accuſatori aut teſtibus oritur infamia; non tam oritur à Reo, quàm ab accuſatione non probata: Non enim ideo accuſatoris fama læditur, quia Reus præcisè negat, ſed; quia Accuſator propoſuit id, quod plenè non probatur.

77 Quatuor præcipuè à Theologis adferri ſolent cauſæ à reſtitutione famæ vel honoris excuſantes.

Prima & latè patens cauſa eſt, *ceſſatio damni ex tua detractione*, *calumnia*, *contumelia &c.* Ceſſante enim causâ reſtitutionis faciendæ, ceſſat etiam effectus & obligatio ipſa: tota autem ratio & cauſa reſtitutionis faciendæ pro læſione famæ & honoris, eſt damnum illatum: Ergo ceſſante damno, ceſſare & debet reſtitutionis obligatio.

Secunda cauſa certò excuſans, eſt *condonatio* ſeu remiſſio læſi, quando videlicet ipſe infamatus ſponte, *expreſsè* vel *tacitè* infamatori (citra tamen præjudicium aliorum) hanc remiſit obligationem. Nam, ſicut quilibet eſt dominus famæ ſuæ, ut poſſit illam ipſemet abſque gravi peccato prodigere, juxta dicta ſuperius *n.* 74. ita poteſt validè alteri condonare hanc obligationem, quatenus ejus infamatio non redundat in aliorum præjudicium vel injuriam, puta: Religionis, Familiæ, aut alterius complicis.

78 Pro *Tertia cauſa excuſante* adferri communiter à Theologis & Caſuiſtis ſolet, *mutua compenſatio*, quaſi ſcilicet mutuæ diffamationes, compenſatione tollantur. *Lugo*, *Toletus*, *Soto*, *Molina*, *Leſſius*, *Layman*, *Diana* & alii, qui hanc defendentes opinionem, *à ſimili* ſic ferè arguunt: Poſſum non reſtituere debitum pecuniarium creditori meo, compenſando illud cum alio debito, quod is mihi ex contractu, delicto vel aliunde, liquidò præſtare tenetur, & obtinere alioquin difficulter poſſem. Ergo poſſum non reſtituere tibi famam, ſeu non ſatisfacere tibi pro infamia à me tibi illata, ſi tu recuſes mihi ex eodem cápite ſatisfacere.

In hanc ſententiam concedo, ſi cum grano ſalis & ſub rationabilibus modificationibus capiatur. Nam, cùm Chriſtiana doctrina perhibeat, non eſſe malum pro malo reddendum; certum eſt, nemini licere vindictæ ergô, diffamatorem ſuum viciſſim diffamare, adeóque ſententiam memoratam tantummodò procedere poſſe, ſi utrimque jam factæ ſint diffamationes. Hoc enim eventu, ſi ſervata fuerit æqualitas, compenſationi locus eſſe videtur. *Dico: ſi ſervata fuerit æqualitas.* Si enim enormiùs infamâſti eum,

eum, qui te ſive antea, ſive poſtea, minus graviter infamavit; certè non poteris uti compenſatione, ſed teneberis, quò ad exceſſum, ei ſatisfacere, ſi diverſimodè detraxiſti, & ſatisfactio partialis fieri poſſit. Quòd ſi nequeas quò ad partem ſatisfacere, puta: ſi unum indiviſibile gravius crimen proximi divulgâſti; non eſt juri adverſum, poſſe te ſuſpendere tantiſper reſtitutionem. Ex paritate hujus rationis: ſicut ſi accepiſti ab altero annulum valentem centum florenos, potes illum retinere, donec alter tibi reſtituat vas argenteum, valens quinquaginta tantùm.

Verius quoque & Chriſtianæ doctrinæ conformius eſt, non licere ſaltem directè & præcisè in hac materia uti compenſationis remedio. *Ratio à priori* eſt: quòd longè diverſa ſit ratio compenſationis circa debita pecuniaria, ac famæ reſtituendæ obligationes. In prioribus enim compenſatio ordinatur ad ponendam æqualitatem & recuperandum vel adipiſcendum, quod noſtrum eſt, vel nobis debetur: quod ſecus eſt in poſterioribus obligationibus. Siquidem nedum alium infamando, ſed & alterius famam ablatam non reſtituendo, nec *formaliter* nec *æquivalenter* recuperas famam tibi ablatam, ſed ambo peræquè manetis infamati apud audientes: proinde hujuſmodi detentio ſeu non reſtitutio famæ alienæ, minimè tendit ad ponendam æqualitatem, ſeu ad rem recuperandam per modum compenſationis, ſed ad læſionem proximi continuandam, quò vindictæ & indignationi tuæ ſatisfiat. Extra controverſiam igitur pono, quòd in hujuſmodi compenſationis finem, nequaquam permiſſum ſit de novo infamare eum, qui te prius infamavit; quia ſcilicet per id non recuperas famam tuam, ſicut non licet repercutere eum, qui te percuſſit: utrobique enim non ponitur compenſatio, ſed vindicta.

Dixi: Id ſaltem non licere *directè* per modum ſcilicet compenſationis præcisè: ſiquidem per accidens & per modum *defenſionis*, id interdum licere, inficiandum non eſt. Sic enim intra vel extra judicium infamatus vel infamari graviter, juſtè apprehendens, inculpatè detegit occultum crimen infamatoris ſui, non ſolùm, quando id juvat ad enervandam & extenuandam ejus fidem, circa calumnias vel crimina, quibus te injuſtè infamavit; ſed etiam eum in finem, ut compellatur deſiderio famæ ſuæ recuperandæ vel retinendæ, ab alterius diffamatione deſiſtere aut eidem condignè ſatisfacere. Quocircà, ſicut in tuî defenſionem, potes alterum infamare vel famam ablatam non reſtituere, ad infirmandam ejus fidem; ita poteris ex eadem ratione eum infamare vel famam non reſtituere, ut reſipiſcat & ceſſet ab injuria tibi inferenda vel continuanda. Unde valet hîc argumentum à *ſimili* deductum ab eo, qui injuſtum aggreſſorem in ſuî ipſius neceſſariam defenſionem percutit, tum ad eum debilitandum, ne poſſit graviùs nocere; tum, ut ipſe metu vulneris vel mortis ſibi inferendæ, deſiſtat ab injuſta invaſione.

Quarta porrò cauſa certò excuſans à reſtitutione famæ, ſaltem ut differri poſſit, quamdiu durat, eſt *impoſſibilitas* nedum *Phyſica* (puta: ſi non exiſtant amplius auditores, coram quibus detractio facta) ſed etiam *moralis*, puta: ſi reſtitutio fieri nequeat abſque notabiliter graviori proprio damno. Tunc enim alter nequit eſſe rationabiliter invitus, ſed poſtulante charitatis lege, contentus eſſe debet dilatione reſtitutionis; quia in pari caſu, ita ſecum humaniter agi vellet. Quamobrèm inter Doctores receptum; neminem teneri famam vel honorem reſtituere cum evidenti periculo vitæ propriæ, niſi eo ſolo caſu, quo infamans, per calumniam falſum cri-

crimen imponendo, infamatum in ſimile diſcrimen conjeciſſet. Rationem ſuppeditat & communis regula: *Bona inferioris ordinis non eſſe reſtituenda cum diſpendio bonorum ſuperioris ordinis*: jam autem vita, eſt bonum multò ſuperioris & altioris ordinis, quàm fama; & hæc, quàm bona fortunæ: Ergo, ſicut bona fortunæ non ſunt reſtituenda cum gravi famæ detrimento; ita fama non erit reſtituenda cum periculo vitæ propriæ, intellige: ſi agatur de ſola fama alterius; ſecus, ſi etiam agatur de vita alterius, per calumniam, injuſtè infamati: Tunc enim in pari cauſa, meliorem eſſe innocentis conditionem, ſana ſuadet ratio.

Cæterum, circa Regulam mox adductam, non obiter obſervandum, quòd tunc duntaxat procedat; ſi videlicet jactura bonorum altioris ordinis in æſtimatione prudentûm, reputetur longè majus detrimentum, quàm jactura bonorum ordinis inferioris alioquin reſtituendorum. Secus enim regula iſthæc fallit, exemplo adulteræ, quæ quidem cum periculo vitæ ſuæ, non tenetur crimen ſuum fateri, niſi, quando id neceſsè foret ad impediendum majus damnum commune imminens ex eo, quòd v.g. in Principatu vel Regno ſucceſſurus eſſet filius adulterinus, qui per perditos mores ſuos, præcipuè Hæreſin, univerſum principatum vel regnum ſubverſurus eſſet.

Ex eodem fonte colligunt Doctores, neminem teneri cum notabiliter graviore damno famæ propriæ, reſtituere alteri minoris notæ & conditionis, famam injuſtè ablatam. Sic (inquiunt) perſona illuſtris vel ſuperior, ſi ex reſtitutione famæ ſubdito vel plebejo injuſtè ablatæ, deberet ſubire infamiam cum detrimento authoritatis ſuæ, non erit cogendus ad reſtitutionem famæ, ſed ſatisfaciet, aliis beneficiis vel officiis offenſum demulcendo, apud alios ipſum laudando, honorando, recommandando. Atque huc facit inſigne dogma morale, quod *Magnus Pater Auguſtinus* tradit in Regula noſtra *cap.* 10 intuitu Superiorum, qui juſtam, in fratrum correctione, metam exceſſere aut etiam eos contumeliis affecêre. *Non enim* [inquit] *à vobis*, ſcilicet Prælatis, *exigitur, ut à vobis ſubditis, veniam poſtuletis, ne apud eos quos oportet eſſe ſubjectos, dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas.*

78. Sciscitari hîc poſſes, num, quando fama vel honor non poteſt ullo modo reſtitui ob cauſam aliquam *ex adductis* excuſantem; infamans teneatur ex juſtitia infamiam alteri illatam pecuniâ compenſare? & utrum conſequenter infamatus, peculiotenus infamiam ſibi compenſare poſſit, ſi videlicet ipſemet infamans hac viâ ſatiſdare nolit? Pro ſententia affirmante ſtare videntut *D. Thomas.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *Scotus. loc. ſupra cit. q.* 4. *art.* 1. *Cajetanus*, *Sotus*, *Valentia* & alii, quos citat & ſequitur *Tannerus Diſp.* 4 *De juſtitia. q.* 6. *dub.* 6. *n.* 150. Fundamentum horum Doctorum, in hoc ponitur: quòd, qui reſtituere non poteſt quantùm debet; reſtituere equidem debeat, quantùm poteſt, veluti: Si quis non poſſit reſtituere mille aureos, quos debet, poſſit autem reddere centum, vel ducentos; teneatur eatenus ſaltem ſe exonerare: Ergo (ajunt) à pari; qui non poteſt alteri reſtituere ipſam famam ablatam, tenebitur ipſi arbitrio boni viri, infamiam æſtimaturi, in pecunia ſatisfacere, proindeque eo ſatiſdare nolente, poterit infamatus ſibi ipſi pecuniariâ compenſatione conſulere.

Verùm; ùt ùt hæc ſententia quandam æquitatis imaginem præ ſe ferre videatur; ſolido tamen non ſubnititur fundamento; quia juſtitia *commutativa* ſuapte indole aliud non exigit, quàm, ut reſtituatur res ab-

ablata in ſe vel in æquivalenti, puta: ut læſus recipiat id, quod ei ablatum, vel in ſpecie, vel in valore: & Axioma illud: qui reſtituere vel ſolvere non poteſt, quantùm debet, præſtare tenetur, quantùm poteſt, ſolùm procedit, in rebus communi æſtimatione functionem inter ſe recipientibus, ſeu æquivalentibus: Jam verò, pecunia nullatenus æquivalet famæ ablatæ, quæ inter res venales ſeu pretio æſtimabiles, cenſeri nequit: ergo. Quò facit, quod quantàvis pecuniâ receptâ, infamatus nullo modo in hominum opinione recuperet, id quod ablatum, ſcilicet famam, ſed maneat, ſicut ante, infamis. Igitur infamans, non valens ipſam reſtituere famam, non tenetur ex juſtitia commutativa eandem compenſare, nec conſequenter infamatus poterit dicto modo, per compenſationem ſibi ſatisfacere. Et ſanè, ſi id liceret, quantìne quiſque ſuam æſtimaret famam, ut pecuniam infamantis conſequi vel rapere poſſet?

Licet autem ex juſtitia *commutativa* & in foro *poli*, infamans non teneatur in pecunia, infamato ſatisdare, non negamus tamen, quòd ſi infamatus *actionem injuriarum æſtimatoriam* inſtituerit, & civiliter agendo, mediante juramento aſſeruerit, ſe calumniam aliámve injuriam tanti v. g. æſtimare; Judex verò infamatori *in pœnam* impoſuerit pecuniariam ſatisfactionem, ex æquitate, infamato applicandam. Juxta §. *pœna autem* & §. *Atrox injuria. Inſtit. De injur.* & *l. Conſtitutionibus.* §. 1. *ff. eod.* Neutiquam [dico] negamus; ex juſtitia *vindicativa*, tali caſu, infamatorem teneri, poſt hujuſmodi ſententiam, in pecunia ſatisfacere infamato. Confer hac de re, quo ad praxin, *Oldendorpium. De actionib. Forenſib. Claſſe* 7. *Actione* 10. *per tot.* Multò minus inficiamur; per accidens, ex juſtitia etiam *commutativa*, infamatorem teneri infamato, pecuniâ compenſare damna temporalia ex infamatione præcisè ſubſecuta, veluti; ſi exinde officium, dignitatem, ſervitium vel lucrum amiſit. Non eſt etiam negandum, quòd infamator ex Charitate & æquitate quadam naturali, teneatur infamato neceſſitatem patienti, in quandam recompenſationem, plus quàm quivis alius, peculiariter aſſiſtere, ut ipſum conſoletur & alleviet.

79. Regrediendo ad verba, queis Deus Præceptum hoc octavum expreſſit; ſciendum, quòd ex doctrina Salvatoris noſtri *Luc.* 10. *Proximus* ſit omnis ille, qui eget operâ noſtrâ, ſive ille propinquus ſit ſive alienus, ſive civis, ſive advena, ſive amicus, ſive inimicus. Nefas enim eſt exiſtimare, contra hoſtes licere falſum aliquid dicere pro teſtimonio, quos juſſu Dei ac Domini noſtri, diligere oporteat: Quin etiam, quia ſibi ipſi quiſque maximè proximus cenſetur; nemini fas eſt, falſum in ſe teſtimonium dicere, prout ſupra ex *D. P. Auguſtino* oſtenſum. Porrò

80. Præceptum, hoc præſertim teſtium officium & obligationem reſpiciens, non ſolùm prohibet falſum ipſorum teſtimonium; ſed & verum dari imperat. Eſt enim in humanis rebus maximus imò neceſſarius uſus veri teſtimonii, cùm ſint res innumerabiles, quarum notitia carere deberemus, niſi ex teſtium fide, illas cognoſceremus. Quare, nihil peræquè neceſſarium eſt, quam teſtimoniorum veritas in iis rebus, quas nec ipſi ſcimus, neque nobis licet ignorare. Quamquàm autem interdum extra judicium, verum tacere permiſſum ſit; in judicio tamen, ubi teſtis legitimè interrogatur à judice, veritas omnino patefacienda eſt. Cavendum tamen teſtibus, ne ſuæ memoriæ nimium confiſi, quod exploratum non habent, id pro certo aſſeverent.

Huc ſpectat Advocatorum & cauſarum Procuratorum, officium; quo debitè funguntur,

Digitized by Google

gentur, ſi operâ & Patrocinio ſuo, in tempore non deſint, & clientibus ſuis gnaviter inſerviant: injuſtas cauſas non ſuſcipiant defendendas, neque calumniâ lites protrahant, vel alant avaritiâ: ſalaria verò aut mercedes laborum ſuorum jure & æquo metiantur. Petitores quoque & accuſatores cordi habeant, ne cuiquam a, more, odio, vel cupiditate adducti, periculum iniquis criminationibus creent. Præcepti hujus vis etiam eò protenditur, ut in congreſſibus & colloquiis, verè ſemper, atque ex animo loquamur, nihil proferendo, quod alterius exiſtimationi poſſit officere, cùm ſimus membra ejuſdem corporis in Chriſto. Confer *Catechiſmum Romanum part. 3. cap. 9. §. 12. & ſeqq.*

CAPUT XIII.

IN QUO

Poſteriora duo Decalogi Præcepta ponderantur

„ Non concupiſces domum proximi tui: nec deſiderabis uxo-
„ rem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non
„ aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. *Exod.* 20.

SUMMARIUM.

1. JUxta D. P. Auguſtinum, Nonum *Decalogi Præceptum, aliud eſt à* Decimo.
2. *In quo conveniant, & reſpectivè diſcrepent, hæc duo Præcepta?*
3. *Duo hæc poſteriora Præcepta,* Sextum & Septimum *dilucidant.*
4. *Quâ ratione, Divina Præcepta differant à legibus humanis?*
5. *Non omnis concupiſcentia, à Deo vetita.*
6. *Scopus horum poſtremorum Præceptorum.*

7

Digitized by Google

7. *Quid* explicitè *probibeatur* nono *Præcepto?*
8. *Affectus venereus, alius efficax, alius inefficax.*
9. *Delectatio* moroſa, *quæ, & unde dicatur?*
10. *Cur ſpeciatim* Hebræis, nonum *Decalogi Præceptum ſit datum?*
11. *Incommoda noxiæ cupiditatis recenſentur.*
12. Domûs & Agri *vocabulo, quid indigitetur in* decimo *Præcepto?*
13. *Quid nomine* Bovis & Aſini, *ibidem importetur?*
14. *Quid inſinuetur vocabulis:* Servi & Ancillæ?
15. *Cur* Proximi *fiat mentio in hoc Præcepto?*
16. *Hoc Præcepto generatim probibetur omnis injuſta voluntas occupandi alienum.*
17. *Ex juſto titulo, inculpatè concupiſcitur res aliena.*
18. *Quinam præterea peccent contra* Decimum *Præceptum?*

---

1. NOnum Decalogi Præceptum communiter ſic effertur: *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Decimum verò ſic: *Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum & univerſa, quæ illius ſunt.*

Licet autem in allegato textu *Exod.* 20. Utrumque hoc præceptum, per modum *unius*, proponatur; attamen *Divus P. Auguſtinus*, cui cum tota Eccleſia, adhæret Doctorum Catholicorum univerſitas, *quæſt.* 72. *in Exodum.* Demonſtrat: aliud eſſe *nonum*, aliud *decimum* præceptum, id quod quoque luculenter inſinuat Concilium *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.* 5. ubi, nonum & decimum, *duo* vocat *ultima Decalogi Præcepta.*

2. Hæc duo præcepta ideo conjunximus, quia non eſt diſſimile eorum argumentum, quatenus utrumque de concupiſcentia illicita agit; differentiam tamen inter utrumque, *D. P. Auguſtinus* hanc adfert *loc. cit.* quòd *una* concupiſcentia ſolùm ſpectet, quid utile, quídve fructuoſum ſit? *Altera* verò tendat ad libidines & voluptatis carnis vetitas. Nam, qui fundum aut domum alterius concupiſcit, is lucrum potiùs & quod utile eſt, conſectatur, quàm voluptatem; qui verò alienam appetit uxorem; non utilitatis, ſed voluptatis cupiditate ardet.

3. Eorundem horum præceptorum hæc fuit neceſſitas, ut ſexti ſeptimíque mandati ſententia magìs dilucidaretur. Etſi enim lumine naturæ non obfuſcato, facilè intelligi potuerit, vetitò adulterio, alienæ uxoris potiundæ cupiditatem prohiberi; plerique tamen Judæorum, peccatis obcæcati, adduci non poterant, ut crederent, id à Deo prohibitum eſſe; quin & cognitâ lege à Deo latâ, multi, qui ſe legis profitebantur interpretes, in eo errore verſati ſunt, prout liquet ex Sermone Domini apud Matthæum, *cap.* 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis &c.*

4. Quæ his duobus præceptis divinitus præſcribuntur, non ſolùm cupiditates fræ-

nam

nant & reprimunt; verùm ſingulariter oſtendunt, legem Dei ejus eſſe naturæ, ut non externis ſolùm munerum functionibus contenta ſit; ſed etiam intimo animi ſenſu, ſit obſervanda. Ex quo eruitur diſcrimen inter humanas, divináſque leges, quod *illæ* factis externis expleantur; *hæ* verò; quoniam Deus cor intuetur; ipſius animi candorem poſtulent. Eſt igitur divina lex quaſi ſpeculum quoddam luci-diſſimum, in quo corruptæ naturæ noſtræ vitia intuemur. Quò facit illud *Apoſtoli. ad Rom. cap.* 7. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret* : *Non concupiſces.* Cùm enim concupiſcentia, id eſt peccati fomes, qui ex peccato originali ortum traxit, perpetuò nobis infixus hæreat; ex hoc recognoſcimus, nos in peccato naſci, ut ad Deum confugere neceſsùm habeamus, qui ſolus poteſt nos à peccati ſordibus eluere, & ſpiritum rectum in viſceribus noſtris renovare.

5 Sciendum autem eſt, non omnem concupiſcentiam [quæ generatim eſt commotio quædam ac vis animi, quâ impulſi homines, res jucundas, quas non habent, appetunt] eſſe peccaminoſam. Quemadmodùm enim reliqui animi noſtri motus non perpetuò mali ſunt; ita concupiſcendi vis, non ſemper vitiis eſt accenſenda. Sic cibum potúmve moderatè appetere, extra vitium eſt. hujuſmodi enim concupiſcendi vis, Deo Authore, à natura nobis indita eſt. Quanquàm primorum parentum noſtrorum peccatô factum ſit, ut illa naturæ fines tranſiliens, uſque adeò depravata ſit, ut ad ea deſideranda ſæpe excitetur, quæ ſpiritui ac rationi adverſantur. Naturalis itaque concupiſcentia, ſi moderata ſit finéſque ſuos non egrediatur; hoc Præcepto non vetatur, multò minus ſpiritualis illa rectæ mentis cupiditas, quâ ad eorum deſiderium incitamur, quæ carni repugnant. Ad hanc enim Sacræ litteræ nos exhortantur. *Sap.* 6. *Concupiſcite ſermones meos.* & *Eccleſ.* 24 *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.* Proinde hoc divino interdicto, non ipſa concupiſcendi vis; quâ tum ad bonum, tum ad malum, uti poſſumus; ſed uſus pravæ cupiditatis, quæ carnis concupiſcentia & peccati fomes vocatur, at, ſi animi conſenſum adjunctum habet, ſemper inter vitia numerari debet, omnino prohibetur. Ea igitur tantùm concupiſcendi libido vetita eſt, quam *Apoſtolus Ad Galat.* 5. *carnis concupiſcentiam* vocat, quæque nullum rationis modum habet, neque finibus à Deo conſtitutis continetur. Hæc inquam concupiſcentia damnabilis eſt, vel quia per ſe malum appetit, veluti: Adulteria, ebrietates, homicidia, & alia ejuſmodi flagitia, de quibus loquitur *Apoſtolus* 1. *Ad Corinth.* 10. *Non ſimus* [inquit] *concupiſcentes malorum, quemadmodùm & illi concupierunt.* Vel: quia fertur in id, quod occaſionaliter, extrinſecè, ſeu ex accidenti, malum eſt; quo in genere, ſunt ea, quæ ne poſſideamus, Deus vel Eccleſia prohibet. Nec enim ea appetere licet, quæ poſſidere vetitum. Sic *Deuteron.* 7. olim in veteri lege, Deus vetuit nedum poſſidere, ſed vel appetere aurum & argentum, ex quibus Gentilium idola conflata erant. Prætereà, cupiditas vitioſa enuntiatur, quâ appetuntur ea, quæ aliena ſunt, veluti: domus, ſervus, ancilla, ager, uxor, bos, aſinus, & his ſimilia.

6 Horum igitur duorum poſtremorum præceptorum ſcopus eſt; ut noſtras cupiditates à rebus alienis cohibeamus; alienarum enim rerum ſitis inexplebilis eſt. Siquidem, ùt habetur *Eccleſ.* 5. *Avarus non implebitur pecuniâ.*

7 Adducto textui: *Exod.* 20. in vim *Noni* præcepti, interpolatè immiſcetur: *Nec*

Digitized by Google

Nec deſiderabis uxorem ejus. Sicut autem *ſexto* præcepto*: Non Mœchaberis.* nedum Mœchia, ſed & omnis actus Luxuriæ, prohibetur; ita hoc *nono* præcepto, non ſolùm uxoris alienæ, aut mariti alieni, ſed & omnis affectus venereus, circa objectum illicitum, inhibetur.

8 Eſt autem affectus venereus vel efficax, vel inefficax, qui dicitur *delectatio moroſa. Primus*, qui dicit ordinem ad ipſam executionem, reſpicit objectum ſecundùm omnes conditiones & circumſtantias, quas habet *à parte rei*, éſtque loquendum de illo, ſicut de actu externo, à quo ſuam ſumit ſpecificationem, ita, ut, ſi deſideres concubitum cum ſoluta; actus tuus habeat malitiam *fornicationis*; ſi cum maritata: *Adulterii*; ſi cum Deo ſacrata; *Sacrilegii*, & ſic de aliis. ſi autem affectus tuus efficax terminetur ad ſpecies luxuriæ imperfectas; veluti: ad pollutionem, tactum, aſpectum impudicum, *&c.* eorum quoque malitiam imbibat. *Alter actus* omnino intra animam manet, neque tranſit ad volendum illum exequi exteriùs, adeóque dicitur delectatio *Moroſa*, à mora rationis, eò quòd homo advertens aut advertere debens ad actûs malitiam, delectationem admittat, illíque conſentiat.

9 Dixi*: à mora rationis*, non *à mora temporis*, cùm poſſit quis habere delectationem per tempus notabile, quæ tamen non ſit *moroſa*, puta: ſi nullatenus ad ejus malitiam advertat, & écontra poſſit eſſe *moroſa*, licet per unum alterúmve inſtans duret, ſi nempe cum advertentia rationis, conſenſus accedat. Ubi, ùt vides, delectatio *moroſa*, nihil aliud eſt, quàm *complacentia voluntaria de actu venereo repræſentato.*

10 In veteri jam antiquata lege, ubi *libellus repudii*, propter duritiam cordis, *Judæis* permiſſus erat, facilè eveniebat, ut, quæ ab uno repudiata erat uxor, ab altero acciperetur; & ideò, ne aut mariti ad uxores relinquendas ſollicitarentur, aut uxores ſe ita maritis inſupportabiles redderent, ut repudiari ſperantes, novum conthoralem conſequi optarent; ideò Deus ſpeciatim vetuit illum affectum libidinis, quo adulter alterius uxorem appetit, vel in ſuam (ſi repudiata fuerit) accipere geſtit. Hoc in nova lege, gravius peccatum eſt, cùm mulierem etiam à viro ſuo repudiatam, in uxorem accipere non liceat, niſi marito mortuo.

11 Ad hunc cupiditatis ardorem reſtinguendum, juvabit conſideràſſe incommoda exinde ſequi nata. Primum ſanè incommodum eſt: quòd dum ejuſmodi cupiditati paremus, in anima noſtra regnet peccati tyrannis. Ut meritò moneat nos *Apoſtolus. ad Rom. 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Nam quemadmodùm, ſi cupiditatibus reſiſtimus, peccati vires concidunt; ita, ſi eis obtemperamus, Dominum à Regno ſuo expellimus, & in ejus locum, Sathanam introducimus. Alterum incommodum eſt, quòd ab hujuſmodi fomite concupiſcentiæ, veluti ſcaturigine quadam, plurima peccata manent, ut cum *Divo Jacobo. cap.* 1. Docet *S. Joannes.* in *Epiſtola ſua 1ma. cap.* 2. inquiens: *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Tertium incommodum in eo conſiſtit; quod effrenatis cupiditatibus, animi judicium obſcuretur. Homines enim cupiditatum tenebris obfuſcati, honeſta & præclara arbitrantur omnia, quæ ipſi perversè concupiſcunt.

12 Sciscitari poſſes, quid *domûs* vel *agri* vocabulo ſignificetur in decimo Præcepto? *Reſp.* Nomine domûs vel agri, univerſam hæreditatem vel faculta-

tem bonorum ſignificari, prout ex divinorum ſcriptorum loquendi uſu dignoſcitur. Igitur hac divinâ lege vetitum nobis eſt, ne divitias avidiùs appetentes, alienis opibus, potentiæ, nobilitati invideamus; & écontra præcipitur, ut ſtatu noſtro, qualiſqualis ille ſit, ſive humilis ſive excelſus; contenti vivamus, juxta illud *Apoſtoli* 1. *Ad Timoth.* 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus: nam, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*

13 Quid (inquis) *Bovis* & *Aſini* vocabulis indigitatur? Resp. Inſinuari; non ſolùm non licere concupiſcere aliena magni momenti, cujuſmodi ſunt: domus, ager, nobilitas *&c.* ſed nec licitum eſſe, appetere parva, qualiacunque illa ſint.

14 *Ly* autem*: Non ſervum, non ancillam* capiendum eſt, tam de ſervis aut ancillis bello captis & propriè dictis, quàm de reliquo ſervientium genere. Liberos, enim homines, qui vel mercede conducti, vel amore obſervantiáque inducti, ſuâ ſponte aliis ſerviunt, nullatenus neque verbis, neque ſpe, neque pollicitationibus aut præmiis corrumpere aut ſollicitare quis debet, ut eos deſerant, quibus ipſi voluntariè ſe addixerunt.

15 Porrò *proximi* etiam fit mentio in hoc præcepto, ut hominum vitium indigitetur, qui vicinos agros aut proximas domos, aliámve hujuſmodi rem alienam non longè diſtantem appetere ſolent. Vicinitas enim, quæ amicitiam fovere deberet, ab amore in odium, cupiditatis vitio, traducitur.

16 Generatim igitur hoc decimo præcepto prohibetur omnis injuſta voluntas alienum uſurpandi, vel cum alterius damno conſequendi. Siquidem hoc præcepto prohibetur deſiderare, quod *ſeptimo* prohibitum facere: *Septimo* autem prohibetur facere furtum aut aliter nocere proximo in bonis fortunæ. Ergo.

17 *Dixi: injuſta voluntas.* Si quis enim deſideraret, alienum fieri *ſuum*, ex juſto titulo, puta: per donationem, emptionem *&c.* non peccaret, planè, ſicut nec peccat is, qui conſiderans alterius divitias, æquè diteſcere cupit; cum tunc objectum iſtius deſiderii, non ſit res aliena.

18 Cæterùm prohibetur & hoc præcepto, deſiderium calamitatum aut miſeriarum proximi, ſub ſpecie lucri proprii. Unde docente *Catechiſmo Romano. part.* 3. *cap.* 10. §. 21. peccant graviter mercatores, qui, ut ſua cariùs diſtrahant; penuriam annonæque raritatem expetunt. Peccant & milites; qui bellum deſiderant, ut ipſis prædari liceat. Peccant quoque medici, qui morbos deſiderant, ut ex ipſorum curatione locupletentur. Idem eſt de Paſtoribus, qui optant plures mori, ut ex *juribus ſtolæ*, lucrum reportent. His accenſendi ſunt Juriſconſulti, Judices; Advocati, Procuratores, Actuarii, ſeu Scribæ, qui cauſarum litiúmve multitudinem aut longitudinem concupiſcunt. Confer *Cathecifmum Roman. loc. cit.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

DE
Triplici Hominis Officio,
VIDELICET:
Erga Deum, Seipſum & Proximum.

SUMMARIUM.

1 *TRiplex hominis officium Summatim indigitavit* Apoſtolus.

2 *In quo conſiſtat finis hominis conſiderati* in ſtatu merè naturali?

3 *Quodnam ſit officium hominis* erga Deum? *de quo præcipuè infra, à* n. 55.

4. *Religio naturalis quædam ſuggerit principia* moralia.

5 *Naturalis verò Religio ſuggeritur ex dependentia hominis à Deo, atque ex cognitione quarundam Divinarum perfectionum.*

6 *Generalior de Deo notitia, præſupponitur quidem juri naturali; ſed non ipſi naturali juriſprudentiæ.*

7 *Specifica de Deo ejuſque Attributis cognitio cadit ſub jus naturæ.*

8 *Circa generaliora de Deo dictata, jus naturæ verſatur* negativè; *circa ſpecificas verò notiones,* affirmativè.

9 *Religio naturalis importat etiam officia hominis* practica.

10 *Quæ pullulant ex amore Dei.*

11 Thomaſius *ejuſque aſſeclæ & Commentatores, perperàm contendunt; cultum Dei externum non eſſe jure naturali præceptum.*

12 *Error iſte refellitur.*

13 *Profeſſores* Proteſtantici *rejiciunt diviſionem poteſtatis in* Sacram & profanam.

14 *Gerrones iſti erronea ſua princi-*

pia hauſerunt ex Puffendorfio, *& hic ex* Martino Luthero.

15 *Quid, cujus formæ & poteſtatis, ſit Eccleſia Chriſti, juxta commenta* Puffendorfiana?

16 *Latè referuntur & refutantur Hæreticorum in hoc puncto deliria.*

17 Autonomica *Religionis libertas, eſt omni juri contraria.*

18 *Oſtenditur falſum eſſe, quòd Regia & Sacerdotalis poteſtas, in* lege gratiæ *conjungi debeant.*

19 *Solidè & canonicè reſpondetur ad Novatorum objectiones.*

20 *Quod ſupra naturam eſt, non poteſt à jure naturali profluere.*

21 *Exponitur ſanus ſenſus, quo in una Republica, duplex ſtatuenda poteſtas ſuprema.*

22 Puffendorfius *& alii ejus fæcis Declamatores*, Luthericé *contendunt: in* Veteri lege, *Regibus competiiſſe jus* circa ſacra.

23 *Diluuntur Objectiones depromptæ ex ſacra ſcriptura, in reprobum ſenſum, contorta.*

24 *Quâ ratione bonus Rex ſacra curare debeat?*

25 *Quatenus* Joſaphat *&* Salomon *ſacris ſe immiſcuerint?*

26 *Reges* Veteris Teſtamenti, *æquiparari poſſunt Regibus* novæ legis, *ſed non eſt idem de Sacerdotibus.*

27 *Quanquàm viâ extraordinariâ Deus in* Veteri lege *interdum Sceptro Regio conjunxerit Sacerdotalem dignitatem, ordinariè tamen ſæculare Imperium, à ſpirituali fuit ſejunctum.*

28 *Eccleſia Chriſti elevata eſt in ſpecialem rempublicam ſacram, à Civili prorſus diſtinctam.*

29 *Quid ex adverſo blaterent* Proteſtantici *score?*

30 *Et quid ex ipſorum argutiis, Catholicè concludendum ſit?*

31 Puffendorfii *nugamenta recenſentur & exploduntur.*

32 *Quorſum* paralogiſmi *ejus colliment?*

33 *Iiſdem opponitur Eccleſiæ Catholicæ dogma, quod & probatur.*

34 *Spiritualis poteſtas juriſdictionis externæ, à Civili Imperio prorſus diſcreta eſt.*

35 *Diluitur principalis* Puffendorfii *objectio, & evincitur: quòd Eccleſiæ Chriſtianæ Regimen ſpirituale, ſit* Monarchicum.

36 *Cur ſupremum Eccleſiæ Chriſtianæ caput viſibile debeat eſſe* unum *&* infallibile *in materia morum & fidei?*

37 *Poſito Monarchico Eccleſiæ Regimine, non dantur in eadem Republica duo ſumma imperia ſibi oppoſita, prout perperàm jactitant* Puffendorfiani *diſcipuli.*

38 *Falſiſſimum eſt, quòd per ſeparationem Eccleſiaſticæ poteſtatis ab Imperio* civili, *turbetur pax & tranquillitas publica. Quòd autem è contra* Proteſtantica *Religio ſanguinolentas ſeditiones excitaverit, exemplis demonſtratur.*

39 *Quid de* Puffendorfii *libello:* De habitu

habitu Religionis Chriſtianæ ad vitam civilem *ſentiendum?*
40 *Quænam officia ſibi ipſi debeat homo, & unde illa profluant?*
41 *Quatenus homo juſtitiam erga ſemet exercere intelligatur?*
42 *Verum & fundamentale principium officiorum hominis* erga ſe *eſt rationabilis amor ſui ipſius.*
43 *Circa quæ objecta, hominis officia* erga ſe, *verſari debeant?*
44 Puffendorfii *Theſis in hac materia falſitatis arguitur.*
45 *Abſona quoque eſt* Thomaſii *opinio.*
46 *Qualiter jure naturæ, præprimis teneatur homo animum excolere?*
47 *Qualiter corporis curam habere debeat?*
48 *Cur edere, bibere* uſque ad ſatietatem, *vel* ſolius voluptatis causâ, *ſit leve ſaltem piaculum?*
49 *Jure naturæ, ingluvies, ebrietas; item:* Antrophagia *graviter prohibita.*
50 *Ratio damnationis quarundam in hac materia propoſitionum.*
51 Thomaſii *error detegitur.*
52 *Et cum* Velthuſio, *Epicuri ſectator probatur.*
53 *Dogmata Chriſtiana:* de Indulgentiis, de Exomologeſi, de Purgatorio &c. *non adverſantur juri naturali, prout Hæreticè calumniatur* Puffendorfius.
54 *De Officiis, quæ homo, proximo exhibere debet,* remiſſivè.
55 *Celebris & haud prætereunda proponitur quæſtio: Num ſcilicet homo teneatur cunctas actiones ſuas deliberatas referre in Deum?*
56 *Ante reſolutionem, quædam prænotanda.*
57 *Concluditur & refutatis adverſariorum ratiunculis, probatur: deliberatas hominis actiones in Deum referri debere.*
58 *Quatenus peccet homo, non referens actiones ſuas in Deum?*
59 *Senſus propoſitionis damnatæ exponitur.*
60 *Opus ex objecto & aliis circumſtantiis bonum, defectu relationis in Deum, non vitiatur in ſe, ſed vitium redundat in operantem.*

---

1 TRiplex hoc officium, ſive trinam obligationem naturalem, his verbis expreſſit *Apoſtolus: Sobriè, juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo. Sobriè* ſcilicet & temperatè *quò ad nos, juſtè, quoad proximum,* & *piè quò ad Deum,* utpote principium & finem actionum noſtrarum. Ipſa ergo obligatio actiones dirigendi ad felicitatem naturæ rationali propriam, eſt hominis officium, quod, ut ritè expleatur; oportet, ut actiones, *ex debito*, conformentur legibus, ita, ut officia fundentur in legibus, & ex his fluant, non verô econtra, leges ſeu jura, naſcantur ex officiis.

2. Quia autem hominis, in ſtatu naturali conſiderati, finis eſt felicitas non qualiſcunque, ſed naturæ rationali propria, quæ ſci-

ſcilicet primariò & formaliter ſita ſit in conjunctione cum Deo Creatore, per cognitionem & amorem ſtatui huic proportionatum; *ſecundariò* autem & *integraliter* poſita ſit in animi tranquillitate ac pace cum proximo: planum eſt, officium hominis, in ſtatu naturali, poſtulare; ut is actiones ſuas eò dirigat & quidem ex legis præſcripto; ita, ut officiis normam præſcribat lex, quæ eſt vel *Divina* vel *humana*: item vel Divina *naturalis* vel *poſitiva*.

3. De officio hominis erga Deum, tanquam præcipuo, primùm acturi, *ſciendum* eſt; quòd illud nihil aliud ſit, quàm obligatio exercendi actiones conformiter legi naturæ præcipienti Religionem erga Deum, quatenus naturalis ratio eam aſſequi poteſt, quam certè poteſt aſſequi, generatim ſtatuendo hæc principia: quòd de Deo, piè & rectè, ſemper ſentiendum; & quod actiones noſtræ, ad ejus voluntatem, perpetuò ſint componendæ.

4. Naturalis itaque Religio, ſuggerit tum Theorica, tum practica dictata, de notitia Dei ejúſque cultu: ſcilicet de Deo rectè ſentiendum, eúmque debitè colendum eſſe. Qua de re actum ſupra *cap.* 5. ubi primum Decalogi Præceptum diſcuſſimus. Atque hæc naturalis.

5. Religio hominis erga Deum, ſuggeritur *tum* ex eſſentiali dependentia illius ab ipſo tanquam Creatore, conſervatore & gubernatore; ex quorum cognitione, naſci debet amor hominis erga Deum, & is amor naturaliter debitus, germinare rurſum debet cætera Religionis officia. *Tum* ex cæteris Dei perfectionibus humanâ ratione attingibilibus, puta: *Miſericordia*, *Juſtitia*, *Providentia* &c. Quæ Dei attributa non minus ſuadent, ipſum eſſe amore digniſſimum & ſuper omnia creata & creabilia colendiſſimum.

6. Cæterum generalior de Deo notitia, homini naturaliter inſita atque ex primis principiis immediatè pullulans, juri quidem naturali eſt præſuppoſita, at non ipſimet Juriſprudentiæ naturali. Argumento à ſimili. Sicut enim principia Syllogiſtica: *Dici de omni, dici de nullo Quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe &c.* ſunt quidem præſuppoſita ad *Syllogiſmum*, non tamen ad *Dialecticam*. Ita generalior de Deo notitia, v. g. *quòd Deus ſit ens primum, ens ſupremum, conditor & gubernator mundi, legiſlator, juſtus, omniſcius &c.* juri quidem naturali, dictanti facienda eſſe rationi conſentanea, & vitanda oppoſita, præſupponuntur; non tamen ipſimet diſciplinæ Juriſprudentiæ naturalis.

7. Dixi: *Generalior de Deo notitia*: Specifica enim de Deo ejuſque attributis, ſcientia, ſtudio acquirenda, cadit ſub jus naturæ, præcipiens, ut non negligamus illa nôſſe, quæ nos ad cultum & amorem Dei ſtimulare nata ſunt. Et quanquam notitia hæc de Deo ejúſque perfectionibus, quatenus ſpectat ad dirigendas actiones noſtras, ex motivo devotionis, *ut pias in Deum*, ſit Theologiæ naturali propria; eſt tamen propria Juriſprudentiæ naturali, quatenus reſpicit actiones Religionis *ex motivo juſtitiæ*, ſive ùt naturaliter debitas, in Deum dirigendas.

8. Jus Naturæ aliter verſatur circa generaliora de Deo dictata, puta: quòd ſit *ens ſupremum, independens, omnium conditor* &c. aliter circa ſpecificam de Deo notitiam ratiocinio acquirendam. Circa prima enim dictata [prout liquet ex iis, quæ in expoſitione primi Decalogi Præcepti adduximus ſupra *cap.* 5.] Jus naturæ verſatur *Negativè* prohibendo *Atheiſmum*, vel *Polytheiſmum*. Circa pleniorem verò de Deo notitiam verſatur *affirmativè* ſeu *poſitivè*, præcipiendo, ut adnitamur ex mediis obviis veram & neceſſariam de Deo ejúſque perfectionibus ſcientiam acquirere.

Digitized by Google

rere, Deo: *ex mediis obviis*, cujuſmodi ſunt 1. Parentum inſtructio, aliorum teſtimonia, ſenſus communis. 2. Ratiocinatio ex creaturarum conſideratione, rerum viciſſitudine, experientia propria, aut motibus animi noſtri deducta.

Porrò, cur jus naturæ circa exactiorem de Deo notitiam facili ſtudio acquirendam, verſetur *Affirmativè*; *Ratio eſt*; quia jus naturæ poſtulat à nobis amorem, Deo, ùt Authori, conſervatori, & benefactori noſtro naturaliter debitum; quomodo autem Deum debitè amabimus, ſi culpabiliter ejus perfectiones ignoremus.

9. Pars altera Religionis naturalis, importat officia hominis *practica* erga Deum; id eſt, cultum Dei rectum, ſive cogniti Numinis venerationem, certis naturæ legibus, definitam; qui quidem cultus, alius eſt *internus*, mentis ſolùm actibus conceptus, alius *externus*, exterioribus quoque ſignis manifeſtatus.

10. Uterque hic cultus, in quo conſiſtunt officia hominis erga Deum *practica*, naſcitur ex amore. Siquidem ex primis atque generalioribus principiis lumine naturæ notis de Deo, *ùt Creatore*, hoc eſt omnis boni noſtri authore & largitore, primo reſultat amor ei naturaliter debitus, ex amore verò cætera profluunt Divini cultûs officia, inter quæ illud eſt primum atque generale, quòd homo teneatur per ſuos actus, tendere ad finem ſibi à Creatore præfixum, puta: ad felicitatem naturæ rationali propriam, quæ eſt conjunctio animæ cum Deo cognito & ſuper omnia dilecto.

11. *Thomaſius* in *ſua Juriſprud. Divina lib. 2. cap. 1.* contendit; quod etſi juſtiſſimum ſit, Deum coli ab homine cultu externo; ratio tamen ſibi relicta nihil deprehendat reſpectu Dei, unde inferri debeat, Deum coli velle ritu externo; tum quia Deus non indiget hujuſmodi cultu; tum quia (inquit) licet ſigna externa laudationis, invocationis, gratiarum actionis *&c.* inter homines, aliorum actus internos, non penetrantes, ſint neceſſaria; ratio tamen iſta locum non habet in Deo omniſcio & cordium ſcrutatore.

Thomaſii errorem ſecutus eſt ejus commentator *Engelbrechtus Dunze*, qui *Diſp. 4. ad finem Juriſprudentiæ Thomaſianæ*, publicè hanc ſuſtinuit Thesin: *Homo ex ratione ſibi relicta, non poteſt demonſtrare, Deum cultu externo eſſe proſequendum.* Eundem craſſiſſimum errorem *Dietericus Kemmerichius*, *Thomaſii* ſectator diſcipulis ſuis propoſuit *in Elementis J. N. & G. cap. 4. ad* §. 7. ubi dicit: *Reſpectu Dei, ratio nullam cultus externi neceſſitatem videt, quia Deus eſt ſcrutator cordium, cui non opus eſt, interna animi ſenſa, per ſigna externa manifeſtari.*

12. *Contra* eſt 1*mò*. Quia licet Deus reſpectu ſuî non egeat noſtro cultu interno vel externo *abſolutè*; ſuppoſitâ tamen hominis creatione, non poteſt non exigere utrumque hunc ſuî cultum, eò quòd hominem non produxerit *propter hominem*, aut alium finem extraneum, ſed *propter ſe* & ſui glorificationem. 2*dò*. Quia ideo Deus vult actibus internis coli, quia creavit animam; ſed non minus produxit corpus humanum: ergo, ſi amor Creatori debitus, poſtulat cultum hominis internum, poſtulat & externum.

Igitur ſana ratio dictat hominem ex corpore & anima compoſitum, debere Conditorem, Conſervatorem & Benefactorem ſuum colere officiis nedum *in* ſed & *externis*, illum laudando, invocando; gratias ipſi agendo; ſubjectionem ſuam conteſtando, *&c.*

Hoc damus, quòd cultus Dei externus *ſpecialis*, ſeu, ùt certis ritibus ſpecificè definitus, ſit juris Divini vel humani *poſitivi*, cùm cognitus & introductus ſit per Dei

poſſe imponi legum, ſive ab hominibus, ſive ab Angelis, niſi in quantum volunt: eò quòd (inquit) homines liberi ſint ab omnibus. Cui inſaniſſimo principio ſuperinſtruxit hanc falſiſſimam concluſionem; quòd *Neque Papa, neque Epiſcopus, neque ullus hominum, habeat jus unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejuſdem conſenſu, & aliter factum, ſpiritu tyrannico factum eſſe.* Conſequenter *ibid. Papatum* vocavit *Babylonem*, & *Papam* dixit *AntiChriſtum*, qui toties peccet in libertatem Eccleſiæ, quoties aliquid præcipere attentet. Idem Hæreſiarcha, 3*tiò*. Æqualitatem inter omnes Chriſtianos introducere conatus eſt, effutiendo: *Tomo* 1. *Jen. Germanicæ edit. de anno* 1560. *fol.* 290. *Daſ alles, waſ auſ der Tauff gekrochen, ſich rühmen könne, Prieſter und Biſchoff zu ſeyn.* i. e. Quòd omne quod ex Baptiſmo prorepſit, gloriari poſſit charactere Sacerdotali ac Epiſcopali. Unde & audacter *cit. lib. De captiv. Babylon. fol* 86. & alibi ſæpiùs contendit: *Omnes eſſe æqualiter Sacerdotes; hoc eſt: eandem in Verbo & Sacramento quocunque habere poteſtatem, ſoláque opus eſſe* Communitatis, *ſeu* Majoris *vocatione.* 4*tò*. Pari Diabolicâ temeritate abolevit Sacramentum *Ordinis*, jactitando; quòd hoc Sacramentum Eccleſia Chriſti ignoret, inventúmque ſit a *Papa*. Vide quæ blaſphemando ſcriptitavit. *Tom* 6. *Jen. Germ. edit. de anno* 1651. *fol.* 101. *Von der Winckel-Meſs.* ibi *Er ſeye beruffen oder unberuffen, geweyht oder ungeweyht, der Teuffel oder ſein Mutter.* Unde dict. *lib. De Captiv. Babylon. fol.* 86. Sacram Ordinationem nihil aliud eſſe dixit, quàm *ritum quendam, quo quis vocetur in Miniſterium Eccleſiaſticum. Neque* [inquit] *video, qua ratione, rurſus nequeat Laïcus fieri, ſemel Sacerdos factus, cùm à Laïcis nihil differat, niſi miniſterio.* Itaque 5*tò*. Poteſtatem clavium communem fecit, ita, ut *quilibet frater cum proximo, & ipſe ſecum diſpenſare poſſit.* Ac denique 6*tò*. Omnem Hierarchiam Eccleſiaſticam exploſit. Hanc inſaniam, ad confuſionem omnium Proteſtantium, egregiè nuper in ſcenam produxit & refutavit *R. D. Weiſlinger* Paſtor *in Capellen. infra Rodeck.*

Ex his abominabilibus *Lutheri* placitis, pro varietate Regnorum ac Regionum; item: pro diverſitate Principum ac Magiſtratuum, qui ſibi *directorium* atque ſummam in Eccleſiaſticis poteſtatem arrogârunt, varia prodiit Proteſtantium Eccleſiarum forma, ſeu potiùs *Babylonica* confuſio. Si tamen *Sectarii* iſti Authorem ſuum preſſo veſtigio ſequerentur; forma Eccleſiæ ipſorum deberet eſſe *Democratica*, aut potiùs *Anarchica*, ad normam Religionis in ſtatu merè naturali, in quo quantum ad ritus & modum colendi Deum, fuiſſet, ad cujuſvis placitum, Religio.

15 Cæterum heterodoxi Scriptores, cum & ex *Puffendorfio* contendunt: 1*mò*. Eccleſiam non eſſe ſtatum juriſdictione ſeu imperio quodam inſtructum; ſed *Collegium, naturalis libertatis jure, conflatum,* ad cultum Dei publicum exercendum, cujus pactiones ſeu placita, ſint leges Eccleſiaſticæ. 2*dò*. Jus Sacrorum eſſe duplex *Majeſtaticum* ſcilicet & *Collegiale. Majeſtaticum* ajunt profluere *à ſummo Imperio*, & conſiſtere tum in ſuprema inſpectione & *ſuperintendentia* in Eccleſiaſticum Collegium, pro conſervanda quiete publica; tum in ſumma poteſtate determinandi cultum publicum, conferendi privilegia; diſponendi de Beneficiis; diſpenſandi in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis, in ordine ad nuptias contrahendas; ac generatim exercendi juriſdictionem externam. *Collegiale jus*, ajunt nullatenus concernere conſcientiæ libertatem omnimodam,

Digitized by Google

dam, ſed reſpicere tantùm directionem exteriorem Eccleſiarum, quò ad conſtitutionem miniſtrorum, bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem: jejuniorum & feriarum indictionem, & *à cœtu* ſeparationem, alienam tamen à vi externa. 3*tiò*. Hæc jura, ex naturali jure, Collegio competentia, ajunt eſſe *delegabilia* certis perſonis, quæ ideo appellari poſſint: *Eccleſia repræſentativa*, & quia ſummi imperantes, *ratione Sacerdotii communis*, peræquè ad hæc jura habiles ſunt; ideo (dicunt) ea plerúmque in Principes eſſe tranſlata; eò quòd directioni huic externæ, mox civilem manum affundere poſſint; quanquàm Principes hanc poteſtatem *ſubdelegare* ſoleant Doctorum conſeſſui, qui *Conſiſtorium* ideo audit. 4*tò*. Jura hæc collegialia in Principem translata, non tribuere ipſi aut aliis ab eo ſubdelegatis, aliam authoritatem in decidendis fidei controverſiis, quàm *merè hiſtoricam*, nullatenus verò *judicialem*. Quia, nullam, ſuper terram, agnoſcunt in ſpiritualibus juriſdictionem internam, *coactivam* ſcilicet; quovis ſibi in judicem, *quò ad credenda*, ſufficiente, ſed merè duntaxat *ſuaſivam*: neque diſcrimen faciunt inter Doctores & Auditores, niſi penes *chariſmata* & *miniſterii exercitium*, juriſdictione *externâ*, ſuo modo, coactivâ, Magiſtratui ſæculari reſervatâ. Unde

Proteſtantici, Juris tum naturalis tum divini *deformatores*, concludunt; jus Sacrum, prout importat poteſtatem *Ordinis*, *eſſe facultatem moralem exercendi ea, quæ ad cultum Dei, ſanctificationem & inſtructionem fidelium ordinata ſunt* Prout verò dicit poteſtatem *juriſdictionis*; eſſe. *Facultatem exercendi ea, quæ ad defenſionem ac proviſionem Eccleſiarum, uti & directionem Religionis Statúſque Eccleſiaſtici pertinent*. Hanc juriſdictionis externæ facultatem *ſtabiliter* (ajunt) & *irrevocabiliter* foie tranſlatam in ſummos Principes, & hanc tranſlationem, per Pacem *Religioſam* atque *Weſtphalicam*, Sigillum Civile accepiſſe, ita ut cœtus illam ad ſe amplius retrahere nequeat. De his monſtroſis falſitatibus, videri poterit *Puffendorf*. in libello: *De habitu Religionis*. §. 40. *& ſeq*.

Religionis internæ, naturali jure, omni imperio humano & poteſtate coactivâ liberæ, *Puffendorfio* doctore, argumenta hæc ſunt:

16 1*mum*. Officium hominis erga Deum, ſeu Religio, ſicut in ſtatu naturæ, ita & gratiæ, eſt *perſonalis* in alium non transferibilis, eò quòd animæ ſalus per alium non ſit operabilis: ergò naturali jure, eſt libera, omníſque directionis & poteſtatis *externæ* incapax, ac proinde ſolo propriæ rationis dictamine, vel accedente *Divini verbi revelatione*, determinanda. Resp. *Diſt*. *conſequens*. Ergo religio eſt jure naturali libera, *libertate Autonomicâ* vivendi, Deúmque, *ùt lubet*, colendi. *N*. Libertate per leges, tum naturales, tum divinas, limitatâ vivendi, Deúmque colendi, *ùt decet C*. Porrò; licet Religio foret incapax coactionis, in ordine *ad primam acceptationem*, non tamen *ad ſemel ſuſceptæ retentionem* & diſpoſitionem. Similiter, licet Religio ſit determinanda ex dictamine rationis legibus conformi, & revelatione Verbi Divini *verè tali*, non tamen ex dictamine qualicunque, aut veræ revelationis *falſa interpretatione*, è Phantaſtico cerebro promanante. Et ſanè; ſi juxta ipſummet *Puffendorfium* in ſtatu naturæ, Religio non fuit libera ad *Polytheiſmum*; nec Chriſtiano eſt libera, ad *Judaiſmum*; *Epicuriſmum &c*. Si inquam, in ſenſu *Proteſtantium*, ſtabilito Eccleſiæ Collegio, non eſt cuivis integrum, arbitrariâ & privatâ Verbi Divini interpretatione, determinare cultum Di-

Divinum, ſed ea poteſtas Principi, aut *Synedrio* ſeu *Conſiſtorio* reſervata manet; qua fronte nobis oggeri poteſt, quòd Religionis, cultúſque Divini determinatio, ſit poſita in cujuſvis arbitrio?

Argumentum 2dum. Religio dependet ab aſſenſu mentis præſtito veritati ſeu naturaliter, ſeu Deo revelante, cognitæ. Ergo nemo ad illam cogi poteſt per ullum imperium: Quò facit illud *Lactantii: lib. 5. cap. 13. Quis mihi imponat neceſſitatem vel credendi, quod nolim, vel non credendi, quod velim?* cui conſonat *S. Bernardus. Serm. 66. in Cantic.* ubi ait: *fidem ſuadendam, non imperandam.* Resp. Si Authore *Puffendorfio*, nemo ullatenus poſſit ad fidem cogi, quâ ratione, ipſo docente, puniri poſſunt Chriſtiani ſubditi, in *Judaiſmum* vel *Atheiſmum* deflectentes, vel Religionem ſummo Imperio adverſam profitentes? Ipſemet profectò *Lutherus* hoc in paſſu, *Puffendorfio* ſanior fuit, dum in ſuo Commentariolo, in *Pſal.* 82 *Tom. V. Jenæ germ. edito. anno* 1561. *fol.* 147. tradit: *quòd homo, quidem poteſtate* externâ *non cogatur ad credendum, ſed perverſa ſolùm doctrina prohibeatur.* In *forma* igitur Resp. Neminem *directè* ad fidem cogi poſſe; poſſe tamen hominem, ſub Chriſtiani Principis imperio, viceſ.em cogi *indirectè*, quatenus legibus Chriſtianis, perverſa proſcribitur doctrina; & hoc ſenſu, capiendi ſunt Patres Orthodoxi, dum ajunt: neminem ad fidem cogi poſſe.

Argumentum 3tium. Religio tam *naturalis*, quàm *revelata*, eſt independens ab omni ſtatu civili: non enim inſtitutæ ſunt Reſpublicæ propter Religionem, quæ æquè à paucis ac multis, imò in ſtatu *naturali*, ante omnem civitatem, quin & in ſtatu *naturæ elevatæ*, abſque omni ſtatu civili, exerceri poteſt & debet. Ergo per ſtatum *civilem*, alterari nequit Religio libera, neque homines in Rempublicam coëuntes, cenſeri poſſunt, quò ad Religionem, ſe ſubmiſiſſe Principibus imperantibus; cùm quivis etiam in ſocietate conſtitutus eligere & ſtatuere poſſit modum, quo Deum colere velit, Exemplo *Danielis*, qui contra *Perſarum* morem, oravit, & trium puerorum *Hebræorum*, qui Statuam *Nabuchodonoſoris* adorare recusârunt. Proinde ſponte ex naturali libertate, in pactiones de modo colendi Deum concordantes; non *Statum*, ſed *Collegium* formant in ſtatu, omni poteſtate ſeu coactione externâ, liberum. Ita ferè *Puffendorf*, quem velut Oraculum, ſecuti ſunt: *Henniges* & ſignanter *Thomaſius*, qui, in ſua *Juriſprudentia Divina lib. 3. cap. 6.* aſſerit; Principem, qui Religionem falſam in Republica tolerat, quæ non repugnet fini civitatis (id eſt tranquillitati publicæ) non peccare contra jus naturale & officium boni Principis, ſed contra legem divinam *poſitivam univerſalem*, & Officium boni Chriſtiani, quem defectum (ait) juriſprudentiæ naturalis, ſuppleri debere per *Theologiam*.

Ad hoc Argumentum Resp. *retorquendo*: juxta ipſum *Puffendorfium* & ejus *Amanuenſes*, inito ſemelque formato Eccleſiæ *Proteſtanticæ* Collegio, nemini privato fas eſt adoptare ſibi ſingularem ritum colendi Deum; ſed, ad id requiritur directio & diſpoſitio *Synedrii*; imò exigente id neceſſitate, ſummi Principis *ſumma poteſtas Eccleſiaſtica*, ſuo modo refractarios coërcere poteſt. Quid igitur? Certè juxta ipſos *Proteſtantes*, Religio non eſt independens, ſaltem quò ad *directionem* ac *conſervationem*. Demus etiam Reſpublicas, non eſſe inſtitutas, propter *Religionem*; ſaltem fatentibus ultrò Adverſariis, verum manet, arctiſſimum ſocietatis humanæ vinculum, eſſe *Religionis uniformitatem*. Verùm, cùm ſumma

ma ſit ratio, quæ pro Religione *non fi-ſta*, ſed *vera*, facit; & quivis, rationis dictante lumine, de adorando & debitè colendo Creatore atque Benefactore ſuo, præprimis ſollicitus eſſe debeat; quid nî Rerumpublicarum Conditores, vel etiamnum Moderatores, ſubſidiariâ curâ ſolliciti eſſe debeant, de veri Dei, vero cultu? *Subſidiariâ* inquam *curâ*; ſiquidem principalis Sacrorum cura, non incumbit Principi ſæculari, aut ei, qui ſummum civile in Republica tenet imperium, ſed, cui Deus illam ſingulariter commiſit. Adhæc; ſi fatente ipſo *Puffendorfio*, Patribusfamilias, ex jure naturæ, competit cura de recto Dei cultu, ſaltem *ſuaſivè* filiis implantando, *ne* (ùt ait) *ſuo inſtinctui relicti, peculiares revelationes caperent & in feritatem inemendabilem degenerarent*: Si eodem teſte, in ſtatu naturæ, Laïcis imperantibus, ex jure naturali, competit cura Religionis ſaltem *naturalis*, ita, ut actus externos *Idololatriæ*, *Blaſphemiæ*, *Magiæ* & ſimiles, condignis pœnis coërcere poſſint: Si demum Laïcis imperantibus, ex eodem jure, competit poteſtas *Sacra* juriſdictionis ſaltem *externæ* in Eccleſiam, ùt ajunt *Collegiatam*; cur jure divino non poſſit talis poteſtas competere Præſuli Eccleſiaſtico, qualis eſt ſummus Pontifex, aut Epiſcopus?

17 Itaque *Autonomica à Puffendorfio* & ejus commentatoribus, tantoperè deprædicata *Religionis Libertas*, eſt directè oppoſita tranquillitati Reipublicæ Chriſtianæ; eſt Chriſtianæ ſubordinationis everſiva; eſt inventum Cacodæmonis; eſt contraria legi naturæ, ſcriptæ & Evangelicæ; eſt fidei deſtructiva; eſt via plana ad omnem Hæreſin; ad *indifferentiſmum*; & *Atheïſmum*; proinde nedum ab Eccleſiæ Patribus, ſed & Imperatoribus damnata, tanquam origo omnis mali in Republica. Unde falſa & Reipublicæ exitialia ſunt *Puffendorfiana* commenta; quòd *Autonomia* ſeu conſcientiæ omnimoda libertas, ſit licita & ubivis permittenda, tanquam Chriſtiano Regimini neutiquam adverſa: Quódque Religio ſit ab omni imperio libera; & *Autonomiæ* prohibitio, ſit *tyrannis*. Quæ falſiſſima aſſerta nunquam probata nec probabilia, juventuti præſertim nobili blandè propoſita, infinitos paſſim progerminant novos atque novos errores, fidémq; Chriſtianam, in plurium corruptis animis, fecerunt *arbitrariam*, adeóque *nullam*.

18 *Lutherus* Hierarchiæ Eccleſiaſticæ impugnator præcipuus, *Puffendorfio* aliíſque hujus fæcis *Novatoribus*, deteſtandi hujus enthuſiaſmi anſam ſuppeditavit, jactitando: quòd Sacerdotium novæ legis, per Baptiſma, cuivis Chriſtiano factum ſit *commune*, planè ſicut in ſtatu naturæ, Religionis officia, cujuſvis in arbitrio erant relicta, licet Patresfamilias munus Sacerdotii ſibi arrogaverint; aut illud, plurium familiarum conſenſu, uni alicui attributum fuerit. Igitur Authore *Luthero*, ſic arguit cum *Puffendorfio*, *Henniges. De ſumma Imperantium poteſtate circa Sacra. cap. 2. fol. 25. In lege naturæ, poteſtas Regia & Sacerdotalis, ex nativa indole erant conjunctæ. Ergo etiam ſic conjunctæ ſunt in lege gratiæ; cùm gratia non deſtruxerit naturam, nec lex Chriſti data ſit ad tollendam legem naturæ, ſed ad eandem perficiendam.* Antecedens *evincitur & probatur in* Melchiſedecho, *qui fuit & Rex* Salem & Sacerdos *Dei altiſſimi.* Geneſ. 14. ℣. 18. *Item in* Abrahamo, Jobo *& aliis Patriarchis, qui tempore legis naturæ, ſimul erant capita familiarum & quadantenus Reges, & Sacrificia peragebant, adeóque nedum populo dictabant* jura, *ſed & Numini* thura *offerebant.*

Resp. *Antecedens & conſequens* fallere. *An-*

Antecedens quidem; quia in lege naturæ, poteſtas regia & Sacerdotalis, non fuit conjuncta *vi indolis nativæ*; ſeu; vi juris naturæ, ùt blaterat *Henniges*; ſed, vi juris humani, populo (penes quem pro ſtatu *democratico*, ſumma poteſtas erat) facultatem hanc unà cum imperio, in Principem & primogenitos ipſius, transferente. Ubi obſerva ex *D. Hieronymo: Epiſt.* 5. *Ad Evagrium.* & *Ruperto: lib.* 5. *in Geneſin.* quòd, licet Sacrificium & Sacerdotium aliquo modo ſit de jure naturæ, adeóque mediante rationis dictamine, ac voluntate humanâ, è generalibus naturæ dictatis, profluxerit; equidem ſacerdotium hac ratione inſtitutum, nequaquam fuerit ex jure naturæ *præceptivo* his aut illis perſonis, puta: Regibus aut aliis primoribus attributum; ſiquidem, jure merè *poſitivo* definitum, quinam ſacrificandi munus exercere debuerint, atque hoc modo, ante legem *Moyſis*, moribus populorum, ac quaſi *gentium jure*, Regibus ſuperaddita fuit Sacerdotii dignitas, qui mos, ſicut in lege veteri, ex præſcripto Divino, mutationem recepit; ita & in nova, ob Sacerdotii & Sacrificii excellentiam, mutatus dignoſcitur. Porrò Argumenti propoſiti *conſequentia* fallit; quia illa, ſive Patribusfamilias, ſive Regibus, attributa poteſtas, Sacrificia Deo offerendi, non fuit *ſpecialis* ac *ſupernaturalis poteſtas Ordinis*, uti in lege gratiæ; ſed fuit duntaxat miniſterium ſacrificandi & intercedendi pro populo, quod quivis, vel ſua ſponte, vel populi conſenſu, præſtare poterat; ſiquidem, pro illo tempore, Deus nihil in ſpecie, de Sacerdotio aut ritu ſacrificandi determinaverat; ſed mortales, in immortalis Dei recognitionem, ſuámque ſubjectionem, Sacrificia offerre conſueverant. Unde *Anacletus Papa. Epiſt.* 2. negat *Melchiſedechum*, *Abrahamum*, vel alios illius temporis viros, *Sacerdotali authoritate*, utpote pro tunc necdum à Deo inſtitutâ, Sacrificia obtuliſſe. Cæterùm, in lege veteri, ſicut Deus determinavit ſacrificandi ritus; ita & determinavit, & quidem abſque populi conſenſu, Sacerdotes & Sacerdotium. Id quod in lege gratiæ, longè excellentiore modo Chriſtus perfecit, inſtituendo Eccleſiam, per modum *unius corporis myſtici* per totum orbem diffuſi, in quo unitas fidei & concordia, in ſubſtantiali ritu Religionis, ad Dei cultum, hominúmque ſanctificationem, ordinato, perpétim conſervari poſſit, quod certè non poſſet, niſi *infallibilis*, in decernendis fidei quæſtionibus, poteſtas atque *inappellabilis* authoritas ſupremo Hierarchici ordinis capiti, divinitus data & confirmata fuiſſet.

19 DICES *1mò*. Teſte *D. Iſidoro. lib.* 3. *Sententiar.* ſeu: *De ſummo bono.* Deus dedit Principibus Præſulatum pro regimine populorum. Unde paſſim dicuntur regnare *gratiâ Dei*, quin & adorantur in terris, tanquam Vicarii Dei. Ergo, ſicut Deo, ita & ſummo Principi ejus Vicario, competit poteſtas circa Sacra; cùm Vicarii præcipuum officium ſit, procurare honorem & cultum Principali ſuo debitum, & divinitus in Sacris Litteris præſcriptum. Quò facit; quòd Reges in S. Scriptura, ſæpè vocentur *Paſtores* & *Patres populi*; &: quòd Teſte *Divo P. Auguſtino; omnes Reges culpentur, qui populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt, quæ contra Dei præcepta, fuerunt inſtituta, laudentur verò, qui talia prohibuerunt. & everterunt.* RESP. Ex his omnibus, ſano ſenſu, nihil aliud inferri poſſe, quàm quòd Principes ſint Vicarii Dei *in temporalibus*, non verò *ſpiritualibus*: & quod regnent gratiâ Dei, *regimine politico* & *civili*; eò quòd & hæc legitima poteſtas regnandi, ſit *immediatè* vel *mediatè* à Deo: non verò regnent regimine *Sacro* aut *Ecclesiaſtico.*

cleſiaſtico. Itaque Deus, qui eſt Rex Regum & Dominus Dominantium, duplicem in terris Vicarium conſtituit, unum *in temporalibus*, alterum *in ſpiritualibus*, prout præclarè expreſſit *Innocentius III. in Epiſtola ad Imperatorem Orientis* textu relato *in cap. Solitæ. De Majorit. & Obed.* ibi: *Ad firmamentum Cœli, hoc eſt univerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id eſt, duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas & regalis poteſtas: ſed illa, quæ præeſt diebus, id eſt ſpiritualibus*, major *eſt; quæ verò carnalibus*, minor, *ut quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia dignoſcatur.* Non minus celebris & vera eſt ſententia *Nicolai Papæ*, in litteris *ad Michaelem Imperatorem*, textu relatô, *in can. Cùm ad verum. 6. Diſt.* 96. ibi: *Cùm ad verum ventum eſt, ultra ſibi nec Imperator jura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex nomen Imperatoris uſurpavit, quoniam idem Mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis utriúſque diſcrevit, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, non humanâ ſuperbiâ, rurſus in infernum demergi, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita, Pontificibus indigerent, & Pontifices, pro curſu temporalium tantummodò rerum, imperialibus legibus uterentur; quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus, & ideò militans Deo, minimè ſe negotiis ſæcularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus Divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus.* Ex quibus reſultat; quòd Principes ſæculares, modo in Sacris Scripturis expreſſo, debeant, non uſurpare jus *circa Sacra*, ſed exercere jus *Advocatiæ*, Eccleſiam defendendo, & Eccleſiæ miniſtros protegendo, ut imperturbatè & competenter, munia ſua obire queant. Hoc inquam ſenſu, Principes fideles, ſunt *Vicarii Dei, Paſtores, Patres* & *Nutritii populi.* Verbô: cùm Deus populum ſuum duplici regimine gubernari, duplicíque paſtu *corporali* ſcilicet & *ſpirituali* refici voluerit; duplicem quoque Vicarium, Paſtorem, nutritiúmque eidem præpoſuit, corporalem ſcilicet & ſpiritualem. Quòd, ſi Reges aut Principes, ob cultum, Deo à ſe & ſuis, redditum, laudentur, & ob ejus neglectum reprehendantur; non ideo eſt; quòd ipſis principalis cura Sacrorum incumbat; ſed quòd, quò *ad ſe*, pii vel impii fuerint, exemplóque ſuo, bono vel malo, populum ædificaverint vel ſcandalizaverint: quivis enim in Regem, oculos animúmque convertit, ejúſque mores ſive bonos, ſive malos, facilè imitari ſolet.

Dices 2*dò*. Principes habent imperium in omnes ſibi jubjectos, & *Apoſtolus* jubet, ut etiam fideles, ſubditi ſint poteſtati ſæculari. Ergo ſubditi iis, etiam *in ſacris*, obtemperare debent. *Reſp.* Principes habere Imperium *in civilibus* & *temperalibus* in omnes ſibi ſubjectos, non verò *in ſacris* & *ſpiritualibus*. Et ſanè, ſi ſummo Principi jus competeret *in ſacra*, Reges & Imperatores Ethnici, hujuſmodi juris prætextu, potuiſſent Chriſtianos adigere ad *Idololatriam*, quod nemo dixerit. Pro ſolutione argutiarum, quas *Henniges*, *Paſſius* & alii ex *Puffendorfii* heterodoxa *Morali* conſarcinare ſolent;

20. *Notandum* 1*mò* Quòd *de jure naturæ* nequeat eſſe, quod eſt *ſupra naturam*, neque à communitate humana profluere vel in alium derivari poſſit, quod eſt ordinis altioris, cujuſmodi eſt jus *circa ſacra*.

21. Not. 2*dò*. Nos diſcernendo jus *circa ſacra*, à jure, *circa profana*; non ſtatuere duplex Imperium in *eodem*, ſed *diverſo genere*, ſacro ſcilicet & profano. Unde, quod jactitant *Puffendorſiani Scholiaſtæ*,

Digitized by

ſtæ; vitandum eſſe *ſtatum in ſtatu*, *Principatum in Principatu*, *Rempublicam in Republica*; capiendum eſt de ſtatu in ſtatu, *ejuſdem generis & ordinis*, ne in eadem Republica, duo ſint ſummi Principes *non ſubordinati* & *independentes*, qui facilè contraria jubendo, turbas ciére poſſent; non verò de ſtatu in ſtatu, generis & ordinis omnino diverſi; quo duo Principes juriſdictionem toto genere diſtinctam, ſuiſque limitibus circumſcriptam, abſque mutuo præjudicio, exercent, & *à ſæculis* exercuêre. Quòd, ſi interdum inter has duas ſupremas poteſtates conflictus enatus fuerit & ſuccenſa exinde fuerint ſanguinolenta bella; id utique contigit ex eo, quòd teſtibus hiſtoriis, quidam Principes ſæculares jus *Advocatiæ* longiùs, quàm oportuit, extenderint, & è Defenſoribus Eccleſiæ, facti ſint perſecutores & invaſores.

22. *Puffendorfius* ejuſdémque furfuris ſycophantæ, ut ſacra miſceant profanis, & laïcali Imperio adſcribant poteſtatis ſpiritualis jura; ex veteri lege, argumenta, in rem ſuam, depromere conantur. Sic *Puffendorfius* in ſuo libello: *De habitu Religionis. §. 9. fol.* 37. ait: Religionem *judaicam*, fuiſſe jure Divino, ſtatui politico eatenus innexam, ut *poteſtas Ordinis* fuerit quidem penes ſolam Tribum *Leviticam*: poteſtas tamen *juriſdictionis*, manſerit penes Reges. Parili tono paralogizat cum reliquis Proteſtantibus, *Henniges. De ſumma poteſtate circa ſacra. Cap. 2. n.* 8. *fol.* 47. Ubi veteris Teſtamenti Regibus, *jure Divino*, omnem juriſdictionis, *circa ſacra*, poteſtatem adſcribit, ſolo miniſterio *Levitis* reſervato. Verùm; ſi textus, quos Sacræ Scripturæ maleferiati interpretes iſti, pro baſe *ſectæ* ſuæ difformis, congerunt; ad trutinam veritatis expendantur; clarum evadet, quòd etiam in veteri lege, Regibus, jure ipſis proprio, alia non fuerit poteſtas *ſumma*, quàm in temporalibus, & quanquàm in *Moyſe*, *Heli*, *Samuele*, *Nehemia* & Machabæorum ætate in *Matathia*, extraordinariâ Dei diſpoſitione, ob ſingulares circumſtantias temporum iſtorum, utraque poteſtas, ſacra & profana, conjuncta legatur; equidem exinde ſolidum formari nequit argumentum, ad probandum; quòd ex *natura rei*, ſeu *ordinariè*, laïcali poteſtati cohærere debeat jus *circa ſacra*.

23. Nec *contra* facit, quòd [prout legitur 2. *Paralip. cap.* 14. ℣. 3. & 4. *Rex* Aſa *ſubverterit Altaria peregrini cultûs*, & *confregerit ſtatuas lucóſque ſucciderit*, *ac præceperit* Judæ, *ut quæreret Dominum Deum Patrum ſuorum & faceret legem & univerſa mandata*. Item: quod *Ezechias* Rex 4. *Reg*. 18. ℣. 4. pariter dicatur *Diſſipáſſe excelſa*, *contriviſſe ſtatuas*, *ſuccidiſſe lucos & confregiſſe ſerpentem æneum*, *quem fecerat Moyſes*. Nam Rex *Aſa* non fecit hæc, ex poteſtate, quam directè habuerit *in ſacra*; ſed ex Regia præeminentia, cura, protectione; ac zelo *pro ſacris*. Siquidem, docente *M. P. Auguſtino lib.* 3. *contra Creſconium Grammaticum*, *cap.* 51. *in hoc Reges*, *ſicut eis divinitus præcipitur*, *Deo ſerviunt*, *in quantum Reges ſunt*; *ſi in ſuo regno*, *bona jubeant*, *mala probibeant*; *non ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem*, *verùm etiam ad Divinam Religionem*. Proinde dum *Aſa* idolomaniam juri naturali maximè repugnantem eliminare ſtuduit, ac *Judæ* præcepit, *ut quæreret Dominum &c.* non niſi boni Principis partes explevit, quia ipſi *ex officio* incumbit, non ſolùm peccata adverſus legem Dei ac naturæ punire; ſed etiam cultum ac honorem Divinum pro viribus promovere, populum ad virtutem, morum honeſtatem ac pietatem, verbo exemplóque animando, eúmque ad ſalutem & beatitudinem æternam perducendo.

Porrò, licet ſerpens æneus, juſſu Divino,

Digitized by Google

vino, ad præfigurandum crucis & paſſionis Chriſti myſterium, erectus primùm fuerit; Quia tamen carnalis Hebræorum Gens, Serpenti æneo *latriæ* cultum irreligioſe exhibebat, illùmque in idolum vertebat; ac proin contra mandatum Dei, *ſculptile* adorabat; ideo Regia quoque juſſione confringi poterat; quia eatenus Rex obtemperabat legi præcipienti: *confringite ſtatuas lucóſque ſuccidite.*

24. Plura alia exempla & veteris Teſtamenti paſſus, *Proteſtantici Gerrones*, in rem ſuam cumulare ſolent; verùm ex his nequaquam evincunt, quòd Regibus quà talibus, competierit unquam ſpiritualis juriſdictio aut ſpecialis poteſtas, in his, quæ cultum Dei, ſeu veram Religionem concernunt, ſed inſinuant duntaxat; quòd bonus & fidelis Rex, debeat eſſe Divini cultûs ac veræ Religionis defenſor ac promotor, pro viribus allaborando, ut omnes errores & ſuperſtitiones contra orthodoxam fidem ac Religionem tollantur. Qua in parte, Chriſtiani Reges: *Conſtantinus*, *Carolus Magnus* ſexcentique alii, laudibus celebrandi ſunt, quod extirpatâ gentilium impietate aut Hæreticorum pravitate, veræ Religionis cultum promoverint, non per hoc attribuentes ſibi ſpiritualem in ſacris poteſtatem, ſed profitentes; ſe eſſe Eccleſiæ filios, Advocatos, & protectores. Unde, ſi cum *Puffendorfii* commentatoribus.

25. Dicas 1mò: Quòd in lege veteri, Reges miſerint Principes, Sacerdotes & Levitas ad populum in lege Domini erudiendum; Item: conſtituerint judicia & judices ſacros, prout ſignanter de Rege *Joſaphat* teſtatur Scriptura. 2. *Paralip. cap.* 17. ℣. 7. *& ſeqq.* ac *cap.* 19. ℣. 8. 2dò: Quòd *Salomon* Rex nedum ædificaverit famoſiſſimum illud Jeroſolymæ templum; ſed illud etiam Regi Regum, multis victimis & ſacrificiis, octiduanâ ſolemnitate dedicaverit. 3tiò: Quòd idem Rex *Salomon* ſtatim initiò ſui regiminis, ejecerit *Abiathar*, *ut non eſſet Sacerdos*. 3. *Reg. cap.* 2. ℣. 27. Quæ omnia probant, Regibus competiiſſe ſacram, *in ſacris*, poteſtatem.

Resp. *Ad primum.* Reges miſiſſe Sacerdotes *&c.* Miſſione & conſtitutione ipſis competente, puta: illos *nominando*, *ſuſtentando*, ab injuriis *vindicando* ſeu *protegendo*; non verò miſſione & conſtitutione propriè ſacrâ, conferendo ipſis poteſtatem ſacram aut judiciariam in cauſis ſacris. Nam, ùt diſertè inſinuatur 2. *Paralip. cap* 19. ℣. 11. Ea, *quæ pertinent ad Deum*, non Regis, ſed Pontificis imperio adſcribuntur.

Ad 2dum Resp. *Salomonem* eatenus templum Jeroſolymitanum ædificâſſe, dedicâſſe, Sacrificia obtuliſſe; quatenus ſumptus ſuppeditavit, & Sacerdotum miniſterio, dedicationem peragi ac ſacrificia, ſe præſente, offerri fecit; non verò, quaſi actione ſacrâ aut religioſâ, propriè, templi peregerit conſecrationis ſolemnia aut propriis manibus, hoſtias immolaverit. Quò facit; quòd 3. *Reg. cap.* 8. Sacer textus, eandem dedicationem & ſacrificiorum immolationem, perinde populo, ac Regi, attribuat; Ibi: *Et dedicaverunt Templum Domini*, *Rex & filii Iſrael.* Et iterum: ℣. 62. *Igitur Rex & omnis Iſrael cum eo*, *immolabant victimas coram Domino.* Utique per Sacerdotes.

Ad 3tium Resp cum *Theodoreto*, *Procopio* & aliis, quos ſequitur *Bellarminus*; quòd *Salomon* Divino inſtinctu impulſus, & poteſtate extraordinariâ ſibi à Deo datâ, ejecerit *Abiathar* Sacerdotem impium. Dicit enim ſacer textus *loc. cit.* quod *Salomon* id fecerit; *ut impleretur ſermo Domini*, *quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo.* Qualis ſermo haud dubiè fuit, quo Deus dixit. 1. *Reg.* 2. ℣. 35. *Et ſuſcitabo mibi*

Digitized by Google

mihi Sacerdotem fidelem,qui juxta cor meum & animam meam faciet. Scilicet *Sadoch.* Hæc eſt veriſimilior ſententia, quanquàm teſte *Suarezio in defenſ. lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 1. Divus *Bonaventura*, *Abulenſis* & alii, hoc argumento moti, conceſſerint, in veteri Teſtamento, Reges fuiſſe Pontificibus eminentiores. Quod & tradidit *D. Thomas* aut quiſcunque alius author *Tractatûs de Regimine Principum. lib.* 1. *cap.* 14. Ex ratione, quòd, cùm Sacrificia iſtîus temporis, non fuerint niſi *carnalia* & *præfigurativa* ſacrificii noſtri ſpiritualis & incruenti; conſequenter Pontificatus minus fuerit ſacer, adeóque in atrocioribus criminibus, puta: *perduellionis, læſæ Majeſtatis &c.* Pontifices ſubſtrati fuerint Tribunali Regio. Quæ omnia ex oppoſita ratione, aliter ſe habent in Sacrificiis & Pontificibus legis novæ. Alii ajunt; *Salomonem*, in facto allegato, non exercuiſſe *directam* in ſacris poteſtatem, *poſitivè* deponendo Summum Pontificem; ſed duntaxat *indirectam*, ſeparando *Abiathar* ab uſu, ſeu potiùs *abuſu* muneris, ſoli *Sadoch* (qui ſimultaneè illud antecedenter exercuerat) ſummum Sacerdotium adſcribendo, & quidem ob notam *conſpirationis*, quam fecerat cum *Adonai*, contra *Salomonem.* Confer *Suarez loc. cit. n.* 7.

26. Dixi: hæc omnia aliter ſe habere in lege nova: etſi enim poteſtas Regum, in lege nova, non ſit inferior poteſtate, quam ſpecialiori modo Deus contulit veteris Teſtamenti Regibus; poteſtas tamen *Pontificia*, per Dei filium, ad longè eminentiorem gradum elevata noſcitur in lege nova. Siquidem Moſaïco Pontifici, nequaquam datæ fuerunt *claves Regni Cœlorum*, ſeu poteſtas ligandi atque ſolvendi, neque ejuſmodi ſummo Sacerdoti, abſoluta ac prorſus illimitata tradita fuit cura paſcendi Oves, qualis commiſſa fuit Divo Petro ejuſque Succeſſoribus.

27. Quanquàm etiam in veteri lege, ſubinde viâ extraordinariâ, utraque poteſtas à Deo fuerit cumulata in una perſona; veluti in *Moyſe*, *Pſal.* 98. ℣. 6. in *Gedeone. Judic.* 6. in *Samuele.* 1. *Reg.* 3. ℣. 7. 8. 10. & 16. Viâ tamen ordinariâ, ſemper ſæcularis poteſtas, à ſpirituali, diſcreta fuit, ùt patet ex *lib.* 2. *Paralip. cap.* 26. ℣. 17. Item: ex *lib. Deuteronomii cap.* 17. ℣. 12. & 17. Unde *Hugo Grotius*, inter Acatholicos, famoſiſſimus poteſtatis Regiæ *circa ſacra* Patronus, in Tractatu ſpeciali, quo imperium circa ſacra, Summæ poteſtati civili operosè aſſerere conatur. *cap.* 2. §. 5. abnuere non poteſt; quòd mos conjungendi imperium ſæculare cum Sacerdotio, multis in locis, ſeriùs uſurpatus, in populo Dei, *lege Divinâ poſitivâ* fuerit abrogatus. Quò facit; quòd in lege veteri, Regibus nequidem fas fuerit, ad Sacra illius temporis manum extendere; ita, ut illi, qui auſu temerario Sacerdotum miniſteria occupare præſumpſerunt, cœlitus puniti fuerint, ùt patet in *Saüle.* 1. *Reg.* 13. ℣. 13. *& ſeq.* ac in Rege *Ozia*, quò incenſum adolere volente ſuper altare Thymiamatis, *ſtatim ingreſſus poſt eum* Azarias *Sacerdos*, *& cum eo Sacerdotes Domini*, *octoginta viri fortiſſimi*, *qui reſtiterunt Regi atque dixerunt: non eſt tui officii*, *Ozia! ut adoleas incenſum Domino*, *ſed Sacerdotum*, *hoc eſt*, *filiorum* Aaron, *qui conſecrati ſunt ad hujuſmodi miniſterium: egredere de ſanctuario; ne contempſeris*, *quia hoc non reputabitur tibi in gloriam à Domino Deo. Iratúſque* Ozias *tenens in manu thuribulum,ut adoleret incenſum*, *minabatur Sacerdotibus*, *ſtatimque orta eſt lepra in fronte ejus &c. Paralip. cap.* 26. ℣. 17. quod factum expendens *S. Chryſoſtomus, Homil.* 4. *De verbis Iſaiæ*, ſic Regem affatur: *Mane intra terminos tuos; alii ſunt termini Regis, alii Sacerdotis.* Si ergo

28. Petas: Num Religio Chriſtiana, jure

jure Divino novi Teſtamenti, efficiat *ſtatum* à Civili penitus diſtinctum; ſive: An Eccleſia noſtra à Chriſto ſit elevata ad quandam *Rempublicam*, *Regnúmve* peculiare, quod poteſtate propriâ à Civili prorſus diſcretâ & independente, gubernandum ſit? Resp. *Affirmativè* cum omnium temporum orthodoxis Doctoribus contra improbos *Lutheri* Sectatores & Novatores, qui Scholarchâ *Puffendorfio*, contendunt, religionem Chriſtianam non niſi *collegium* efficere in ſtatu civili, & quidem tale Collegium, quod naturali fidelium voluntate coalitum, expers ſit poteſtatis propriæ externæque juriſdictionis, quam ajunt competere Imperio Civili. Vide infra *lib.* 2. *cap.* 7. à *n.* 42. *uſque ad* 102.

29. Ad eliminandum ex Orbe Chriſtiano Imperium Eccleſiaſticum, ajunt: Chriſtum nullius imperii fuiſſe conditorem, cùm ſemper declinaverit regios honores, nihil territorii, ſibi vel diſcipulis ſuis, adſcripſerit; populos etiam non Homagiis, neque vi aut imperio, ſed doctrinâ & funiculo charitatis, attraxerit; de cætero autem *Tributa* Cæſari ſolvere præceperit, ac ſemetipſum Tribunali civili ſubjecerit.

Præterea [inquiunt] Chriſtus non miſit Apoſtolos ad fundandum ſtatum, aut ſtabiliendam Imperii alicujus ſedem, ad conciliandam potentiam, ad munimenta exſtruenda; ſed duntaxat miſit eos in omnem terram, ad docendum, & quidem ſine *pera & calceis*, vetando avaritiam atque ambitionem, quin & jubendo; ut ſine vi oppoſita, perferrent perſecutiones. Ergo (*concludunt*) nullum agnoſcitur Chriſtianæ Eccleſiæ Regnum ſuper terram.

30. Resp. Ex his ſimilibúſque Novatorum argutiis nihil aliud concludi, quàm, quòd Chriſtus non fuerit fundator Imperii vel ſtatûs civilis & politici ad felicitatem corporalem & temporaneam collimantis, licet innegabile ſit, quòd fundaverit *Regnum ſpirituale* ſeu ſtatum Eccleſiæ novæ, & quidem in finem ſalutis ſupernaturalis animarum. Sic quoque; licet Chriſtus non ablegaverit Apoſtolos ad ſtabiliendum *Regnum temporale*, miſit tamen eos ad firmandum ſpirituale imperium.

31. Contra urget *Puffendorfius. De habitu Religionis.* à §. 12. *& ſeqq.* Si Eccleſia Chriſtiana probaretur eſſe ſtatus, ſeu ſocietas hominum independens, ſummo imperio inſtructa; id evinceretur ex poteſtate Apoſtolis à Chriſto tradita: ſed hoc *non*: ergo *nihil. Probat minorem.* 1*mò*. Etſi enim [inquit] poteſtas Eccleſiæ Divinitus conceſſa fuiſſet independens à ſummis imperantibus; fuit equidem non niſi mera poteſtas *docendi*, *omnis expers imperii*, utpote, quâ datum quidem fuit, illud *compelle*; ſed *evangelicum*, non compellendo intrare *vi & obtorto collo*; ſed *vi*; qualis *invitationi ad convivium* quadrat *rogando* ſcilicet, *hortando*, *convivii illecebras oſtendendo*; *majeſtatem invitatoris exhibendo*. 2*dò*. Licet etiam Apoſtolus *Paulus* 1. *Corinth.* 11 ℣. 2 & *cap.* 12. ℣. 29. videatur fidelibus præcepta dediſſe; tamen id non fecit *ex quodam imperio*, aut *poteſtate* quadam *legiſlativâ*, ſed *vi muneris docendi* 3*tiò*. Quia poteſtas *clavium* Apoſtolis data, *nihil imperii* olet, cùm hæc conſiſtat in remiſſione vel retentione peccatorum *Dei nomine facta*, & hæc remiſſio vel retentio, reverà fiat, non *per modum juriſdictionis*, ſed *annuntiationis*; ita, ut, remiſſio vel retentio, ſit mera *declaratio*, peccata *credenti* eſſe per *fidem in Chriſtum*, in cœlo, *remiſſa*; *non credenti* fore *retenta*; proinde *claves* nil aliud denotent, *quàm doctrinam Evangelii* de remiſſione peccatorum per fidem in Chriſtum, *poteſtas* verò ipſa *clavium*, nil importet, niſi *prædicationem hujus doctrinæ*, quam proponendo credentibus vel non credentibus; dicuntur

Digitized by Google

cuntur Apoſtoli peccata vel remiſiſſe vel retinuiſſe; ferè, ſicut iidem dicuntur *ſalvare* homines, quibus *credentibus* annuntiant Evangelium, & écontra. Ita Lutherizat *Puffendorfius*, qui *loc. cit.* §. 23. *pag.* 84. è ſuo cerebro addit; quòd peccatorum remiſſio vel retentio, ſit remiſſio vel retentio actionis, quam offenſus Deus, proximus vel communitas, habet contra peccantem. Qua in re, certum eſſe, *ait:* Apoſtolos non habuiſſe poteſtatem remittendi peccata *nomine proximi vel communitatis*, utpote ipſis nullibi communicatam. 4*tò*. Quia reliqua poteſtas Apoſtolis data, nihil jurisdictionis vel Imperii importat. Quinimo illud tantoperè jactitatum: *ſuper hanc Petram.* Non denotat ullam *Petri* prærogativam, *Petrâ* nihil præter Doctrinam Evangelicam indicante. Neque illud: *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Juriſdictionem demonſtrat, ſed modum oſtendit dirimendi controverſias, *per compromiſſum vel tolerantiam*, juxta illud: 1. *Corinth.* 6. ℣. 6. & *Matth.* 5. ℣. 40. Ubi jubemur in temporalibus, judicio non contendere, ſed potiùs alteri etiam tunicam relinquere *&c.* Porrò *Paulus* tradendo *Sathanæ* inceſtuoſum, non patefecit juriſdictionis imperium, *ſed libertatem communem* cuivis propriam, declinandi converſationem alterius ſibi noxii, ſalvâ conditione, quâ idem in civitate gaudet. *Puffendorf. loc. cit.* §. 2. 6. *&* 27. Quis amabo adeò ſit demens, ut non advertat, hæc impudentiſſima aſſerta, fore ſolidæ & limpidiſſimè declaratæ veritati Evangelicæ, diametraliter oppoſita, & ſacrilego S. Scripturæ abuſu, Hæreticè pronuntiata? Profectò in his Pſeudopoliticis conſpicitur ſenſus ille reprobus in quem dati, veluti *Verbi Divini laniones*, profanis illotiſque manibus, irruunt in ſancta Sanctorum ſoli Sacerdotio pervia.

32. Piget fuſiùs recitare ineptiſſimas *Puffendorfii* argutias, quæ ſummatim collimant ad duo, videlicet: 1*mò*. Regnum Chriſti ſpirituale in terris ſtabilitum, non fore *externum* & *viſibile*, ſed Eccleſiam eſſe quemvis cœtum ſolâ fide coalitum, omni poteſtate externâ *ſaltem coactivâ* deſtitutum, conſtantem ſolis Doctoribus & Auditoribus, ſolâ differentiâ chariſmatum, diſtinctis, abſque ſubordinatione unius cœtus ad alium, niſi ad Chriſtum tanquam caput & authorem fidei. 2*dò*. Non extare Eccleſiam univerſalem, neque caput viſibile; nec opus eſſe judice univerſali ac infallibili, *ſolâ Scripturâ ſufficiente ad dirimendas fidei quæſtiones.*

Hæc obſoleta & millies refutata *Wiclefiſtarum*, *Huſſitarum* & *Lutheranorum* nugamenta, novo ſed inaniſſimo fuco linivit & in unum libellum, mordaci ſtylo, congeſſit *Puffendorfius*, qui ideo in Proteſtantium Scholis, tanquam præcipuus moralis Doctrinæ *reformator* colitur & prælegitur.

33 Hujuſmodi perverſis ac ſacrilegis argutiis, opponimus.

Chriſtianum Eccleſiæ Catholicæ dogma; quòd ſcilicet in Eccleſia Chriſti exiſtat vera, ſpiritualis juriſdictionis *externæ* & quadantenus *politicæ* poteſtas.

Probatur hoc Dogma ex claris S. Scripturæ textibus: *Matth.* 18. ℣. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Item: *Actor.* 20. ℣. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Et rurſus: *Matth.* 18. ℣. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus &c* Denique: 1. *ad Timoth.* 6. ℣. 13. & *cap.* 4. ℣. 11. *Præcipio tibi coram Deo. Præcipe hæc, doce* Ex quibus textibus ſic arguitur: Ligare ſolvere, regere, ùt Ethnicos rejicere, præcipere *&c.* non

ſunt actus merè interni, quò ad forum conſcientiæ, ſed externi, quò ad forum Eccleſiaſticum, in ordine ad gubernandam convenienter pro animarum ſalute, Rempublicam Chriſtianam: Adeòque datur in Eccleſia Chriſti juriſdictio externa & quadantenus politica; id quod SS. Patres & orthodoxi interpretes, unanimi calculo ſemper docuerunt, ex illo *Divi Pauli*, 2. *Corinth.* 13. ℣. 10 *Hæc abſens ſcribo, ut non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem &c.*

Huc facit; quòd Chriſto fuerit promiſſum à Patre Regnum, non modo perpetuò duraturum in cœlis; ſed in tempore inchoandum in terris, ùt patet, tum ex *cap.* 2. & 7. *Danielis*, ubi prædicitur Regnum Chriſti poſt alia Imperia inchoandum & perpetuò duraturum. Tum ex *cap.* 37. *Ezechielis* ubi ſic habetur: *Faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Iſrael, & Rex unus erit omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes.* Quæ verba de Chriſto & ejus regno in terris inchoando, manifeſtè intelligenda ſunt, ùt liquet ex contextu. Jam verò, quale iſtud foret regnum in quo nulla daretur ſpiritualis gubernandi poteſtas? Licet ergo Regnum Chriſti non fuerit *de hoc mundo*, hoc eſt merè temporale; fuit tamen *in hoc mundo*, quò ad imperium in animas, ùt exponit *Divus P. Auguſtinus. Tract. in Joan.* inquiens: *Non ait: Regnum meum non eſt* in hoc mundo, *ſed; non eſt* de hoc mundo*: nec dicit: non eſt* hîc; *ſed non eſt* hinc. *Hîc eſt enim uſque ad finem ſæculi.*

34. Cæterùm; hanc poteſtatem ſpiritualem juriſdictionis externæ, fore à temporali ſeu civili imperio prorſus diſtinctam; colligitur 1*mò. ex fine.* Siquidem poteſtas ſpiritualis ſeu Eccleſiaſtica, ordinatur ad æternam ſalutem in cœlis conſequendam, ùt liquet ex verbis *Pauli, ad Hebr.* 13. ℣. 17. Ubi jubet nos obedire Præpoſitis noſtris pervigilantibus, utpote pro animabus noſtris, Deo rationem reddituris. Poteſtas autem temporalis tendit ad ſervandam pacem & moralem honeſtatem in Republica; proinde non requirit pro mediis ſibi proportionatis, bona ſpiritualia ad ſtatum ſupernaturalem. 2*dò Ex originis ratione*: Poteſtas enim temporalis, orta eſt à Deo, *ùt Authore naturæ*; Eccleſiaſtica verò poteſtas, natales ſuos debet Chriſto Dei filio, *ùt Authori gratiæ.* Ut colligitur ex textibus: *Paſce oves meas. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.* Proinde hæc poteſtas, eſt ſupernaturalis & cœleſtis, altera verò terreſtris & naturalis.

35 Dices. Aut penes Chriſtum privativè eſt Monarchica Eccleſiæ poteſtas, ejus vicem ſupplente Spiritu Sancto, quem à Patre mittendum promiſerat; aut nulla datur; præſertim, cùm non expediat dari *Monarchiam univerſalem*, uno homine non ſufficiente ad gubernanda omnia mundi Regna, ùt meritò ſenſerit *D. P. Auguſtinus.* in *cap.* 16. *Joannis* ℣. 16. *feliciores fore res humanas, ſi omnia Regna eſſent parva.* Resp. Penes ſolum Chriſtum tanquam Rectorem Eccleſiæ *inviſibilem, primarium* & *principalem*, ſtare Monarchicam Eccleſiæ poteſtatem; verùm, cùm Eccleſia conſtet ex membris viſibilibus, non eſt excludendus Rector *viſibilis*, habens poteſtatem *vicariam, ſecundariam, participatam* & *ſubordinatam.* Vide infra *lib.* 2. *cap.* 7. *à n.* 42. Licet etiam Chriſtus promiſerit Spiritum Sanctum, qui internam virtutem, illuſtrationem & ſuggeſtionem veritatis fidelibus conferat; equidem ad gubernandam Eccleſiam viſibilem, præterea requiritur poteſtas, quæ per moderatorem viſibilem exerceatur. Porrò, quanquam ad conſervandum ſtatum mundi politicum,

non

non ſit neceſsè, nec utile, neque conveniens, ut in diverſiſſimis mundi partibus, eædem obſerventur leges & conſuetudines, neceſſe tamen eſt ad conſervationem Eccleſiæ, ut omnes in eadem fide, iiſdem præceptis, ritibus, Sacramentis *&c.* concorditer vivant, & Deum colant; quod ut tantò certiùs & expeditiùs fiat, & Schiſmatis tollatur occaſio; ideo Chriſtus voluit corpus univerſum Eccleſiæ ſuæ, gubernari per unum Generalem Vicarium, qui poteſtatem Regiminis ſui exerceat per alios miniſtros ſubordinatos, ubi id expedire judicaverit. Et certè, ſi Chriſtus Dei filius in hunc finem miſerit in orbem univerſum Apoſtolos ſuos, & mediantibus ipſis dilataverit & gubernaverit Eccleſiam ſuam; cur *Petrus* ejúſq; Succeſſores idem facere nequeant? Igitur, quia juxta inſtitutionem Chriſti, atteſtante Gentium *Apoſtolo*, Eccleſia debet eſſe unum corpus, unus ſpiritus, atque in ea debet eſſe una ſpes vocationis, unus Dominus, una fides, unum Baptiſma; Ideo Authore Chriſto, Regimen Eccleſiæ debet eſſe Monarchicum. Quò facit illud ejuſdem *Apoſtoli.* 1. *ad Corinth.* 1. ℣. 10. *Obſecro vos Fratres per nomen Domini Jeſu Chriſti, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis Schiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia* Qua ratione autem hujus corporis myſtici unitas, in *Ariſtocratico* vel plane *Democratico* ſtatu conſervari poſſet, ſi juxta reprobum Novatorum ſenſum, poteſtas circa Sacra, foret penes Reges, Principes, imò penes quemvis baptizatum, ùt blaſphemat *Lutherus*. Profectò ſæcularis Regum & Principum poteſtas, ſicut multiplex eſt, & juxta Regnorum & Regionum diverſitatem, varia eſt; ita regnante & prædominante ſpiritu privato, multiplex Eccleſia, fides ac religio enaſci deberet, id quod triſti experientiâ probatum conſpicitur in vicinis provinciis, ubi viget Religionis Proteſtantica libertas.

36 Adhæc: Cùm ex inſtitutione Chriſti, Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis, adeò, ut portæ inferi contra eam non ſint prævalituræ; neceſſum eſt, in illa ſit judex æquè unus ac univerſalis & infallibilis, eò quòd non ſolùm in materia fidei, ſint *quædam difficilia intellectu, quæ indocti ac inſtabiles depravant*; ſed etiam in materia morum, ſæpe occurrat via, quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad interitum. Quid enim, ſi Reges, ſi Principes; imò, ſi quivis privatus, in definiendis fidei & doctrinæ Chriſtianæ controverſiis, judicium ferre poſſet? Ad obviandum hujuſmodi Babylonicæ confuſioni, teſte *Apoſtolo* Gentium. 1. *ad Corinth.* 12. ℣. 28. Deus (ad ſtabiliendum Hierarchicum Ordinem) in Eccleſia ſua poſuit primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tum Paſtores & Doctores, ubi, ùt arguit *Card. Bellarminus*, *lib.* 1. *De Rom. Pontif. cap.* 7. Reges & Principes non modò Apoſtolis non præferuntur; ſed ne nominantur quidem, ut indicaretur; illos non eſſe moderatores Eccleſiæ, ſed Magiſtratus ſæculares. Quamobrèm Concilium *Nicænum* 1. *can.* 39. ſic definivit: *Ipſe* [ſcilicet Pontifex Romanus] *eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos & omnes populos eorum, ut, qui ſit Vicarius Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuper cunctos populos, & univerſam Eccleſiam Chriſtianam.* Parili modo, ſoli ſummo Pontifici, nulli verò ſæculari Principi, Eccleſiæ primatum adjudicat *Conſtantinopolitanum* 1. *can.* 3. *alias* 5. *Epheſinum* 1. *in Epiſt. ad Cæleſtinum Papam.* imò in Concilio *Romano III.* Laïcis, quamvis Religioſis & potentibus, interdicitur in quacunque civitate, quolibet modo aliquid decernere de Ec-

Eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis Sacerdotibus diſponendi, inconcuſsè à Deo cura commiſſa docetur Ut meritò (prout legitur in Actis *ſeptimæ Synodi*) *Gregorius III. Leonem Iſauricum* ſic affatus ſit: *Scis Imperator! Sanctæ Eccleſiæ dogmata, non Imperatorum eſſe, ſed Pontificum, quæ tutò debent prædicari. Idcirco Eccleſiis ſunt præfecti Pontifices, à Reipublicæ negotiis abſtinentes, ut Imperatores ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi commiſſa ſunt, capeſſant.* Confer *Suarez in defenſ. lib. 3. cap. 16. n. 4.* & *Petrum De Marca De concordia Sacerdotii & imperii lib. 2. cap. 6. n. 3.* Ubi plurimis Conciliorum & SS. Patrum authoritatibus, probant, nec jure divino, nec humano, Regibus aut Principibus Laïcis, competere jus Sacrorum. Id quod Chriſtiani Imperatores olim ultrò confeſſi ſunt, ùt patet in Juſtiniano *Authent. Quomodo oporteat Epiſcopos. in prin.* ubi hoc Chriſtiano Principe dignum fudit oraculum: *Maxima quidem in omnibus ſunt dona Dei, à ſuperna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: illud quidem Divinis miniſtrans, hoc autem humanis præſidens: eo uno eodémque principio utraque procedentia, humanam exornant vitam.* Unde *Conſtantinus M.* Teſte *Ruffino lib. 1. Hiſtoriæ additæ ad Euſeb. cap. 2.*) Judicium inter Epiſcopos ferre recuſans, dixit: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & nobis à Deo dati judices eſtis, & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolùm, de quo ſcriptum eſt; Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Pſal. 81. ℣. 1.* & *Theodoſius in Epiſt. ad Synod. Epheſinam*, quam refert *Adrianus Papa* ſcribens ad *michaelem Imperatorem*) *illicitum eſt* (inquit) *Eum, qui non ſit ex Ordine Sanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Confer rurſus *Suarez loc. cit.* ubi in ejuſdem veritatis confirmationem, plurium Chriſtianorum Principum congerit elogia. Ex dictis

37 Colligitur 1mò. Contra *Puffendorfium* & Proteſtanticæ ſcholæ Declamatores, falſum eſſe, quòd per Monarchicum Eccleſiæ regimen, oriantur in eadem civitate, duo ſumma imperia *in eodem genere* ſibi oppoſita, quódque naſcantur obligationes civium ſibi invicem repugnantes, cùm, ùt dictum, tendant ad diverſa objecta & fines.

38 Colligitur 2dò. Frivolè aſſeri; quòd ſeparando Eccleſiaſticam poteſtatem à civili imperio, convellatur compages vitæ civilis, & turbetur tranquillitas publica. Conſtat enim jam à *Caroli Magni* temporibus, Catholicorum Principum imperia ſubſtitiſſe & nunquam feliciùs floruiſſe, quàm dum Reges, à Sacris, manus cohibuêre, nec Eccleſiarum Prælati, faſces ſæculares ambivêre. Unde mendaciſſimè calumniatur *Puffendorfius* aſſerens: Religionem Catholicam, per ſe & ex natura ſua, diſponere ad turbas & exitiales morbos in civitate excitandos: cùm écontra pateat; quòd Proteſtantica Religio, tam quò ad ſuum authorem, quàm quò ad peſtifera principia ſua, conſiderata; ſub prætextu Evangelii, ab initio & in hæc uſque Tempora, graviſſimas & ſanguinolentas turbas, contra legitimos Principes, Magiſtratus & ſuperiores concitaverit. Cui argumentô eſt: 1mò. *Tumultus ruſticanus, anno* 1524. ſuſcitatus, ex quo innumeræ cædes, rapinæ & clades in Imperio Romano-Germanico pullulârunt. 2dò. Tumultus ille in *Auſtria* à ruſticis proteſtantibus cauſatus. 3tiò. *Fœdus Schmalcaldicum*, quod primum & perniciofiſſimum fecit ſtatum in ſtatu Imperii Romano-Germanici, ac ſubinde in ſeditioſiſſimos contra Cæſarem auſus, cruentáque certamina, cum ingenti Germaniæ deforma-

formatione erupit. 4tò. *Fœdus Bohemicum*, quod ſecundum fecit ſtatum in ſtatu, & rurſus cruenta bella & Regionum devaſtationem produxit. 5tò. *Liga Heilbrunnenſis*, *Luthero-Calviniana*, item *Lauenburgenſis*, *Dano-Saxonica*, & *Lipſienſis Proteſtantico-Suecica*. Ex quibus conjurationibus, tricennale bellum poſtea exarſit & tota Germania pene ſúſque déque verſa fuit. Qui triſtia fata civitatis noſtræ *Aquenſis* intelligere cupit, legat *Noppium* in *Chronica Aquenſi*, *lib*. 2. *pag*. 247. & 249. *in Notis ad annum* 1614. & 1616. & *R. D. Petrum à Beeck. in hiſtorica narratione. cap*. 13. ac noviſſimè *Joan. Jacob. Moſer: in Seinen Staats-Recht des H. R. Reichts-Statt Aachen. cap*. 1. *à* §. 9. *uſque ad* §. 50.

Ex his inquam tragicis hiſtoriis, quivis, cui mens ſana eſt, perſpicuè capiet, quod ſciſſa in partes Religio, quòd Luthero-Calviniana Sacrorum profanatio, quòd denique Novatorum inter ſe minimè conſonans Eccleſiæ reformatio, fatalium diſſenſionum, rebellionum ac bellorum Cæſares inter & Reges Germaniæque Proceres, principalis & adæquata cauſa fuerit.

39 Porrò, ſi de reliquo ponderetur *Puffendorfii* libellus, *De habitu Religionis Chriſtianæ ad vitam civilem*; patebit, illum non mereri dici *aureum* ſed minus, quàm *plumbeum*, utpote variarum antilogiarum, inſcitiarum, atque impudentiſſimarum calumniarum in Chriſti Eccleſiam jactitatarum, *infame Compendium*.

40 Huc uſque de Officiis hominis *erga Deum*; jam de Officiis, quæ homo *ſibi* impendere debet. Per hæc ſanè indigitantur actiones hominis, quibus ordinatè fertur in amorem ſuî, juxta dictamen rectæ rationis. Licet autem amor ſuî, in ordine ad ſe curandum & conſervandum, homini ſit à natura inditus ſimpliciter & in genere; quò ad modum tamen, ſeu quò ad exceſſum vel defectum, regulamento rationis ſubjacet, & maximè quidem, quò ad ſubordinationem reſpectu finis, ad quem homo eſt conditus. Unde liquet; qua ratione amor brutorum ipſis innatus & ad unum determinatus, non ſubjaceat juri naturali; amor verò hominis cadat ſub jus natúrale; cùm homo ordinatè vel inordinatè, per exceſſum vel defectum, ſe amare poſſit.

41 Nec attendi meretur, quòd juſtitia in omni rigore accepta, requirat *alteritatem* ſubjectorum, & quòd homo reſpectu ſuî ipſius, actum juſtitiæ, in ſenſu *Juſtinianæo* exercere nequeat; *Ethicè* enim hîc loquimur, & ad juſtitiam intellectu morali ſumptam, ſufficit, quòd officia hominis *erga ſe*, participare poſſint honeſtatem naturalem, & fundentur in ſubjectione creaturæ erga creatorem, qui utique eſt *alter*; præſertim, cùm homo non tam ſuî dominium, quàm uſumfructum habeat, bonorúmque animi & corporis, potiùs ſit *depoſitarius* quàm *Dominus*; dominio abſoluto, penes Deum reſidente. Adde 1mò. quòd in eodem homine, anima tanquam Domina, præſideat corpori tanquam famulæ, juxta illud: *Et tu dominaberis illius.* 2dò. Quòd homo non tam ſibi, quàm Reipublicæ, & præprimis Deo, ejúſque ſervitio, natus ſit; ac proinde ſive reſpectu ſuî, ſive reſpectu Dei aut Reipublicæ, cujus eſt membrum, injurius dici poſſit. Si

PETAS: Quódnam ſit verum & fundamentale principium officiorum hominis *erga ſe*?

42 RESP. Illud eſſe rationabilem amorem ſuî ipſius. *Rationabilem* inquam: Ratio enim dictat, quòd per ſe loquendo, quivis ſe magìs quàm alterum privatum diligere, totius etiam communitatis bonum, propriis commodis anteferre; obſequia autem Deo debita, cunctis rebus creatis

creatis præponere debeat. Dictat quoque naturalis ratio, quòd homo in officiis *reſpectu ſui*, culturam animæ anteponere debeat culturæ corporis; eò quòd anima ſit pars præſtantior. Itidem: quòd ordine amoris ſervato, ex pluribus bonis, quæ ſimul aſſequi non poſſumus, præſtantius magiſque neceſſarium, eligendum ſit, ac proinde, animo potiùs excolendo, quàm corpori conſervando incumbendum ſit. Ex quibus

Ulteriùs FLUIT: quòd ſalvâ ſubordinatione ad Creatorem, officia hominis ERGA SE, *primò* verſari debeant circa bona animi, puta culturam voluntatis & intellectûs. Quia homo non tam cognoſcendi, quàm bene moraliter agendi causâ, conditus eſt. *Secundò*. Circa corporis bona ſeu culturam corporis exteriorem. *Tertiò*. Circa totius ſubjecti conſervationem, per defenſionem vitæ, famæ & fortunæ, contra vim injuſtam.

44 Falſa igitur eſt *Puffendorfii* Theſis, quam ponit in *tract. De Officio hominis. cap* 3. §. 13. & *cap.* 5. §. 1. aſſerendo, quòd, ſi homo ſervus Dei & membrum ſocietatis humanæ non eſſet; nulla ipſius erga ſemet officia intelligi poſſent. Nam cultura animi & honeſtas interna, item corporis conſervatio, præſcindendo ab officiis Deo & ſocietati humanæ debitis, per ſe eſt appetibilis, adeóque homo ſecundùm ſe ſpectatus & ſeſe reflexè conſiderans, adhuc ſanæ rationi conveniens judicaret, non eſſe negligenda bona tum corporis tum animi.

45 Non minus abſona eſt *Thomaſii* ſententia, qua in ſua *Jurispr. Divina. lib.* 2. *cap.* 2. *à n.* 7. tradit, officia hominis, ex ſolo ſocialitatis principio, derivanda eſſe. Siquidem per ſe loquendo arctiùs quiſque ſibi obligatur, quàm aliis; & quivis etiam extra ſocietatem humanam conſtitutus, tenetur vitam ſuam conſervare, quin & abſtinere ab inquinamentis animi, etſi non turbent vitam cum aliis tranquillam.

46. Miſſis hiſce erroneis Pſeudomoraliſtarum hypotheſibus, jure naturæ, tenetur homo præprimis animum excolere, acquirendo neceſſariam de Deo, ſemetipſo, & proximo, notitiam, ut non ignoret Deum eſſe creatorem univerſi, præmiatorem bonorum & vindicem malorum, omniſcium, juſtum, &c. circa ſeipſum verò noverit, animam non eſſe mortalem cum corpore, ſed ad præmium ſuppliciúmve, manere ſuperſtitem *&c.* Tandem quò ad proximum, intelligat; neminem lædendum, ſed jus ſuum cuique tribuendum *&c.*

47. Tenetur deinde homo habere rationabilem corporis ſui curam, adeóque ſanitatem, membrorum integritatem, vitæ ac virium refectionem procurare; puta: per *media* licita, & ad *finem* honeſtum. Non enim omne, quod ſenſibus arridet, quódque palato ſapit, in corporis culturam aſſumendum eſt.

48. Sic Orthodoxi moraliſtæ tradunt, jure naturæ, *leviter* ſaltem prohibitam eſſe refectionem corporis, uſque ad ſatietatem ſeu nauſeam. Item: cibi potûſque ſumptionem, *ſolius voluptatis causâ*. *Ratio* eſt: quòd menſura cibi & potûs, ſit *neceſſitas*; finis verò refectionis, ſit corporis *ſuſtentatio*, non verò *voluptas*, alioquin enim poſſet quis licitè frui, quin & quieſcere in actibus ebrietatis, libidinis &c. Ratio *rationis* eſt, quòd ob ſolam voluptatem intenta refectio, nequeat dici *moderata*, utpote ad finem ſuſtentationis, non neceſſaria ſed ſuperflua. Ex quo tamen malè intuleris, omnes ſenſuum actus, puta: olfactum roſæ, aſpectum objecti pulchri, auditionem muſicæ *&c.* Solius delectationis causâ, fore leviter peccaminoſos. Siquidem in ſimilibus, delectatio vel eſt indiſtincta

Digitized by Google

diſtincta à fine ſeu animi relaxatione per naturam intenta; aut certe non eſt ita ſenſualis & periculoſa, finíque à natura intento oppoſita.

49. Rectè tamen dixeris, jure naturæ, *per ſe* loquendo, graviter prohibitam eſſe omnem ingluviem & ebrietatem, rationis & ſanitatis everſivam. Idem dicito de *Antrophagia*, ſeu humanæ carnis commeſtione. Quia homo non eſt pecudum inſtar, ad alimoniam alterius, à Deo conditus.

50. Ex eadem ratione *Innocentius XI.* meritò damnavit quorundam Authorum opiniones quibus inſinuârunt 1*mò. mollitiem* ſpectato jure naturæ, haud eſſe prohibitam, ſed quandoque bonam, imò obligatoriam. 2*dò*. Neque *fornicationem* eſſe malam ſecundùm ſe, ſed ſolùm, quia à Deo prohibita eſt. 3*tiò*. Idem ſentiendum eſſe, de intemperie *Sodomitica* & *Beſtiali*. Has abſurdiſſimas, impudentiſſimorum Juris naturalis Depravatorum *Theſes* ſupra *cap.* 10. *à n.* 84. Satis refutavimus, & quivis, cui mens ſana eſt, facilè intelligit, quòd omnis actus libidinoſus ad ſolam voluptatem tendens, adverſetur naturæ ordini & fini.

51. Unde prorſus abominabilis eſt *Thomaſii* error. *inſtit. juriſprud. Divin. lib.* 3. *cap.* 2. *à n.* 143. quaſi meris rationibus naturalibus demonſtrari non poſſet, memorata flagitia, juræ naturæ, fore prohibita. Dato enim, quòd in ſcortatione haberi poſſet finis *ſecundarius*, libidinis nempe extinctio; equidem, quia non ſedaretur libido, modo debito, ſcilicet conjugali, ſed inordinato; nempe extra matrimoniali proli ac propagationi humanæ, imò ſocietati civili, præjudicioſo; ideo ſcortatio nequit intelligi, jure naturæ permiſſa. Et quanquam etiam membrorum uſus ad alium finem, quàm natura inſtituerit; non ſit ſemper inhoneſtus, veluti gutturis uſus ad vomitum: nihilominus; mulo & equo inſipidior eſt, qui membrorum abuſum ad ejuſmodi ſpurcitias, non judicaret eſſe vetitum.

52. Idem *Thomaſius*, Epicuri Sectatorem ſe prodit, dum argumentis ex *Velthuſio* depromptis, probroſa ſua dogmata, de omni ſpecie Veneris, Juventuti proponit. *loc. cit. cap.* 3. *à n.* 71. neque ſatìs ipſi fuit, omnem libidinem, veluti jure naturæ permiſſam deprædicâſſe; ſed & inſuper immortalitatem animæ rationalis, velut lumine rationis *merè ſolùm probabilem*, è juriſprudentiæ naturalis ambitu expunxit.

53. Parili tenore, *Puffendorfius loc. cit.* §. 3. inter opiniones, quibus, velut naturali juri adverſantibus & vitæ ſociali pernicioſis, animus ſit expurgandus; collocat Dogmatica Chriſtiana; de *Indulgentiis. De exomologeſi*, ac *abſolutione Sacramentali, De inſtitutis monaſticis. De purgatorio*, & aliis orthodoxæ fidei articulis, quæ dogmata, licet ex jure naturali, directè non profluant & ad juris naturalis pertractationem minimè ſpectent; immeritò tamen à Novatoribus, tanquam juri naturali repugnantia, exploduntur, quatenus incautæ juventuti, peſtiferæ doctrinæ ſuæ reconditum aconiton inſenſibiliter inſtillent.

De officiis, quæ homo ex amoris innati principio, ſibi præſtare debet, quò ad vitæ, bonorum & famæ defenſionem, affatim actum ſupra *cap. IX*.

54. Similiter de officiis, quæ homo, ſive ex charitate aut æquitate; ſive ex juſtitia; proximo impendere debet; prolixè tractatum, ſupra *à cap.* 12. uſque *ad cap.* 13. *incluſivè*.

55. De triplici hominis officio, potiſſimùm contra ſupra citatos Pſeudo-Moraliſtas, locuti ſumus; celebris autem ſupereſt quæſtio, inter Aſcetas & Theologos Orthodoxos, in ſcholis controverſa; num ſcili-

ſcilicet homo actiones ſuas deliberatas teneatur referre in Deum tanquam finem ultimum? Ut ſtatus quæſtionis, & veritas Auguſtianæ noſtræ reſolutionis, limatè percipiatur.

56. Prænotâſſe juvabit: trifariàm capi poſſe intentionem, qua actiones noſtræ in Deum, ùt finem ultimum, referibiles ſunt. Intentio quippe iſta aut eſſe poteſt *actualis*, *virtualis*, vel *habitualis*.

Intentio *actualis*, eſt actus voluntatis, quo de præſenti movemur in finem.

Intentio *virtualis*, eſt actus, quo movemur in finem, vi intentionis actualis antea formatæ, & in ſuæ virtutis vigore ſubſiſtentis; vi cujus ita ſimus comparati; ut interroganti: cur hanc illámve actionem ponamus; ex templo, veridicè reſponderemus; nos operari propter Deum tanquam finem ultimum.

Intentio *habitualis*, eſt: qua quis nec actualiter, nec virtualiter, movetur in finem; ita tamen diſpoſitus eſt; ut, ſi occurreret de tali fine cogitatio; actum ſuum in eundem referret. Verùm cùm hæc intentio nec actu, nec virtute exiſtens, in opus non influat; hinc in moralibus, attendi non ſolet.

Prænotandum quoque eſt: quòd hic non quæratur; utrum homo teneatur cunctos actus ſuos deliberatos referre in Deum ex amore Dei *intenſivè ſummo* ſuper omnia; hoc enim ſaperet rigoroſiſmum vix humanitus practicabilem. Sed indagamus duntaxat; num homo teneatur actiones ſuas deliberatas, ex benevolo quodam pietatis, gratitudinis, aut ſubjectionis affectu, ſeu: ex aliquo amore imperfecto, ſaltem *appretiative ſummo*; referre in Deum; ita, ùt etiam ipſi peccatores, id eſt; in peccato mortali exiſtentes, & gratiâ habituali, ſeu ſanctificante, deſtituti; huic obligationi ſatsfacere queant? Atque, ut hîc mox intelligas: quo ſenſu Divi *Thomas* & *Bonaventura* cum aliis Patribus, interdum dicant: actiones noſtras, non eſſe de præcepto, ex charitate, referendas in Deum: *Noveris*; Illos per charitatem, intelligere, non quemcunque pium, in Deum, affectum; neque quemcunque amorem Dei benevolum; ſed vel amorem Dei ſuper omnia *intenſivè* ſummum; vel charitatem *habitualem*; vel charitatis actum, ab iſto habitu, proficiſcentem; ſive: quod idem eſt: gratiam *ſanctificantem*, vel actum, *in* & *ex* gratia tali, elicitum. Proinde, cùm negant, actiones noſtras neceſſariò referri debere in Deum, ex charitate; idem volunt, quod nos; ſcilicet: actiones noſtras, non debere de præcepto, & ex ſtricta obligatione, referri in Deum, ex charitate aut gratia *habituali*, vel ex amore Dei *intenſivè ſummo*.

Cæterùm; dum, ùt mox reſolvemus; contendimus: cuncta opera noſtra deliberata, debere referri in Deum, non aſſerimus: actiones omnes indiſcriminatim, in Deum non relatas, ideo ſemper *in ſe*, *ex objecto*, ex fine *propinquo* & *immediate*, ſeu *in ſubſtantia*, malas eſſe. Opus enim *ex officio* & *objecto* bonum, manet bonum, honeſtum & laudabile; eſto defectus relationis in Deum, concomitetur, & ſic ei adhæreat peccatum non *commiſſionis*, ſed *omiſſionis*. Sic: ùt exemplo obvio, utar; largiens eleemoſynam, non præcisè ex amore Dei, de quo actu non cogitat; ſed ex compaſſione erga pauperem; non peccat eleemoſynam dando; ſed omittendo relationem in Deum. Adeòque non malè loquuntur; qui dicunt; quòd actio hujuſmodi, *ex officio* & *objecto* bona, ſed ad Deum non relata, ſit actio *informis*, *Philoſophico-Ethicè* bona; planè, ſicut Theologi dicunt: fidem informem, eſſe in ſubſtantia, bonam, licet *informitas* ſit mala. Sic (ajunt Theologi) bonus eſt timor ſervilis, tametſi *ſervilitas* ſit mala.

Ut

Digitized by Google

Ut limatiùs penetres mentem Magni Patriarchæ Auguſtini; ſedulò obſerva palmare diſcrimen, inter *uti* & *frui*. *Frui* (inquit *lib.* 1. *De doctrin. Chriſt. cap.* 4.) *eſt, amore inhærere alicui rei propter ſeipſam. Uti autem, quod in uſum venerit, ad id quod amas obtinendum, referre.* Et clarius *lib.* 11. *De Civit. Dei. cap.* 25. *Eâ re* [inquit] *frui dicimur, quæ nos non ad aliud referendo, per ſe ipſam delectat: Uti verò eâ re, quam propter aliud quærimus.* Ut juxta Ethicos, *frui*, ſit alicui rei inhærere, eam non referendo aliorſum, *uti* verò ſit, aliquam rem proſequi, haud inhærendo ipſi, ſed eam aliorſum referendo. Jam diſce ex Ethicæ Chriſtianæ Primicerio loc. *cit. cap.* 3. quòd ſint *res aliæ, quibus fruendum eſt; aliæ; quibus utendum ... illæ, quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt, iſtis, quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem, adjuvamur, & quaſi adminiculamur, ut ad eas, quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque his immorari poſſimus. Unde, omnis humana perverſio eſt; fruendis uti velle, atque utendis frui.* His præmiſſis.

57. Orthodoxè concludimus: Teneri hominem, cuncta opera ſua deliberata referre in Deum. Id quod Doctor Gentium docuit, *Epiſt.* 1. *ad Corinth. cap.* 1. indefinitè dicens: *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quæ verba adeò plana, perſpicua & univerſalia ſunt, ut abſque exceptione, comprehendant actiones generatim omnes, etiam in edendo & bibendo conſiſtentes, adeóque quàm maximè uſuales.

Falleris certè, ſi dixeris Apoſtolum, *loc. cit.* conſilium dare, non verò naturale & divinum præceptum evangelizare Chriſti fidelibus. Utitur enim, ùt ex textu liquet, verbo IMPERATIVO: *facite.* Quod, ubi materia patitur, & circumſtantiæ non obſtant; in ſenſu naturali, proprio & obvio, imperium & præcepti vim, importat. Quò facit; quòd idem Gentium Doctor, bene diſtinguens conſilium à Præcepto, *loc. cit. cap.* 7. de cœlibatu agens, & conſilium non præceptum intimans; poſtquam dixit: *noli quærere uxorem*; illicò ſubjunxerit; ſe duntaxat ſuadere, non præcipere cœlibatum, ajens: *Præceptum Domini non habeo, conſilium do: non peccat, ſi nubat &c.* At verò, dum dixit: *ſive manducatis ſive bibitis &c.* nil prorſus adjecit, quo verbum imperativum *facite*, mitiget, trahátque ad ſignificandum merum conſilium. Quinimò Apoſtolus, cùm ibidem prohibuiſſet eſum *idolotytbi* coràm infirmo, ſeu fragili ſcandalum inde paſſuro; generatim quaſi enumeratis multis particularibus; ad quotidianos actus deſcendens, concludit: *ſive ergo manducatis, ſive bibitis &c. omnia in gloriam Dei facitè.* Huic doctrinæ ſuæ cohæret dictum ejuſdem Gentium Doctoris, *ibid. cap.* 16. *Omnia veſtra in charitate fiant.* Ubi, ut exponit Doctor Angelicus *lect.* 3. in eum locum; Apoſtolus nullum excipit actum, nullam ad certa tempora, quibus hoc faciendum ſit, ponit limitationem. *Omnia* (inquit Doctor Angelicus) *referri debent ad finem charitatis, ut ſcilicet fiant propter Deum.* Nec rurſum *Dicas:* inibi de conſilio, non præcepto, agi; ſiquidem Magnus P. *Auguſtinus, lib. de corept. & grat. cap.* 3. præcepti vim agnoſcens, ait: *Præcipit Apoſtolus dicens: omnia veſtra in charitatè fiant.* Id quod S. Doctor rectè colligit ex imperativis Apoſtoli verbis: *Vigilate, ſtate in fide: viriliter agite: omnia veſtra in charitate fiant.* Sicut enim vigilare, ſtare in fide, & viriliter agere; eſt præcepti; ita, & omnia *in charitate facere.*

Multò abſurdior eſt illorum expoſitio, qui citata Apoſtoli verba intelligi volunt, *negativè*; perinde, ac ſi dixiſſet: *nihil*

Digitized by Google

contra Deum facite. Præterquàm enim, quòd illam interpretationem rejecerit *Divus Thomas* in 2. *diſt.* 40. *art. ult. ad* 7. Si locus iſte adeò perſpicuus, in ſenſum adeò alienum, detorqueri poſſet, quidnî & textum *Matth.* 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*, *negativè* capiendus erit, ut alius non ſit ſenſus; quàm, non eſſe perſequendos inimicos noſtros, duntaxat: ne eis noceamus; haud præcipi verò, ut poſitivum aliquem affectum erga eos geramus, aut beneficio aliquo, ipſos afficiamus, quæ expoſitio falſa eſt.

Cæterùm, concluſio noſtra eruitur ex primo & maximo illo mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Siquidem diligere Deum, ex toto corde, nihil aliud eſt, quàm totum cordis amorem, in Deum velut finem ultimum referre. Si autem hac ratione in Deum totus cordis noſtri amor referendus eſt, quidnî in ipſum referendæ quoque ſint cunctæ actiones noſtræ? Si enim non refertur vel unica, jam certè non refertur totus amor cordis noſtri. Præclariſſimè igitur Magnus Pater *Auguſtinus*, *lib.* 1. *de Doctrina Chriſtian.* de hoc primo mandato dogmatizat, his verbis: *Hæc regula dilectionis Divinitùs conſtituta eſt: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ut omnes cogitationes, & omnem vitam, & omnem intellectum, in illum conferas, à quo habes ipſa quæ confers; cùm autem ait: ex toto corde &c. nullam vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re velit frui; ſed quidquid aliud diligendum venerit; illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.*

Huc etiam facit illud monitorium 1. *Joan. cap.* 2. *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt.* Quo indigitatur & inhibetur; ne quampiam rem creatam, propter ſe ipſam, diligamus, id eſt; in ea finem ultimum conſtituamus; quod fieret, ſi actionem ullam non referremus ad Creatorem. Unde identidem inculcat Divus P. *Auguſtinus lib* 1. *de Doct. Chriſt. cap.* 3. & 4. *Solo Deo fruendum eſſe.* Atque hanc Doctrinam repetit *lib.* 1. *De morib. Eccleſiæ. cap.* 14 inquiens: *Non arbitror, cùm de moribus & vita ſit quæſtio; amplius eſſe requirendum, quod ſit hominis ſummum bonum, quò referenda ſunt omnia: id enim eſſe patuit, & ratione, quantum valuimus, & eâ, quæ noſtræ rationi antecellit, authoritate Divinâ, nihil aliud, quàm ipſum Deum. Nam quid erit aliud, optimum hominis, niſi, cui inhærere, eſt beatiſſimum? Id eſt ſolus Deus, cui hærere certè non valemus, niſi dilectione, amore, charitate.*

Audiamus iterum *Auguſtinum* triumphantem contra *Julianum*. En! *Julianus* extollebat virtutes Philoſophorum & Romanorum: *Auguſtinus* verò eas deprimebat, ac probabat: eas plerumque non fuiſſe veras virtutes. Gentiles quippe in eo peccârunt, quòd fide deſtituti, & idololatræ, non eò retulerint, quò referri debebant, opera ſua. *Noveris* (inquit *ibid.* S. Pater) *non officiis, ſed finibus, à vitiis, diſcernendas eſſe virtutes. Officium autem eſt, quod faciendum eſt, finis verò, propter quod faciendum eſt.. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur; ſi non propter hoc fit, propter quod facere debet, peccare convincitur... Abſit autem, ut virtutes veræ cuipiam ſerviant, niſi illi, vel propter illum, cui dicimus: Deus virtutum converte nos... Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri, vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine, peccatum eſt.* Ubi vides Magnum Patrem, ad hoc, ut quis non peccet; requirere; ut non ſolùm agat id, quod ex officio bonum eſt, ſed inſuper, ut agat propter eum, ob quem agendum eſt, ſcilicet Deum: alioquin enim operi

ùt

ùt ùt ex officio & in ſubſtantia bono & honeſto, accedet culpa & inordinatio quædam defectu relationis in debitum finem. Quamobrèm D. Pater *lib.* 4. *contra Julian. cap.* 3. ſic concludit: *ſine amore Creatoris, nullis quiſquam bene utitur creaturis.... Finem attende, in finem canta, quo fine facias, vide. Si ideo facis, ut tu glorificeris, hoc prohibui: ſi autem ideo, ut Deus glorificetur, hoc juſſi.*

Divo P. *Auguſtino* concinit *S. Ambroſius* in verba *Malachiæ* ſic differens: *Qui eſt Chriſtianus, ſemper debet Patri ſuo ac Domino laudes dicere & in ejus gloriam, omnia procurare, ſicut ait Apoſtolus dicens: ſive manducatis ſive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et S. *Gregorius lib.* 25. *moralium. cap.* 7. *Altare* (inquit) *Dei, eſt cor noſtrum, in quo jubetur ignis ſemper ardere, quia neceſsè eſt, ex illo ad Dominum charitatis flammam indeſinezter aſcendere.* Neque aliud docuit unquam D. *Thomas*, qui 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 6. *ad* 7. ſic ait: *Cæleſtis intentio, omnibus operibus noſtris debet adjungi.* Quæ *cæleſtis intentio*, utique eſt illa, quæ à terrenis abſtracta, in ſummo bono ſe figit. Atque hanc mentem ſuam, clariùs aperuit Doctor *Angelicus* in *quæſtionibus diſputatis. Quæſt. unicâ De Charitate. art.* 11. *ad* 2. ubi ita differit: *Omnia actu referre in Deum, non eſt poſſibile in hac vita, ſicut non eſt poſſibile, quòd ſemper cogitetur de Deo: hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ; ſed, quòd omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur.* Et *ad* 3. *ibidem: Aliud eſt, habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refert in Deum etiam, qui nihil agit, nec aliquid virtualiter intendit, ùt dormiens: ſed virtualiter aliquid referre in Deum, eſt agentis propter finem ordinantis in Deum.* Unde *habitualiter referre omnia in Deum, cadit ſub præcèpto charitatis.* Unde *E.mus* Cardinalis *Bona*, noſtram, utpote communem Theologorum ſententiam approbans, libro, cui titulus: *Principia vitæ Chriſtianæ. part.* 1. §. 19. inquit: *Theologi, licet unanimi conſenſu aſſerant, quaſdam actiones humanas nec bonas nec malas eſſe* [puta ex objecto.] *quales ſunt: ambulare, comedere, dormire: docent tamen, eum peccare, qui reipſâ dormit, edit, ambulat; & hæc non refert ad ultimum finem.*

Ratio peremptoria eſt; quia, cùm Deus ſit *Alpha & Omega, principium & finis. Iſaiæ* 48. & *omnia propter ſemetipſum operatus* ſit *Proverb.* 16. Quinimò, in ipſo vivamus, moveamur & ſimus, atque ab ipſo acceperimus *& vitam & inſpirationem & omnia. Act.* 17. ſana ratio dictat: quòd vitam & actiones noſtras, in Deum, ultimatè dirigere debeamus, ut non tam *poëticè*, quàm *Ethicè* cecinerit bene S. *Paulinus*:

In TE *compoſitæ mihi ſit ſpes unica vitæ,*
Tu *mihi principium*, TU *meta & terminus idem.*

58 Poſſes hîc petere; an ſub mortali, vel veniali peccato, teneatur homo actiones ſuas deliberatas referre in Deum? Resp. ex mente *Divi Patris Auguſtini* locis ſupra citatis, hominem peccare *mortaliter*, ſi *poſitivè* & *ultimatim* inhæreat creaturæ, & eâ, tanquam ſummo bono, frui intendat; atque hoc modo, delinquat *committendo*, & actum Deo injurioſum exercendo: *venialiter* verò; ſi ex humana fragilitate, hîc & nunc, immoderatiùs quidem creaturam amet, & debitam relationem *omittendo*, unam alterámve actionem exerceat, abſque hoc, quòd ad cor reverſus, deſinat Deum tam *intenſivè*, quàm *appretiativè* diligere ſuper omnia.

Dices: Tenetur homo ſub lethali peccato, habere Deum pro fine ultimo: ſed, qui etiam unum actum non refert in Deum; non habet Deum pro fine ſuo ultimo;

timo; talis enim fruitur creaturâ, & hæret in ea: frui autem creaturâ & in ea hærere, importat gravem inordinationem. Ergo. Resp. in forma. *Diſting. maj.* Tenetur homo ſub lethali peccato, habere Deum pro fine *ſimpliciter* ultimo; ſeu, ùt Phraſi *Auguſtinianâ* loquar; pro fine *vitæ & cordis. Conc. Maj.* Tenetur habere Deum pro fine ſuo *ſecundùm quid*, & *proximè ultimo*, ſive: pro fine *ultimo cujuſlibet operis ſui. Neg. maj.* Pariformiter *Diſting. min.* ſed, qui etiam unum actum non refert in Deum, non habet Deum pro fine ultimo *ſecundùm quid* nempe pro fine ultimo iſtius operis, quod ex negligentia & *omiſſivè* non refert in Deum. *Conc. min.* Non habet Deum pro fine ſuo *ſimpliciter ultimo*, ſive pro fine vitæ & cordis ſui, *Neg. min.* Ad id quod probationis gratiâ, additum; Resp. ſimiliter *ſub diſtinctione*: Talis fruitur creaturâ, fruitione *ſtrictè* ſumptâ, & in ea hæret, hæſione vitæ & cordis ſui, *Neg.* Fruitur creaturâ utcunque, *per tranſennam*, ac hæret in ea tantiſper, ex humana fragilitate, & vi operis. *Tranſeat.* licet autem in hujuſmodi operatione, reperiatur inordinatio & defectus; ille tamen defectus non immeritò numeratur inter eos, quibus etiam juſtus *ſepties* in die peccare poteſt.

59 Objicere poſſes contra principalem reſolutionem noſtram, hoc modo: Propoſitio hæc damnata eſt: *omnia opera infidelium, ſunt peccata.* immeritò autem damnata foret; ſi noſtra vera foret aſſertio; ſiquidem, infideles Deum ignorantes, nulla referunt opera in Deum verum.

Resp. I. Tametſi infideles Filium Dei incarnatum ignorare poſſint; Deum tamen ſaltem invincibiliter ignorare nequeunt, licet *Deitatem* ibi quærant, ſcilicet *in idolis.* ubi non eſt. *Hæc enim* (inquit *D. P. Auguſtinus tract.* 106. *in Joan.*) *eſt vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali non omnino ac penitus abſcondi poſſit.*

Resp. 2dò. Allatam propoſitionem pluribus ex cauſis, proſcriptam fore; eò quòd varios habeat ſenſus peræquè falſos. Primus eſſe poteſt; quòd omnia opera infidelium, etiam *indeliberata*, ſint peccata. Quod utique falſum eſt. Secundus ſenſus poteſt eſſe; quòd omnia infidelium opera, ſint etiam *ex objecto* peccata, quod non minus falſum eſt, cùm infideles poſſint exercere opera moraliter bona; puta: juvare proximum, ſervare æquitatem naturalem, temperanter vivere, revereri parentes, defendere patriam, *&c.* quæ non ſolùm non ſunt peccata, ſed écontra ſunt laude digna & rectæ rationi conſentanea. Ut ùt autem hujuſmodi opera, à paganis non referrentur in Deum; non ideo tamen mox peccata, dicenda ſunt ex objecto & fine propinquo operis, licet ob defectum fidei, gratiæque ſanctificantis, ſuo deſtituantur merito ſalutis æternæ. Tertius porrò ſenſus poteſt hic eſſe; quòd infideles peccent in omni opere. Qui & ſenſus ideo damnabilis eſt; quia infideles poſſunt actus aliquos bonos elicere & exercere, eóſque ad Deum, ex amore aliquo imperfecto & inchoato dirigere; eò quòd nonnunquam Deus tenebras illorum illuminet, animóſque ipſorum, interiore rore gratiæ ſuæ irriget, excitet & ſalubriter commoveat. Ex quo fundamento damnata quoque fuit hæc propoſitio: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis homines nullum accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeóque hinc rectè inferes; in illis eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia.* Ex his

60 Colliges: Opus aliunde *ex objecto & aliis circumſtantiis* bonum, non vitiari *in ſe*, ex eo, quòd non referatur in Deum. *Ratio* eſt: quia defectus relationis, non redundat in ipſum *officium*, ſeu

in

d by Google

in ipſum opus; ſed merè *in operantem*: neque enim opus bonum debet ſeipſum referre, ſed obligatio tantùm incumbit operanti, ex parte verò *operis*, ſolùm requiritur; ut ſit *referibile*: Atqui vitium ſeu defectus relationis redundat tantùm in eum, cui incumbit obligatio referendi: ergo officium ſeu opus ex natura ac fine ſuo intrinſeco bonum & honeſtum, manet tale, licet non referatur in finem ultimum ſibi extrinſecum totúſque defectus, in operantem, eſt rejiciendus. Atque de tali operante, cum Divo Patre *Auguſtino* dici poteſt: *bonum malè facit.* Donet autem nobis omnipotens Deus, ut ſuâ excitante & concomitante gratiâ, nedum *bonum*, ſed & *bene*, ad ejus gloriam & noſtram ſalutem conſtanter & finaliter operemur.

A M E N.

Digitized by Google

Digitized by Google

11294

Digitized by Google